quia domini eloquia casta, argentum igne examinatum: aliquando pro viro virtute prædito & eloquente, vt in Prouerbiis: *Argentum electum lingua iusti.* Hoc autem loco accipitur pro viro candido & innocente. Prou.10.

g *Et requiescam.* Instar hominis irati, qui postquam seruum iniquum flagellat, requiescit. Loquitur Deus more humano. Quidam vertũt: *Et relinquam vos in furore.* Quasi dicat Deus: Permittam, vt diu duret calamitas vestra.

h *Et constabimini in medio eius.* Hoc est, in medio Hierosolymæ liquefietis. Comparat Hierosolymam cum fornace ardente.

i Et possidebo te. *In Hebraico est* ונחלתי את venichalti bach. *Verbum est nachal, quod significat hæreditare, accipere, possidere,* vt apud Zachariam: Et possidebit dominus Iudam partem suam. *Et apud psalmographum:* Surge Deus iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. *Acsi diceret: Obsecro te domine Deus, vt ex alto cœli fastigio descendas, & regendi negotium suscipias: intueor enim mentis oculis esse ad te gentes omnes peruenturas, quæ prius erant ob dæmonis tyrannidem oppressæ: tu eas possidebis, & erunt hæreditas tua.* Hanc significationem secuti Septuaginta interpretes trãstulerũt: καὶ κατακληρονομήσω, Hoc est *& hæreditate possidebo. Quametiam significationem secutus est cõmunis interpres.* Pagninus vertit: Et eris capiens hæreditatem in te. Et *in Thesauro ait R. Dauidem in libro radicum hunc locum ita etiam vertere: vbi ait hunc esse sensum illius: Olim ô synagoga, inquit Deus, fuisti hæreditas mea, & populus meus: at cum te sceleribus contaminaueris, non eris hæreditas mea, sed tua: non eris in me sed in te. Sed quoniam radix huius verbi potest esse chalal, quod significat polluere, & prophanare, sunt, qui hunc locum ita vertant:* Et pollueris, vel prophanaberis in te inter Gentes. *Hoc verbo vsus est psalmographus in loco illo:* Prophanasti in terra sanctuarium eius. *Vel vt potest verti ex Hebræo:* Polluisti in terra diama eius. *Acsi diceret: Regnum Dauidis, eúsque dignitatem penitus contẽpsisti. Voluit igitur significare Ezechiel fore, vt Iudæi in Babylonica captiuitate detenti se impiis Gentium ritibus, vanísque superstitionibus coinquinarent. Thargum habet:* Et sanctificabor in te. Vt sit sensus: *Reuerteris ô populi Iudææ ex captiuitate Babylonica, & meipsam coles in Iudæa, vbi ego in te sanctificatus. Hæc interpretatio etsi verbis differat à vulgata editione, in sensu tamen coincidit cum illa.* Psal. 88. Psal. 18. Zacha.2.

2 Versa est mihi dominus Israel in scoriam. *Pro scoria est in Hebraico* סיג *sig, quæ dictio absque dubio scoriam significat, vt apud Esaiam* 1. Excoquam ad purum scoriam tuam. *Id quod est in psalmo:* Præuaricantes reputasti omnes peccatores terræ, *verti potest ex Hebræo:* Scoriam reputasti omnes peccatores terræ. *Septuaginta tamen in hunc Ezechielis locum transtulerunt:* Facta est mihi domus Israel commista, seu in commistionem. *Vt sit sensus: Populus Israeliticus est nunc quædam metallorum mistura, non est purum argentum, sed cum stanno: & plumbo, & ferro mistum: at ego cum igne afflictionis purgabo, vt post captiuitatem remaneat argentum purum absque vlla idolorum cultus mistione.* Hinc poteris colligere quam vtilis sit calamitas. *Hoc intelligens regius vates canebat:* Proba me domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meũ. *Vbi pro tentare est in Hebraico tarphah, quod verbum explorare significat, more eorum qui igne experiuntur aurum & argentum, sitne purum ab scoria. Per renes voluptates significat, quod libidinum sedes in renibus esse perhibeatur, per cor occultas cogitationes, quod earum officina & receptaculum cor sit. Quasi dicat: Scrutare domine, experire quis sim: explora igne non solùm opera mea, sed animi cogitationes & consilia. Fac periculum innocentiæ meæ: nam quemadmodum aurum & argentum igne perspiciuntur, sic in æruminarum fornace corporis opera, & intimæ animi affectiones explorantur. Hoc aiebat pius Dauid non temeraria audacia: sed cum falsis criminibus vocaretur ad interitum, quod necem Sauli regi moliretur, dominum appellabat, qui esset suæ causæ disceptator, cui erat compertum eum nõquam violasse Saulem, quin potius hac in re animum semper ab omni flagitio & scelere alienum habuisse. Id quod postea fuit omnibus cognitum & exploratum per id quod in spelunca Engaddi factum legimus, & in deserto, vbi statam & scyphum Sauli dormienti eripuit: & per rerum aduersarum tolerantiam, & in virtute firmitudinem.* Esai. 1. Psal.108. Psal. 25. Psal. 25. Simile. 1.Reg.24. 1.Re.26.

Et factum est verbum domini ad me, dicens: [a] Fili hominis dic ei: Tu es terra immunda, [b] & nõ compluta in die furoris. [c] Coniuratio prophetarum in medio eius sicut leo rugiens rapiensque prædam, [d] animas deuorauerunt, opes & pretium acceperunt: viduas eius multiplicauerunt in medio illius. Sacerdotes [e] eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, [f] inter sanctum & prophanum non habuerunt distantiam, & interpollutum & mundum non intellexerunt. [f] Et à sabbatis meis auerterunt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum. [g] Princ: pes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, [h] & auarè sectanda lucra. [i] Prophetæ autem eius liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & diuinantes eis mendacium, dicentes: Hęc dicit dominus Deus, cum dominus non fit, locutus. [k] Populi terræ calumniabantur calumniam, & rapiebant violenter: egenum, & pauperem affligebant, & aduenam opprimebant calumnia absque iudicio. Et [l] quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissipare eam, & non inueni. [m] Proinde effudi super eos indignationem meam, & in igne iræ meæ consumpsi eos, [n] viam eorum in cãput eorum reddidi: ait dominus Deus. Mich.3.d Sopho. 3.d.

---

[a] *Fili hominis dic ei.* Nimirum Hierosolymæ.

[b] *Nõ compluta.* Hoc est, non irrigata pluuia temporali, quia flagitiis tuis dominum ad iracũdiam prouocasti. Quemadmodum terra non compluta, seu non irrigata, ita Hierosolyma absque pluuia, hoc est, arida erat & sterilis. Potest etiam per defectum diuinæ doctrinæ intelligere: pluuia enim doctrinam significat. Ita intelligitur Esaiæ: *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Vbi per nubes significãtur diuini vates & Christi Apostoli, de quibus rursum ait Esaias. *Qui sunt hi, vt qui nubes volant?* Vnde Moyses instar nubis terram irrigaturis aiebat: *Crescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* Et Ecclesiasticus cum Do- Esai. 5. Esai. 60. Deut. 32.

Cs del expolio del Pbro Sr Ignacio Sardo

✝
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 257.

CARAMVELIS
THEOLOGIA
MORALIS
FVNDAMENTALIS.

Ext. 31
Grey 59
Vol 10

CARAMUELIS

THEOLOGIA

MORALIS

FUNDAMENTALIS.

CARAMVELIS
THEOLOGIA
MORALIS
FVNDAMENTALIS.



EDITIO SECVNDA
MVLTO AVCTIOR.

In qua, reiectis plurimis ſententijs extremis (laxis) quas meritò nec Veritas, nec Theologorum Prudentia admittit: & coire iuſſis multis Opinionibus Medijs (benignis) Fundamentales Aſſertiones ponuntur, quæ Ectheſes vniuerſas ſuccollent: in qua etiam Quæſtiones omnes (difficiles quidem & arduæ) quas nodis Gordijs Prima Editio implicuerat, ſumma doctrinæ conſequentia & facilitate diſſoluuntur.

Vt Lectorum commoditati & vtilitati conſulatur, tres ſubiunguntur Indices: quorum Primus Librorum, Capitum, Fundamentorum, Dubiorumque ordinem & ſeriem producit. Secundus, qui Scholaſticus eſt, Poſitiones Criticas, Logicas, Metalogicas, Phyſicas, Metaphyſicas, Theologicaſque, quæ varijs locis vel aſſeruntur, vel probantur, inſinuat. Et tertius omnia notatu digna interlegit, & ob oculos ponit.

ANNO  M.DC.LVI.

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SEVILLA

ROMAE, Sumptibus Blaſij Diuerſini.

Apud Ignatium de Lazaris. *SVPERIORVM LICENTIA.*
CVM PRIVILEGIO.

CARAMUELIS

THEOLOGIA

MORALIS

FUNDAMENTALIS

EDITIO SECUNDA

MULTO AUCTIOR.

In qua rejectis plurimis fenten tiis extremis (laxis) quas merito nec Veritas, nec Theologorum Prudentia admittit: & certe inflis multis Opinionibus Medijs (benignis) Fundamentales Affertiones sportuntur, quæ Ecclesiæ quietem faccollent: in qua etiam Quæstiones omnes (difficiles quidem & arduæ) quas nobis Gordijs Prima Ratio implicuerat, summis dogmatis consequentia & facilitate dilolvuntur.

Ut Lectorum commoditati & utilitati consulatur, tres Tubingenses Indices quorum Primus Librorum, Capitum, Rerumque memorabilium, Duplicemque ordinem & Seriem producit. Secundus, qui Scholasticus est, Politicos Christianos, Logicos, Metalogicos, Physicos, Metaphysicos, Theologicos complectitur, Tertius omnia notatu digna indicat.

ANNO M.DC.LVI.

ROMÆ, Superiorum Licentia.

Apud Ignatium de Lazaris. SUPERIORUM LICENTIA.
CUM PRIVILEGIO.

ALEXANDRO VII.
PONTIFICI MAXIMO.



DIFFICVLTATES illas, quas prima propo ſuit Editio, graues, obſcuras, arduas, ſuperauit, euicit, illuſtrauit quærendi veritatem amor; cui, ſi diligens ſit, adeſt inueniendi fœlicitas. Et quid ſum de iſtis nodis, olim implicatis, irretitis, implexis, iam hodie exſectis, aut etiam diſſolutis, facturus? Me Alexander ab Alexandro diriget: nec digniùs, quàm ad ALEXANDRVM.

Fuit moris, ait, *vt in locis, quibus cum hoſtibus decertaſſent, & vicíſſent, ibi Victores Duces pro monumento laudis cum ampla Inſcriptione trophæum ponerent.* Ab iſto igitur monitus, in Libro hoc, vbi monſtra difficultatum victa

Alexander ab Alexandro lib. 1. Genial. cap. 22.

trophæum erigo : &, vt æternitatem, qua donare illud Authoris ingenium non poteſt, certiùs & ſecuriùs adquirat, cum in ſcriptione ampliſsima ALEXANDRO PONTIFICI MAXIMO conſecro. Et vbi copioſa illa inſcriptionis vbertas? In ALEXANDRI nomine: cuius hodie ſignificatio in omni virtutum & ſcientiarum genere tantam copiam & Maieſtatem præſefert, vt laudes addere, minuere ſit: non enim altiores conceptus adiuncta differentia propagat, ſed contrahit, ac propterea diminuit.

Et quidem, SANCTISSIME PATER (ſi rem accuratè diſcutiam) alijs dedicare Principibus ingenioſa volumina arbitrium eſt: meos Tibi labores conſecrare neceſsitas: *Res enim*, vt ait Iuris-peritus, *Domino ſuo fructificat*: & quia ego omni titulo Tuus, lucubrationes omnes meæ, Tuo imperio & obſequio deſudant. Iſtas igitur clementer ſuſcipe: & viue Orbi Chriſtiano, hæreſum & bellorum fulminibus perculſo, incinerato, exciſo, quot annis ille indiget, exoptatque.

Beatiſsime Pater

Tuæ ſanctitatis

Humillimus Seruus

Caramuel.

SE-

SERIES
LIBRORVM, CAPITVM, Fundamentorum, & Dubiorum.

Omnes Numeri ſunt marginales.

PROLOGVS. De *mente Authoris: Moralium opinionum nexu: & Verborum ſignificatione. num.1.*

Epiſtolæ Proœmiales.

Prima. *Ad Deum.* *num.4.*

Secunda. *Ad Ferdinandum III. Romanorum Imperatorem.* *num.7.*

Tertia. *Ad Eminentiſſimum Cardinalem de Lugo.* 9.

Quarta. *Eximiis Dominis Magiſtris noſtris, Sacræ Theologiæ Doctoribus, & Profeſſoribus.* 11.

Quinta. *Lectori Diuino.* anagr. *Inuido.* 12.

LIBER I.

Expendit Principia Vniuerſalia, tam ſpeculatiua, quàm Practica, quæ in omni materia, loco, & tempore debent conſiderari.

CAPVT I. Eſt ſpeculatiuum, & Fundamenta, quæ pertinent ad mentem ediſſerit.

Fundamentum I. *De Gratia, & libero arbitrio.* 20

De ſcientia Dei in communi. 90.

An, & quomodo Deus intelligat entia rationis? an & faciat? 94.

Quomodo ſcientia ſimplicis intelligentiæ verſetur circa res poſſibiles? 96.

Quomodo ſcientia Viſionis verſetur circa res præſentes? 99.

Quomodo Deus cognoſcat futura contingentia abſoluta? 102.

De futuris conditionatis, & hac occaſione de Scientia media, & Decretis conditionatis. 105.

De Omnipotentia. 122.

De concurſu Diuino: 124.

De Conſeruatione. 154.

De auxilijs ſufficientibus, & neceſſitate peccandi. 32.

De auxilijs remotis, & proximis. 36.

De neceſſitate in ſenſu compoſito, & diuiſo.

Fundamentum II. *De prima veritate, & prima veracitate.* 158.

Fundamentum III. *De Eccleſiæ Romanæ ſecuritate, & infallibilitate.* 160.

De euidentia, quæ ad Fidei aſſenſum requiritur, & de euidentia quæ opponitur obſcuritati. 168.

Eccleſia Romana eſt infallibilis. Probatur ex hæreſum Magiſtro. 139. *Ex omnium Chriſtianorũ conſenſu.* 187. *ex antiquitate.* 191. *ex motiuo, ob quod Hæreſiarchæ defecerunt ab Eccleſia Catholica.* 195. *ex tribunali ſupremo.* 202. *ex Chriſti inſtitutione.* 210. *ex erroribus Hæreticorum.* 212 *ex Patrum authoritate.* 214. *ex miraculis.* 224. *ex librorum Canonicorum diſtinctione.* 226. *ex ſacramentorum inſtitutione, & verborum ſignificatione.* 230. *ex obſeruatione diei Dominicæ.* 234. *ex præceptorum commutatione.* 238. *ex traditionibus.* 242.

Fundamentum IV. *De Summi Pontificis veracitate.* 246.

Fundamentum V. *De Congregatione Cardinalium, & Rota.* 255.

De motu terræ ab Eminentiſſimis Dominis condemnato. 262. *de Lorcæ doctrina.* 286. *de erroribus Bayi & Ianſenij.* 306. *de aliquibus alijs opinionibus.* 295.

De Magiſtro Sacri Palatij: de eius ſocio: de Cenſoribus Romanis, & Indicibus expurgatorijs. 318.

An Abbates interdicere in ſuis Monaſterijs poſſint libros habentes doctrinam probabilem? An etiam condemnare

nare quæant? 322.
An Episcopi libros, & propositiones possint censurare & damnare. 324. *de librorum Politicorum inhibitione.* 326.
Fundamentum VI. *De definitionibus Academiarum.* 327.
Fundamentum VII. *De authoritate Doctorum, & doctorum.* 329.
Fundamentum VIII. *De Iuniorum, etiamnum viuentium opinionibus.* 332.
Fundamentum IX. *De Dæmonis authoritate.* 336.
Fundamentum X. *De sensibilium experimentorum certitudine.* 339.
De vulgi erroribus circa horologia. 341. *circa diuersorum animaliũ historiam.* 405. *circa honorem.* 411. *circa præsentiam.* 417. *circa pecunias.* 427.
Fundamentum XI. *De opinionum probabilitate.* 435.
Quid sit opinio probabilis? 435. *An & quando liceat homini mutare opinionem probabilem?* 460. *An sit mortale se exponere probabili periculo peccandi mortaliter?* 496. *An sit mortale se exponere probabili æternæ damnationis periculo?* 525.
CAPVT II. Est Practicum, & generalia Fundamenta complectitur.
Fundamentum XII. *De authoritate, & Iurisdictione Diuina.* 541.
An Lex naturalis differat à Decalogo. An in illo possit dispensare Deus. An homicidium, fornicatio, furtum, &c. sint intrinsecè mala? An essent peccata, si non essent prohibita? 441.
Fundamentum XIII. *De authoritate, et iurisdictione humana.* 571.
Exponuntur Bullæ, quales solent concedi Episcopis, vt dispensent in aliquibus impedimentis. 580.
CAPVT III. Est etiam Practicum, & complectitur Fundamenta specialia, quæ Leges formaliter sumptas concernunt.
Fundamentum XIV. *De Legum materia, et ingenio.* 628.
Fundamentum XV. *De Legum quantitate, et numero.* 630.
Fundamentum XVI. *De Legum qualitatibus, et proprietatibus.* 633.
Fundamentum XVII. *De Legum relatione, seu fine.* 635.
An cessante fine legis in aliquo particulari, cesset eiusdem legis obligatio quoad illum particularem? 635. *An possit prohibitos libros legere, qui sciat nullum sibi illos nocumentũ esse illaturos?* 638. 644. *An sit mortale comedere carnes die veneris: præcipuè si sentias nullam ab abstinentia vtilitatem?* 667.
Fundamentum XVIII. *De Legum actione, seu Legislatione.* 570.
Fundamentum XIX. *De Legum passione: hoc est, promulgatione, et acceptatione.* 672.
Fundamentum XX. *De Legum duratione.* 682.
Fundamentum XXI. *De Legum loco.* 683.
Fundamentum XXII. *De Legum situ et ordine. An subordinentur inter se?* 684.
Fundamentum XXIII. *De Legum Habere.* 687.
CAPVT IV. Est etiam Practicum, & edisserit Fundamenta specialia, quæ Leges materialiter sumptas concernunt.
Fundamentum XXIV. *De Legum materia quoad substantiam.* 691.
De actibus humanis. 691. *de purè internis. An subsint Ecclesiæ directè.* 593. *de præcepto indirecto.* 700. *de actibus externis secretis.* 701. *de violatione præceptorum quoad modum.* 713.
Fundamentum XXV. *De Legum materia quoad quantitatem.* 719.
Fundamentum XXVI. *De materia nulla morali.* 726.
Fundamentum XXVII. *De Legum materia quoad qualitatem.* 727.
Fundamentum XXVIII. *De Legum materia relatiua.* 728.
Fundamentum XXIX. *De Legum materia quoad actiones.* 729.
Fundamentum XXX. *De Legum materia quoad passiones.* 746.
An homo, cùm tentatur à diabolo: fœmina, cùm opprimitur, se possit habere passiuè et suspendere omnem consensum et dissensum? 746. 477.
Fundamentum XXXI. *De Legum materia quoad idem tempus.* 748.
An vnica confessione et communione annua possit aliquis duorum annorum obligationi satisfacere? 751. 564. *an Ecclesiastici vnica satisfacere possint obligationi duorum mensium?* 752. 764.

an

An vnica matutinorum lectione obligationi duorum dierum? 753. *An auditione vnius missæ etiam obligationi duorum dierum?* 767. 772.
De præcepti partibus. An simul satisfacere possimus duabus eiusdem obligationis partibus. An qui simul audit duas missas, alteram à consecratione ad finem, alteram ab initio ad consecrationem, satisfaciat præcepto audiendi missam? 709. *An possit aliquis omnes lectiones, & omnia responsoria audire simul?* 783. *An, legendo vnum Aue, toti satisfaciat Rosario?* 788.
Fundamentum XXXII. De *legum materia quoad durationem.* 794.
Fundamentum XXXIII. De *legum materia quoad locum.* 796.
Fundamentum XXXIV. *De legum materia quoad situm.* 798.
Fundamentum XXXV. *De legum materia quoad Habere.* 800.
CAPVT V. De Sigillis & Clauibus Theologiæ Moralis. seu Regulis Iuris Canonici.
Fundamentum XXXVI. De *annullatiua Iustitia.* Clauis *I.* 826.
De contractibus conditionatis. 859.
Fundamentum XXXVII. *De distributiua, commutatiua, & possessiua Iustitia.* Clauis *II.* 886.
Fundamentum XXXVIII. *De expositiua Iustitia.* Clauis *III.* 924.
Fundamentum XXXIX. *De commissiua Iustitia.* Clauis *IV.* 957.
Fundamentum XL. *De præceptiua & obseruatiua Iustitia.* Clauis *V.* 974.
Fundamentum XLI. *De vindicatiua Iustitia.* Clauis *VI.*
Fundamentum XLII. *De æquitate, seu de æquali, & personas non acceptante Iustitia.* Clauis *VII.* 1079.
Fundamentum XLIII. *Varias Assertiones complectens.* 1091.
Fundamentum XLIV. *Axiomata varia dilucidans.* 1103.
Fundamentum VL. *Varias Positiones edisserens.*
Syntheses Regulares, omnes Religiosorum obligationes breuiter & clarè explicantes. 1125.
Regulæ Iuris Ciuilis, quæ hodie in vsu apud Authores classicos. 1129.

LIBER II.

Disserit de Decalogo, Sacramentis & Sacramentalibus.

CAPVT VI. Complectens Principia naturalia, quibus fundari & substrui debeat vera intelligentia Decalogi.

Fundamentum XLVI. De *Fide supernaturali, quæ Decalogi prima linea præcipitur.* 1337.
Fundamentum XLVII. De *Spe supernaturali, quæ eadem linea præcepta.* 1364.
Fundamentum XLVIII. *De Charitate, quæ ibidem exigitur.* 1372.
Fundamentum XLIX. *De Gratiæ & Charitatis; Fidei & Spei; Dispositionis & Habitus; Gratiæ auxiliantis & iustificantis differentia.* 1374.
Fundamentum L. De *Iuramentis vanis, quæ secunda Decalogi lege interdicta.* 1302.
Fundamentum LI. De *Votis, quæ pertinent ad eamdem legem.* 1388.
Fundamentum LII *De dierum obseruantia, quæ tertia Decalogi lege præcipitur.* 1435.
Fundamentum LIII. De *Diuino Officio, quod ad eamdem legem reducitur.* 1444.
Huc etiam pertinet agere de Missa. 1532. *& Ieiunio.* 1537.
Fundamentum LIV. De *Parentum cultu, qui indicitur quarto præcepto.* 1553.
Fundamentum LV. De *homicidio, quod quinto præcepto interdicitur.* 1563.
De *Medicis.* 1554. De *duello & defensione honoris.* 1566. De *Castratione.* 1603. De *grauida & abortu.* 1619. De *suicidio.* 1628.
Fundamentum LVI. De *peccatis luxuriæ, quæ sexto præcepto interdicta.* 1639
Fundamentum LVII. De *peccatis contra naturam.* 1648.
Et hic de delectationibus morosis. 1651. *& ebrietate.* 1659.
Fundamentum LVIII. De *materia parua. An reperiatur in re venerea præscindendo à periculo.* 1708.
Fundamentum LX. De *inuidia, mutuo, & vsura.* 1780.
Fundamentum LXI. De *mendacio, quod interdicit octauum præceptum Decalogi.* 1799.
Fundamentum LXII. De *Restrictionibus mentalibus.* 1804.

Fun-

Fundamentum LXIII. De *scandalo, & internis actibus.* 1806.
CAPVT VII. Complectens Fundamenta Moralia, quibus vera Sacramentorum materia substruitur & firmatur.
Fundamentum *LXIV. De Sacramento Baptismi.* 1812.
Fundamentum *LXV. De Sacramento Confirmationis.* 1820.
Fundamentum *LXVI. De Sacramento Pœnitentiæ.* 1825.
De Reseruatione peccatorum. 1834. *De secreto.* 1840. *De excommunicatione.* 1842. *De absolutione morihundi.* 1848. *De absolutione mortui.* 1877. *De peccatis dubijs & probabilibus.* 1883. 2004.
Fundamentum *LXVII. De Sacramento Eucharistiæ.* 1998.
Fundamentum *LXVIII. De Sacramento extremæ vnctionis.* 2009.
Fundamentum *LXIX. De Sacramento Ordinis.* 2013.
De prima Tonsura. 2059. *De Minoribus Ordinibus.* 2054. *De Maioribus.* 2054.
Fundamentum *LXX. De Sacramento Matrimonij.* 2016.
De impedimentis dirimentibus & non dirimentibus. An a Principibus Politicis constitui possint? 2031.
Fundamentum *LXXI. De rebus Sacramentalibus.* 2044.
APPENDIX. Complectitur obseruationes aliquas circa septem capita præcedentia, 2064.
Epistola. *Henrici Canisij.* 2077.
Epistola. *Ad Henricum Canisium.* 2083.
Authoris mens. 2102.

ERRATA.

PAg. 115. b. linea 21. vbi legitur *meas displicuisse (& positiones ab Ecclesia proscriptas ausu temerario non reuocat) illis, quod &c.* & inferiùs in fund. VI. lin. 3. vbi legitur *Summi Pontificis (peregrinis & nostris) nil omninò* &c commutent loca istæ duæ parentheses per errorem inuersę. Pag. 118. lin. 2. *De iuniore opinionibus*, lege *Iuniorum*.

Præter ista, quæ debuerunt adnotari præcipuè, quod sensum aut tollunt aut immutant: sunt multi alii errores, quibus corrigendis sola Grammatica sufficit; & condonandis experientia; qui enim nec scribũt, nec imprimunt, in hac materia sinceri Iudices esse non possunt. Sicuti Typographo recudere hunc librũ placuerit, curet prius à Viro docto legi, & sic tollentur spalmata, quæ esset molestum & longum recensere.



ALEXANDER
PAPA VII.

AD Futuram Rei Memoriam. Cum, ſicut exponi nobis nuper fecit dilectus filius Blaſius Diuerſin Bibliopola in Alma Vrbe noſtra commorans, quoddam opus. *Theologia Moralis Fundamentalis Authore Reuerendiſſimo Domino Ioanne Caramuele Abbate Monaſterij Montis Serrati Ordinis Sancti Benedicti* inſcriptum, typis in hac Vrbe noſtra mandare intendat, vereatur autem ne poſtmodum alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, idem opus etiam imprimi curent in ipſius exponentis præiudicium, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, vt deſuper oppoſitione prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Blaſium ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis ſuſpen. & interdicti alijſque Eccleſiaſticis ſententijs cen. & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſoluen. & abſolutum fore cenſen. huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Blaſio vt decennio proximo durante à primeua dicti operis dummodo tamen illud antea à dilecto filio Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici approbatum ſit, impreſſione computan. nemo tam in Vrbe quam in reliquo Statu Eccleſiaſtico mediatè vel immediatè nobis ſubiecto opus prædictum ſine ſpeciali dicti Blaſij, aut eius hæredum & ſucceſſorum licentia imprimere aut ab alio, vel alijs impreſſum vendere aut venale habere ſeu proponere poſſit, & valeat Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus; Inhibentes propterea vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, præſertim librorum impreſſoribus, & bibliopolis, ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis librorum, & typorum omnium pro vna Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, & pro alia prædicto Blaſio, ac pro reliqua tertijs partibus accuſatori, & Iudici exequenti irremiſſibiliter applican. & eo ipſo abſque vlla declaratione incurren. pœnis, ne, dicto decennio durante, opus prædictum aut aliquam eius partem tam in Vrbe, quàm in reliquo Statu Eccleſiaſtico prædictis, ſine huiuſmodi licentia imprimere aut ab alio vel alijs impreſſum vendere, ſeu venale habere, vel propon. re quoquo modo audeant ſeu præſumant: Mandantes propterea dilectis filijs noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis aut Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, aut alijs Iuſtitiæ Miniſtris Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & locorum Status noſtri Eccleſiaſtici prædicti quatenus eidem Blaſio ſeu eius hæredibus, & ſucceſſoribus prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes quandocumque ab eodem Blaſio fuerint requiſiti, pœnas prædictas contra quoſcumque inobedientes irremiſſibiliter exequantur. Non obſtan. conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis ſtatutis & conſuetudinibus etiã iuramẽto confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in continentium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam in ipſo opere impreſſis manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique adhibeatur in Iudicio & extra, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. Auguſti M. DC. LVI. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

G. Gualterius.

IMPRI-

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Mag. Sacri Palat. Apoſt.

M. A. Oddus Viceſg.


Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Prædic. Sac. Pal. Apoſt. Mag.



PROLOGVS.

De mente Authoris, Moralium Opinionum nexu, & Theologicorum Nominum significatione.



I. Primæ Editionis huius libri fortuna.

D prælium, Lector Candide, è prælio, è Musæo ad aciem *adeoque ad turbida Martis Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis* nostra venit FVNDAMENTALIS THEOLOGIA; vix enim fuit impressa, cùm in extrema tracta summos patronos, summos inimicos inuenit. Variæ fuerunt Theologorum iudicia: omnia maxima, mediocria nulla. Eximias illa laudes debet Viris doctissimis, qui sciunt interrogationem ab affirmatione distinguere; multa enim sanctè, & piè interrogantur, quæ sine crimine non asseruntur: omnes enim Theologi, dum diuinam essentiam, & eius attributa dilucidant, rogare solent, An Deus existat? An sit sapiens? An liber? An omnipotens? Quos, qui reos ageret, & negare Deo omnipotentiam, libertatem, scientiam, & existentiam diceret, non tam illis detraheret, quàm suam ignorantiam ostenderet. Hinc patet, qua censura inurendi sunt illi, qui interrogationes nonnullas verterunt in affirmationes: si enim processerunt bono animo, indocti, & imperiti sunt: si malo, detractores, & calumniatores. Sciebam huiusmodi monstra oceanum litterarium percurrere, & ne sub colore ignorantiæ sinceras quæstiones inuaderent, illa centies admonui, & in initio, & fine libri diligentia maiori. In primo folio hæc habeo [*Scripsi hucusque, quæ aut sciebam, aut putabam me scire; iam sumo calamum, & scribo illa sola, quæ ignoro, & hunc in lucem librum edo, non vt aliquid doceam, sed vt discam. Hanc ob rem ante initium protestor, me nolle citari, aut audiri pro altera contradictionis parte, sed solùm audire doctiores. Euulgo enim Interrogatorium Opus, in quo multa rogantur, & ponuntur, & nihil omnino resoluitur. Me*

Aliud est interrogare, aliud asserere.

Intentum Authoris in interrogare, non asserere docere, & non docere fuit.

honorabunt ſuis literis Viri illuſtriſſimi, qui conſuluntur, & ad eorum mentem nouam induet formam hic liber, cum elapſo vno aut altero anno recudatur] Iſta omninò viderentur ſufficere: ſed ad maiorem claritatem & ſecuritatem ſubſcripſi [Hæc ſtatim præmonere Te volui, vt inoffenſo pede capita ſequentia percurreres. Lege, perlege, & me tuo ingenio foue, ut poſſit iacere fundamenta clariſſima; volo enim à notioribus initium ſumere, *Vt eX hIs, qVæ anIMVs noVIt, sVrgat aD InCognIta, qVæ non noVIt*] Hæc ſatis erant clara; & ſi Lector omnis eſſet candidus, & ſinceritate polleret, ſufficientia. Sed quia ſemper me manebat timor, ne liuidi, vel imperiti in meas lucubrationes inciderent, *num.* X. hæc ſubiunxi (*Volui olim hunc librum exſcribi tantummodò, non edi: non enim eſt ille qui poſſit à Grammaticis, aut etiam Rhetoribus intelligi, quibus nihil ſcribo. At quia amanuenſes tardi, & multa exemplaria petuntur, eumdem imprimi patior, hac lege, vt non definitiuus, ſed propoſitiuus, & diſputatiuus dicatur. Multa in illo propono, nil definio: volo ab aliquo amico, vel æmulo pro aliqua huius libri opinione allegari: nihil enim in toto facio aliud, quàm inſinuare ſcopulos, quos Nauarchus Ethicus debeat vitare, & quo vitare debeat modo, aut non debeat, non expono, ſed alijs iudicandum relinquo*) Et *num.* 93. in fine [*Priores, & poſteriores Theſes* (illas de Libero arbitrio, has de Omni ſcientia, & Omnipotentia) *non expono defendendas, ſed examinandas ſubijcio; & oro, vt ſine vocum, & iniuriarum ſtrepitu* (*nam multi hodie inſaniunt*) *me iuuare dignentur, & oſtendere, cur debeant vel admitti, quæ nego, vel negari, quæ admitto*] Similia multis locis ſcripſi; & quia finis coronat opus, & illa memoriæ herent, quæ ab amicis in valedictione dicuntur, librum clauſi hoc Hexaſtico.

Plurima propoſui dubitans, mi Lector, in iſto
Nil docui toto dedocui-ve libro.
Omnia maiorum ingenio ſubmitto. Docebor:
Doctior & potero nobiliora dare.
Quæ mea ſollicitus fuerit ſententia; poſcis?
Quod negat Editio prima, ſecunda dabit.

Gregorius.

An omnes lectores ſint candidi?

An omnes libri debeat imprimi?

Concluſio.

Stat igitur, FVNDAMENTALEM THEOLOGIAM iuxta Editionem primam interrogare plurima, & nihil omninò reſoluere. Stat præterea, Authores omnes illos, qui Caramuelem pro aſſertiua aut negatiua allegare ſunt auſi, aut ignorantia, aut inuidia præuentos, non potuiſſe, aut voluiſſe intelligere, quæ verbis clariſſimis proponebantur. Ceſſarunt iſti ſcopuli, & æquiuocationes in ſecunda editione: modò enim æquè doctior, ac cautior ſumo calamum, vt Quæſtionum moralium nodos Gordios, quos Orbi literario propoſui, aut diſſoluam, ſi valeam; aut aliás excidam aut diſſecem. Vt igitur cum fructu poſſim, quia multam in alijs libris æquiuocationum occaſionem inuenio, Prodromum hunc *de verborum ſignificatione*; in quo, non quidem omnes voces expoſiturus ſum, ſed eas tantùm, in quibus Authores magno damno Orbis literarij diſſentiunt: ſæpè enim verba illorum ſunt eadem, nec tamen ſententiæ coincidunt; ſæpè oppoſita, & tamen in re ipſa conueniunt. Et hic obiter noto, me in rebus arduis, ſi ab Authorum

De hac ſecunda Editione.

Quanta attentione legendi ſint iuniorum libri?

Sæpè Authores differre videntur, & conſonant.

placitis

placitis petenda resolutio sit, verborum communi intellectui diffidere, expertus variè illas à quampluribus accipi, quorum non adsequeris mentem, qui Lexicon illorum non addiscas: ne igitur in meorum Operum lectione hallucineris, digneris, quæso, sequētes periodos interlegere.

II. Proprijs vtũtur terminis singulæ Facultates.



OMNES Facultates suos habent terminos, quos aliæ ignorant, aut in diuersa significatione suscipiunt. Et hîc mirari incipiam, mechanicarum artium Professores in vocum, quæ ad singulorum facultates pertinent, significatione conuenire: luxuriare per diuersas nominum acceptiones Philosophos, & Theologos, nec posse ad concordiam reduci. Sanè vocem *Species* aliter Physici, cùm agunt de intentionalibus Brutorum, & Hominum operationibus: aliter Metaphysici, cũ suas categorias contexunt: aliter Iurisconsulti, cùm suas leges expendunt: aliter Theologi, cum Eucharistiæ Sacramentum exponunt: aliter Paulus, cùm cognitionem Dei, quam habemus viatores, ab illa, quam in cœlo sumus habituri, distinguit. Considera lineas sequentes. *Homo, si Aristoteli credimus, indiget speciebus impressis, & expressis, vt intelligat: distinguitur specie à Bruto forte & genere. Diuiditur in virum, & fœminam. Si roges, an hæc sit admittenda ad officia? respondebo, apud Vlpianum lib. 1. ad Sabinum, & lege 10. de statu hominum, & lege 7. de bon. possess. casum in specie proponi, et contra mulieres decidi. Ad Theologica trãsiens, adorabo Eucharistiam, & in ea Christum sub speciebus panis, & vini: & eiusdem auxilio fortior redditus, Deum, quẽ per speciẽ modò video, in cœlo videbo facie ad faciẽ.* Ecce pluries vox *species* reponitur, & semper in significatione diuersa. Oportet igitur oculos aperire, ne voces in aliena significatione sumamus. Ergo nõnullas explicemus.

Quid significat vox *Species* in diuersis Scholis.

Deus.

DEVS. nota vox est. Significat ens entium, causam causarum, creatorem rerum omnium visibilium, & inuisibilium.

Trinitas Triplicitas.

TRINITAS. Est trium vnitas, distinguitur à triplicitate, Deus enim trinus, & vnus est, nec tamen ideò triplex est.

Homusius. Coessentialis. Consubstantialis: Connaturalis.

Ὁμούσιος, CONSVBSTANTIALIS, eiusdem substantiæ: COESSENTIALIS, eiusdem essentiæ. Et illa, quæ eiusdem naturæ sunt, quo modo dicentur? Analogia vocum peteret, illa CONNATVRALIA dici, sed hæc vox in alia significatione sumi solet.

N.B. Ens secundum dici. Hypocritæ Sarabaitæ. Girouagi. Idola.

ENS SECVNDVM DICI, illud est, *quod verè, & realiter non est quale dicitur, imprudentum autem hominum æstimatione, & suppositione ita se habet, ac si quale dicitur esset.* Sic Hypocrita est sanctus secundùm dici: fic apud D. Benedictum in Regula, Sarabaitæ, & Gyrouagi, sunt Monachi secundùm dici: & sic tandem Saturnus, Iuppiter, Mars, Apollo, & cæteri Gentilium Dij, sunt Numina secundùm dici. Hinc sciri poterit.

N B. Ens Morale, aut Virtuale:

ENS MORALE, aut VIRTVALE; quod sic definio. *Est ens, quod verè, & realiter non est quale dicitur, prudentum autem æstimatione, & suppositione ita se habet, ac si quale dicitur esset.* Sic adoptiuus, qui est filius moralis aut virtualis, ille est, qui verè, & realiter non est adoptantis filius, at verò legum vi, & prudentum hominum suppositione ita se habet, ac si esset realis, & legitimus filius: nempe, in omnibus rebus, quas ratio approbat, & Iura recepta permittunt. Sic etiam Formæ, & Materiæ Morales: sic etiam qualitates Morales, Relationes Morales: &c. *Et oro, vt hæc Moralitatum acceptio bene intelligatur, & retineatur.*

Filius adoptiuus.

Formæ, Materiæ, & aliæ Entitates morales.

Libertas a coactione. Libertas à necessitate Liberum arbitrium.

LIBERTAS. Liberum arbitrium constituit, & non est immunitas à sola coactione, vt Lutherani Caluiniani, & alij delirabant, sed est immunitas à necessitate: quam ob rem, si in actu libero (bono aut malo) aliqua circumstantia est necessaria, quo sensu necessaria dicitur, meriti, & demeriti est expers.

Intentio. Electio simplex complacentia.

Præter Intentionem, & Electionem reperiunt Theologi alium actum in voluntate, qui caret nomine, & poterit SIMPLEX COMPLACENTIA vocari, Non ergo repugnabit, Deum creaturas purè possibiles amore simplicis complacentiæ diligere. Ergo nec repugnabit me florem, quem nec intendo vt finem, nec eligo vt medium, amare simplici complacentia. Ergo, & SIMPLX DISPLICENTIA potest addi, quæ sicut Complacentia Voluntatem, sic ipsa Noluntatem respiciat. Hæ duæ voces (*Complacentia, Displicentia*) magnam lucem afferunt summis difficultatibus; & doctrinæ de actibus indifferentibus frequenter poterunt seruire, & prodesse.

Simplex displicentia.

An dentur actus indifferentes

N.B. Dubium negatiuum. Dubium positiuum. Scrupulus.

DVBIVM NEGATIVVM contingit, quando pro neutra parte sunt rationes; nimirùm, quando non sunt graues nec leues. DVBIVM POSITIVVM, quando ex altera, vel vtraque parte, sunt rationes leues. Si res attentè perpendatur, Scrupulus, & Dubium vix differunt. Hîc attentè volo audiri. Conscientiæ regimen est res magni momenti: ergo conscientiæ gubernandæ regula non potest esse ratio leuis: ergo ratio leuis in ordine ad dirigendam conscientiam ita se habet, ac si esset nulla: ergo virtualiter est nulla: Ergo dubium positiuum, tametsi realiter si positiuum

Conscientiæ regimen.

In dubijs ſtandum eſt pro poſſeſſione.

tiuum, virtualiter & moraliter coincidit cum negatiuo. In dubiorum tenebris, & caligine eſt Pharos illa Regula, *Beatus qui poſſidet.*

III. Probabilitas duplex; intrinſeca, extrinſeca; rationalis, authentica

PROBABILITAS poſtulat duo, nimirùm fortitudinem, & incertitudinem: nam concluſio, quæ perſuadetur argumentis certis, & irrefragabilibus, non vocatur probabilis, & quæ ſuadetur rationibus leuibus, non vocatur probabilis: illa quia omni eſt probabili nobilior, hæc quia ignobilior. Et hîc attentè nota, apud Authores, etiam doctos, voces has (*dubium, & probabilitas*) frequenter, & inconſideratè confundi

Propoſitio probabilis probabilior, & minùs probabilis.

Probabilitas eſt duplex: alia enim oritur à ratione, alia ab authoritate. Recipit magis, & minus: reperiuntur enim Propoſitiones probabiliores, æquè probabiles, & minùs probabiles.

Quid in Morali Theologia probabilitatis nomine importetur.

Multùm importat *Probabilitatis* vocabulum: iuuabit Thomam Tamburinum audire: ipſe enim doctiſſimas ſuas Reſolutiones in Decalogum ab hoc Monito orditur. *Lege attentè, inquit enim: Vnum, quod te monitum velim, amice Lector, hic breuibus perlege. In his in Decalogum libris, vt, & alibi, cùm Probabilem aliquam opinionem appello, illam dico te ſine peccati ſcrupulo amplecti, atque in praxi ſequi tuto poſſe. Eiuſmodi locutionem communem bonis Doctoribus eſſe, ex illo principio, quia qui probabili ratione motus aliquid agit, prudenter ſegerit, atque adeo ſine culpa, probè noſti. Verùm in mentem id reuocare ad omnem hæſitationem remouendam operæ pretium fuit.* Interim operandi libertas, quæ probabilitate fulcitur, contrahi poteſt & ſolet voto, iuramento, & præcepto, vt ſuo loco explicatur.

Sententia, tutior, vel ſecurior.

OPINIO TVTIOR dicitur illa, quæ ſecurior: Sed quia in diuerſis generibus eſſe poteſt periculum, & deſiderari ſecuritas, *Tutiorem ſcholaſticè, Tutiorem materialiter ſeu obiectiuè, & Tutiorem formaliter, moraliter ſeu practicè* ob oculos ponam, ne nomina diuerſa confundamus.

Securitas ſcholaſtica.

Tutior ſcholaſticè eadem eſt, quæ probabilior: quæ rationibus fortioribus munita; quæ meliùs poteſt in ſchola defendi, & difficiliùs impugnari.

Securitas materialis ſeu obiectiua.

Tutior materialiter, ſeu obiectiuè illa eſt, quæ reſpicit materiam ſeu obiectum, in quo ob viam itur erroris materialis periculo. Nam, ſi duæ ſint ſententiæ: altera quæ doceat, hanc vel illam rem in Quadrageſima comedi poſſe: altera quæ doceat, non poſſe, ſanè qui abſtineat ſecuriſſimus eſt.

Securitas practica: formalis, moralis.

Tutior, vt nos à peccato præſeruet, illa eſt, quæ aptior, ne homines peccent. Iſta vocatur *tutior practicè*, quia praxim reſpicit: *tutior moraliter*, quia in morum directione ſecurior: *tutior formaliter*, vt diſtinguatur ab ea, quæ eſt tutior materialiter, & obiectiuè.

fictio, peccatum ſignificat.

FICTIO, habet ſpecialem ſignificationem apud Theologos, & in Sacramentis præcipuè; ille enim dicitur Baptiſmum cum fictione recipere, qui in peccato mortali actuali.

Lex æterna realis, intentionalis, moralis philoſophica, & moralis theologica. Hinc oritur peccati, & malitiæ diuiſio.

MALITIA in oppoſitione contraria aut contradictoria conſiſtit: & eſt quadruplex: Realis ſeu Naturalis, Intentionalis, Philoſophica, & Theologica: hæc eſt inobedientia, ſine quâ peccatum Theologicum (mortale aut veniale illud ſit) inueniri non poteſt.

Aliæ voces ſuccurrent: ſed harum volui ſignificationem præmittere, ne Lector meus poſſet hallucinari.





Verbis venio ad rem, & ſincerè pronuncio, me Dubia multa, magno labore (vt de ingenio nil dicam) & temporis impendio congeſta, in prima editione propoſuiſſe, & illa omnia, lectis auditiſque excellentiſſimis Theologis, reſoluiſſe, & in hac ſecunda editione ſoluta, aut ſaltem exciſa euulgare. Fortè alicubi rigidior, & ſeuerior ero, quàm mea videbatur polliceri ſuauitas, & huius æui poſtulare neceſſitas: at hoc mihi imputari non debet, ſed Dialecticæ, quæ à nolente volente duriores interdum conſequentias extorquet. Legiſti in Titulo *Multarum Opinionum* (mediarum, & benignarum) *hucuſque probabilium, aliarumque* (extremarum, & laxarum) *hucuſque improbabilium neceſſaria demonſtratur connexio: quam, vt vel reiiciantur priores, vel admittantur poſteriores, doctiorum mentes exploraturus, toti Orbi Literario proponebat Caramuel.* Igitur, ſi mediæ, extremæque; benignæ, & laxæ vinculo interdum ſint neceſſario connexæ, vel ſimul reijci, vel ſimul admitti debebunt. Ergo iuſſis exeſſe ſententiis, multis extremis laxiſque, & mediis ſeu benignis proſcriptas comitari coactis, remanebunt ſeueræ, quas admittere debebit Sinceritas, vel dubia ſoluere, quę Dialectica noſtra non audet. Nec curanda ſunt Authorum Placita, cùm lumine Rationis duce veritas ſola inquiritur; & à nobis prȩcipuè, qui ſcimus hodiernum heſterno die doctiorem eſſe, & audemus liberè impugnare hodie, quæ heri aſſeruimus, ſi veritatem alibi allucere, hoc eſt, efficaciùs ſuaderi, & clariùs probari videamus. Sed quia meritò timere quis poterit, ne folia hæc ab indoctis, & inuidis ſine fructu legantur [eſt enim analphabetæ gentis proprium omnia contemnere, omnia carpere, intelligere nihil] vt hæc monſtra hominum ab Athenis his arceam, quia innumerabilia eſſe ſolent, mentem meam ad numeros ſequentes reduco.

De prima & ſecunda Theologiæ Fundamentalis Editione.

Cur Author ſit interdum ſeuerior.

Quanti Dialectica facienda ſit?

Quanti faciendæ ſint authoritates quando à ratione diſputatur?

Dies Diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiã.

Ignorantiæ proprietas.

Stultorum infinitus eſt numerus.

Votum Authoris.

Monitum Scholaſticũ ad inuidũ & indoctũ Lectorem.

Editur in lucem, Lector, liber iſte ſecundam,
Vtilis vt doctis omnibus eſſe queat.
Sed tamen ille tibi non ſcribitur Inuide; cuncta
Qui carpendo legis, nulla legendo capis.
Editus in tenebras tibi ſit. Subtilia tractat,
Debet & à cultis mentibus ipſe legi.
En tacet, en loquitur: loquitur nam Pagina noſtra
Lyncibus, & Talpis ingenioſa tacet.

EPISTOLAE PROOEMIALES.

Quid ſit Epiſtola?

DEdimus nonnullas Epiſtolas, animi interpretes, conſilij teſtes; quæ, quia varia eruditione plenæ, debent iterum poni; vt qui hucuſque me ſunt ſua clementia dignati, impoſterùm non grauentur fauere. Vt ergo veriratem inueniam, ſubrigo oculos ad Veritatem primam, gratiamque imploro, ſine cuius concurſu fruſtra ingenio naturali confiditur. Et quia ſcientiarum maria Empyream regionem inundant; Cœlites inuoco, vt mihi ſint Columbi, & Americi, qui à Cœleſtibus Indijs ad Cimœriam hanc noſtram (obſcuram, ignotamque, aut potiùs ignorantem regionem) theſauros veritatum importent. Et quoniam eruditi Theologi, quos Pietas, & Doctrina nobilitat, ſunt Laureæ cœleſtis Candidati (&, ſi loqui ſic placeat, Licentiati) illos compello, vt me non errare permittant. Eorumdem ſum fauorem, & doctrinam expertus; & quia illorum libris, literis, & colloquio quotidie in pietate, & deuotione promoueor, ago Deo ſummas gratias, & vt pergant, exoro. Iterum iterumque ſcientiam diuinam veneror, eiuſdem participia in hominibus, doctis ſuſcipio, & vt ſublimiores notitiæ ad Me deriuentur exorans, paucas iſtas Epiſtolas attentè legendas ſubijcio.

Gratiæ neceſſitas.

Licentiati Cœleſtes, qui?

Scientiæ humanæ, ſunt quædam Diuinæ participia.

DEO



VIII.



Vanta poteſt animi demiſſione filius patri, ſeruus domino, & creatura creatori, tanta ego minor nihilo, Te, DEVS, alloquor, & in Te omnium perfectionum eminentem abyſſum veneror, & adoro. Sed quid ego ſapientiæ infinitę, & æternæ? Antalcidas, aſſerente Plutarcho, cùm in Samothracia initiaretur, coram Deo os aperire noluit, quod crederet fruſtra ab hominibus orari Numina, quæ nihil neſciunt. Idem fecit Lyſander. Idem alii, vtriuſque ſcandalo aut exemplo inſtituti. At ego iuſſus diuinitùs Te adorare, & orare proponam, quæ Tibi ab æterno ſunt nota; & inter lachrymas, ſuſpiriaque ſinceritati mea labia præmouere permittam. ſed quid tibi ſinceritas?

Plutarchus in Lacone. An ore, an verò potiùs corde coràm Deo ſit loquendum.

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε Πατὴρ ἕτερον δ' ἀναίνεται

Huic dedit hoc Pater altitonans, verùm abnuit illud.

Sic fuit locutus Stratonicus apud Laert. Lꝯ. Apoph.

Et quidem dediſti aliquid, negaſti aliquid; & ò vtinam plus dediſſes, vel minùs. Quàm felix ego, ſi eſſem omninò ignorans! Quàm felix ego, ſi eſſem omninò ſapiens! Vel ſi Hominem dedeceant omnia extrema, quàm ego tranquillam vitam agerem, ſi plus ſcirem vel minus! ſi minus, neſcirem ſcrupulos, qui me pungunt; ignorarem ſcopulos, qui me morantur: ſi plus; ſcirem me ab illis expedire, & poſſem ſcyllas, & carybdes vitare. At quoniam inter omnia, & nihil mentis acie irrequieta interuolito, interſum ſupremis, & infimis, & ideò nec pede terræ inſiſto, nec manu Firmamentum teneo. Solari me volunt amici, & in medio conſiſtere virtutem aſſerunt; illis hodie non credo, quoniam in medio poſitus, quò vertam, quin euertar, neſcio. Diues es tenebrarum, & lucis; oro lucem aut tenebras, vt vel dediſcam Quæſtiones, quæ me cruciant, aut earumdem ſolutiones addiſcam. O' Deus, quàm doctus eram olim, cùm humero tenus ſuperior coætaneis eminere videbar! Formabam idola meo modo, Diuina, Cœleſtia, Terrena; quæ ſciebam garrire vel eloqui, & contra quoſcunque ſcholaſticos Marte propugnare, & defendere. Formabam quidem, ſed idola, quæ ſub mentis veſpertinum crepuſculum credebantur altiſſimis fundamentis ineſſe. Quamdiu illa eſſe certa ſuppoſui, in meæ mentis horizonte nox fuit; vbi primùm, Te fauente, alluxit veritatis Aurora, vidi clariſſimè, omnia eſſe obſcura, certiſſimè, omnia eſſe incerta. O' humanæ doctrinæ fundamenta! ſub dubiam lucem Heſperi iudicantur certiſſima; clariſſima dum noctem obſcuram mens agit: & ſi mane, cùm lucet

An ſit vtilis mediocris ſcientia.

An virtus conſiſtat in medio.

Sæpè mentis conceptus ſunt idola, vana ſimulacra, & imagines.

veri-

Attalus Martyr à Tyrãno per contemptũ rogatus Quod nomen Deus haberet? Qui plures ſunt, reſpondit, nominibus diſtinguũtur, qui vnus eſt, nõ indiget nomine. Euſ. l. 5. Ecc. hiſt. cap. 1. Hinc patet meliùs has literas inſcribi DEO, quàm DEO OPTIMO MAXIMO, qui enim vnicus eſt, in rigore loquendo, bonus & magnus eſt; optimus & maximus non eſt. Cõſultò poſui illud, in rigore loquẽdo; ſcio enim ſanctè, & catholicè vſurpari iſtos titulos, quaſi non relatiuè, ſed abſolutè Optim. Maxim. hoc eſt, Infinitè bonus, & infinitè magnus dicatur. Placuit hoc ſubmouiſſe: vnuſquiſq; prout voluerit, loquatur. Omnia debent examinari; nil ſupponi.

Inſpicillum coloratum obiecti colores immutat.

vexitatis Phoſphrus, eadem quæſiero, non ſubſiſtunt. Fortè ſtant ipſa cùm maximè vacillare videntur. Fortè adfingemus rebus oculorum errores; nam ſi inſpicillo vtimur flauo, croceas eſſe niues dicemus. Fortè noſtri hallucinantur oculi nimia claritate perculſi; ſed hoc ipſum ignoro; & quia neutrum euidenter cognoſco, neutrum pronuncio; Et quia vellem reperire vel punctum, vbi ſecurè pedem figam, illudque in terris non reperio, *Ad Te confugio, & ſupplex tua Numina poſco.* Et quia Cauſa prima es, & Virtutem tuam ordinariam exerces cooperando ſecundis, non ego miracula aut prodigia, hoc eſt infuſam ſcientiam poſtulo, qualis Summatibus Eccleſię data: ſed volo audire abs Te: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, quia ſudo, inſudo, & labore improbo diu, & noctu libris diuerſis impalleſco, & tamen, quia pane careo, ieiunus à libro recedo; Multa ignoro; & cum formidine erroris multa opinor, quorum aliter ſe habere poſſunt ſingula, & forſitan aliter ſe habere poſſunt ſingula, & forſitan aliter ſe habent vniuerſa. Si adhuc poſſum priora addiſcere, aut etiam poſteriora dediſcere, non iam decimum tertium laborem, vt Hercules; ſed vigeſimum tertium vel quartum (à tot enim annis profiteor Theologiam) admitto. Sed quia ſine Magiſtro nemo prudens ad arenam deſcendit, Te in Magiſtrum & Conductorem eligo, & libertinam mentem meam in obſequium tuæ doctrinæ captiuo. Poſt Te Magiſtros Cœleſtes, & Terrenos, nempè in Cœlis Ambroſios, Hieronymos, Auguſtinos, Benedictos, Gregorios, Bernardos, Thomas, Scotos, &c. in terris Chiſios, Lugones, Dianas, &c. & exoro, vt mentem iſtorum illumines, voluntatemque dirigas, vt veram, & ſinceram doctrinam me velint, & poſſint docere. Oro vt poſſint, oro vt velint: nam cùm intueor Scientiarum Cœleſtium, & Terreſtrium Oceanum inter plurimas Bacchas, & Laureas naufragantes, apparent raræ nantes in gurgite vaſto: & quia vulgares communeſque Laureæ, & Bacchæ me iuuare non poſſunt, raræ non volunt; ad Te cogor iterum iterumque, vel inuitus redire. Philo olim traductus apud C. Caligulam, & eiectus ab aula dicebat infortunij conſortibus: *Bono animo nos eſſe oportet, quibus iratus eſt Caius; quia neceſſe eſt adeſſe diuinum, vbi deficit humanum auxilium.* Audio, inſtruor, & in me ſeductus ſic inquam: Doctores illi, quos ad maiorem gloriam tuam, & ſecuriorem inſtitutionem meam conſulit iſte Liber, vel mihi reſpondebunt, vel non; ſi reſpondeant, Tibi agam gratias, CAVSA PRIMA, quæ miniſterio ſecundarum me informas; ſi non, agam CAVSA ABSOLVTA gratias Tibi, ſciens vbi abeſt humanum, adeſſe magiſterium Diuinum. Hoc me dirige vt viuam doctiùs, hoc eſt ſanctiùs; vt moriar doctior, hoc eſt melior, nam licèt Ars bene viuendi, & bene moriendi ſit obſcura, & difficilis, *vbi ſpiritus Magiſter eſt, tam citò diſcitur, quàm docetur.* Hoc confidenter oro; hoc ſpero; & polliceor, me Tuam Maieſtatem, & Bonitatem gratiarum actione laudaturum, non ſolùm quamdiu vixero, ſed quamdiu fuero.

Fuit Archimedis lemma: Da mihi punctum fixum extra terram, & illam loco dimouebo.

Parum aut nihil proficit, qui caret Magiſtro.

Derelictis ab Homine Deus ſauet.

An fundamenta recepta in Scholis ſint certa.

Decimus tertius labor Herculis.

Verus Magiſter Deus.

Doctrina naufragæ.

Dignißima Philonis verba.

Ars bene viuendi, & bene moriendi eſt obſcura.

V. An de omnib. Homines iudicent

AN non de illis, quæ ſoli Deo dicuntur, ratio eſt reddenda ſoli Deo? ſic putabam. At, quia nihilominus Anticaramuel, ſe reponit; & dictorum rationem exigit, in me ipſum ſeducor & ſic diſcurro Dixi Deo, O *vtinam plus dediſſes, vel minus* & iterum, O *vtinam me, Domine, doctiorem aut indoctiorem condidiſſes*; hæc eadem uerba recognoſco, eaque iterum coram Anticaramuele pronuncio. Si enim hebetioribus eſſem præditus oculis, non torquerer errorum in ſcholis obtinentium aſpectu; & ſi auctioribus, *V*eritatem tandem aliquando inuenirem. Sed quia nec talpa ſum, nec lynx, inter lucem & tenebras ab opinionum crepuſculina traditione dependeo. Secundo Amorum Naſo.

Aut nulla ebrietas, aut tanta ſit, vt tibi curas
Eripiat. Siqua eſt inter vtramque, nocet.

Laudo acumen: & ad illud conceptum meũ elimo, & aio.

Quanta debeat eſſe no titia?

Nulla aut cognitio, vel tanta ſit, vt mihi cuncta
Exhibeat. Siqua eſt inter vtramque, nocet.

Hæc ſaltem eſt Veritas pura. Vnde meritò Ovvenus lib. 3. Epigr. 134.

Beati quis.

Iudice me ſoli ſemperque perinde beati
Sunt quicumque ſciunt omnia, quique nihil

Anticaramuel.

Sed & hæc ipſa obſeſſus à contradicendi ſpiritu carpit Anticaramuel, qui tamen mihi multò gratior eſſet, ſi inſtrueret: dubia enim luce Orbem literarium percurro, & in communi via viam quæro, & ideò manuductione ſola indigeo, non autem vituperio vel laude. Sanè quod mihi exopto, & inuidet Anticaramuel, etiam illi deſidero; expediret enim illi & mihi, vt eſſet vel indoctior, vel doctior. Et quidem, ſi indoctior, quàm eſt, mea negligeret; ſi doctior, intelligeret: ſed quia in medio poſitus, quò ſe vertat neſcit? & nihilominus non hæret, ſeſe vertit, quò neſcit. O vtinam vigilaret, dormiretve; ſed quia dormitat, ſibi & nobis eſt oneri; & ſcholis jactura. Audebo illum monere, & dicere.

Quantus ſomnus ſit vtilis?

Altè qui dormit nulli eſt iniurius, olli
Nec vult, ſi prudens, ſponte nocere vigil,
Sed cùm dormitans eſt ſemiſopitus Homerus.
Nigras & calidas judicat eſſe nives.
Ergo tibi nullus, vel tantus ſit ſopor, vt vel
Nil prorſus videat, inuideas ve nihil.
Sufficiunt oculi bini, vt quis dormiat: aſt, vt
Laudet vel carpat, pluribus Argus eget.
Ergo quouſque oculis nullis, vel Zoile centum
Perſpexiſſe queas Dogmata noſtra, tace.

Sic ſcribo, ſic ſentio: & in hac materia quia in medio non reperio virtutem, Me ipſum & Lectorem meos in extrema propello.

An ſemper ſit virtus in medio?

NOTA.

VI. De Epiſtolis nonnullis omiſſis.

OCcurrunt hic in Manuſcripto literæ Cœlorum Reginæ, & nonnullæ etiam Incolis Empyreæ regionis inſcriptæ. Ponentur aliò, vt aptiùs Lectores erudiant. Quæ enim in tota Virginis immaculatæ vita actio, quæ non erudiat Homines, & in virtutum exercitio confirmet? ſuadet hoc apertè illa Mariana Diſputatio, quam dedi in Met alogica ad num 1404 in qua ex dotibus, & prærogatiuis Deiparæ, totius *P*hyſicæ, & Metaphyſicæ cõcluſiones, & ſuppoſitiones deducuntur Rem etiam ſcholaſticam iuuat erga Cœlites reliquos pietas, tum quia ingenium humanum tenue eſt, & luce diuina iuuatur; quam, quia meritis noſtris non valemus, Sanctorum patrocinio impetramus: tum, quia eorum actiones ad regulas rationis elimatæ linguæ ſunt, quæ nos doceant, quo debeamus methodo, & modo diſcurrere, & dialecticari; quo philoſophari ordine, & loco; &, quod vtilius eſt, quanta debeamus cautela & circumſpectione viuere homines, qui non ſolùm mortales, ſed etiam morituri ſumus. De Sanctæ Scripturæ authoritate, & *P*atrum antiquorum ſcriptis geſtiſque S. Benedictus in Regulæ capite LXXIII. *Quæ pagina, aut quis ſermo diuinæ autoritatis, veteris, ac noui Teſtamenti, non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ? aut quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum non reſonat, vt recto curſu perueniamus ad Creatorem noſtrum? nec non & Collationes & Inſtituta, & Vita eorum, & Regula Sancti Patris noſtri Baſilij, quid aliud ſunt, niſi henè viuentium, & obedientium Monachorum exempla, & inſtrumenta virtutum è* Vide Boëtij vitam, quam olim edidi: & Dominici vitam, quam nuper: & in alterutra omnes ſcientias Scholaſticas Moraleſque curiosè repertas in venies.

Deiparæ vita nos inſtituit.

Etiam Sancti nos adiuuant: nimirùm patrocinio, & exemplo. Sanctorum actione sũt linguæ.

Boetius, & Dominicus Authoris libri hiſtorici calamo ſcholaſtico ſcripti.

FERDINANDO III.
IMPERATORI
ROMANORVM.

VII.

IN *Sereniſſimorum Principum limina poni ſolent infantes, quos* Expoſitos *dicimus, ne deſit Maieſtati humanæ occaſio exercendi liberalem Clementiam, & ſerviendi Divinæ, quæ ait,* Quod feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. *Non ergo mirum erit, ſi liber eis ad limina Cæſareæ Veſtræ Maieſtatis mittatur Filius meus ille eſt, infans eſt; pauper eſt: & magno eget Patrono; imò, ſi vtamur dialecto Theologica, magno Patrino. Filius profectò eſt meus; quia* libri *dicuntur, quaſi* Liberi; *& chariſſimus quidē, quia vt optimè adnotavit Plato, Libri Liberis Parentibus tantò chariores ſunt, quantò Mentis fili ſunt præſtantiores filiis corporis. Eſt infans, non enim fatur, ſed tacet, aut balbutit plurimum, quæ ab aliis debeant elo quentiùs reſumi. Multa proponit, docet nulla; vt enim doceatur veritatem, & præiudicia dedoceatur, eximio niſu ſatagit; fortè & ſat-agit. Hæret interim; nulli enim licet Libro eſſe Libero. Pauper eſt, nudus, algens; ſed qui poſſit diteſcere, ornari, & foueri, ſi gratiam ſit Veſtræ. Cæſ. Mai. ſortitus. Baptizatus iam eſt; videlicet Fide Parentis; quæ circa Articulos Religionis catholicæ maxima, & circa Theologorum Reſolutiones nulla; dicta enim cælitùs, clauſis oculis ſuſcipit & adorat; dictata autem humanitùs, aure oculata examinat. & tunc primum admittit, cùm probantur. Habet in teuuitate ſua nobiliſſimum nomen, nam* EIRMAMENTVM *dicitur; & aſſumpto reſpondebit vocabulo, ſi favor adſit. Tuum ille ſubpetit, & quamdiù ſub alarum tuarum vmbra ſpirat, ſperat ad ætatem perfectiorem venturum. Hæc dabit vires, vt poſſit nomini reſpondere, & Morales ſtellas (Concluſiones & Reſolutiones intelligo, quas hucuſque erronum & Planetarum impetu, ad ſcendere; dirigi & regredi obſervavimus) tandem aliquando firmare. At non caret tempeſtate iſtud facinus; ſolvit enim ſpiritus vehementes AEolus, qui univerſa perturbant: caret tamen timore, pendunt enim ſacræ & profanæ littera ſecuriſſima exempla, quæ nobis ſunt ſolamini. Multos poſſem producere, ſed tamen vnius tantum aut alterius meminero, & à cæteris ſuperſedebo. Moyſes, antequam naſceretur, hoſtes habuit; in Nilum à parente proiicitur; verùm a Pharaonis filia inventus, ex naufragante ſcella creptus, & Regio fauore nutritus, gentem ſuam à Tyrannide Aegyptica libe-*

Infantes expoſiti qui?

Libri, liberi.

Vtros intenſiùs diligamus, libros, an liberos?

Iſte liber eſt infans.

Non eſt liber: Baptizatus eſt in fide Parentis: eius nomen.

Authoris fides erga Deum quāta? quanta erga homines? Aures oculatæ. Concluſiones Morales ſunt ſtellæ: anne erraticæ?

Exodi c. 2.

Moyſes eripitur ab undis.

liberauit. Romulus Remuſque proiecti in Tiberim, ſunt à Lupa ſeruati, vt axioma illud veterum, Homo homini lupus; homo homini Deus, *corrigeretur: his enim miſerculis infantibus, hominis in humani furor lupus fuit, humanuſq; lupæ favor, Deus, Erepti & nutriti à lupa, ſublato AEmulio, & Numitore reſtituto, coëgerunt proditionis artifices verbera* dura pati, et duris parere lupatis. *Non aliter, hic ipſe Liber Moyſes fuit, aut ſi malis, Romulus Remuſue; antequam ederetur, paſſus eſt Pharaones furibundos, AEmulios æmulos: ne grauiori ſubiaceret periculo, periculo debuit exponi, deſeri à Genitore ſuo, & arbitrio Theologorum committi; imo etiam Invidorum, qui quacunque ſe inſinuant, & facilius condemnant, quàm examinant. Sed ereptus à Maieſtate Tua Cæſarea, non iam fovetur à Lupa, ſed ab Aquila,* vt ſit generoſus Achilles, cogat et Invidiam duris parere lupatis. *Ganymedes domi ſuæ puellus & pauper fuit, & hodie in cælo, Hygino teſte, Gigas, vrna divite præditus, ſtelligeras vndas profundit, & Aquarius vocatur: Et vnde ſuborta hæc apotheoſis? Ad Aquila. Volucrum Imperatrix fuit, quæ eum rapuit, & ad vndis procelloſis Mundi huius inferioris eripiens in ſuperioris ſereniſſimam regionem tranſtulit. Eripiar igitur ab hoc invido mundo, ſi faveat aquila. In cælos transferar; et vndis aſtricomis dives Chriſtallinum* FIRMAMENTVM *firmabo. Illud Tu clementer & potenter defende. Clementer vt ſis Atlas; nam ſicut olim Atlas eguit Hercule, vt ſuſtineret cælum; ſic etiam hodie Clementia eget Potentia, vt teneat Terram à ſua dignitate collapſam. Theologia Moralis mundus ordinis eminentioris eſt; in quo demonſtrata Principia ſunt ſtellæ aplaneticæ; & probabiles Authorum opiniones, ſunt Planetæ: in quo heteredoxa Hæreticorum dogmata, et multæ improbabiles Veterum, imò & Iuniorum aſſertiones ſunt Cometæ, pernicioſiùs errantes. Sol eſt Deus: immotus immobiliſque; eſt enim prima & ſumma veritas, quæ quia indiuiſibili conſiſtit loco, dimo veri nõ poteſt. Sol veritas omnium cælorum centrum eſt, quem errores circumeunt, Firmamentum coronat. Hoc à Cometis arietatur, & indiget Atlante, & Hercule, nempe doctrina & viribus, vt defendatur Igitur,* INVICTISSIME CAESAR, *ſi quidem ingenii celſitudinem conceſſam cælitùs tanto humanitus ſcientiarum ſplẽdore exornaſti, meo* FIRMAMENTO *ſis Atlas: & ſi quidem omnem poteſtatem Politicam Cæſarea virtute complecteris, ſis eidem Hercules: vt ſi ab Ignibus fatuis (exhalationum genus eſt) quati vel turbari contingat* FIRMAMENTVM *hoc meum, ſecuro firmamento non careat. Te hoc oro* INVICTISSIME) *ferè dixeram,* INGENIOSISSIME) IMPERATOR; *Deumque, vt quem Chriſtiano Orbi defendende præfecit, dignetur contra inundantes hoſtium cuneos continuo fauore protegere*

Romulus e Remus ſervantur à lupa.

Liber hic Moyſi, et Romulo ſimilis.

Ganymedes idem ſqui Aquarius,

An ne Scholaſticus Mũdus eſt Heliocentricus & ſimilis Copernicano?

Corigitur axioma vetus.

Eripitur à periculis, & ſeruatur ab Aquila,

Scholaſticæ ſententiæ ſũt ſtelliæ & harum aliæ vocanturfixæ, aliæ erraticæ, & aliæ cometæ,

Sol eſt Deus.

Quanto ingenio, & doctrina Ferdinandus Imperator ſit præditus

ET cur ad Cæſarem librũ Theologicũ, ſubtilium obſeruationum, aut potiùs obiectionum plenum? Cur quæſtiones tàm arduas, quas diſſoluere nequeat, qui Liberales Artes, & Mathematicas Facultates ignoret? quas non audeat attingere, qui Philoſophiæ (Naturalis, Moralis) difficultates non intelligat? Quia in Ferdinando III ingenium elimaret Natura, poliuit induſtria laborque, ut dignũ redderetur imperio. Scio multos Reges, & Principes nolle fauere literis, multos non poſſe. Scio nec iuuari armis, literas, nec Scientiarum delectum Martis tribunali ſub eſſe. Dixi olim,

An arma foueant literis?

Regia multa poteſt Maieſtas, Cæſaris arma
ſubiiciunt orbem Solis vtrumque ſibi.
non tamen hæc poſſunt conceptos (Candide Lector)
Aut ſeruare malos, aut ingulare bonos.

An Reges poſſint libros ab inuidia defendere?

Ergo imprudentiæ incurro notam, cùm obtinendę defenſionis, & protectionis gratia ad Imperatorem recurro. Sed non; quoniam in Ferdinando III, duo concurrunt: Scientia, Authoritas. Eſtò hæc, licèt Cæſarea, & multis nominibus Regia, impotens ſit, vt Librum iſtum inuidiæ multorum expoſitum in portum ſecurum perducat; quid inde? non mihi in procelloſo Oceano eſt Cynoſura Cæſarea Ferdinandi Maieſtas; ſed eius ingenium ſuauiſſimũ, ortiſſimum, & ornatiſſimum. Ingenium, inquam, quo robuſtius, quo politius, quo ditius, nondum dedit Orbi literario Germania: in quo floridæ Charites inter Dialecticæ ſeueriores ſcrupulos reuerentiam exrorquent; in quo liberaliores Artes eminant: in quo Mathematicę, & Naturales ſcientię theſauros ſplẽdorum emittunt. Maieſtatem ergo adoctrina ſecerno: & qui arceri illa poteram, hac allicior, vt ad Ferdinandum accedam, & à Maieſtatis ſupercilio præſcindã. Illi Ego, vt Viro eximio (videlicet inter Principes docto, atque inter doctos Principi) hunc laborem concredidę; & quia illum defendendum ſuſcepit, & magno protexit auxilio, gratias ęternas ago, oroque Deum, vt illum quà Cęſarem Imperio, quà eruditum ſchołæ ſoſpitem, & incolumem conſeruare dignetur multis annis.

Leopoldus Hungariæ Rex, quales & quantus

EST hodie Paternę Virtutis, & Maieſtatis hęres, Leopoldus Auſtriacus, Hũgarię Rex, aureus adoleſcens, Europę Spes, & Orbis Chriſtiani Delitium. Pollet ingenio forti, & acri, & ſupra ętatem ſapiens prudenſque deſiderat *parere ſubiectis, & debellare ſuperbos*. De Aquila, quę D. Richardum Epiſcoporum Andrienſem, alarum vmbra in itinere ab æſtu defendit, quępã deuoto, & ingenioſa Muſa:

Aquila prodigioſa.

Aëris in medio pendet Regina volucrũ
Et lentum incerto tramite carpit iter.
Vt, Sacra Gargani ſcandit dum culmina mortis
Antiſtes facilem præbeat vmbra viam.
Veloces Aquilæ miraris in aëre pennas?
Miror ego hanc, ſed cùm tardiùs, illa volat.

Carolus à S. Antonio Patauino, de Arte Epigrãmatica. c. 5. num. 135.

Huic prodigio Orbis litterarius applaudit & conuertens ab Aquilam, & eius pullum (Ferdinandum III. Romanorum Imperatorem, Leopoldum I. Hungarorum Regem) oculos, dicit alterutri, *Sub vmbra alarum tuarum ſperabã, donec tranſeat iniquitas*: hoc eſt, Inuidia. Hęc enim ignorantia, armata in ſcientias ſublimiores audet, & illarũ Doctores, & Fautores aggreditur. Sed fruſtra; eſt enim à ſcientiis Aquila, quę vmbra fouet, & protegi Artes, & Facultates; Aquila, inquã Cęſarea Regia; itineris Dux aut etiam Arcaidux: quæ protegendo ſcientias promoueret, & promouendo ad eminentẽ Maieſtatem exaltat: & tanto id niſu, vt ſi quando occaſione ad petente, remiſſiùs, tunc maiori admiratione ſuſpiciatur.

Contra ſciẽtias, ſola militat Ignorãtia, & Inuidia.

DOCTRINA, ET DIGNITATE EMINENTISSIMO CARDINALI DE LVGO.

HAs ad Te paucas lineas non auderem ſcribere, Pater Eminentiſſime, ni inſtrueret à Martiale, qui Domitianum Cæſarem, Mundi integri negotiis obrutum, interpellat his verbis:

Martialis lib. 8. Epigramm. 76. Vocat Dominum Imperatorem Domitianũ: quem vocaturus erat Deum vocat Res, Prouincias Regiones, & Reſpublicas.

Dante Tibi turba querulos, Auguſte libellos,
Nos quoque, qui Domino carmina parua damus:
Poſſe Deum Rebus pariter Muſisque vacare
Scimus; & hæc etiam ſerta placere Tibi.

Poſſunt Muſæ, & Scientiæ ſeueriores conſiſtere.

Te à Sanctiſſimo Domino ad laborum participium adſumptum, expedire afflictarum Regionum querulos libellos, non ignoro; & quia inter Eminentiſſimos emines, ſcio totam, aut ferè definitionum molem à Tua dependere doctrina. Non ergo carere poterit temeritatis nota mea intempeſta præſumptio, quæ grauiſſimorum negotiorum fluxum tenui habena ſiſtere, & immenſum ſtrepitum tenui voce impedire non ceſſat. Sed, non; quia binas habet claues Eccleſia (Theologicam, Politicamque) quas Cardinalium manu torquet Pontifex, vt cœlos & terras aperiat. Vtraque igitur vtere; Politica, vt pateat aditus diuerſis gentibus, quæ ad Tuam protectionem confugiunt; Theologica, vt pateat aditus Scriptoribus diuerſis, qui à toto orbe literario Te conſulunt. IOANNES, latinè *Ianus* diceris, & Iànũ fortè bicipitem effinxit antiquitas, quòd Reipublicæ ſimul & Muſis ſtudere potuerit. Patere igitur, vt priuata vnius Theologi veritatem inquirentis curioſitas curas Tuas interpellet: patere, vt audeat dicere:

Pontifex eſt Chriſto à clauibus: à manu Cardinales Pontifici.

Habet Eccleſia binas claues quas cur?

Ioannes Ianus. Cui Ianus bifronis? Aut curam impendit Populis, aut otia Muſis. Lipſ Cent. 1 ad Belgas, Epiſtola Dedicat.

Dante Tibi Roma querulos toto orbe libellos,
Conſulti à multis Te quoque conſulimus.
Te poſſe, & Rebus pariter Muſisque vacare
Scimus, & hæc etiam ſcripta placere Tibi.
Reſponde his igitur Dubiis, Vir Magne: peritis
Meque Tuis ſcriptis inſtrue. Viue. Vale.

X

Quis, & qualis ſit Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo.

MVlta de Eminẽtiſſimi Cardinalis Lugonis pietate, et doctrina in Belgio, multa in Germania audiueram: at plura vidi, cùm Romę Virum, qui totam honorat Hiſpaniam. Rara auis in terris, nigroque ſimillima Cygno, in Eminentia humilitas, vrbanitas in Maieſtate. Exſit, qui dixerat, *Honoribus mores mutari*: nam hęc Regula in multis Viris Magnis refellit; & hodie in Lugone non obtinet. Modeſtia, morum ſuauitas, regularium mortificationum obſeruantia, rerum ſublimium contemplatio, alectio, ſcriptio, et cæteri virtutum actus, qui illum eminentem reddiderant, etiam num eminent, omniumque reuerentiam, et admirationem extorquent. Multa ad Eminentiſſimi Doctoris libris, multa à Sapientiſſimi Principis Cardinalis verbis didici, quę me iuuerunt, vt hanc ſecundam Theologię Editionem ornarem: alij illum calamo politiore celebrent: ego ſinio: nolo enim optimo meo Domino, & Mecęnati diſplicere, quem ſcio promereri eximias, nullas tamen appetere, aut admittere laudes.

Edidit multos & doctiſſimos libros, qui die in Europa magno fructu & applauſu leguntur.

EXI-

EXIMIIS DD MAGISTRIS
SACRAE THEOLOGIAE DOCT. ET PROFESS.

Sicut Stellæ, tametsi omnes lucidæ, sunt inæquales, sic viri docti, licèt homines illustres. Sed quis illos auderet ad classes & gradus reducere? Qualem igitur ferat ordinem? abecedarium; qualem litteræ initiales dederūt: singuli enim meâ opinione sunt primi, Sed cur Reuerendiss. & Illustriss. tituli dignitatum omissi? quia puerilis commatis est, viris toto orbe notis titulos addere proprii nominis claritate minores, Et cur tandem vita functis superstites, & Cœlitibus immisceo Terricolas? vt ab illis erudiar humanitùs; nam & mortui nos audūt, & cœlius suos discipulos devotos docent. Erūt fortasse plurimi viri docti et illustres, quorum mentionem non fecerim, quibus etiam aliquid dicturus sum. Hanc inquā Epistolām direxi ad illos, quorum vel libros lego, vel literis frequēter honoror: si alii me suis literis dignabitur, etiam ipsos meus stylus celebrabit

Adriano Crommio,
Alberico Burghoffio,
Angelo de Nuce,
Angelo Manrique,
Antonio Dianæ,
Antonio Moraines.
Athanasio Kirchero,
Augustino Barbossa,
Augustino de Belis.
Bartholomæo à S. Fausto,
Basilio de Aerea,
Benedicto Rocci,
Bernardino Clanchy,
Bonaventuræ Bruodino,
Carolo Malleti,
Carolo de Thomasio.
Didaco Quirogæ,
Dominico Magro,
Dominico Quesada.
Eugenio de S. Iosepho.
Ferdinando Vghelli,
Francisco Amico,
Francisco Aunato,
Francisco Bardi,
Francisco Diez de Cabrera,
Francisco Ouiedo.
Gabrieli de Henao,
Gregorio Carafa.
Hieronymo Chianæ,
Hieronymo Ferrantino,
Hilarioni Rancati,
Hilgero Burgoffio,
Hyacintho Libelli.
Ignatio der Kennis,
Ildephonso peñafiel,
Ioanni Angelo Bossio,
Ioanni Baptistæ Iatino,
Ioanni Baptistæ Lezana,
Ioanni de Dicastillo,
Ioanni Eusebio Nierenbergio,
Ioanni de Ionghe,
Ioanni de Lugo,
Ioanni Baptistæ Mari,
Ioanni Molitori,
Iosepho Ciantes.
Iosepho Costaltæ,
Iosepho de Ianuario.
Leandro de SS. Sacramento,
Leoni à Regibus,
Lucæ Holstenio,
Lucæ VVadingo,
Ludouico Bernaldo de Quiros,
Ludouico Balbeo.
Martino de Esparza Artieda,
Michaeli Angelo Ricci,
Michaeli de Alcantara.
Nicolao Donellano.
Petro Francisco Passerino,
Petro Gasendo
Petro Lorca,
Petro Marchantio,
Petro Valestrio de Ferrariis.
Phillippo de S. Trinitate.
Raymundo Capisucco,
Raymundo Monticuculi.
Roderico de Arriaga.
Sfortiæ Pallauicino,
Stephano de Camps,
Stephano Spinula.
Thomæ del Bene
Thomæ Tamburino.
Valeriano Magno.
Vincentio Tancredi,
Zachariæ Pasqualigo.

VIRIS MAXIMIS, MEIS DOMINIS, ET AMICIS OPTIMIS, quà Cœlitibus; & quà Terricolis, honorem, & reuerentiam summam.

Non

Non hæc Principibus; ſed doctis ſcribo; peropto,
Vt placeat doctis noſtra Minerua Viris.
Quod ſi hic Principibus nonnullis ſcripta legantur,
Illa his quà doctis ſcripſero Principibus.
Hinc igitur Titulis, Schola quos cognouerit, vtor:
Et quibus Aula grauat vel nocet, abſtineo.
Dent alios alii; Tituli uiihi namque placebunt,
Quos dedit illa magis, quos dedit iſta minus.

XI. An Eccleſiæ Patres, non ſolùm virtute, ſed etiam fuerint maiores doctrina & ingenio?

A deuotione & reuerentia ſumitur reſolutio.

NEſtra ego ſcripta, aut exarata manu, aut typis edita, quæque habere licuit, SAPIENTISSIMI VIRI, quotidie diligentere voluo; & noſtro æuo congratulor, quòd non habeat, cur aureæ antiquitati inuideat. Nolo vos componere cum Eccleſiæ Doctoribus; id enim nec vos vultis, nec devotio ipſa patitur. Illos videtur Deus exornaſſe prærogatiuis ſpecialibus, vt eſſent poſteris admirationi, & magiſterio: & quia fuerunt Gigantes, non debent cum cætris intermiſceri. Præſcindo ergo à Gregorijs, Ambroſijs, Auguſtinis Hieronymis; etiam ab alijs Græcis Latiniſque, quos Cœlicolis virtus accenſuit, quibuſcum viuentes non debemus componi; verto ad cæteros oculos, nec reperio, quid valeat veſtræ eruditioni, & ſapientiæ præferri. Interlego priſcæ ætatis hiſtorias, & admirabundus obſervo nullum ſæculum debere conferi cum noſtro; nam ſi Ingeniorum numerum conſiderem, tot habet Viros Doctos hæc ætas, quot omnes præteritæ ſimul: &, ſi Ingeniorum eminentiam perpendam, fuiſſe olim in Orbe literario Theologos vobis ſuppares vel majores, crediturus non ſum. Olim vt quæreretur doctus Vir, diligentia; ut inueniretur, opus erat fortuna; uix enim è millibus unus aut alter erat, dignus Laurea. At hodie uultis ne Viros ſapientes inuenire? *Ite aD eXItVs VIarVM qVosCVMqVE InVenerIt Is.* hoc enim anno M. DC. LI. uiarum Sæcularium, Eccleſiaſticarum, Regularium exitus ſunt Academiæ, in quas quidquid ſubtile, quidquid eximiũ habet Orbis, exonerat. Quæ tam felices hodie & diuites; ut queſcumque inueneritis Theologiæ Profeſſores, poſſitis conſulere, & colere. Multi ſunt hodie in Mundo Viri magni, & inter illos Vos præcipui. Ergo ſi quidem eſtis tam docti, neſcire non poteritis honorem habere ſua onera, & doctrinæ gloriam non poſſe labore carere. Ergo uel non ſitis tam magni, uel patiamini, ut Pygmæi ad Gigantum protectionem confugiant. Gymnaſia ueſtra ingrediор; & qui ab annis plurimis Theologicam ſum profeſſus, ſumo calamum, & inter ueſtros diſcipulos à ueſtro ore & dictamine pendeo: & ne aliquo illecti præjudicio in mea directione obberretis, me totum quà corporeum, quà ſpiritualem, coram uobis effundo; æger enim ſe decipit, ſi Medicum uelit decipere. Habeo, AMICI OPTIMI, aliqua ſingularia quæ reddunt me mihi ſuſpectum. Valetudinem, Dei ſingulari beneficio, ſuffieientem. Libris ſacris profaniſque horis quatuordecim impalleſco quotidie, & ueſtris ex majore parte. Veſpere nimiùm ſum ſemper fatigatus & miſer; at manè,

Noſtra ætas plures habet viros doctos, & maiores; quàm priſca.

Matt. 22.

Authoris Genius.

cùm

Senſus externi. eùm vado ad Matutinas, nihil Patior: In ſingulis Senſibus nonnihili ſingulare percipio; & in Guſtu præcipuè; carnes enim ferinæ, ſylueſtres volucres, pretioſi piſces, & cæteræ deliciæ Principium, mihi ſunt tędio. Venio ad Mentem; cujus gratia cætera fuerunt dicta. Me abripiunt nonnullæ opiniones internæ. niones, quas video à Doctoribus reijci, quas tamen tam certas & claras exiſtimo, vt auderem illas coram Deo juramento firmare, & carerem formidine, etiamſi ſumma rerum ab illarum veritate penderet. Hæc primo ingenij motu & ſtando priuato judicio. At ſeducor in me, & me interrogo, An Caramuel debeat vniuerſis præferri? ſed cùm me ſuperbiæ & temeritatis incuſo, etiam mihi reſpondeo, datos Homini oculos, non vt audiat & credat, ſed vt videat. Cùm omnia fluunt tranquille, & in oceano cordis malacia præſidet, ſic dialecticor, & mihi adulor. [Præditus ſum ingenio claro & forti, & Complutenſis Vniuerſitatis teſtimonio inter condiſcipulos primo. A prima pueritia præter legere & ſcribere nil ago. Siue in via ſim, ſiue in lecto, ſemper meditor quæ ſum dicturus. Quotidie ingenium quatuordecim horis exerceo. Sincerus ſum; non habeo dictamen venale, nec minis nec precibus cedo; & experientia didici, etiam cum mortis euidenti periculo me poſſe meum dictamen tueri. Et tamen aliquando à communi ſententia Theologorum egredior. Sed quid inde? Multi malunt docti dici, quàm eſſe. Multi non proprias, ſed aliorum opiniones exſcribunt. Non nulli (& hoc ſcio certò) malunt contra dictamen loqui, quàm incurrere indoctorum cenſuram. Rari ſtudent: & rarò: nec omnes tanto ingenio ſunt præditi, quantum ſubtilitas Moralis Theologiæ requirit. Tractant Ethicam & Politicam aliqui, qui Metaphyſicam ignorant; & non pauci qui Logicam; & audacter affirmant, non requiri ad Moralia Realium ſcientiarum cognitionem, ſed neſcio quod prudentiale Iudicium. Ergo exorbitent, quantum illi voluerint, ego veritatem tanto ſtudio, & labore quæſitam, tanta felicitate inuentam propter Andabatarum vmbratiles opinationes non relinquo.] Sic mihi abblandior, cum omnia ſunt pacata, & ſerena. Sed cum cordis procelleſcit oceanus, violento tempeſtatis impetu arenæ miſcentur ſyderibus, & inter fluctuum vortices, diſcurſus Adulationis naufragatur. Tunc inter terrores & fragores ſic incipit loqui Sinceritas. Certiſſima ſunt argumenta quæ ſumuntur à ſenſu. Ergo tuos recognoſce Caramuel, & ſingulos male affectos videbis. Te Muſica practica non recreat (quoniam ſpeculatiua, non ad aurem pertinet, ſed ad mentem. Cibi delicati non ſapiunt; vix liquorem à liquore diſtinguis. odores amaros non faſtidis, nec dulces amas. Et in hoc ſenſus tuos omnium hominum experientia condemnat. Mella amara videntur ægroto: qui ſi ſincerus ſit & prudens, non illa, ſed arguet palatum. Ergo ſicut de ſenſibus, ſic etiam de Mente diſcurre. Placent nonnulla Aſſerta, quæ cæteris hominibus diſplicent? Sincerus es, & prudens habèri deſideras; ergo ne dicito vniuerſos decipi, ſed mentem potiùs Tuam aliquò præiudicio laborare. Morbus eſt recognoſcendus, & expellendus, & mens à malo aliquo affectu recuranda.] Hæc mihi & ſincerè ſinceritas. Et ego ſinceritatis verba Edulationis

Opiniones internæ.

Adulationis Peroratio.

An oculis audiendum ſit?

Non omnes ſunt docti, qui dicuntur.

Iudicium prudentiale

Moralia ſæpè ab indoctis tractantur.

Sinceritatis Reſpublica.

Organo læſo omnes ſēſationes alterantur.

A ſenſu ad mentem argumenta deſumens.

tionis blandis lenocinijs præpono: Theſauros Idearum aperiò; deſcendo in cor altum, & primos lapides Fundamentorum recognoſco, nec tamen Præiudicium reperio. Habeo paratos Speculationum Moralium multos libros: Dialecticam Moralem à nemine quod ſciam tentatam; in qua fortè Narciſſus opinione æmulorum videbor. Philoſophiam etiam Moralem. Totam etiam Phyſicam & Metaphyſicam tranſtuli ad mores; & Medicinam magno ægrorum ſolamine radijs Theologicis dilucidaui: & tandem Theologiam ingreſſus, multa ſum meditatus, quæ perire non patiar. Omnia meis principijs inſiſtunt: è quibus ſi vel vnum auferam, vel immutem, multa debebunt doctrinæ conſequentia mutari. Ergo proderit, à multis & Magnis Doctoribus ſecuritatem eorundem Fundamentorum explorari antequam Turres, quæ eis inſiſtunt, vento contradictionis exponantur. Sed à quibus? A vobis; SAPIENTISSIMI DOMINI, quibus Terrarum Orbis maiores, & doctiores non habet. Legite obſecro ſequentes paginas; & ſi quid in ipſis abſonum vel obſcurum, ſplendoribus doctrinæ veſtræ decircinate aut illuſtrate. Deum, qui veritas eſt, ſolum reſpicite; & si quid euidenter ſit falſum, funditùs euertatis. Puto enim, ſi ſemel in Fundamentis conueniamus, mihi licitum fore ſeruare rigorem dialecticum, & quidquid poſtulet conſequentia doctrinæ, affirmare aut negare. Obſeruo enim in aliquibus noſtræ ætatis Theologis intolerabilem Dialecticæ rei ignorantiam; sæpe enim concluſiones componunt, quæ non niſi ab incomboſſibilibus fundamentis enatæ. Hoc vitium conabor effugere, & ita haurire Ectheſes, vt conſiſtere poſſint, ſi ad prima Principia reducantur: & quia epiſtolæ debent eſſe breuiſſimæ, ne moleſtæ dicantur; pono calamum, exorans Deum, vt per vos me dignetur inſtituere & iuuare. Et quia vos, partim eſtis Cœlites, partim Tericolæ, ſiquidem triumphatis & valetis quà Cœlites, què Terrigenæ valete, animi & corporis triumphare hoſtes, & Caramuelem veſtrum docete, iuuate, redamate.

Phyſica, & Metaphyſica reductæ ad mores.

Parum error in principio in fine eſt maximus.

Medicina. Theologia.

Licet omnibus legitima dialecticari.

C FECTO-

LECTORI DIVINO.

5. 1. 3. 4. 2. 6.

XII; Homobinos in corpore oculos habet: binos in mente.

HOMO, Diuinæ Omnipotentiæ ſoboles, binos oculos habet; non vt plura conſpiciat ſed vt meliùs. Binos in corpore, binos etiam in animo: & Ariſtocles, qui ab ingenij latitudine potiùs, quàm ab humerorũ diſtenſione *Plato* dictus, ideò *Diuinus* audijt, quod pluribus prædituꝫ oculis haberet Animum. Et merito; ſumus enim Cyclopes, qui humani: Argi, qui Diui Homo ' quamdiu intra Naturæ cancellos cogitur. Polyphemi simillimus, habet in fronte oculum (Rationis lumen) quo ſolummodò præſentia videat, præterita & futura inuideat. At Deus purum eſt lumen, et millenis condecoratur oculis, quos Theologorum lingua *Attributa* vocamus. Habet ob oculos præterita & futura; quæ enim tranſeunt oculos noſtros, in æternitate non tranſeunt. Philoſophus, vt Deo ſimilis ſit, hoc eſt, Diuinus, binos oculos habere debet, Mathematicum, Phiſicumque: multos enim in Matheſim errores Phyſices ignorantia, & multos in Phyſicen Matheſeos ignorantia inuexit. Iuſſit Plato inſcribi Academiæ, NEMO INGREDIATVR HVC GEOMETRIAE NESCIVS: nam clauſo oculo Mathematico, Phyſicus omninò caligat. Keplerus doctiſſime in Dioptrica. *Secundas Pœnæ partes dedit dogmati de itineribus Planetarum, verè eccentricis: & rectè dedit. Habet Optice firmiſſima pro his argumenta. Illud ſolum cauendum, ne nobis accidat, quod Veteribus, vt alteri Optices oculo nimiũ ſecurè confidentes in peruidenda hac Planetarum orbita, alterum Phyſices oculum claudamus: & ſic quo vtriuſque, & Optices & Phyſices rationibus ex æquo tribuendum erat, ſoli Opticæ tribuentes rurſum à ſcopo aberremus.* Quæ verba ad Theologiam Moralem digniſſimè transferri poſſunt. Video authores, quos Pircmontes, Brontes, et Steropes meritò dixeris, cæcos aut ferè; qui aure reguntur; garriunt quæ audierunt, et quæ in alijs legerunt, in ſuos libros diligenter tranſcribunt. Hi ſunt Cyclopes, et clausi oculo Phyſico, tantùm optico vtũtur, et Reſolutiões omnes ſuas Principio illo, AYTOM EoA ſuccollant. Video & alios, qui clauſo oculo Optico, tantùm vtuntur Phyſico; qui in ſuo ſenſu abundantes nullum Authorem legunt, nullum curant, & hi etiam me iudice Cyclopes ſunt, & inter animoſitatis incendia, & vanæ gloriæ fumum formant fulmina, quibus latentis veritatis exploratores omnes oppetant. Quid ergo acturi ſumus, vt oculati Diuinique, & non potiùs myopes

Ariſtocles cur Plato, & cur Diuinus dictus?

Deus quid ſit? quot habeat oculos? Aeternitas eſt duratio ſtans.

Homo quamdiu intra Naturæ cancellos cogitur.

Cyclopes Argi. Poliphemus monoculus. Tempus eſt duratio fluens.

Philoſoph. quot & quales oculos habere debeat?

Quot & quales Theologus.

Theologorum alij ſola authoritate reguntur: alij ſuo, & ſoli iudicio concedunt.

Sed debemus vtranque neceſſariò comungere.

pro Cœci & Cyclopes dicamur? *Aperire duos oculos; opticum Phyſicum; authenticum, & Rationalem; ne nobis accidat, quod veteribus, vt altero oculo* (hoc eſt authoritati humanæ) *nimirùm ſecurè confidentes, in peruidenda Moralium reſolutionum orbita alterum oculum* (hoc eſt Rationem) *occludamus: & ſic quod vtrique oculo* (Authoritati ſcilicet & Rationi) *ex æquo tribuendum erat, aut authoritati Ratione deſtitutæ, aut Rationi authoritate vacuæ & aereæ pendenti tribuentes, rurſum ab ſcopo aberremus. Tales debemus eſſe; qui libros ſcribimus, qui libros legimus; aliàs enim nec ſine errore ſcribere, nec legere ſine inuidia poterimus. Tales igitur eſtote Lectores mei, & DIVINI dicemini: vos enim aliàs inuerſis litteris INVIDOS ore pleno & ſincero vocabo.*

Diuini, & Inuidi anagramma.

Diuinitatis, & Inuidiæ diſcrimen.

Hinc iam intelligo; quì differat ab Inuidia Diuinitas [Non ago de eſſentiali, quæ Deo competit ſoli. cuius eſt infinita diſtantia; ſed de Scholaſtica, quæ ingenijs & doctrinæ atttibuta, à qua habuit Plato & alij doctiſſimi viri, quod *Diuini* dicerentur & eſſent] Inter *Diuinum* & *Inuidum* tota differentia eſt anagrammatica; inuerte enim Diuini litteras, & erit Inuidus; conuerte Inuidi litteras, & erit Diuinus. Conſidera Diſtichon ſubſequens. XII.

Peſſima condemnat DIVINVS, *ſed bona laudat;*
Peſſima commendat quando INVIDVS, *& bona laudat.*

Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.

Vt Lector Diuinus ſit, & iuſtè iudicet, non indiget pluribus litteris, & ſcientijs, quàm vt Inuidus ſit, & condemnet iniquè; ſed indiget aliter diſpoſitis. Inuidus litteratus eſt; at eius litteræ, ſcientiæ notitiæ, maleuolentia præoccupantur: & Diuinis habet litteras liberas, quæ non affectu aliquo prauo aut præuio, ſed ſola ratione reguntur. Liberas quidem, qua ſeruiles litteræ non ſunt Diuinæ: vnde timor cur *Latini vocant* Librum *quaſi* Libium: *qui enim liberè ſcripti non ſunt, Libri non ſunt.* Litteras in folia compactas Nomenclator Latinus *Librum* dixerit: Liber enim, vt Diuinus ſit, debet eſſe liber: ſolum DEVM & conſcientiam reſpicere: nec ſpe nec metu rerum terreſtrium gubernari: quotquot enim Authores venali ſtylo ſcribitant, quotqnot ſeducuntur timore, quotquot illiciuntur ſpe. Diuini non ſunt, Inuidi ſunt. Non eſſe Diuinos eos affero; quia veritas libera eſt, nec vendi vult, nec lucri ſpe, aut damni metu poteſt ſe exuere, & in Falſitatem tranſire: Inuidos eſſe aſſero; quia veritatem poſteritati inuident, quæ aliàs fortè illam quæreret, aut inueniret ſi libera relinqueretur.

Liber quid ſit, & vnde dicatur.

Lmma Hereticum hilop. II. Nec ſpe, nec metu.

XIV. Amice igitur Lector, ſi candidus & diuinus ſis, perlege has Paginas, & cenſura tua ſingulas decora: Tibi enim omnia ſcribo; à quo, vt ſpero, iuuabor honoraborque. Theologicæ ſunt iſtæ omnes, & quia Theologicæ, Diuinæ; coram Deo ſcripta, appellant Lectorem Theologum, & Cenſorem Diuinum, voluntque diuinitus (hoc eſt, ad authoritatis Diuinæ, & Rationis Humanæ, quæ mentis Diuinæ ſcintilla eſt, regulas) examinari.

Inuidi, & æmuli libros illectos frequenter cõtemnunt.

Quod ſi non iam Candidus, ſed Liuidus ſis: non iam Diuinus, ſad Inuidus labori parce. Ne vnam quidem lineolam legito; tibi enim ne vnam quidem ſcripſi. Libros olim interlegabas, & ſic putabas poſſe intelligi, præiudicio mirabili: at hodie multò mirabiliori, illectos eſſe etiam illectos deliras, & inuiſos condemnas. Parce etiam & huic labori quæſo; nec velis ſtudio ſummo libros approbare aut damnare, quouſque confuſa Idearum tuarum anagrammata ad ordinem, & ſtatum Diuinum quale Deus, & Sinceritas poſtulat, tandem aliquando reducas.

CVm quidam apud Agidem dicerent, eſſe nonnullos alienæ familiæ, qui ipſi inuiderent: Geminam, igitur, inquit, habebunt moleſtiam, quos & ſua ipſorum mala diſcruciabunt, atque inſuper tum meis, tum amicorum meorum bonis torquebuntur. Magnifica vox, declarans, eos quos habet inuidia, magis eſſe miſericordia dignos, quàm ira: propterea quòd inuidus abunde dat pœnarum, etiamſi nemo vlciſcatur. Plut. in Lacon.

THEOLOGIAE MORALIS FVNDAMENTA



DIVINVS Plato, aui antiqui prodigium, pleraſque omnes quæſtiones Philoſophicas, Theologicaſque, prout tulerunt tempora, & Controuerſiarum occaſio eloquenter, & acutè reſoluit. Schola nihilominus methodum, ordinem, & concluſionum concatenatum fluxum, in aureis Operibus deſiderabat. Succeſſit Ariſtoteles, & aliam viam ingreſſus, ne Magiſtri ſui Senſa, & Dogmata diceretur reponere, pulchro omnia ordine ad prima fundamenta reduxit. Sed quia pauca diſputauit de moribus; & illa, licèt pulchra, non ſemper Phyſicis reſpondere videntur, deſiderabant Viri edocti, vt Theologiam Moralem aliquis, vt Philoſophiam Moralem etiam, à primis Elementis traderet: ſed per aliquot annorum millia perpenderunt à voto & deſiderio Scholæ; nec fuit qui auderet, aut Fundamenta Veterum examinare, aut ſecuriora iacere, & parietinas Ethicæ Gentilis proſternere. In hac ego materia libentiùs docerer, quam docerem. Interim, vt proficerem (imò etiam, vt prodeſſem) Scholaſtica omnia (Liberalia, Mathematica, Dialetica, Philoſophica, Medica, Theologica) ad Mores, & Virtualia fundamenta contraxi. Non omnia luci dedi: nam ſingula egebant alia luce, quam impertiri Ingenia poterant quæ frequentiſsimè conſulebantur. Vt meliùs Doctores Eximii reſponderent, librum hunc edidimus, quem Theologiam Fundamentalem dici voluimus, quoniam præſefert Fundamenta omnia, quibus Conſilia, & Reſolutiones ſuccollo, Theologiamque Moralem, ſeu Virtualem fundabo. Dubitando, & interrogando potius, quam aſſerendo olim ſcripſimus, multos rogauimus, & interrogauimus, ſi fortè ab illis monitus aliquid liberet alterare, aut firmaret. Hoc animo primam Editionem Francofurti exornari permiſi, vt illuſtrium mentes hominum periclitatus Veritatem, aut ſecurius quærerem, aut inuenirem eruditius. Et hodie, auditis Amicis, & Aemulis, doctior, aut cautior eumdem librum repono; & dubia omnia diſſoluo, quæ viſa ſunt ſolutione indigere.

Recognoſco Fundamenta, quæ poſui; & eiſdem Libros alios attempero, qui nondum editi. Illa diſcerno in claſſes: in prima Speculatiua, Practica in ſecunda locamus. Hæc in Generalia, & Specialia ſubdiuidi; & hæc vltima iterum in Formalia, & Materialia. Addo Canonica, Theologica, Ciuilia, Naturalia, & Sacramentalia; quibus ſemel expoſitis nihil omnino remanere, quod notatu ſit dignum, putabo. Canonicorum Fundamentorum nomine intelligimus Regulas Iuris Pontificii, quas olim Bonifacius VIII. conſtituit, & nos accuratè illuſtramus,. Et ſubintelligimus Theologicorum nomine, Axiomata, quæ aſſumuntur ab Authoribus Claſsicis. Regularia Fundamenta ſunt Syntheſes, quibus olim Commentarium in Regulam D. Benedicti firmauimus. Ciuilia vero, Iuris Cæſareo Regulæ, quibus Eccleſiaſtica dilucidamus. Et tandem Naturalia vocamus Protheoremata præcipua Decalogi, quæ hic proponuntur, & alibi explicantur exactius. Addentur aliqua de Sacramentis, vt nihil inconcuſſum maneat. Recognoſcemus tandem Fundamenta propoſita, & aliquas Quæſtiones reponemus vberius, Antonino Diana, & Ioanni Angelo Boſsio, aut etiam alijs Viris eruditis fiet ſatis. Omnium harum Meditationum Ideam Synopſimque Paradigma ſubſequens repræſentabit.

XV. Laudatur Plato. A ſe nauerit ordinem in doctrinam. Ariſtoteles Platonis diſcipulus. Cur non ſequatur ſui Magiſtri opiniones? Quid præſtiterit in Philoſophia.

An poſſit Theologia Moralis ad prima fundamenta reduci?

Intentum Authoris.

Cur ſuorũ Operum Editionem retardat?

Cur Viros omnes doctos conſulat, & interroget.

De prima editione huius libri.

De ſecunda.

Operis diſtributio.

Et ſingularũ partium extium.

Libri Authoris Morales sũt iſti Philoſophia ſecundũ dici: qui eſt Moralitarũ præcurſor.

Grammatica Moralis.

Logica Moralis.

Philoſophia Moralis.

Ars Medica Moralis.

Politica Scholaſtica.

Ars Nummaria.

Theologia Moralis: & hæc in varios tomos diſtribuitur Præcipui cõtinent Fundamentalem Regularem, Decalogicã, Sacramentalem, & Præterintentionalẽ: & hæc vltima iam a multis annis reſcripta, & promiſſa, citò dabitur.

SYNO-

SYNOPSIS TOTIVS OPERIS.

PRæter Epiſtolas Proœmiales, quarum Prima, inſcribitur Deo: ſecunda', Ferdinando III. Imperatori Romanorum: Tertia, Eminentiſſimo Principi Cardinali de Lugo: Quarta, eximiis Theologis, qui aut heri florebant in mundo, aut hodie clarent: Quinta, Lectori Diuino (anagramaticè, inuido) in quibus multa & varia; ſic diſtribuitur iſte liber.

LIBER I.

In hoc Libro ponuntur, exponuntur que MORALIS, THEOLOGIAE FVNDAMENTA; nempe.

Præmittuntur SPECVLATIVA.

CAPITE I. Huc confluunt omnia, quæ ad Mentem & voluntatem ſpectant. Hic ago de libertate humana. De gratia. De alterius & alterius concordia. De auxiliorum efficacia & potentia. De omni ſcientia, & omnipotentia diuina. De ſcientia media & Phyſicis Prædeterminationibus. De Creatione, Conſeruatione, & Concurſu Diuino. De prima Veritate, & Veracitate. De Eccleſiæ Romanæ ſecuritate & infallibilitate. De ſummi Pontificis veracitate. De Rota & Congregatione Cardinalium. De definitionibus Academiarum. De authoritate Doctorum & doctorum. De Iuniorum etiamnum viuentium opinionibus. De dæmonis authoritate. De ſenſibilium experimentorum certitudine. De opinionum probabilitate.

CAPITE II. In quo doctrina generalis traditur: agitur de authoritate & iuriſdictione Dei & Hominum, & primis Fundamentis Practicis.

Adduntur PRACTICA: vniuerſalia videlicet, & indeterminata.

CAPITE III. Et in hoc ad ſpecialia ſubuenimus, legeſque ſumptas formaliter conſideramus: adeoque earumdem naturam & ingenium; magnitudinem, qualitates & attributa; habitudines, fines, pronunciationem, promulgationem, acceptationem; durationem, locum, ordinem, & habitum.

CAPITE IV. Et hic iterum ſpeculamur ſpecialia: nimirum etiam leges, ſed materialiter conſideratas. Ergo diſputabimus hic de legum materia & obiecto; de rerum præceptarum ſubſtantia, quantitate, qualitate, relatione, actione, paſſione, tempore, loco, & habitu.

CAPITE V. Quod quidem eruditionis plenum eſt: aget enim de clauibus ſeu Regulis Iuris Canonici; & vt eas liquidiùs & vberius illuſtret, addit dilucidatque communio Theologorum Axiomata, Syntheſes regulares, & Regulas Iuris Ciuilis.

LIBER II.

Inferuntur SECVNDARIA, quæ ſunt in materia determinata vt lex Naturalis, & Sacramenta liſ cognoſcuntur.

CAPITE VI. Hic ſubſtruetur vera intelligentia & expoſitio Decalogi: Hic de lege naturali; de Fide, Spe, Charitate, & Gratia habitualiter; de Iuramentis & votis; de dierum diſcretione & obſeruantia; de officio diuino, hic de Parentum cultu; de homicidio, caſtratione, abortu; ſuicidio; de duello & Defenſione honoris; hic etiam de peccatis Luxuriæ naturalibus, contranaturalibus, magnis, paruis, hic tandem de furto, mutuo, inuidia, & vſura, de mendacio, reſtrictionibus mentalibus, de conſenſu interno & ſcandalo.

CAPITE II. Hic traditur, firmatur, & ſtabilitur vera interpretatio & doctrina de Sacramentis nouæ legis, nempe de Baptiſmi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Communionis, Extremæ-unctionis, Ordinis & Matrimonij materia, forma, inſtitutione, neceſſitate et vtilitate. Hic agitur etiam de rebus ſacramentalibus, quæ adinſtar Sacramentorum fuerunt inſtitutæ ab Eccleſia.

APPENDIX

Poſt finem

SVBIVNGVNTVR Obſeruationes aliquę circa ſeptem Capita præcedentia; agiturque de omnium Fundamentorum intelligentia, et vſuale arctiſſima Theologiæ Moralis et Iuris vtriuſque connexione.

Quod

LIBER PRIMVS

Expendens Principia Vniuerſalia, tam Speculatiua, quàm Practica; quæ in omni materia, & loco, & tempore debent conſiderari.

ORDO doctrinæ poſtulat, vt à primis Fundamentis incipiam: ſi enim hæc ſint ſecura, ſtabunt omnia, quæ Theologicè ſuperponantur. Sed quia Sparta hæc eſt ardua, & tentata à nonnullis tenuis meus & impolitus calamus, inter ſpem & metum hærens, quia faciat, aut deficiat ignorat. Conuertit oculos ad Philoſophiam ſecundum dici, quæ *optabat, quamuis ſit minor, ire prior*, & motiua inuenit ſperandi & timendi: ſuggerit enim illa cogitandas hiſtorias, quibus vtitur, Ethica; quibus indiſſentaneos ſenſus tractis, mens humana excitatur, & premitur: ſi enim ſpem intendit Sol, quotidianas periodos ſine periculi ſuſpicione perficiens; remittit Phaeton, qui audaciæ pœnas luens, admonet Scholaſticos, nè fortè, cum volunt eſſe Soles, Phaetontis exemplo, aut ſcandalo præcipitentur. Et, ſi ingenij excultiſſimi alis nimis confidat Doctor, & cœlos penatrare contendat, quòd ducem habeat Dædalum, *præpetibus pennis auſum ſe credere cœlo*, excidet animo, ſi ad Icarum conuertat oculos. Nec valebit contra, fabuloſæ nariationis exceptio: fabulæ enim narrant admonentque; & vt Arithmetica in Falſę poſitionis Aſſumptis vera ex fictis ſecuriſſimè colligit, ſic vtitur Fabulis Ethica, vt interdum fictam narrationem præmittens, vtilia inferat Monita, & homines ad meliora propellat. Et quia in Phaetonte & Icaro integrum Syllogiſmum reperio; cuius præmiſſæ ſint illorum Hiſtoriæ; & concluſio, Morale quoddam monitum, quod meam mentem inſtituat, & linguam & ſtylum gubernet; laudabo Dialecticæ Moralis efficiam, quæ ex impoſſibilius vtilia colligit, quæ vera ex falſis. Et præmiſſas Hiſtorias theſauris Poetarum reſtituens, retineo Montium, videor enim ſubaudire iſta verba.

Reſpicio humanos volucres regione ſuprema:
Alta petit Phaecon, Icarus alta petit,
Quo fato? audaces Animi tolluntur in altum,
Impulſa in terros vt grauiora ruant
Cautiùs ergo vola: melioribus vtere pennis;
Nam, cui penna deeſt optima; pœna manet.

XVII. Doctrinæ cuiuſcumq; ſecutitas, à primis fundamẽtis dependet.

Martialis.

Quid præſtet Philoſophia ſecundum dici?
Quomodo ſeruiat Ethicæ?
Phaetontes Scholaſtici.
Icari Scholaſtici.
Virgilius.
An ſit aliquid veritatis in fabulis?
Regula falſæ poſitionis.
Qualis ſit ſyllogiſmus in fabulis?
Dialectica Moralis, eſt Ariſtotelica potentior.

Sed

XVII. Iesus est in scholasticis procellis periculisque Cynosura.

Sed quis securas pennas mihi? quis tutos calamos? quis lucem, ne caligine inuoluat? quis tenebras, ne halluciner nimio splendore? Iesus. Ergo ad eum conuertam oculos, & sic inquam:

Philomathus in Musis Inuenilibus nu 44.

Audio diuinum resonans in pectore carmen:
Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.
Fac mihi Te comitem, præfer Tua lumina IESV;
Cernere, siue sequi Te, sine Te, nequeo.

Te ergo duce, Te luce, Te comite, Domine Iesu, vtemur ingenio & calamis Sanctorum Patrum; penna & stylo Theologorum, quos pietas & paritas vitæ commendat: contrahemus habenas, quas sub benignitatis specioso vocabulo, mediæ Opiniones laxant, & quia in extremum alterum abire, morum non permittit sinceritas, & viam mediam inire Dialecticæ non permittat Fidelitas; viam strictiorem tenebimus, in qua nullus Phaeton & nullus Icarus periclitatur. *Constituenda est ergo à nobis Dominici Schola seruitij* (& securè non posset, nisi iactis fundamentis securis.) *In illius* (erectione &) *institutione nihil asperum, nihilque graue nos constituturos speramus. Sed, & si quid paululum restrictius, distante æquitatis ratione propter emendationem vitiorum & conseruationem Charitatis processerit; non illicò pauore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angustio initio incipienda: processu verò conuersationis & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine, curretur via mandatorum Dei*: quæ vocatur *Decalogus*; ad quam Te Liber iste primus conducit, per quam Te Liber Secundus promouebit, vt Legis Diuinæ conscientia, & obseruantia condecoratus, & Sacramentalis Theologiæ fauoribus & gratia adiutus, ad Vitam æternam peruenias.

Cur tenendæ sunt opiniones seueræ?

D. Benedictus in Prologo Regulæ, sub fine.

CAPVT I.

SPECVLATIVVM

Fundamenta, quæ pertinent ad Mentem, edisserens,

XIX. Mentis, & voluntatis necessaria connexio.

MEns, si careret Voluntare, esset impotens; & Voluntas cæca, si mentis directione careret: hanc ob rem his duabus Facultatibus Natura-Deus ornauit homines, vt viderent, & possent. Voluntatis potentiam Capite secundo, tertio, & quarto grauissimis Fundamentis firmabimus: nunc Mentis scientiam fundabimus grauissimis certissimisque fundamentis. Et acturi de mente, incipiemus ab ipsa Voluntate; frustra enim oculos ad cœlestia, & Diuina subrigimus, si Voluntatis libertatem & potestatem ignoramus. Frustra Gloria Empyrea sanctè operaturis proponitur; frustra Deus peccaturis gehēnæ pœnas minatur: frustrà tulit Decalogū; frustrà inscribi Numeros & Leuiticū iussit; frustrà carnem assumpsit; frustrà natus, & passus, frustrà mortuus & frustrà; Vocatur Redemptor. Vbi enim non datur libertas, nec dari potest meritum, nec peccatum. Nec patiar *Libertatis* specioso vocabulo voluntatē necessitatē intelligi; hoc enim nihil aliud est, quā ludere & iocari vocabulis; & *Alexipharmaci,*

Primæ quæstio Moralis est de libero arbitrio.

Sine libertate non intelligitur meritum, neq; demeritum.

vocum abusus.

Vita

Vitæ, *Lucis*, *Gaudij* & *Libertatis* generosis nominibus intelligere Virus, Mortem, Caliginem, Lachrymas, & Captiuitatem. Puto Lutherum & Caluinum, & quotquot hoc modo loquuntur, cùm maximè Pelagium persequuntur, imitari Pelagium. Negabat gratiam Hæresiarcha cautissimus, & ne negare uideretur, nomen retinuit, & illo textum Euangelicum significabat, Hac uocis notione confictâ, ita de gratia loquebatur, ut nemo eam negari ab illo crederet, cui in ore tam frequens nomen *Gratiæ*. Sic hac rerum tempestate nonnulli negant libertatem rotundè, & quia hęc ipsa negatio Fidei articulis non quadrat, nolunt dici libertatem, negare; & ideò nomen retinent, & illo audito iubent intelligi necessitatem: non tamen ideò minùs Hæretici, quod magis cauti: Hanc ergo obcausam antequam oculos subrigamus ad Deum, consideremus nosmetipsos & utrum hos oculos subrigere possimus liberè, accuratè inspiciamus.

Lutherus & Caluinus imitantur Pelagium.

Hæreticorũ recentiorũ cautela.

FVNDAMENTVM I.

De Gratia, & Libero Arbitrio.

In hac materia mirabilis est Guilielmus Gibieuf. & Cornelius Ianſenius, vterque enim ind ferentiam negat, contingentiam admittit, & vult, dici nullo modo libertatem negare.

LIbertas in homine quadruplex; prima à coactione, secunda a necessitate, tertia à peccato, quarta à miseria. *Prima* est communis Homini & Bruto; imò etiam Arbori; non enim coguntur ab intrinseco, in communi opinione, quæ docet, Vitam vegetatiuam esse formam substantialem intrinsecam. imò etiam Lapidi, si grauitas intrinseca qualitas esse dicatur. Vnde patet, Hæreticos, si qui nunc in Homine solam hanc libertatem admittunt, diuinitùs concessum arbitrium perniciosè deprimere, & Hominem confundere cum Brutis, cum Plantis, cum Saxis. *Secunda* nulli alij conuenit animanti, quàm Homini, qui indifferentia præditus, positis omnibus ad operandum, prærequisitis, eo momento, quo facit hoc, potest illud non facere. *Tertiam* habent Homines, non tamen omnes, sed solùm illi qui donati iustificante Gratia. Hæc non tollit libertatem à necessitate, sed perficit; posita enim gratia habituali, & additis gratijs sufficientibus & efficacibus, adhuc potest Creatura rationalis peccare: efficacia enim infallibilitatem inducit, quæ libertati à necessitate non opponitur. *Quarta* aliqua vmbra interdum reperitur in terra, at ipsâ perfruemur in cœlis, cum Deum videbimus sicuti est.

XX. Libertas quadruplex

Differt ab infallibilitate necessitas

An beatitudo reperiatur in terris?

XXI. Libertas Moralitatũ omnium basis.

PRimum Theologiæ Moralis Fundamentum est Humana Libertas; frustrà enim speculatiua, frustrà tractantur Practica, si libero arbitrio caremus. Hoc ipsum hodiè benè uident Hæretici, & ideò crudas illas & duras Lutheri & Caluini sententias, quas ante centum annos propugnabant, aut remiserunt, aut reiecerunt, & iam nobiscum sunt, aut prope; admittere enim disciplinas & leges, præmia & supplicia; promotiones, solicitationes, diligentias; & nihilominùs libertatem à necessitate negare, delirare est.

Hæretici ad nos paulatim veniunt.

Sed quale est Humanum Arbitrium? Præmouetur-ne & prædeterminatur à Deo? & si præmouetur, Necessitaturne in sensu composito, ita ut nequeat omissionem actus, non iam cum operatione, sed cum physica prędeterminatione componere?

XXII. Quid sit libertas? An dentur physicæ prædeterminationes?

Respondeo tres esse hodie Theologorum sententias. PRIMA DOCET, physicas prędeterminationes inducere sensus compositi necessitatem, ita vt homo affectus physica prędeteeminatione ad operandum, abstinere non possit. Et hęc sententia est antiquorum Thomistarum, & hodie in Gymnasijs Tho-

XXIII. Prædeterminationes necessitantes.

Prædeterminationes infallibilitantes.

miſtarum defenditur. SECVNDA DOCET eaſdem phyſicas prędeterminationes, nullam uoluntati neceſſitatem imponere, poſſeque uoluntatem prędeterminatam ad hunc actum, illum ipſum omittere in ſenſu compoſito, omiſſionem actus cum phyſica prędeterminatione coniungendo: additque effectum formalem prędeterminationis eſſe infallibilitare uoluntatem ad illum actum, ad quem eum prędeterminat. Et hanc ob rem hanc propoſitionem, *Impoſſibile eſt, vt voluntas prædeterminata omittat actum in inſtanti, in quo habet phyſicam prædeterminationem*, negant; admittuntque hanc. *In inſtanti in quo habet voluntas phyſicã prædeterminationem, infallibiliter & liberè operabitur; poterit quidem non operari, operabitur tamen; omiſſionem actus poterit coniungere, cum phyſica prædeterminatione; at potentiam hanc, licèt poſſit, non reducet ad actum.* Hac uia cœpi Salmanticæ tueri phyſicas prædeterminationes, quæ uidebantur defendi nouo modo: & quia placebat Propoſitionis ſuauitas, eas nonnulli *Prædeterminationes ſuaues* uocitabant. Has etiam ipſas ab aliquibus PP. Dominicanis uidi defendi, a paucis tamen; ſed inter paucos pro multis mihi ſit Pater Conſul, qui hic Pragæ ante duos annos erat Regens. TERTIA NEGAT phyſicas prædeterminationes, & ad ſcientiam mediam confugiens, ſine ulla præmotione, Decreti Diuini efficaciam, Sapientiæ Diuinæ certitudinem & Voluntati Humanæ libertatem ingeniosè conciliat, & miro compendio ſe explicat à grauiſſimis difficultatibus. Hanc doctrinam tuentur hodiè omnes Patres Ieſuitæ, & quotquot eorundem doctrinam ſectantur.

Prædeterminationes ſuaues.

Scientia media.

XXIV. Sententia Authoris.

QVid cenſeam de his ſententijs inquiris: & quia ſummè ſincerus ſum, reſpondeo, *Mihi nullam placere*, & exiſtimo, aut ad huc latere ueritatem, aut aliunde petendam. Et quidem, ſi res benè expendatur, Dominicani tertio ſyllogiſmo ad Ieſuitarum opiniones coguntur, tertio Ieſuitæ ad Dominicanorum opiniones; ita ut ſuſpicatus fuerim hic, ſicut etiam alibi ſæpè, has duas Scholas non ſententiarum ſed linguarum uarietate & difficultate laborare. Quando Germanus, & Hiſpanus loquuntur, & ſi eadem dicant, ſi ſe non intelligant mutuò, putabunt ſe loqui diuerſa; & Dominicani & Ieſuitæ, quia idiomate differuut ſæpe uidentur diſſentire, ubi maximè tandem conueniunt. Lingua utuntur Thomiſtica Dominicani, Ieſuitæ Moliniſtica; & niſi intelligantur utriuſque linguæ termini, Andabatarum more utrique, & nos cum ipſis diuagabimur. Interim contra ſingulas mea Dialectica urgebit. *Sic inquam.*

Nominales quæſtiones.

Dialectus Thomiſtica differt à Moliniſtica.

Contra primam ſententiam, Duæ ſunt opiniones in Schola; altera Thomiſtarum, quæ admittit phyſicas prædeterminnationes in ſenſu compoſito neceſſitantes; altera Ianſeniſtarum, quæ protrudit in Eccleſiam gratiam neceſſitantem in ſenſu compoſito & diuiſo. Prima eſt probabilis, ſecunda hæretica; & nihilominus ſic argumentor. Rationes, quæ perſuadent illam, fauent iſti: quæ iſtam dixerunt, etiam, illam impugnant. Ergo uel utraque eſt probabilis, uel utraque improbabilis: uel dabitur manifeſta diſparitas. Probatur minor, quia ad operandum requiritur libertas in ſenſu compoſito; iubetur enim Petrus componere actum cum tempore, in quo caret auxilio efficaci, debetque habere in differentiam, & potentiam liberã, non ſolùm in ſenſu diuiſo, ſed etiam in ſenſu compoſito.

An ſenſus cõpoſiti neceſſitas tollat libertatem?

XXV. Obiectio ſecunda neceſſitatem cum infallibilitate componens.

Contra ſecundam. Duæ ſunt opiniones; altera neceſſitatem, & altera infallibilitatem concedens. Sed ſunt obnoxiæ ſimilibus difficultatibus: ergo uel utraque eſt probabilis, uel neutra. Probatur minor. Quia in utraque opinione inutiles ſunt orationes, leges, admonitiones, diligentiæ. Nam ſiue uoluntas neceſſitetur, ſiue infallibiliter, Petri actus futuri, erunt; & non futuri, non erunt. Ergo, ſi futuri erunt; erunt, illos interdicas, aut non: orationem, & monitionem interponas, aut non: pœnas mineris, aut non. Ergo in utraque ſententia orationes, leges, admonitiones, diligentiæ, &c. ſunt inutiles.

An ſint vtiles oratio, & lex?

XXVI. Obiectio tertia.

Contram tertiam. Duæ circumferuntur ſententiæ: altera, quæ docet, cauſam ſecundam determinari à prima; altera, quę primam à ſecunda: & ad hanc ſpectare uidentur Propugnatores ſcientiæ mediæ. Ergo, quando cauſa ſecunda determinat Primam, uel tollit Primæ libertatem; uel non tollit. At illud prius dici non poteſt: ergo debet dici hoc poſterius. Tunc ſic. Per uos cauſa ſecunda poteſt determinare Primam, illæſa libertate Primæ: Ergo Primæ poterit determinare ſecundam, illæſa libertate ſecundæ. Patres ergo Ieſuitę, cùm uolunt ſuam Opinionem ſuadere, ſententiam Thomiſtarum perſuadent, & ſeipſos impugnant; ideò enim negant Deum Cauſas libera s determinare, quòd determinatio libertati oppenatur.

An cauſa ſecunda determinet primam?

Notetur hæc conſequentia.

XXVII. Obiectiones ſoluuntur.

SEd Obiectiones iſtæ ſolutione non carent aliquæ enim clariſſime eneruari poterunt: omnes certiſſimè

Soluitur prima.

Ad primam reſpondeo, aſſignando diſparitatem inter Thomiſtarum, & Ianſeniſtarum Opinionem: illa enim eſt probabiliſſima, & ut talis ab Eccleſia ſępiſſimè approbata: hæc autem à multis Pontificibus reiecta. & tandem ab Innocentio X. hęreſeos condemnata: & hoc ſufficit, ut altera defendatur, & altera non defendatur. Ad rationem reſpondeo, Thomiſtas libertatem in ſenſu diuiſo concedere; Ianſenianos in nullo;

Ianſenii doctrina eſt hæretica.

An ſufficiat libertas in ſęſu diuiſo?

Addo

An ſufficiat libertas in ſenſu diuiſo

Addo, hominem libertate indigere, vt meritoriè, aut demeritoriè operetur; non autem libertate in omni ſenſu, ſed in aliquo; qui enim eſt Thebis, quæ centum habuiſſe portas dicitur, quamdiu vna ſibi pateat, licèt nonagintanouem claudantur, liber eſt. Ad illud quod additur de Petro, qui iubetur operari in ſenſu compoſito, reſpondent probabiliter Patres Dominicani, Petrum non poſſe componere actum cum ipſo auxilio ſufficiente: bene tamen cum tempore, in quo eſt auxilium ſufficiens. & iſte eſt ſenſus diuiſus aliquorum. Quos interdum audio, & obſeruo, vocari ab eis ſæpe *neceſſitatem*, quam *infallibilitatem* dicere poſſent, & debent.

An neceſſitas infallibilitaſque confundantur?

XXVIII. Obiectio ſecunda diſſoluntur.

Ad ſecundam reſpondeo, eam Opinionem, quæ docet, quod actus hominum futuri, infallibiliter erunt, eſſe certam: &, ſi agamus de actibus meritorijs, & demeritorijs, eſſe fide tenendam: Eam verò, quæ docet, quòd ijdem actus erunt neceſſariò, eſſe hæreticam. Addo, hanc ſecundàm ſententiam tollere leges, monitiones, orationes; hæ enim inutiles omninò ſunt, quando actus ita futuri ſint, vt non eſſe non poſſint. Cæterùm, ſi ita futuri ſint, vt non eſſe poſſint, (& hoc docet Opinio altera) leges, monitiones, & orationes, &c. ſunt vtiles.

An actus humani futuri erit neceſſario?

XXIX. Obiectio tertia ſoluitur.

Ad tertiam dico, Scientiam mediam non vno ab omnibus defendi modo, nec ea, quæ obijciuntur, ab omnibus omninò admitti. Addo rationem illam eſſe fortem; at non omni ſolutione carere: nam ſi ponamus voluiſſe Deum ſub talibus circumſtantijs tali modo concurrere, & ſub talibus tali, à circumſtantijs determinaretur, & tamen non neceſſitaretur; nec valeret hinc conſequentia prophyſicis prædeterminationibus, quæ non ſupponunt, ſed inferunt humanum conſenſum. Si aliter reſpondeatur, vires retinebit, aut etiam adquiret obiectio.

Quomodo cauſa ſecunda determinet primam?

CAeterùm, vt paulò antè dicebam, mirum in modum connexæ ſunt iſtæ ſententię, & interdum coincidunt; & interdum Theologi, cùm maximè videntur differre, logomachiam inſtituunt, & vocibus meris cõtendunt. Sæpe Iuniorum Thomiſtarum libri ſunt Steganographici, & queunt legi ſine claui. XXX.

Sed quis nobis ſuppeditabit claues? Alvarez, & ipſe Dominicanus, Vir doctiſſimus & celeberrimus. Volui præ alijs hujus Doctoris uti teſtimonijs, & Lexico; quia ita ſeuerè uidetur loqui, ut apud amicos *Thomiſta ſeueriſſimus* audiat; & apud æmulos multis laceſſitus injurijs uideatur indigere Hyperaſpiſte, ne negare Libertatem dicatur. Huius igitur hominis Louanij Anno 1641. defenſionẽ aſſumpſi, & demonſtraui, eum, tametſi malè intellectus uideatur duriſſimas habere ſententias, intellectum benè (hoc eſt, eo ſenſu, quo ipſe intelligi vult, & præcipit) eas ipſas opiniones defendere, quas Moliniſtæ, Res uidebitur fortaſſis mira, aut a ueritate remota; at illam nulla uia potero euidentius adſtruere. quàm ipſas Theſes ſubſcribendo. Illas ergo ſubijcio.

Aluarez qualis?

An fuerit Moliniſta?

THESES THEOLOGICAE

Propugnatæ fuerunt ſub Caramuele Louanii anno 1641.

DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

IN quibus demonſtratur doctrina Illuſtriſſimi Patris Didaci Aluarez Archiepiſcopi Tranenſis; & Salpenſis ex doctiſſimo Ordine P. P. Dominicanorum aſſumpti, eſſe eamdem, quam hodie ſolent in Scholis defendere Patres Ieſuitæ.

XXXI. Ex hac difficultate libertas non inefficaciter probari poterit.

NVlla eſt in toto Theologiæ moralis Oceano difficultas, quæ prolixioribus implicetur ſalebris, illa, quæ diuinæ Scientiæ certitudinem, omnipotentis uoluntatis irreſiſtibilitatem, & Diuini auxilii ſummam efficaciam cum humana libertate componit. Ita cum Auguſtino Vniuerſi Doctores, qui errarent procul dubio ſi neceſſitaretur libertas: ut enim agentia neceſſaria cum Diuinis Decretis componat, quicumque analphabetos ſatis ſapiens. Sanè queſtionem aliàs difficilem, difficiliorem aliqui Commentatores reddiderunt, aut diuerſis terminis, in eadem acceptione, aut eisdem vtentes in diuerſa. Logomachiæ, cum Ideomachiæ deberent eſſe, in Glottomachias uergunt, & eò ſtatum Theologicæ controuerſiæ protrudunt, ut conſulendum potius ueniat Lexicon, quàm Auguſtinus. Hunc ſequi ducem uniuerſi putamus; eius mentem aſſecutos proſperè, Bernardum, Thomam & alios ſcholiarchas. aſſerimus; ideoque eos, quo ad rem inter ſe differre, non libenter audimus. Theſes ad mentem D. Pauli proponimus: hunc explicamus, non ſpiritu priuato, ſed communi; nempe conſulto D. Thoma,

Auguſtinus

Bernardus. Thomas.

Paulus De ſpiritu communi & priuato.

ma, ut expoſitio ſit Angelica: ut melliflua, Bernardo, Auguſtino, ut Diuina; ne Auguſtinum obtorquere uideremur, fideliſſimos eius Interpretes Bernardum & Thomam adiungimus. Illum jam olim dedimus, hunc damus. Et ne in Angelici Præceptoris Lectione dicamur cæcutire uſi ſumus Thomiſtarum Illuſtriſſimorum Commentarijs, & præcipue Didaci Aluarez Archiepiſcopi Tranenſis & Salpenſis ex Prædicatorum Religione, parente grandium mentium, aſſumpti; ex quo demonſtraturi ſumus, Thomiſtarum doctrinam, ſi loqui velint & ſentire cum Aluarez, non diſtingui à Patrum Societatis doctrina; ut clariùs procedamus in ſingulis, Theſes à Schola Societatis ſumemus, & eaſdem ipſas in terminis ab Aluarez admitti probabimus. Pauca teſtimonia adducemus, clara omnia; & licèt poſſemus dare plurima, erimus his paucis contenti; nam ſtudemus breuitati, quam ſeruare non poteſt, qui multa teſtimonia congerit. Demonſtrabimus ergo, tam eſſe grauem iſtam difficultatem, ut Thomiſtæ Molinæ ſubſcribant interdum, cùm premuntur: (*vide à num.* 47.) ut Molinæ diſcipuli Thomiſtis cogantur ſubſcribere, quando ex proprijs principiis bene reſpondere non poſſunt, (*vide inferiùs Notam III. à num.* 61.)

Aluarez.

Multi hodie Thomiſta mitius ſolent loqui quam Aluarez: & tamen mitiores illas voces multo accipiunt intenſiùs.

Huius difficultatis grauitas. Moliniſtæ tranſeũt ad Thomiſtas & cõgrà cum premuntur.

THESIS I.

De Gratia ſufficienti, & neceſſitate Peccati.

XXXII. *Omini iniuſto, ſi gratiæ auxilia negarentur, peccati (actualis aut originalis) ſtatus æternus eſſet: non enim poſſet naturæ viribus egredi à peccato, etſi vellet. Eidem Homini iniuſto cùm Diuina conceduntur auxilia, exitus à peccato neceſſarius non eſt; poteſt enim in Culpæ luto remanere, ſi velit; & poteſt egredi, ſi velit; nimirùm cooperando gratiæ, & actus ſupernaturales (attritionis cum ſacramento pœnitentiæ, aut contritionis extra Sacramentum pœnitentiæ) eliciendo.*

XXXIII Pelagius diuerſis temporibus habuit differẽtes ſententias:

PRobatur prima Theſeos pars: nam alias eſſet uera doctrina Pelagii, qui ſeuerior omnem gratiam negabat, & mitior illam tantum concedebat ad melius. Sed inquiris? Vtrum ille (nempe Deus) qui nunquam deſerit, niſi prius deſeratur, etiam deſertus deſerat? utrum concedat gratias ad ſanctè & meritoriè operandum, quæ habere effectum poſſint, & tamen non habituræ ſint? utrùm & gratias ad exuendum peccatum? & iterum an ipſa debeant *Auxilia ſufficientia* uocari? Sanè auxilii ſufficientis nomine, nil aliud intelligimus, quàm gratiam, qua quis poſſit operari, tametſi operaturus non ſit: & aſſerimus, *Deum, quamuis, proxima aliquando auxilia neget, remota, quæ ſaltem ad orandum ſunt, non negare.* Vnde Aluarez diſp. 113. num. 12 *Homo* ait, *prius deſerit Deum, quam deſeratur à Deo.* Non ergo prædeterminatur ad materiale peccati; nam aliàs priùs Deus contra hominem, quàm homo contra Deum operaretur; priùs homo deſereretur & poſteriùs deſereret. & diſputat. 112. num. 7 ut probet Deum, ne quidem deſertum deſerere, citat hæc verba D. Thomæ; *Si quis in ſyluis nutritus ductum rationis naturalis ſequatur, in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè tenendum eſt, quod ei Deus, vel per internam inſpirationem. releuaret ea, quæ ad credendum ſunt neceſſaria; vel aliquos Prædicatores dirigeret ad eum.* & alibi. *Ad fidem habendam aliquis ſe præparare poteſt per id quod in ratione naturali eſt. Vnde dicitur quod ſi quis in Barbaris natus nationibus faciat, quod in ſe eſt, Deus illi reuelabit, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, vel inſpirando, vel Prædicatorem mittendo.*

An dentur auxilia ſufficientia? Quid ſint?

Conclusio.

An per actus mere naturales ſe poſſit Homo ad gratiam ſupernaturalẽ diſponere. Facienti, quod, in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.

Primum locum deſumpſit ex quæſtione 19. de *Veritat* artic. 1 1 ad 1 ſecundum; ex 2. ſententiar. diſtinct. 28. quæſt. prima. artic. 4. ad 4. Noto illud *ductum rationis naturalis.* Noto illud *præparare*; & vt Theſeos partem poſteriorem clariſsimè oſtendam, ſubſumo. (Actus naturales non præparant ad ſalutem; atqui quicunque rationis capax, ſe poteſt præparare ad ſalutem; habet igitur auxilia ſufficientia, & ſupernaturalia, quibus ſi benè vtendo faciat, quod in ſe eſt, certiſſimè impetrabit gratiam. Vnde citatus Aluarez. *Ad credendum mediatè, vel immediatè omnes recipiunt, pro loco, & tempore, auxilium ſufficiens, ſi perueniãt ad vſum rationis.* Atqui non omnes credunt; ergo certum eſt dari ſufficientes gratias, quæ propter hominum ignauiam, malitiamue careant effectu.

XXXIV Homo nunquam caret auxilijs ſupernaturalibus.

THE-

THESIS II.

De auxilijs remotis, & proximis.

XXXV. *AVxilium aliud proximum, aliud remotum eſt: Poteſt proximè à peccato voluntas egredi, cum eleuatur Charitatis auxilio, quod eſt ad eliciendum actum contritionis, & amoris ſupernaturalis. (Contritionis nimirùm perfectæ, aut imperfectæ: nomine enim* contritionis perfectæ, *intelligimus amorem Dei ſuper omnia, qui etiam extra Pœnitentiæ Sacramentum iuſtificat, & nomine* contritionis imperfectæ *Attritionem; quæ iuſtificat cum Sacramento, non aliàs) poteſt remotè, cum caret hoc auxilio proximo, habet tamen aliud quo dirigatur, & diſponatur ad auxilium proximum impetrandum.*

XXXVI. Auxilium quotuplex.

AVxilium remotum in morale, & phyſicum, ſiue quod idem eſt, in intrinſecum, & extrinſecum diuidi ſolet. *Remotum intrinſicum* eſt auxilium Phyſicum, & reale, ad aliquam operationem faciendam, quam infallibiliter (ex pacto, aut merito) ſequatur, proximum. *Remotum extrinſecum* eſt aliqua realitas exiſtens in alio ſuppoſito; qualis eſt Prædeſtinatio, abſoluendi poteſtas: vtraque enim eſt fauor, at illa non exiſtit formaliter in prædeſtinatis, ſed in Deo; hęc non in pœnitentibus, ſed in confeſſario. Ita *Aluarez* in procemio lib. 2. & diſput. 112. num. 4. & 5. vbi ait *Si loquamur de auxilijs extrinſecis, Deus omnibus tribuit auxilia ſufficientia... nam pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, pro omnibus inſtituit Sacramenta, & omni creaturæ, præcepit Apoſtolis, vt præaicarent Euangelium Marci vltim. Nemo igitur teſte Aluarez auxilijs ſufficientibus extrinſecis caret, nemo eſt, pro quo Chriſtus mortuus non ſit, nemo, pro quo non ſint ſacramenta inſtituta; nemo, cuius inſtructio non ſit præcepta. Et num. 8. rem dilucidat pulchro exemplo deſumpto ex quæſtione 6. de Veritate art. 5. ad 7. vbi ait D. Thomas; *Aliquis poteſt alteri poſſe duplicitèr. vno modo conſiderando potentiam quæ in ipſo eſt, ſicut dicimus, quod lapis poſſit moueri deorſum; alio modo conſiderando id, quod ex parte alterius eſt, vt ſi diceres lapidem poſſe moueri ſurſum, non per potentiam, quæ in ipſo eſt, ſed per potentiam proiicientis.* Et ſubiungit Aluarez; *Proportionaliter nos dicimus in præſenti, cùm aſſeritur, quemlibet peccatorem, quamdiu eſt in via, poſſe pro quolibet tempore, & momento ad Deum conuerti, & ſaluari,* His omibus poſitis, & conſideratis tenemus; hominem à conceptione ad obitum habere auxilia ſufficientia, vt ad Deum conuertatur, & omnia noua peccata deuitet; auxilia quidem ſibi proportionata, nimirùm infantes, dormientes, & phreneticos extrinſeca; alios intrinſeca, quia vt optimè docet ſub initium citatę diſp. idem Aluarez *Quilibet peccator, quamdiu eſt in vita, poteſt ad Deum conuerti; aliàs enim daretur aliquis ſtatus peccatoris, de cuius ſalute eſſet deſperãdum, & aliquod peccatum exiſtentis in via, quod per veram pœnitentiam deleri non poſſet; quod tamen eſt erroneum, vt docet S. Thomas 3. part. quæſt. 86. artic. 1.*

Intrinſeca.

Extrinſeca.

De nu peccatore eſt deſperãdum.

Chriſtum eſſe mortuũ pro omnibus. licet fruſtra negetur à Ianſenio, à D. Thoma Aluarez, & Dominicanis vniuerſis admittitur.

Potẽtia duplex.

THESIS III.

De neceſſitate in ſenſu compoſito & diuiſo.

XXXVII. QVando dicimus, (Hominem Gratia ſupernaturali præuentum poſſe diſſentire, & peccare; imò & reſiſtere auxilio diuino, ſi velit:) *ſi diuerſimodè ſenſus compoſitus & diuiſus exponantur, poſſumus intelligi in vtroque, & in vtroque non intelligi; dantur enim ſenſus compoſiti & diuiſi multi ſenſus, quos non libeat confundere; nec paucis exponere liceat. Interim compoſitio actus cum non actu, cum auxilio, cum tempore, quo eſt auxilium, ſpecialiter eſt conſideranda.*

XXXVIII. Variæ acceptiones ſenſus compoſiti, & diuiſi, Senſus compoſitus contradictorius.

ET vt Theſin intelligas, adnotàto multos eſſe ſenſus compoſitos, multos diuiſos.

Primò enim falſum eſt, hominem poſſe gratiæ reſiſtere, in ſenſu compoſito contradictorio; non enim poteſt voluntas componere actum & non actum; quamobrem omnes poſitiones de poſſibili debent hoc ſenſu compoſito negari In hoc enim ſenſu, nec viuus poſſet mori, nec habens gratiam peccare; ille enim non poteſt vitam & non vitam componere; nec iſte gratiam, & non-gratiam. Hinc debet intelligi acuta cuiusdam (Iunioris ingenioſi profeſſoris) Aſſertio, videlicet: *In libero arbitrio eſt potentiæ ſimultas, non vero potentia ſimultatis.* quod eſt dicere, in uoluntate ad operandum expedita, potentia ad operandum, & potentia ad non operandum, ſunt ſimul: non autem eſt potentia ad ſimul operandum, & non operandum. Hæc doctrina poteſt ex libertate ad contingentiam, cùm uolueris, extendi: porta enim quando habet potentiam ut ſit aperta, tunc etiam habet ſimul potentiam, ut ſit clauſa; non tamen habet potentiam, ut etiam, ut ſimul ſit aperta & clauſa.

De ſimultate potentiæ, & potentia ſimultatis.

De libertate & contingentia.

XXXIX Secundo, agendo ſpecialiter de auxiliis negantur a Thomiſtis, poſitiones omnes de poſſibili in ſenſu compoſito & in diuiſo conceduntur. Compoſitus is ſenſus, non iam uoluntatem cum gratia, nec cum tempore in quo illam habet; ſed uoluntatem gratiæ phyſica entitate præditam, cum decreto Diuino componit. Cum dicitur uoluntas in ſenſu diuiſo poſſe omittere actum ad quem prædeterminatur, non dicitur, quod omitteret ſi careret gratia, & omittet cum carebit: ſed dicitur, quod uoluntas poteſt componere reſiſtentiam, cum phyſica gratiæ efficacis entitate, quę ad opus faciendum, non per modum neceſſitatis, nec per modum libertatis, ſed per modum Infallibilitatis inclinat; non tamen componere cum Decreto effieaci Diuino; hoc enim non inclinat in opus faciendum neceſſariò, ſed in faciendum infallibiliter & liberè. Ratio eſt: quia decreto efficaci Dei, volenti, quòd liberè opereris, non potes reſiſtere, tametſi poſſis non operari; qui enim vult vt liberè opereris, uult ut ita opereris, ut poſſis non operari; ergo cùm potes non operari, non iam decreto reſiſtis, ſed ei ſatisfacis; cui procul dubio decernenti ut liberè opereris, ſi operareris neceſſariò reſiſteres. Bene igitur Doctiores Thomiſtæ gratiam in ſenſu compoſito & diuiſo conſiderant. Gratia in ſenſu diuiſo, eſt phyſica ipſiusmet Gratiæ efficacis entitas; in compoſito eſt aggregatum ex phyſica entitate gratiæ, & decreto Diuino, In ſenſu diuiſo gratiæ reſiſtere poſſumus, in compoſito non poſſumus: in diuiſo impetum illius non ſequi poſſumus: quia Petrum ad Diuini amoris actum efficaciter prædeterminatum, poſſe non amare Deum, eſt poſſe reſiſtere entitati phyſicæ auxilii uoluntatem infallibiliter præmouentis, non tamen eſt reſiſtere Decreto volentis, quòd humana voluntas amet, ſed ita, vt poſſit hunc amorem omittere Aluarez diſp. 87. ad quint. *Si conſilium efficax conſideretur*, inquit *ſecundum phyſicam entitatem auxilij præſcindendo à decreto efficaci Diuinæ voluntatis, cuius virtutem continet, intentionaliter, poteſt voluntas ei reſiſtere, propriè de reſiſtentia loquendo.* Poteſt igitur humana voluntas reſiſtere auxilio efficaci præciſo à Diuino Decreto, non verò cum eodem compoſito; ratio eſt, quia voluntas Dei infinitè potens non eſſet, ſi talis eſſet, cui poſſet humana reſiſtere, ideò homo non poteſt reſiſtere auxilio efficaci. Nota hanc cauſalem; ſi enim poſito auxilio efficaci cum Diuina voluntate compoſito homo nõ poſſet omittere aut contrarium facere, reſiſteret illi auxilio formaliter, ac propterea ipſi voluntati

Compoſitio voluntatis & decreti.

Decreto Dei nemo poteſt reſiſtere. & tamen hoc nec lædit, necminuit libertatem humanam.

Notetur, & intelligatur bene obiectum decreti diuini.

tati Diuinæ volenti ut homo liberè operetur, hoc eſt, quod ita operetur, vt com operetur, nunc poſſit oppoſitum facere.

His præmiſſis, ſubijciamus aliqua protheoremata de auxilio à Diuina uoluntate præciſo & diuiſo, & ſecundum ſuam phyſicam & realem entitatem conſiderato; nam de irreſiſtibilitate intentionali, quæ eſt in ipſo auxilio, in ſenſu compoſito conſiderato, nulla poteſt eſſe difficultas; illam enim tam Thomiſtæ, quàm Scotici & Moliniſtæ admittunt, docti ab Apoſtolo, qui uoluntatem Diuinam irreſiſtibilem fatetur; quam ueritatem pulchris Auguſtini periodis roborat Aluarez diſp. 87. numer. 2. & ſæpe alibi.

PROTHEOREMATA
doctrinam de auxilijs ſubſtruentia,

XLI. Mirabilis vi debitur Thomiſtis hæc Aſſertio le' gatur tamen

PRimum. *Homini eſt liberum habere auxilia proxima, & phyſicam prædeterminationem cum voluerit*. Primò quia homini eſt liberum vti gratia, quæ ad orandum uniuerſis conceditur, & orando auxilia efficacia impetrare. Secundo etiam homini liberum eſt uti auxiliis ſufficientibus, quæ eſſent uerè efficacia, ſi illis ipſe uteretur, Aluarez diſp. 113. de auxilijs num. 12. *Nunquam Deus* (agit de homine exiſtente in gratia) *illum deſerit, auferendo ab eo gratiam iuſtificantem, niſi priùs natura deſerat Deũ ſed conuertendo ad bonum commutabile per peccatũ mortale, quod cum gratia habituali eſt incompoſſibile; nec etiam Deus hominem iuſtum deſerit ſubtrahendo ab eo ipſo auxilium ſufficiens, quo poſſit operari bonum, & perſeuerare vſque ad finem: quod ſi interdum non dat ei auxilium efficax, quo actu bonum operetur, nec eſt Deo, ſed homini imputandum, nam per auxilium ſufficiens poterat perſeuerare, & ſua culpa perſeuerare noluit; vnde in exercitio ipſe prius in genere cauſæ demeritoriæ, deſeruit Deum peccando, quàm Deus eum priuaret auxilio efficaci.*

Notentur bene hæc verba.

XLII.

Secundum. *Auxilia ſupernaturalia, cùm diuinitùs conceduntur, homo admittere, & ſi velit, etiam non admittere poteſt*. Bañes 1. part. quæſtion. 23. dubitat. 3. præſertim concluſ. 8. & 9. docet, quod uerbum *dare* ſumitur dupliciter: primo, ut eſt correlatiuum ad *recipere actu*: ſecundò, vt eſt correlatiuum ad *poſſe recipere*. Et addit in hoc ſecundo ſenſu dari à Deo omnibus, quamdiu ſunt in hac uita, auxilium, quo poſſint conuerti, & conuertantur ſi uelint. Noto illud *poſſint*: noto illud *conuertantur*. Dat igitur Deus auxilia ſuficientia & efficacia, ſecundo modo acceptantibus: at primo modo illa offert & præparat non acceptantibus, potentibus tamen acceptare, ſi uelint. Hanc Bañes doctrinam ſequitur, etiam Aluarez diſputat. 112. num. 4. & 7. & diſputat, 87. num. 2. citat uerba Auguſtini dicentis, lib. de predeſtinat. Sanctor. cap. 8. *Gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde recipitur*. Vbi notat uariam eſſe lectionem huius loci; ſunt enim qui legant, *reſpuitur*. Sed Aluarez hanc ultimam, quam aliqui præponunt, lectionem reijcit in marginem, & priorem ut fidei & ueritati conſonam retinet in contextu.

Verbum dare habet duplicem ſignificationem,

Quod gratia recipiatur vel non non pendet à natura gratiæ, ſed à cordis bonitate aut malitia.

Tertium. *Auxilia Dei ſupernaturalia ablatione reſiſtentiæ quæ fit per donum Dei, ex inefficacibus poſſunt fieri efficacia*. & cur? rationem dabit Aluarez nuper citatus: *Gratia efficax emollit liberum arbitrium, duritiam eius aufert, & ſuperat reſiſtentiam*.

XLIII. De intenſione auxiliorũ

XLIV. De auxiliorum reiectione.

Quartum. *Auxilia Dei ſupernaturalia etiam admiſſa, homo & retinere & abiicere poteſt*. Aluarez diſput 87. num. 2. *Præmittere oportet, omnes Catholicos in hoc conuenire contra Lutherum, & Caluinum, quod homo concurrit liberè cum auxilio efficaci, cooperando, & conſentiendo Deo excitanti & mouenti, & per conſequens poteſt abſolute loquendo operari & diſſentire ſi velit Id quod in Tridentino Concilio ſeſſ. 6' canon 4. ſub anathemate diffinitur, vt cap. 5. eiuſdem ſeſſionis docet ſancta Synodus, hominem per liberum arbitrium abijcere poſſe inſpirationem, quam à Deo recipit*.

XLV. De Auxilij ſubſtractione.

Quintum. *Auxilij ſupernaturalis ſubtractio nonnunquam etiam auxilium, vel ſaltem fauor eſt*. Vt aſſertum intelligas, adnotato; fauores (aut etiam auxilia, ſi hac uoce uti placeat) in duas diuidi claſſes; interdum enim Deus concedit fauores poſitiuos, & interdum etiam negatiuos: illos, cùm gratias quibus utimur: iſtis, cùm gratias negat, quibus abuteremur: ſæpe enim homines gratijs cælitus collatis abuti, certum eſt, Aluarez diſput. 28. num. 10. *In prædeſtinatis (Deus) permittit peccata ad maiorem oſtenſionem ſuæ miſericordiæ, vt humilientur, & magis cauti deinceps efficiantnr*. Adſonat Auguſtino libro de natura & gratia contra Pelagianos cap. 78. dicenti. *Deſerit aliquando Deus (id) vnde ſuperbit, vt ſcias; non tuum ſed eius eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe*. Ergo ne magnitudo fauorum & reuelationum extollant aliquem, humiliat illum Deus. non ſolum priuando prærogatiua illa propter quam ſuperbiebat, ſed & aliquando permittendo, ut ita eadat, ut corripi & corrigi poſſit.

XLVI. De auxiliorum recuperatione.

Sextum. *Auxilia ſupernaturalia, etiam liberè reiecta, homo liberè recuperare poteſt*. Hæc ueritas naſcitur ex alia, quam Protheoremate primo ſtatuimus. *Quolibet momento* ait Aluarez diſput. 112. num. 9. *poteſt quilibet peccator, quandiu eſt in via, habere ſpeciale auxilium per quod ſaluari poſſit*. Ergo tametſi

olim

olim non acceptaverit, aut acceptatum reiecerit, adhuc potest habere auxilium speciale. Accedit, quod præcepta sibi ipsis succedant, vt qui peccauit reiiciendo auxilium, iterum peccaturus est, si non, obediat; ergo iterum est habiturus auxilium aliàs enim nō peccaret, quia vt ibidem docet, idem Author, *illi qui carent auxilio sufficienti, non peccant, non enim impossibilia præcipiuntur à Deo*:

Qui nō habet auxilia sufficientia non peccat.

Deus non præcipit im possibilia.

XLVII. De auxiliorum vsu & abusu.

Septimum. *Auxilio supernaturali, qui illud receperit & non abiecerit, vti, imò, & si voluerit etiam non vti potest*. Subscribimus etiam Didaco Alvarez disputat. 87 dicenti: *Si nomine vsus* auxilij, *intelligatur cooperatio arbitrij cum illo, seu terminus ad quem idem auxilium mouet, liberum arbitrium scilicet operatio, absque dubio talis vsus subiacet nostri arbitrij potestati, vt moti à Deo, propter rationem tactam ex Tridentino; nam liberum arbitrium, etiam quando movetur auxilio efficaci, ad piè operandum, reverà potest absolute loquendo, vt in sensu diuiso inspirationē illam abijcere, & dissentire si velit; quamvis non stet simul cum auxilio efficaci, quod de facto illud abjiciat, aut dissentiat*.

XLVIII. Auxilij effectus duplex.

Nota singula uerba, & vt illa intelligas, diuisi & compositi sensus distinctionē ex Thesi 111, sumes. Sed & idem Author num. 4. distinguit, in auxilio duos effectus, *Primus* est, dari à Deo vt nos prædeterminet: hunc statuit non subjacere nostro arbitrio, auxilia enim Deus dat, quæ vult, quando vult, quanta vult, & quibus vult, tametsi omnibus saltem det sufficientia. Vnde Apostolus. *Spiritus vbi vult spirat*. & iterum, *Non est volentis neque currentis sed Dei miserentis* De alterò uerò effectu sic inquit. *Secundus* auxilij effectus, *est producere cum voluntate, quam movet, liberum consensum; & secundum hoc subditur potestati nostri arbitrij, ex parte termini scilicet, ex parte actus liberi, ad quem datur*. Hæc ille de entitate, physica auxilii, seu de physica prædeterminatione; nam de auxilio in sensu composito, hoc est non diviso & præciso, à Divino decreto, aliter & optime philosophatur. Vnde cùm interogasset, an stent, aut stare possint, hæc duo simul, quod auxilium illud consideratum secundum omnem suam realem virtutem, quam habet à Deo, sit in homine & homo non operetur?

IL. Nota hoc bene, quia semper involuitur intentio Dei volentis vt opereris, & possis non operari.

Respondet: *Dicendum est.... hæc duo esse incompossibilia, quòd auxilium efficax consideratum secundum omnem realem virtutem, quam habet vt venit à Deo* (hoc est consideratum secundum virtutem realem & intentionalem) *& homo non cooperetur cum illo, quāvis possit si velit, non cooperari*. Ratio est, quia ipsum posse non cooperari physicæ realitati auxilij, est cooperari auxilij intentionalitati, seu voluntati Dei; per illud enim auxilium intendit Deus, vt homo liberè operetur. Sanè decreto Dei no satisfacis, cum ita operaris, vt non operari etiam possis; non tamen cooperaris auxilio composito, cum decreto Dei volentis, vt liberè operaris, si operaris necessario: Vbique tamen distinguendum est *posse* & *facere*; id enim pendet ab arbitrio & auxilio, illud ab arbitro humano non dependet. Hinc constat, optimè Augustinum epist. 107. ad Vitald. & post eum Alvarez disput. 87. num. 2. condemnare eos, qui dicunt. *Vocationi Dei consentire, & non consentire ita nostrum esse, vt si velimus fiat, si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus*. Ratio est, quia tametsi consentire & non consentire, ita nostrum sit, posita entitate auxilii physica, vt si velimus fiat, si nolimus, non fiat, non est nostrum facere quod vel voluntas non possit vti auxilio Dei; aut id non possit nos adiuvare & cooperari uoluntati, possumus enim facere, quod gratia nihil physicè faciat, non uerè quod nihil ualeat facere.

Vult Deus vt suæ vocationi cōsentias & possis nō cōsentire: ergo posse, nō cōsentire nō est, posse divinam voluntatē frustrare, sed illā de facto adimplere.

Ex dictis patet, *quid respondendum sit inquirentibus, An gratia, quam aliqui ex Augustino & antiqui ævi Patribus*, Omnipotentem *dicunt, subdita sit libero arbitrio an id gratiæ?* Semipelagianorum enim error est affirmare, quod gratia pendeat, quoad dari, à naturali Voluntatis arbitrio, ita ut naturæ uiribus, quis eius oblationem, præparationem & infusionem obtinere, aut promereri ualeat: vnde Prosper in Epist. ad Augustinū post medium referens Massilienſium sententiam, ait, *eos sensisse. quod voluntas hominis* (puta omni gratia destituti) *diuinæ gratiæ sibi pariat opem* (hoc est, quod vel physicè efficiat, aut mereatur moraliter) *non tamen gratia sibi humanam subijciat voluntatem*. Ecce collatio gratiæ, humanæ uoluntati non subditur, nulli enim debetur: humana uoluntas illi subditur, obtinere enim magna & efficacia auxilia, non à currentis seu uolentis sed à Dei miserentis uoluntate dependet. Cæterum tametsi non subsit humanæ uoluntati gratiæ Divina præparatio & oblatio, subest acceptatio, subest retentio, subest usus: intentioualis tamen uirtus, gratiæ (hoc est, ut loquitur Aluarez, auxilium in sensu composito; nimirum compositum cum decreto efficaci Dei, cuius uices gerit, Dei inquam uolentis, ut homo liberè operetur) quia formaliter diuinam uoluntatem complectitur, ut multi loquuntur Viri docti. Domina est, omnipotens est, nulli creaturæ subdita, tam quoad esse, quam quoad cooperari *Virtus enim gratia*, quæ exponēte Aluarez, millenis locis, est intentionalis, & a diuina uoluntate proueniens, *sibi*) si libr. de Vocatione gentium audimus Prosperum) *quos voluit subdidit, & eos, qui inconuertibiles permanserunt* (non solùm reddere conuertibiles) *sed & convertere potuit* (imo creaturam sibi non subdere non potuit: impossibile enim est, quod aliquis eximatur ab obe-

L. Gratia omnipotens.

Non sunt dignæ actiones naturales supernaturales gratia aut gloria.

An gratiæ humano arbitrio subsit

Notetur hic sensus compositus.

S. Prosper.

LI. Nemo eximitur ab obedientia Dei

obedientiâ Dei; impoſſibile quodvis intentionalis gratiæ effectu, aut careat, aut carere poſſit.] Nota illud *quos voluit*, nam in auxilio efficaci in ſenſu compoſito ſumpto, ſi Didaco Alvarez credimus, datur formalitas faciens, & formalitas volens; illa eſt entitas phyſica auxilij, hæc Divinum decretum: illa exſe non eſt efficax, quia auxilium quâ efficax, ex phyſica entitate creata, & intentionali voluntatis increatâ virtute, teſte eodem Authore, componitur.

Vnde gratiæ & auxiliorũ efficacia ſumatur in Alvarez, & aliorũ ſententia?

Hìc tamen notari volo primò, voluntatem Divinam tantam libertati noſtræ imponere neceſſitatem, in ſententiâ Alvarez ſic expoſita, quantam in ſententiâ Molinæ; Infallibilitatemque adhuc aliunde eſſe quærendã; quia, ſi ideò Dei voluntas eſt irreſiſtibilis, tametſi auxilij phyſica entitas carere effectu poſſit, quia voluntas divina hoc ipſum vult; etiam humana eſt irreſiſtibilis in multis caſibus; vel dicito: quo Petrus modo poterit reſiſtere meæ voluntati, ſi dixero, *Fac, quod velis*? Quo Deus modo, ſi dixero, *Realis, & phyſica voluntas tua fiat in cœlo & in terra*? Ergo, niſi Alvarez aliam aut maiorem irreſiſtibilitatẽ in Diuinâ voluntate reperiat, nihil Deo attribuit, quod Hominis perfectionem excedat, & tantam aut minorem efficaciam intrinſecam phyſicæ auxiliorum entitati concedet, quantam Molina, Suarez, Vazquez, & reliqui Patres Ieſuitæ.

LII. An nos vtamur gratia. an verò gratia noſtra libertate vtatur?

Et volo notari ſecundò, variè loqui Antiquiores, cùm agunt de libero arbitrio. Alìi enim dicunt, *bonos gratia vti, malos abuti*; quem modum loquendi tenemus, & iuxta illum hodie Alvarezium explicare voluimus: alij autem aiunt, *gratiam vti noſtra voluntate, & libertate; & ſupernaturales amoris contritionis actus produci à Deo, concurrentibus nobis, vt inſtrumentis liberis*. Hæc etiã doctrina ſuo ſenſu vera eſt, & poteſt cum priori coëxiſtere imò etiam cõincidere, vt nos maioris claritatis gratiâ ſentiemus hodie cum hoc ſecundo modo, & loquemur cum primo. nam, ſenſu debito expoſita, vera eſt, & poteſt cum prima coexiſtere; aut etiam, ſi velis, coincidere.

IMPERTINENTIA

De Doctrina Auguſtini.

LIII. Placet & hęc Protheo remata ponere; nam ut video, in Auguſtini cultu, ſæpe defectu, ſæpe exceſſu peccatur.

AMor Regis judicium diligit; & ita amare Regem Theologorum Auguſtinum debemus, ut non cœcam deuotionem, ſed prudentem rationem ducem habere videamur & dicamur. Non indiget Divinus Doctor laude fictâ, aut Chimœricâ; nec ei deuotus, qui illum ſubrigit, ut etiam Deo præponat. Hanc ob rem impertinentes has ſubjicimus, ſi impertinentes dici poſſunt, quæ hac rerum tempeſtate maximè ſunt in noſtra ſchola pertinentes.

I.

LIV. Quomodo Concilia vtãtur.

QVi Concilia ab Auguſtino, in definitionibus ſuis, hoc eſt, in Articulorũ Fidei diſcretione & conſtitutione regi aſſerit, ea ab Spiritu ſancto, qui nec falli, nec fallere poteſt, dirigi ignorat, & definitionum infallibilitatem auferens, certitudinem merè humanam in articulis Fidei relinquit.

Hæc dicta ſint contra indiſcretam aliquorum Iuniorum deuotionem: nam S. Auguſtinus, tametſi non dirigat Generalia Concilia, vt cauſa principalis, bene tamen vt inſtrumentalis: illo enim vtitur Deus, vt dirigat Concilia ad percipiendam reuelationem à Spiritu ſanctò factam in materia gratiæ.

Doctrina Auguſtini.

II.

LV. An Patrum veterum, authoritas rationibus euidẽtibus præponi debeat.

QVi Auguſtini doctrinam maioris ſe facere aſſerit, quàm demonſtrationes, contemnit doctrinam Auguſtini. Ipſe enim in Retractationum libris ſæpe probabilem propter probabiliorem rejcijt, ſæpe Lectores admonet, ne ſibi ſubſcribant, niſi ubi ſe non erraſſe cognoverint.

III.

LVI. An omnibus Patribus diſſentiat Auguſtinus.

QVi Auguſtinum omnibus Patribus præponit, iniurius eſt ipſi Auguſtino; videtur enim admittere, aliquid eum in materiâ Religionis docuiſſe contra Catholicam omnium Patrum ſententiam, adeòque eum non fuiſſe Catholicum: & videtur ſimul imitari Calvinum, qui vniuerſos Patres erroris inſimulat, & ſolius Auguſtini teſtimonijs ſuas hæreſes fundare gloriatur: non enim eſt alia communis omnium Patrum doctrina, & alia quam docet Auguſtinus.

Non enim debetur Auguſtino iſta gloria, quòd eam doctrinam tenuerit aut docuerit, quam cæteri Patres ignorarunt, negaruntve: ſed quòd habuerit occaſionem, quâ non nulli caruerunt; & ea quæ ad gratiam ſpectant, clariùs, nervoſiùs & vberiùs tradiderit poſteritati. *An ſicut de gratia: ita etiam de diſgratia optimè ſcripſit Auguſtinus*? Negat Campanella art. 12. de reprobatione: aſſerimus nos, & ſicubi aliquid durius occurrat, textum benignè interpretamur.

IV.

LVII. An D. Thomas legerit Auguſtin.

QVi dicet inlectum à Thoma Auguſtinum, Thomam non legit; vix enim articulus in toto opere, qui Auguſtini authoritate careat. Qui lectum quidem, non tamen intellectum aſſerit; Thomam Angelicâ mente prædituin negat, & ab vniuerſæ Eccleſiæ pietate deficit, Thomam *Angelici Doctoris* nomine condecorantis. Qui Thomam ait legiſſe, & intellexiſſe Doctoris

Thomas Doctor Angelicus.

Diuini volumina, voluiſſe tamen illum in partes ſuas vel inuitum trahere, in Angelici Doctoris perſonam & doctrinam eſt impius

V.

LVIII. Senſu Thomiſtarũ cõpoſitus: ſenſus diuiſus.

QVi cum audit aut legit apud Thomiſtas, hominem non poſſe reſiſtere gratiæ in ſenſu compoſito, putat aſſeri hominem non poſſe illum actum ad quem prædeterminatur, omittere; non vult bonos Thomiſtas intelligere.

VI.

LIX. Veracitatis gradus, Deus, & Fides. Demõſtratio, Patrũ conſenſus.

DIcimus igitur, Concilijs eandem nos concedere veritatem, quam Deo: poſt Dei revelationes, Mathematicas, Metaphyſicas, & Morales admittere demonſtrationes. Nihil non demonſtratum Patrum aſſertis præponimus, ubi univerſi in aliqua opinione conueniunt: vbi autem aliquis, quicunque ille, à communi omnium Patrum & Doctorum ſententiâ diſceſſerit, nos nec comites, nec aſſeclas eſt habiturus. Si Tridentina Synodus alicuius Patris verba, Canonica fecerit, ipſa de fide ſunt; nempe in ſenſu ab Eccleſiâ intento. Sanè in eodem Patrem locutum, piè putamus, hoc tamen non eſſe de fide tenemus. Thomam fideliſſimum Auguſtini interpretem, & Thomæ Didacum Alvarez exiſtimamus. Quod contra Thomam eſt, Auguſtini non eſt: ſicut nec Thomæ, quod contra Alvarez, ſi totus, & attentè legatur Omnes tres poſſe hominem cum phyſicâ entitate gratiæ, omiſſionem operis componere tenent, & hic eſt ipſorum ſenſus diviſus: poſſe hominem decreto, vel gratiæ cum ipſo decreto compoſitæ reſiſtere negant, & negamus. Qui poteſt omittere actionem quam Deus liberè faciendam decrevit, poteſt phyſicæ gratiæ entitati reſiſtere; non tamen ideò dicendus eſt poſſe reſiſtere decreto divino, aut gratiæ cum decreto compoſitæ, nam & hæc omittendi poteſtas etiam divinitùs decreta eſt. Ille enim vnicus dicendus eſſet, poſſe divino decreto reſiſtere, qui poſſet facere neceſſario, quod Deus faciendum liberè hoc eſt, faciendum non neceſſariò, decrevit.

Patres à Cõcilij citati.

Senſus diuiſus, & compoſitus.

Quis poſſet Deo reſiſtere.

VII.

LX. An Adamus extra Paradiſum ſit conditus? An ſit poſſibilis pũra natura? An condita fuerit de facto? Quid ẽtiendũ de Patrũ ſingularibus ſententijs

ADamum extra Paradiſum fuiſſe conditum, ſacra Scriptura expreſsè docet. Ergo ſi aſſerente Auguſtino non habuit gratiam antequam ad Paradiſum transferretur, procul dubio conditus eſt in purâ naturâ, Caput perlege, quia omnia huic conceptui cohærent; cuius ſi Cenſor denominarer, Melliflui mei Doctoris verbis ex lib de præc. & diſp ſumptis, vterer, diceremque. *Ad hæc nihil ad præſens certius breviuſque reſpondendum occurrit, niſi quod ita S. Antiſtes ſapuit, recte, ne viderit. Nam ego in ſenſibus actibuſque illuſtrium Patrum eſutus profecto ſum, omninò non aliud æſtimare, quam quod B. Apoſtolo* 1. *Corinth* 4. 2. *teſte, quæritur jam inter diſpenſatores, ut videlicet fidelis quis inveniatur. Certus ſum enim, ſiue in ſuo abundauerit ſenſu, ſiue in Dei ſpiritu, ſicut & in cæteris, ita & in his fuiſſe fidelem, aut in diſpenſando, quod præ manibus erat; aut in ſcribendo quod ſenſerat.* Ergo ſiquidem dantur Auguſtini teſtimonia, quæ videantur ſuadere Adamum fuiſſe de facto cõditum in purâ naturâ: & dantur etiam, quæ videantur ſuadere non poſſe Deum de abſolutâ potentiâ Hominem purum condere, nos teſtimonia teſtimoniis temperantes, dicemus in ea ſententia Auguſtinum fuiſſe, quæ docet Adamum quidem de facto fuiſſe in gratia, & potuiſſe condi in pura naturâ, ſi Deo id placuiſſet: Cæteros homines Adami filios, ſtante peccato originali, & Iuſtitiæ Divinæ decreto, non poſſe (nimirum in ſenſu compoſito) condi in pura natura Angelorum Reginam mirabiliter & miſericorditer ab hac regula generali exceptam, non fuiſſe conditam in ſtatu peccati originalis, ſed neque in ſtatu puræ naturæ, ſed in ſtatu gratiæ.

Teſtimonia ſimul iuncta ſe iuuãt & exponũt.

Diuæ Conceptio immaculata.

NOTA I.

LXI. Ratio edendi iſtas Theſes.

HAE *Theſes Louanij defenſæ, quoniam placuerunt multis & Claues Thomiſtici Lexici complectuntur, ne omninò perirent, ſunt additæ. Thomiſtarum erit nobis oſtendere*, PRIMO, *An non omnia, quæ adduximus ſint Didaci Aluarez?* SECVNDO, *An non ipſe fuerit bonus Thomiſta?* TERTIO, *An intellectis terminis, prout iubet & exponit ipſe, dicat aliquid, quod militet contra P. Molinam?* QVARTO, *An non P. Lemos (fuit Dominicanus; & Thomiſta ſeueriſſimus & ſapientiſſimus) olim Romæ phyſicas prædeterminationes eſſe contra D. Thomam docuerit?* QVINTO, *An non hodie multi etiam alij tam ſuaues ponant, vt illas negare videantur.* SEXTO, *petimus huic argumento reſponderi.* (Non eſt in mea poteſtate non habere phyſicam prædeterminationem: Illâ poſitâ non eſt in meâ poteſtate omittere opus, ad quod inducit: ergo nihil eſt in mea poteſtate) SEPTIMO, *aſſignare differentiam inter illud argumentum & ſubſequens,* (Cæco nato non fuit in ſua poteſtate habere poſitiuam illam nubem, quæ viſum impedit: Poſitâ hac nube poſitiuâ, non eſt in eius poteſtate videre: ergo videre non eſt in eius poteſtate.) *Si enim prædeterminatus ad claudendos oculos non habet maiorem poteſtatem ad uidendum, quàm cæcus à natiuitate, ſeuerus Thomiſta eſſe non volo.*

Ratio fortiſſima cõtra phyſicas prædeterminationes. Rationis paritas.

SED DICES, *hæc omnia eſſe facilia, & centies ſoluta à Thomiſtis, nec noua ſolutione indigere. Et ego inſto, hæc etiam mihi interdũ dicta; ſed ab hominibus, qui ſibi erant conſcij, quod hæc ipſa ratiocinia neſcirent exactè diſſoluere.*

Hæc

Physicæ prædeterminationes non necessitant.

Hæc contra physicas Prædeterminationes necessitantes dicta: non vt physicas Prædeterminationes impugnem, sed vt ostendam eas nullam inducere necessitatem, sed infallibilitatem tantummodo. Videntur Thomistæ bene sentire, & male loqui, debereque, necessitatis nomine exesse iusso, reponere infallibilitatem.

Debent admitti prædeterminationes infallibilitantes.

EGo quidem hæc dubia recognoscens, ad sextum (nam quinque priora videntur doctrinalia non esse) iuxta illorum doctrinam, qui admittunt determinationes physicè infallibilitantes, fateor me respondere non scire; imò affero me scire, nec eos esse bonos Thomistas, qui hanc necessitatē admittunt, nec bene respondere pòsse. Addo, eadem argumenta in illorum sententiâ, qui infalibilitantes Prædeterminationes cōcedunt, & necessitantes reijciunt, facillimo negotio dissolui.

An sit liberum homini habere physicam prædeterminationē cùm voluerit?

Syllogismo illo; *Non est in mea potestate habere physicam prædeterminationem, cùm voluero: At illa posita non est in mea potestate omittere actionem, ad quam illa meam voluntatem inducit: ergo nihil est in mea potestate*: sum semel vsus Louanij contra virum doctissimum, qui tamen negauit maiorem. Et interroganti; *Quid me facere oporteat, vt habeam physicam prædeterminationem*? respondit, *Me debere orare*: qui enim dixit, *Petite, & accipietis*, orantibus non negat gratias. At hæc responsiò cespitat; quoniam, vt velim habere physicam Prædeterminationem, indigeo physicâ Prædeterminatione: vt orem, indigeo physicâ prædeterminatione. Ergo vel ibitur in infinitum; vel dabitur aliqua prima Prædeterminatio, quæ à meis orationibus & voluntate non dependeat. Tu igitur, qui sinceram Theologiam amas, iuxta quintum impertinēs eumdem syllogismum dissolue.

An ad habendam physicam prædeterminationem indigeant alia physica prædeterminatione?

An posita physica prædeterminatione possim facere cōtrarium?

Non est in mea potestate habere physicam Prædeterminationem cùm voluero; concede maiorem: non enim volentis aut currentis, sed miserentis est Dei gratias præuenientes & prædeterminantes concedere; *At illa posita non est in mea potestate omittere actionem, ad quam illa meam voluntatem inducit* nego minorem: nam physica hæc Prædeterminatio, non necessitat, sed infallibilitat voluntatem: & ideò illâ positâ voluntas nō operabitur necessariò, sed liberè & infallibiliter.

Hallucinatio nonnullorum.

Et hìc video aliquos, etiam doctos, hallucinari. Sic inquiunt: *Deus vult: ergo erit: ergo non poterit non esse*. Addunt: *Deus prædeterminat: ergo operabor: ergo non potero non operari; aliàs enim Diuina frustraretur voluntas, & efficax gratia non esset efficax*. Ego autem ab his & similibus argumentis facili negotio me expedio. Sic respondeo: *Deus vult*: transeat antecedens. *ergo erit*: distinguo. Erit vt Deus vult, concedo. erit aliter, quàm Deus vult, nego: erit enim actio libera, si Deus voluerit esse liberam; & erit necessaria, si Deus voluerit esse necessariam. *Ergo non poterit non esse*, distinguo consequens: si Deus voluerit illam actionem esse liberam; nego consequentiam (idem enim est esse liberè, ac ita esse vt possit non esse:) si Deus voluerit illam eandem esse necessariam; concedo. Hinc transeo ad alteram rationem: *Deus prædeterminat*, distinguo: prædeterminat ad actū liberum, volens illum ita à me fieri, vt possit non fieri, concedo: prædeterminat ad actum necessarium, volens illum ita à me fieri, vt omitti non possit; nego. *Ergo operabor*: distinguo: operabor prout Deus vult, quando me prædeterminat; concedo: aliter quam Deus vult; nego. *Ergo operabor*: distinguo iterum: operabor liberè, quia Deus vult me operari libere; concedo: operabor necessariò, licèt Deus velit me operari liberè; nego. *Ergo non potero non operari*: nego consequentiam.

Quomodo Deus prædeterminat?

An præscientia & decreta Diuina inferant necessitatem?

ADDO non hinc timendum esse aut Scientiæ Diuinæ certitudini, aut Diuinæ Voluntatis efficacię: quin potiùs illa falleretur, hæc frustraretur, si ego operarer necessariò; Pono hanc Propositionem, *Deus scit & vult, quòd ego liberè scribam istas lineas* & interrogo, quid sim factutus, vt & Præscientia Dei fallatur, & voluntas frustretur? An-ne id continget, si ego scripsero? minimè: hoc enim præscit & vult Deus At ego possum non scribere Sed quid inde? Deus enim scit & vult, quod non scribere possim Quomodo ergo mea voluntas in Præscientiam & Decretum impingeret? Operando aut omittendo necessariò. Non igitur Præscientia & Voluntas Diuina humanam Voluntatem necessitat: quin potiùs, si per impossibile, humana voluntas aliunde necessitaretur; causa, quæ eam necessitaret, illa priuaret infallibilitate Præscientiam, & efficaciâ Voluntatem: si enim præuidente & volente Deo me operari liberè, ego necessariò operarer, illa præuidentia esset fallax, & illa voluntas inefficax. Stat igitur hanc esse malam consequentiam: *Deus vult, vt Petrus actum contritionis eliciat; ergo eliciet illum necessariò*: esse malam: bonam hanc: *Deus vult vt Petrus actum contritionem eliciat: ergo non eliciet illum necessariò, sed liberè*; quia eliciet illum, vt Deus vult; & Deus vult, vt illum eliciat liberè.

Nota id bene.

Differentia inter cœcitatem, & physicam prædeterminationē.

HInc patet, quo debeat eneruari modo ille alius paralogismus contra Prędeterminationes positus Ille erat: *Cœco nato non fuit in sua potestate habere illam positiuam nubem, quæ visum impedit; Posita hac nube positiua, non est in eius potestate videre: ergo non est in eius potestate videre. At Prædeterminatio physica ad claudendos oculos est similis illi impedimento positiuo (nubi, videlicet) ergo posita physica Prædeterminatione ad claudendum oculos, necessariò illos claudam*

dam, & necessariò non videbo. Respondeo igitur concedendo totum syllogismum primum, & negando minorem subsumptam: quoniam Prædeterminatio physica, & nubes illa oculi, non sunt similes, sed dissimiles: hæc enim oculum necessitat ad non videndum: at illa non necessitat voluntatem ad claudendum oculos, sed illam infallibilitat ad claudendum liberè: hoc est, ad ita claudendum, vt illos non claudere possit.

vel aliquid latet inexplicabile; vel difficultatis indissolubilis relinquis, Doctissime Arriaga,

Relegantur, quæso, attentè hæ paucæ lineæ; puto enim plus in illis doctrinæ reperiri, quàm in multis aliquorum iuniorum Theologorum folijs, in quibus vera interdum doctrina nimis obscurè traditur.

NOTA II.

LXII. An Ianseniani sint Thomistæ?

IAnseniani non debent accenseri Thomistis; isti enim (etiam quando loquuntur seueriſſimè) negant in sensu diuiso necessitatem; quod probabiliter sufficit vt saluetur libertas: At Ianseniani in omni sensu necessitatem protrudunt; & re sublatâ, retinent merum libertatis vocabulum.

NOTA III.

An sint hæreticis alijs duriores?

LXIII. Gratia infallibilitat, non necessitat.

SAmuel Maresius edidit Synopsim de gratiâ: est Caluinista: & tamen cap. 5. §. 46. sic ait. *Videtur non esse necessarium hos adhortari ad hæc agendum; si enim ipsis gratia obtigit, infallibiliter bene agent absque vlla exhortatione: si verò hæc gratia denegetur, nunquam agent* &c. Huic obiectioni respondet: sed nec obiectionem, nec responsionem moror: sed hæc verba produco, vt videamus, hæreticos iam argumentis Catholicorum victos, non asserere voluntatem necessitari à gratiâ, sed infallibilitari tantummodo.

NOTA IV.

LXIV. Vtram sententiam debeamus anteponere?

VIdisti Thomistas contra Molinam loqui, & tamen cum Molinâ sentire: anne ideò amplecti debemus scientiam mediam, & reijcere physicas Prædeterminationes? ne pota. nam & Molinæ Sectatores licèt propriâ dialecto vtantur, interdum quoad rem, sententiam Thomistarum defendunt. Anno M. DC. LIV. in Vniuersitate Vienensi P. Hervvart, Societatis Iesu, magni ingenij Doctor, defendit iterum iterumque *esse possibilem qualitatem, quæ ex essentiâ suâ physicâ & reali infallibilitatem illæsâ libertate induceret*. Fuit Disputatio celebris; & quia iussus fui argumentari primo loco, vnam aut alteram consequentiam subijcio. Sic dixi.

Qualitas infallibilitans.

LXV.

Possibilis est qualitas, quæ ex essentiâ suâ reali & physicâ infallibilitatem inducat, & humanam libertatem non tollat: Ergo possibile est non dari Scientiam mediam in Deo. Ergo de facto non datur scientia media. Ergo de facto dantur physicæ Prædeterminationes: si non necessitantes in sensu composito, saltem infallibilitantes.

An possit cõponi sciẽtia media cum physicis prædeterminationibus? An & quãdo ex potẽtia ad actũ valeat consequentia?

Vltima consequentia (vt hinc exordium sumam) est legitima, & necessariò nascitur ex penultimâ. ideò enim ponitur Scientia media, quia prædeterminationes reales displicent: his enim admissis superflua est scientia media, & omninò necessaria negatis. *Penultima* nascitur ex primâ, quia in necessarijs idem est posse ac esse. Quidquid enim non repugnat vt sit necessariò in Deo, erit in Deo. *Primam* debebo ostendere: & sic argumentabor.

LXVI. Quomodo Deus necessaria cognoscat?

Vt Deus cognoscat, craſtinâ die oriturum esse solem, sufficit iste syllogismus Orietur cras sol, si ego voluero: Ego volo, quod oriatur cras: Ergo orietur. *Maiorem enim cognoscit, Scientiâ simplicis intelligentiæ: minorem in decreto, adeoque de consequentiâ non poterit dubium moueri. Ergo vt cognoscat istam propositionem*, Petrus cras leget, *sufficiet iste syllogismus*. Si ego Petro dedero qualitatem infallibilitantem ad legendum, leget: Atqui ego volo illi talem qualitatem concedere: Ergo leget. *Maiorem cognoscit Deus scientiâ simplicis intelligentiæ: Minorem cognoscit in decreto: Consequentia est legitima. Ergo locum non habet Scientia media.*

Quomodo libera?

LXVII.

Sanè de physicis Prædeterminationibus infallibilitantibus ago in Metalogicâ num. 1512. & de Patris Hervvart opinione ibidem in secunda editione: quò enim attentiùs eius Theses considero, videtur mihi clariùs subscribere sententiæ Thomistarum.

opinio P. Hervvart pro defendit. ponendo illaz qualitez vnicuiz efficaces ad finem, sine motu, regulatz etiã liberez n' auferet, vt ê

NOTA V.

Resolutio mis Arriaga

LXVII.

ERgo in re perplexâ & intricatâ, quousque maiorem lucem Deus concedat, vtramque sententiam (S. Thomæ, & Molinæ) probabilem esse dicamus. Interim, vt vtriusque difficultates euitemus incamus mediam viam, & inter Scientiam mediam & Prædeterminationes necessitantes positi, dicamus neutram sententiam veram esse, sed mysterium Prædestinationis à Deo peragi prædeterminationibus infallibilitantibus.

Admittendæ sũt prædeterminationes infallibilitantes.

Has infallibilitantes prædeterminationes, & non alias, defendi hodie à bonis Thomistis certum est; vnde suspicari inceperam, *necessitatis* nomine Thomistas veteres intellexisse tantummodo infallibilitatem. Vt ergo Angelici Doctoris mentem bene intelligas, & eiusdem discipulorum sententiam bene capias, proderit legere, quæ de hac materiâ Reuerendissimus & eximius P. Magister Hyacinthus Libelli, Vir eruditissimus & ingeniosissimus, & inter cæteros Theologos Dominicanos Thomista seueriſſimus, Romæ dictauit. Inquirit ergo Dubio IV. *Vtrùm cum scientia futurorum in decreto Thomistico cohæreat libertas humanæ libertatis?* & respondet his verbis.

Necessitas infallibilitatis.

Reuerẽdiss. P. Hyacinthus Libelli Sanctissimi D N. in Cõgregatione Indicis Secretarius laudatus.

Argu-

LXIX. Intentum authoris.

ARgumenta, quæ probant cum ſcientia Dei in decreto Thomiſtico non cohærere libertatem, eadem ſunt ac illa, quæ probant cum decretis & præfinitionibus non cohærere libertatem, ac proinde nolo ea ſoluere, hanc enim prouinciam ſibi aſſumit ille, qui hoc eodem anno materiam de voluntate Dei, diuiniſque præfinitionibus tradit. Duo hîc tantum volo facere. Primum eſt, aliquot, quæ mihi ſingularia videntur, & quæ toti huic materiæ magnum lumen accendunt, adducere. Secundum, vos docere, à quonam S. Thomas acceperit, aut à quo principio quodam modo ſubſuratus fuerit ſuam concordiam decreti, ſcientiæ, voluntatis, prædeſtinationis, gratiæ & auxilij efficacis, propoſiti ex vnâ parte, & libertatis ex aliâ, quæ tanto plauſu accepta fuit, vt ante Molinam nemo extiterit, qui illi non ſubſcripſerit.

LXX. An ſcientia & decreta diuina præcedant? An determinatio antecedés auferat libertatem?

Circa primum, iam ſcitis ſcientiam Dei, diuinaſque præfinitiones & decreta antecedere tum in re, tum in intentione quemlibet vſum humanæ libertatis, & hinc ab Aduerſarijs nos fortiſſimè vrgeri, quomodo ſcilicet, poſſimus libertatem ſartam & tectam conſeruare, cùm omnis neceſſitas, quæ oritur ex aliquo antecedente, abſoluta, cogens, & libertati inimica eſſe videatur. S. Thomas, huic, quæ videtur inuicta difficultas, clarè & profundè reſpondet, neceſſitatem ortam ex antecedente, cui ſubditur non ſolum ſubſtantia actûs, ſed etiam modus libertatis, non eſſe neceſſitatem cogentem, ſed fouentem libertatem. hoc à me vobis ſæpius narratum, repetitum, ac exaggeratum intellexiſtis.

LXXI. Neceſſitas ex ſuppoſitione.

Igitur quod intendo facere in præſenti, eſt declarare hoc punctum, quia cardo eſt iſtius controuerſiæ, *Dari aliquam ſuppoſitionem cum qua non ſit poſſibilis compoſitio actûs oppoſiti*, ita certum eſt, vt ne ipſi oſores Diuinorum decretorum diffiteantur, eam eſſe ſuppoſitionem actûs liberi, ipſi quoque concedunt: *ſuppoſito enim, quod voluntas operetur, non poteſt non operari*. hanc autem ſuppoſitionem non lædere libertatem ideo dicunt, quia eſt conſequenter orta, ſcilicet ex actu, quem ego meâ voluntate pono: quod ſi oriretur ex aliquo quod à meâ voluntate non dependeret, tantùm abeſt vt libertatem conſeruaret, quin eam potiùs perderet, & funditùs eradicaret. Hoc ſuppoſito,

N. B. Hæc non eſt neceſſitas, ſed infallibilitas.

LXXII. Cur hæc neceſſitas non lædat libertatem

Interrogo aduerſarios, cur impoſſibilitas ponendi aliud extremum pro aliquo, tunc orta ex ſuppoſitione conſequente libertatem non lædat libertatem? Omnes vno ore reſpondent, ideò non lædere libertatem, quia eſt effectus libertatis; vnde potiùs illius ſignum eſt, quàm corruptela. Igitur, ſi datur aliqua ſuppoſitio, quæ non eſt effectus, ſed eſt cauſa libertatis eam potiùs ædificabit, quam deſtruet; ex ipſis enim terminis conuincitur, quod ſicut implicat, quod illud quod ſequitur libertatem, eam perdat; ita implicat, quod illud, quod libertatem antecedit & eſt cauſa illius, illam perdat; cauſa enim non deſtruit effectum ſuum, ſed producit; eſt enim in terminis ipſis repugnantia, aſſerere, quod ſuppoſitio antecedens cauſet libertatem, & quod eam exterminet.

proba quod Thirica Predeterminatio omnino impedibilis Cauſet libertez

LXXIII. Quæ ſit neceſſitas conſequens

Et quo vlteriùs ſequitur, neceſſitatem ortam ex tali ſuppoſitione, dici iure merito *conſequentem*; vnde ex ſuppoſitione antecedente oritur reſpectu alterius extremi neceſſitas conſequens: in quo ſanè hallucinantur contrarij, licèt nobis perſpicuum, & ab omni dubitatione alienum eſſe videatur, quod partim ſupra explicaui, partim modò declarabo. Etenim neceſſitas orta ex ſuppoſitione antecedente, cui ſubditur libertas actûs; eſt orta ex ipſâ libertate actûs, ſiquidem eſt orta ex causâ, prout reduplicatiuè cauſans libertatem; nemo autem dubitare poteſt, quod id quod oritur ex causâ, vt actu cauſante, non oriatur etiam ex effectu: ſicut quia ſol vt actu indurans limum dicitur exſiccans limum, nemo dubitare poteſt, quod exſiccatio limi, vt reduplicatiuè talis à limo aliquo modo dependeat.

LXXIV. Dependentia à libertate obiectiuè.

Quam ego dependentiam ſuprà vocaui dependentiam à libertate obiectiuè acceptâ, non à libertate executiue poſitâ; & hæc conſequentia ſufficit ad hoc vt libertas integra ſeruetur: quod, ſi ſedulò meditarentur aduerſarij, facilius intelligerent, & ſe ex noſtrâ prædeterminatione difficultatibus obrui non quererentur; ſi, inquam, conſiderarent præſcientiam & prædeterminationem eſſe cauſam libertatis, originantè libertatem factricè, effectricè & operatricè libertatis, non minus ac ipſe actus ſit effectus libertatis originatus à libertate, ab illâ factus, & veluti operatione productus.

Cauſæ libertatis, nõ tollunt, ſed ponunt libertatem.

LXXV. Punctum difficultatis.

Sed in hoc dicent aduerſarij difficultatem noſtræ ſententiæ conſiſtere, *quòd poſſit dari aliquod antecedens infallibiliter libertatem cauſans*, ipſos non inficiari, quod, ſi ſemel illud tanquam verum admittatur, ſequetur euidenter quod prædeterminatio aut præſcientia foueat potiùs quàm deſtruat libertatem: at in eâ ſuppoſitione ſe dicunt hærere, nec eos illam capere, aut à nobis capi poſſe exiſtimant.

LXXVI. An detur libertas in actu ſecundo.

Iam ergo cum ipſis æquale periculum ſuſtinemus, quod ſic declaro. Fuit aliquorum opinio, quam communiter Metaphyſici reijciunt, non dari libertatem in actu ſecundo, ſed omnem actum ſecundum habere neceſſitatem eſſendi libertati aduerſariam. Si ergo proteruè contendant illius omnium calculo damnatæ opinionis Auctores, omnem neceſſitatem ſtrangulare libertatem; nonne ſtatim ad implicantiam, quæ eſt in hoc, quod neceſſitas ex ipſâ libertate oriatur, tanquam ad ſacrum aſilum confugient? Quomodo ergo fieri poteſt, vt non intelligant, quàm rationabiliter nos cum argumentis illorum vrgemur, quibus probant neceſſitatem noſtram

ſtram eſſe inimicam libertati, ad implicantia n ipſis quoque manifeſtam, quæ eſt in hoc quòd præſcientia cauſet libertatem, velut ad inuiolabile aſilum recurramus?

LXXVII. Infallibilitas præueniens non deſtruit libertatem.

Inò quod poſſit Deus infallibilitatem præuenientem in voluntate ſuâ præſcientiâ, illæsâ libertate conſtituere, ex aduerſariorum principijs aliâ ratione confirmo. Docet Suarez, quem plerique Patres Soc. ſecuti ſunt in *Metaph. diſp. 19. ſect. 3.* poſſe dari præter naturalem motionem, quâ ſtante indifferentia iudicij, ita à Deo voluntas abripiatur, vt iam in alteram contradictionis partem non liberè, ſed omninò neceſſariò feratur. quod repetit etiam *in opuſculis lib. 1. de aux. cap. 2. num* 12 quod ipſe hac ratione oſtendit. Cùm in voluntate liberâ duplex ſit poteſtas (ad volendum, ſcilicèt, & non volendum) neutra earum eſt infinitæ virtutis & efficaciæ: ergo in vtrâque poteſt ſuperari à Deo ſuperiori agente, qui eſt infinitæ virtutis, & efficaciæ: ergo ſtante adhuc & perſeuerante indifferentiâ iudicij, poteſt à Deo ita moueri & agi voluntas noſtra, quatenus habet poteſtatem volendi, vt ſit prorſus impotens ad reſiſtendum, nec poſſit vllo modo vti alterâ poteſtate, quam habet ad nolendum: ergo tunc in tali actu non erit vſus libertatis, etiamſi facultas in re ſit libera, & obiectum ita ſit propoſitum, vt neceſſitatem non inferat. Hanc rationem bene tenete, & videte quale argumentum pro noſtræ ſcholæ veriſſimâ doctrinâ ſnmatur.

De voluntate & nolutate.

An conſeruata iudicij indifferentia poſſit Deus neceſſitare voluntatem.

LXXVIII. Et cur id poſſit.

Et ſic diſcurrite: Secundùm prædictam Suarez Viri doctiſſimi opinionem, Deus poteſt à voluntate auferre libertatem, eam ad alterâ partem contradictionis determinando; quia facultas quam habet voluntas ad vtrumlibet, eſt finita, & conſequenter à Diuinæ virtutis efficaciâ ſuperabilis: At ſimiliter facultas, quam habet voluntas ad operandum fallibiliter, eſt finita: ergo poteſt ab efficaciâ Diuinæ virtutis ſuperari; ſicut ergo per hanc fieri poteſt, vt voluntas in alteram partem naturali neceſſitate flectatur, ita per eandem fieri poterit, vt in eandem partem, ſaluâ libertate, infallibiliter inclinetur.

An ſicut poteſt tollere libertatem, poſſit etiam fallibilitatẽ relicta libertate.

Quod ſi contendant, hoc fieri non poſſe ob eſſentialem connexionem, quæ eſt inter modum fallibiliter operandi, & liberè operandi, ex quâ connexione oritur, vt non poſſit Deus illæsâ libertate voluntatem inclinare ad infallibiliter operandum: Dicatis ſtatim, quod licèt libera facultas agendi & non agendi, ſit finita, tamen eſt neceſſariò, & eſſentialiter annexa indifferentia Iudicij, vt nequeat Deus indifferentiam obiectiuam & iudicij, conſeruare, quin facultatem ad vtrumlibet potentiæ liberæ conſeruet; ſiquidem facultas liberæ voluntatis ad agendum & non agendum, nil aliud eſt, quàm ipſiſſima potentia voluntatis, vt cõnotãs obiectum indifferenter propoſitum; Igitur, vel dicendum eſt, quod caſum ſuum contra noſtram eſſe inimicam libertati, ad implicantia in ipſis quoque manifeſtam, quæ eſt in hoc quòd præſcientia cauſet libertatem, velut ad inuiolabile aſilum recurramus?

Retorquetur ratio Opinionis oppoſitæ.

Suarez eiuſque aſſectatores non probent; vel ſi probant, quod efficaciùs ex eodem principio nos colligamus, efficaciam præcedentem eſſe libertatis amicam, & contubernalem; quod iam ſatis à nobis manifeſtatum eſſe arbitramur.

LXXIX. Vnde hanc doctrinam Angelicus Doctor deſumpſerit?

Circa ſecundum, ſcilicèt, à quonam S. Th. ſublegerit hanc doctrinam, quæ dictis paulò antè, viâ ſtrauit, & noſtræ Scholæ vnũ eſt decus & ornamentum: ſeu, vndenã acceperit, ad concordandam diuinam voluntatem cum libertate creatâ, hoc tam celebre dictum, quòd Diuina voluntas vult actum voluntatis eſſe, & liberè eſſe; quod erat ſecundum punctum, quod à principio tractandum conſtitueram.

Prima hæreſis in libe rum arbitrium impegit.

Primus Hæreticorum, qui Eccleſiam Dei antequam adoleſceret, præfocare tentauerit, fuit Simon Magus, ſeductor inſignis, qui incredibilem habuit apud ſuos Samaritas exiſtimationem, adeò vt eum omnes *Virtutem Dei magnam* appellarint; & niſi huius irruentis mali principio Deus obſtitiſſet, periculum fuiſſet, ne eadem in cunis vagiens Eccleſia comprimeretur.

Virtus Dei magna, quis & cur?

Multa crepuit de ſe, quæ potius portenta quam opiniones appellari debent Sed circa arbitrij creati libertatem antiqui ſcriptores nobis reliquerunt, quod illum oportuit facere, vt concuſſo libero arbitrio, quod eſt Chriſtianæ Religionis fundamentum; ædificium, quod Apoſtoli ſuâ doctrina parabant extruere, prorsùs impediret.

LXXX. Satanæ Primogenitus.

Et quoniam Vir erat callidiſſimus, & ſycophanta vaferrimus, iam iam plurimos in ſui ſequelam traxiſſet, quos veluti nepotes, Sathanæ genitori cuius eum primo-genitum Ignatius Martyr Epiſcopus ad Trallianos appellauit, generaſſet, niſi Deus oportunè occurriſſet. Ipſi enim ſeducenti turbas Cæſareæ, occurrit S. Petrus, Apoſtolorum Princeps, qui ipſum veluti Apoſtatam & deſertorem acribus verbis redarguit, defectionem increpauit, ſubdolæ doctrinæ technas detexit, diſputando ſophiſmata diſſoluit, atque inuictis argumentis peruicaciam confodit.

LXXXI. Vnde argumenta contra doctrinã D. Thomæ ſumantur.

Inter capita, de quibus diſputarunt S. Petrus & Simon Magus, vnum fuit de libertate arbitrij creati, contra quam argumentabatur Simon ijsdem prorſus argumentis, quibus vrgent nos noſtri aduerſarij, & quibus ſolent impugnari noſtra decreta præuenientia, & præfinientia, noſtra auxilia efficacia, noſtra præſcientia independens à veritate obiectiuâ, & futuritione. Cui S. Petrus, poſt Chriſtum primus Eccleſiæ Miniſter, ijſdem prorſus modis reſpondit, quibus nos reſpondere ſolemus, adeò vt (me quidem iudice) nec hilum noſtrę reſponſiones à reſponſionibus D. Petri diſſentiant.

Sed vndenam hæc acceperim tenete. Extant libri Recognitionum S. Clementis Romani, Viri domi ſuæ nobilis, vt qui ex Cæſarum familiâ originem traxerit, quive

D. Pe-

N. Qui negant hos libros esse S. Clementis, eos esse antiquissimos, & à viro pio & docto compositos fateri solent.

D. Pietro succesſit, & quem narrant à Petro viuente ad Apoſtolatus apicem vocatum, nimirùm, vt eo defuncto Romanam Eccleſiam gubernaret; hunc libros prædictos ſcripſiſſe tradunt omnes, qui res antiquas curiosè ſcrutantur.

LXXXII. D Petri & Simonis Magi Diſputatio.

Inter alia, quæ *lib 3. paulò poſt principium* narrantur, vna diſputatio eſt inita Cæſareæ inter Simonem Magum & Petrum Apoſtolum, vbi multa diuinè D. Petrus de malo, de felicitate, de ſtudijs huius vitæ, diſſeruit: ſed de libero arbitrio, inquirente, & contradicente Mago, D. Petrus ea reſpondit, & reſoluit, quæ modò nos ipſi reſpondemus, & quæ S. Th. nobis dictauit vt reſponderemus.

LXXXIII. Quod, vt quam verũ ſit cognoſcatis, placet hic diſputationem, quoad ea quæ rei noſtræ inſeruiunt, tranſcribere. Dicebat Simon: *Quod vnuſquiſque ſicut ei fato decernitur, vel ſapit aliquid, vel intelligit, vel patitur, & in nulla re hominem eſſe ſui arbitrij.* At contra S. Petrus argumentatus eſt, *neceſſe eſſe hominem eſſe ſui arbitrij, aliter conuulſa eſſe omnia: fruſtra ſtudium ſectandi meliora, fruſtra principes huius mundi legibus præeſſe, fruſtra punire, vana iura populorum: miſeros eſſe eos, qui ſeruant cum labore iuſtitiam, beatos verò illos, qui in delicijs poſiti cum luxuria & ſcelere viuentes tyrannidem tenent.* Quibus Simon minimè acquieſcens, & vltimum experimentum doctrinæ D. Petri facere volens, inſtitit interrogans: *Si quod Deus vult eſſe, eſt: & quod Deus vult non eſſe, non eſt?* quaſi diceret: Si hoc mihi concedas, iam fateberis nihil à nobis liberè agi, quippe quod Deus vult eſſe, neceſsariò eſt. Quæ obiectio tam valida Simoni videbatur, vt confidens Petrum non reſponſurum, ſe obtemperaturum ſpoponderit, ſi illi D Petrus reſpondiſſet.

An' decretũ antecedens toliat libertatem?

Quod argumentum illud eſt, quod S. Thomas contra ſe frequentiſſimè facit; quod aduerſarij noſtri eſſe inſolubile exiſtimant: & cui S. Th. imperturbabili ac eodem ſemper tenore verborum reſpondet; & cui Thomiſtæ ſummâ animorum concordiâ, & antiquis temporibus ſatisfecerunt, & hodie, quo tempore moleſtiùs perurgentur, ſatisfaciunt.

LXXXIV. Videamus, quæ oracula fuderit Petrus, & attente proprietatem atque magnificentiam doctrinæ perpendite. Dicit: *omniũ, quæ mouentur, quædam neceſsariò moueri, quædam voluntariè & liberè. Moueri ſolem; motûs neceſſitate duci, vt ſtatutum compleat curſum: hominem verò actus ſuos liberè ac voluntariè elicere. Iam ergo,* inquit (hæc ſunt verba D. Petri) *ignoras Simon, & valdè ignoras: quomodo in ſingulis quibuſque voluntas Dei ſit, quædam enim voluit, vt diximus ita eſſe, vt aliud eſſe non poſſent, quam id quod ab ipſo inſtituta ſunt. & his neque præmia, neque ſupplicia ſtatuit; ea verò, quæ ita eſſe voluit, vt in ſua poteſtate habeant agere quod velint, his pro actibus ac voluntatibus ſuis ſtatuit, vt aut remunerationes mereantur, aut pœnas. Cùm ergo in duas, vt edocui, partes diuidantur cuncta, quæ mouentur, ſecundùm eam, quam ſupra diximus, diſtinctionem, omne quod vult Deus, eſt; quod autem non vult, non eſt.* Hactenus D. Petrus.

Deus non ſolum vult actum, ſed modum actus: ideoque vult cauſas liberas operari modo libero & neceſſarias neceſſario.

LXXXV. Quod ſi ſincerè perpenderent ij, quibus diſplicet noſtra doctrina, mutarent ſententiam, cùm primùm ijs D. Petri doctrina diſplicere conſtaret. Cùm enim vrgeret Simon, *fieri non poſſe, vt cum voluntate efficaci libertas humana componeretur,* reſpondit Petrus, *optimè cohærere, quoniam neceſſe eſt illum actum eſſe liberum, quem Deus vult eſſe liberum.* Hæc eſt neceſſitas præueniens Thomiſtica, amica libertatis: hæc prædeterminatio fouens libertatem: hæc infallibilitas antecedens, libertati contubernalis; hæc S. Thomæ frequens doctrina; hoc tandem furtum auguſtiſſimum, auſpicatò factum, & quo nos magno vtilitatis compendio vtimur, ac religiosè, & feliciſſimè ſemper vtemur.

Quæ nam doctrina D. Petro diſplicеat?

Hæc neceſſitas potiùs eſt infallibilitas.

D. Thomas à furto doctrinæ laudatur.

LXXXVI. Vnum remanet cõtrarijs noſtris effugium, dicere ſcilicet, libros Recognitionum D. Clementis ſuppoſititios eſſe, vel ad minimum, ab Ebionitis, cæteriſque hæreticis, qui eo tẽpore contra Eccleſiam dimicarunt, depravatos atque corruptos.

An hi libri S. Clementis ſint?

Scio, primum non dicturos cordatiores Theologos: ſiquidem Patres ex prædictis libris Recognitionem argumenta fortiſſima contra hæreticos eliciunt, quibus precipuè conſtet traditio. Et nihilominus contra hæreticos, illos libros penitùs negantes, eruditè diſputat Lambertus Gruterus Venradius in præfatione principij operum D. Clementis affirmâ: ipſum videte.

LXXXVII. Ferendum potiùs eſset, ſi dicerẽt prædictos libros eſse corruptos, ex quibus non poſſint vllius roboris argumenta depromi: ſed quamquam verum ſit, præfatos libros ab Ebionitis fuiſse corruptos, in materiâ tamen de libero arbitrio integri vſque ad hæc noſtra tempora peruenerunt, vt obſeruauit Card. Bellarminus, vir accuratiſſimus; *Nam ante Rufini ætatem* (inquit ipſe *lib 1 de gra & lib. arb. cap. 25*) *qui hos libros latinos fecit, nulli fuerunt hæretici, qui libero arbitrio nimis multum tribuerent, quod poſteà fecerunt Pelagiani: multi autem fuerunt hæretici, qui negauerunt liberum arbitrium, vt Simon Magus, Manes, à quo Manichæi & alij.* Itaque, ſi in his libris negaretur liberum arbitrium, ſuſpicari poſsemus inſertam fuiſſe eam doctrinam à Manichæis, vel alijs huiuſmodi hæreticis: at liberi arbitrij confeſſionem non poſsumus vlli hæretico illius temporis adſcribere. Deinde veteres Patres, qui dicunt hos libos corruptos eſse ab hæreticis; non tacent in quibus articulis corrupti ſint: ſcribunt in articulis de Diuinitate Filij, alijſque ſimilibus eſse corruptos; corruptelam autem in articulis de libertate, arbitrij, nullus veterum vnquam notauit.

Ante Pelagium hæretici non extollebant liberum arbitrium, ſed negabant.

In quibus rebus D. Clementis libri corrupti ſunt.

Hucuſ-

LXXXVIII. HVcusque Reuerendissimus & eximius Dominus, P. Hyacinthus Libelli quem allegare ad longum volui, vt meam de infallibilitate doctrinã non solùm S. Thomæ, sed etiam S. Petri, & S. Clementis authoritate confirmarem: vnde iterum dico, omnes illos antiquos, qui admiserunt necessitatem, quæ non tolleret liberum arbitrium, *necessitatis* nomine intellexisse infallibilitatem. Et quidem hoc ipsis condonandum fuit; aliqui enim veteres scripserunt Syriacè, aliqui Græcè; transferuntur in linguam Latinam à Grãmaticis, qui necessitatis & infallibilitatis differentiam ignorant; & hanc ob rem nonnulla interdũ adfinguntur Authori, quę deberent interpreti. Et hęc sint in subtilissimâ materiâ, alibi à nobis fusiùs tractatâ, satis.

Qui & quãdo necessitatis nomine intelligant infallibilitatem.

Interpretes interdum male transferunt.

THESES THEOLOGICAE

De Omniscientia & Omnipotentia.

LXXXIX. Ethicæ basis

PRimum Moralis Theologiæ Fundamentum Liberum est Arbitriũ, non scientia, non potentia diuina: tolle enim illud, relinque has, & mores vniuersos sustuleris: tolle has (quod Athei, Ethnici, & Blasphemi) & liberum arbitrium relinque, & adhuc mores (ciuiles saltem & humanos) reliqueris: nam, sicut Triangulus tres habet angulos, non quòd Deus, id iubeat, sed quòd rei natura id postulet; & inter duo puncta, linea breuissima est recta, non quòd sic Deus voluerit, sed quòd aliter esse non possit: sic etiam Mendacium, ingratitudo, &c. sunt deordinationes quædam intentionales, non quòd Deus eas voluerit, malas esse, sed quòd reuera malæ sunt: malæ quidem philosophicè, non theologicè, nec peccaminosè, vbi enim non intelligetur diuini præcepti transgressio, non intelligitur esse peccatum: vt inferiùs ostendo. (*Vide num.* 317) Ergo postquam de libero disseruimus Arbitrio; de Omniscientia & Omnipotentia disputemus: Et has Conclusiones olim propugnatas ponamus.

Quæ, & qualis malitia ante præceptum intelligatur.

Peccatum, seu malum theologicè.

Mores alij sunt Theologici, & alij Politici.

THESIS I.

De scientia Dei in communi.

XC. Obiectum sapientiæ diuinæ.

OBiectum diuinæ cognitionis complectitur cognoscibilia omnia: quidquid enim cognoscibile est, à Deo cognoscitur; & si quid à Deo non cognoscitur, id non est cognoscibile. Quam ob rem non est Deus ignorans, quòd non cognoscat, quæ cognoscibilia non sunt: sicut nec est impotens, quòd non producat, quæ producibilia non sunt. Quatuor in Deo scientiæ solent poni: Chimericorum, Possibilium, Futurorum conditionatorum, & Futurorum absolutorum. Primam & Deo, & Angelo, & Homini absolutè negamus, quoniam quæ non sunt, non sciuntur: ternas alias (nimirùm scientiam simplicis Intelligentiæ: scientiam conditionatam, & scientiam Visionis: (sic eas vocamus) dicimus versari circa idem indiuisibile obiectum, & omnes primariò & per essentiam Deo: secundariò autem & per participationem conuenire Angelis & Hominibus.

Enumerantur quatuor diuersa obiecta.

Chimeræ aut entia rationis nõ dantur: & ideò à nemine cognosci possunt.

XCI. Scientia diuina qualis?

OMnis cognitio diuina cognoscit suum obiectum vt est in se: & quæ aliter illud quam est in se, non est diuina. Ad Scholas venimus, vt doceamur cognoscere Deum vt est in se, non vt eundem cognoscere aliter, quàm est in se, hoc enim sine magistro faciebamus. Vnde audiendi non sunt, qui dicunt: *Deus quidem nostro modo concipiendi aut*

Cur scholas ineamus? Noster modus concipiendi, an corrigendus?

aut fingendi eſt talis aut talis: &c. Sed corrigendus eſt noſter intellectus: &c. Non, inquam audiendi ſunt, quia non bene docetur ludere citharâ, qui docetur errare, & errorem cognoſcere; ſed qui docetur non errare: & idem de Theologia dico, quia eſt ſcientia, quæ aperit ſtudioſis errorem non patientes vias, vt ſimus etiam in hac via quodammodo Deo ſimiles, quia intellectualibus & abſtractiuis oculis videmus Deum ſicuti eſt: nimirum Deum, qui omnia & ſingula videt ſicuti ſunt. Nec contra hanc cognitionem Theologicam, quàm participari à Deo dicimus, militat Dei infinitas; non enim eſt bona conſequentia. *Deus eſt infinitus, debet ergo à creatura finita cognoſci aliter, quàm eſt in ſe*: multa enim ſunt in Deo, quæ à nobis cognoſcuntur confusè, multa quæ per negationes nobis notas, multa quæ in externis effectibus, multa quæ ignorantur omninò; at nihil quod poſtulet cognoſci aliter, quàm in ſe eſt: erraret enim, qui aut intellectum diuinum per modum voluntatis, aut voluntatem per modum intellectûs cognoſceret.

Nota bene hoc.

Quid ſit Theologia?

Quo modo cognoſcatur Infinitum? Quo modo Deus.

Nota hoc

XCII. Homo etiã tres habet ſcientias, aut notitias videlicet, ſimplicem intelligentiam, Mediã ſeu conditionatam, & Viſionem

Participamus à Deo ſcientiam, ſed quam? Tres omnes: nam & multa poſſibilia cognoſcimus, multas hypotheſes conditionatas, multa etiam abſolutè futura, omnia humanitùs & incertè; quia homines ſumus docti ab hominibus, & omnis homo mendax, nimirùm decipere potens & decipi: nam & ego ſcientiâ ſimplicis intelligẽtiæ humanæ cognoſco hos eſſe characteres poſſibiles: ſcientiâ conditionata percipio, quod ſi calamum tali vel tali modo moveam, talem aut talem characterem formabo: & ſcientiâ viſionis cognoſco meum decretum & infero futuros eſſe illos eoſdem characteres, quos ſcribere intendo.

XCIII. De harum ſcientiarum amplitudine.

Quæ tamen ex his ſcientijs latiùs patet? Exiſtimarunt aliqui primam, latiſſimam, & vltimam ſtrictiſſimam eſſe; plures enim ſunt creaturæ poſſibiles, & multò pauciores futuræ. Sed hi videntur ſupernatare tantùm, nec profundiùs ingredi in puriſſimum Theologiæ ſcholaſticæ Oceanum. Rem igitur breuiter expedio. Pono maioris claritatis gratia, creaturas poſſibiles eſſe *a, e, i, o, u*; pono exiſtentiam eſſe accentum acutum, non exiſtentiam accentum grauem (quò exempla clariora, meliùs inſtruunt) ergo aperiat ſimplicis intelligentiæ oculos Deus, & cognoſcet quinque mundos poſſibiles; nimirùm, *a, è, i, o, u*, ſuo diuino decreto eligit mundum *è*, & illum creat; ergo ſcientia viſionis reflexa ſuper decretum videbit, *a, è, i, o, u*, nimirum mũdum *è* futurum: cæteros *a, i, o, u*; non futuros: quia ſicut hic mundus habet, à decreto diuino, quod futurus aut exiſtens ſit, ita cæteri habent ab eodem decreto, quòd futuri ſint. Ergo eaſdem creaturas, nullâ demptâ, attingit ſcientia ſimplicis intelligẽtiæ, & ſciẽtia viſionis: & tota differẽtia in eo eſt, quòd illa omnes cognoſcat vt poſſibiles; hæc, aliquas vt exiſtentiam habentes in aliqua differentia temporum; & cæteras, vt carentes exiſtentiâ in omni differentia temporum. Scientia conditionata intereſt, & ſingulas creaturas cum omnibus alijs componit, & ideas miro modo multiplicat.

¶ Ad ſcientiã viſionis pectant creaturæ futuræ & non futuræ.

THESIS II.

An & quomodo Deus intelligat Entia rationis? An & faciat?

XCIV. Quid apud omnes in hac controuerſia ſit certum?

Hinc oritur primò, Quæſtionem illam, quæ interrogat, An Deus cognoſcat Entia rationis? *non eſſe Theologicam ſed Metaphyſicam. Omnes enim Catholici ſupponimus à Deo cognoſci vt eſt in ſe, quidquid cognoſcibile eſt: Entia rationis, ſi poſſint cognoſci, vt ſunt in ſe, etiam cognoſci à Deo: & ſi illa cognoſcere, ſit illa facere, etiam fieri illa à Deo. Quod ſi eſſentia eiuſmodi Entium in hoc ſit ſita, vt cognoſcantur aliter quàm ſint in ſe: non poſſe à Deo cognoſci. Si vero poſſint duobus modis cognoſci, nimirùm vt ſunt in ſe, & aliter quàm ſunt in ſe: & tantummodò dicantur fieri, quando ſecundo modo cognoſcuntur, dicendum erit illa à Deo quidem cognoſci ſed non fieri. Hæc Theologica ſunt; & illa omnes Philoſophi Chriſtiani admittunt. In quo ergo differunt? Tantùm in Metaphyſica, & in purificatione conditionum. Aliqui enim*

Non dantur Entia rationis, ſed quæ talia vocantur, ſunt Entia linguę

nobiſcum negant Entia rationis, & introducunt Entia vocis, qualia nos dedimus. Alij docent illa non poſſe cognoſci vt ſunt in ſe: & iſti differunt quoad rẽ: Alij in eiſdẽ Entibus fieri & cognoſci diſtinguũt, & iſti differũt quoad nomen. Et interim vbi Theologicè differre videntur, conueniunt maximè; nam cõcluſionem è maiori Theologica, & minori Philoſophica eliciunt: nempe variam, tametſi, n. maior ſemper ſit eadẽ, variata minori non poteſt non variari Concluſio.

Status controuerſiæ.

VC. Veritatis potentia.

MIra eſt veritatis vis, Omnia ingenia conſpirant, cùm illa adlucet, Longo tempore poſtquam theſin iſtam ſcripſeram, incidi in Controuerſiam de Ente rationis, quâ Ouiedus curſum Philoſophicum claudit: & quia mihi placuerunt, quæ dicit punct 7. num. 1. pag. 442. inquirens; An conoſcat & faciat Ens rationis? Volo illa adiungere: ſic enim ait, [Diuerſitas opinandi in hac quæſtione, meâ quidem ſententiâ, tota oritur ex diuerſitate conſtituendi entia rationis, ſeu aſſignandi cognitiones, per quas cognoſcuntur, & fiunt entia rationis. In multorum opinione circa eſſentiam entis rationis, & naturam cognitionis, per quam debet fieri ens rationis, eſt fide certum, Deum non poſſe facere entia rationis; quod nullus ex doctoribus Catholicis, qui affirmet Deum facere entia rationis, negat: loquuntur enim omnes in alio ſenſu longè diſtincto, dum aſſerunt Deum facere entia rationis, neque duos Doctores inuenies requirentes cognitiones humanas eiuſdem rationis ad Entia rationis facienda, quorũ vnus affirmet, & neget alter Deum facere Entia rationis: tota enim diuerſitas opinandi in hac materia oritur ex diuerſitate aſſignãdi cognitiones factiuas Entium rationis; quâ ablatâ nulla diuiſioni huius difficultatis ſupereſſet difficultas; & ſi omnibus eadem mens eſset de cognitione factiuâ Entis rationis, vix vllus daretur in hac re diſputandi locus. Rem clarè oſtendo. Affirmat Pater Herice *diſputat. 8. de ſcientia cap. 1. in fine*, cognitionem factiuam Entis rationis debere eſſe iudicium falſum de exiſtentia obiecti, quod non ſit, vel ſaltem apprehenſionem, quæ inclinet ad hoc iudicium; certum debet eſſe apud hunc Authorem, Deum non facere Entia rationis; ſi enim aſſereret cognitionem factiuam Entis rationis importare iudicium falſum de obiecto non exiſtente, & ſimul aſſereret Deum facere Entia rationis, apertè diceret Deũ habere iudicium falſum de obiecto non exiſtente, quod eſt hęreticum. Hac ratione optime dixit Hurtadus, qui iudicium falſum requirit ad Entia rationis facienda, fide ſanctum eſſe, Deum non facere Entia rationis ab ipſo explicata, quod veriſſimum eſt. Authores iſti, qui Catholicè defendunt Deum non facere Entia rationis, & ad ſanctum Inquiſitionis tribunal eſſent deferendi, ſi oppoſitum dicerent, fatentur Deum cognoſcere eadem Entia rationis per verum iudicium, ex vi cuius cognoſcit illorum exiſtentiam repugnare, & cognitionem humanam terminari ad eadem Entia rationis. En quomodo in re conueniant Doctores, qui affirmant, & qui negant Deum facere Entia rationis; in quibus tantùm eſt diſſenſio in aſſignanda cognitione, quæ vocanda ſit factiua Entis rationis: omnes enim eaſdem cognitiones circa idem obiectum eodem omninò modo tendentes conſtituunt. Quia illi, qui affirmant, Deum facere Entia rationis, dicunt cognitionem quamcumque terminatam ad obiectum repugnans, etiamſi ſit iudicium de non exiſtentia tali obiecti, vel quo tantum affirmetur, cognitionem aliam ad illud terminari, eſſe factiuam Entis rationis; quam cognitionem Deo tribuunt Doctores negantes Deum facere Entia rationis, quin ex illorum principijs inconſequentiæ aliquid notetur; hi verò, qui aſſerunt quamcumque, cognitionem terminatam ad obiectum repugnans modo explicato eſſe factiuam Entis rationis, non poſſunt non conſequenter dicere Deum cognoſcentem Ens rationis vt factum ab homine, vel per actum, quo iudicat, eſſe obiectum repugnans, facere Ens rationis; quod omnes concederent, ſi admitterent, quamcumque cognitionem quomodocumque terminatam ad obiectum repugnans, etiam diſſentiendo ab illo, eſſe factiuam Entis rationis. His præmiſſis facile à nobis tota decidetur difficultas puncti capite præfixa, quæ placuit etiam prænotare, ne quis religionis ſpecie carpere præſumat doctores aſſerentes Deum facere Entia rationis, qui nihil Deo tribuunt, quod non concedant, qui aſſerunt Deum huiuſmodi Entia non facere, vt ſupra notaui; neque huiuſmodi religionis ſpecie ſuam ſententiam cõmendandam, aut præferendam eſſe præſumat ſententia illorum, qui aſſerunt Deũ facere Entia rationis per actum, quo ab illorũ exiſtentiâ diſſentitur, & dicat illa ab intellectu humano vt verè exiſtẽtia cognoſci: etſi .n. Catholica ſit lau-

Ouiedus. Cur in hac materia ſint diuerſæ ſcriptorũ ſententiæ?

An Entia rationis in falſo iudicio conſiſtant?

An illa non poſſe fieri à Deo de fide ſit?

An potius illa à Deo fieri de fide ſit?

Concilian-tur Authores.

Quæſtio de mero nomine.

dan-

danda ſententia negantium Deum facere Entia rationis, ne cogantur aſſerere, Deum habere iudicium falſum, quo decipiatur & iudicet exiſtere obiectum, quod in ſe repugnat; hac laude carere non debent, qui aſſerunt Deum facere Entia rationis, tantùm per actum, quo iudicat ipſa repugnare, & eſſe obiectum intellectionis creatæ, & nullo modo per iudicium aſſertiuum de illorum exiſtentiâ, aut per apprehenſionem, quæ inclinet ad hoc iudicium, quia longè abeſt à Deo omnis cognitio, quæ aliquam falſitatis vmbram redoleat.

Vtraque ſententia laudabilis & plauſibilis eſt.

THESES III.

Quomodo ſcientia ſimplicis Intelligentiæ verſetur circa res poſſibiles?

XCVI. *Ritur hinc etiam, controuerſiam illam, quæ inquirit,* An Deus cognoſcat infinitas creaturas poſſibiles? *non eſſe Theologicam; habemus enim ex Theologia, Deum vniuerſa cognoſcere, nullâque eſſe, quæ eius oculos lateat: quamobrem, cùm Deus illas cognoſcat, prout ſunt in ſe, cõſulendus erit Philoſophus, oranduſque vt definiat: An ſint finitæ aut infinitæ? numerabiles aut innumerabiles? & ſi infinitæ: An categorematicè, an ſyncategorematicè? & ſi finitæ, An in aliquo numero determinato, an potiùs in aliquo terminabili? Nam ſi in continuo datur vltima pars, quod voluit Zeno, non eſt dicendus Deus infinita cognoſcere: & ſi illud in infinitum diuiſibile ſit, quod voluit Ariſtoteles, debebit dici, in continuo non cognoſci à Deo vltimam partem, quoniam non datur vltima. Creaturæ ergo poſſibiles, cognoſcentur à Deo vt ſunt in ſe; & quia in ſe non ſunt in aliquo numero determinato, non cognoſcentur à Deo tanquam numerus determinatus. Et quia in ſe non ſunt infinitæ categorematicè, non erunt infinitæ categorematicè in cognitione diuina, alias enim cognoſcerentur aliter quàm ſunt in ſe. Ergo, ſiquidem infinitæ ſyncategorematicè ipſæ ſunt, & vt clarius loquar, indefinitæ, & indeterminatæ, infinitiſſima, definitiſſima & determinatiſſima cognitione illas eſſe indefinitas & indeterminatas cognoſcet Deus.*

An creaturæ poſſibiles ſint infinitæ?

An continuũ ſit in infinitum diuiſibile?

Nota hoc nomen Indefinitum, quod aptiſſimum eſt.

XCVII. DE Infinito nolo hîc multa ſcribere, puto enim illud tam clare repugnare, vt non poſſit ſeriò propugnari in ſchola: nam, vt video, qui iſtud dicunt eſſe poſſibile, nouas ſibi definitiones formant; & quia nouas, cùm maximè admittere infinitum videntur, illud negant; illud enim, quod nos definimus, & eſſe impoſſibile dicimus, non admittunt. At hæc difficultas, quæ numerum creaturarum poſſibilium concernit, ſpecialis eſt apud docentes non poſſe à Deo creari infinitas; multi enim exiſtimant, eaſdem prout ſunt obiectum omnipotentiæ, eſſe infinitas ſyncategorematicè; & prout ſunt obiectum ſcientiæ diuinæ, eſſe infinitas categorematicè; & hac ratione ſeducuntur; quod tametſi non poſſint omnes ſimul creari, omnes tamen cognoſcuntur ſimul: quam ob rem eaſdẽ creaturas reſpectu Omnipotentiæ dicunt eſſe infinitas potentiâ, hoc eſt, ſyncategorematicè, & reſpectu cognitionis diuinæ eſſe infinitas actu, hoc eſt, categorematicè. Sed, vt video, carent vero conceptu Infiniti ſyncategorematici, illud enim eſt idem ac indefinitum: nam multitudo, vel eſt finita, vel infinita, vel indefinita: & huius vltimi generis dicimus eſſe multitudinem partium, quæ ſunt in continuo Ariſtotelis, & creaturarum poſsbilium, quæ ſunt in Omnipotentiæ ſinuiſſis.

XCVII. An creatum infinitum repugnet?

An creaturæ poſſibiles ſint infinitæ?

Quid ſit infinitum ſyncategorematicum; Multitudo quotuplex.

Multa huc poſſem adſerere, ſed quia hodie diſputationi Philoſophicæ interfui, has lineas ex illâ ſubſcribo. De continuo ſic philoſophabatur Præſes ad num. 17. *Hæ partes* (Quantitatis aut Materiæ) *non ſunt actu diſtinctæ in continuo: ſed potentia*: Erunt igitur tot, quot feceris; non pauciores aut plures: & quia tu potes ſcindendo facere plures & plures, erunt indefiniXCVIII. Theſes Philoſophicæ habitæ in Collegio Romano S. I. die 15. Iulij 1655.

An cõtinuũ habeat partes actu?

tæ. De Infinito ad numer. 13. iſta lego. *Implicat infinitum categorematicum, tùm in omni quantitate, cùm in perfectione entitatis creatæ: imò nec datur obiectiuè in mente Dei ſub vna collectione vlla infinitas creata.* Creaturæ ergo poſſibiles, prout ſunt obiectum cognitionis Diuinæ, indefinitæ ſunt, non autem finitæ, aut infinitæ.

An creaturæ poſſibiles ſint infinitæ

At non agit hic (inquies) *Praſes de creaturis poſſibilibus, ſed de creatis.* Quid inde? Infero enim, partes continui, partes temporis futuri, cogitationes Angelorum tota æternitate futurarum, cognoſci à Deo vt ſunt: & quia in ſe nec ſunt finitæ, nec infinitæ, eaſdem, nec cognoſci à Deo vt finitas, nec vt infinitas, ſed vt indefinitas.

An cogitationes Angelorum tota æternitate futura ſint infinitæ

THESIS IV.

Quomodo ſcientia viſionis verſetur circa res præſentes.

XC. XI

NTuitiua eſt & infinita, omnia comprehendit, vel ſupercomprehendit potius, vt cum Patribus Eccleſiæ loquamur. Cognoſcit res exiſtentes prout ſunt in ſe: certas, certiſſimè cognoſcit eſſe certas: dubias, certiſſimè cognoſcit eſſe dubias: & probabiles certiſſimè cognoſcit eſſe probabiles: erraret enim Deus, ſi vel certa cognoſceret vt dubia, vel dubia vt certa. Hinc eſt, duas poſſe moueri quæſtiones de Viſione diuina; priorem: An ſit incerta? *poſteriorem,* An certiſſima ſit, & tamen circa incerta verſetur? *prior eſt Theologica, Philoſophica altera. qui enim diceret ſcientiam Dei eſſe incertam, atrocem blaſphemiam committeret: at qui certiſſimam eſſe concederet, & tamen adderet, obiectum illam incertum aliquando reſpicere; non Deum, ſed creaturas, de incertitudine & imperfectione accuſaret: ergo hæc ſecunda quæſtio non Theologos propriè, ſed Philoſophos tantum concernit.*

Quo Deus modo cognoſcat certa, probabilia, & dubia.

Scientia Dei eſt certiſſima: An détur creaturæ incertæ.

C.

SEd quia poſſes inquirere, *An exiſtant de facto in rebus entia incerta?* proponam aliquâ Phyſica, aliqua Logica, aliqua Mathematica.

Multitudo partiũ continui incerta.

Primò enim in Phyſicis ſuccurrit quantitas Peripatetica in infinitum diuiſibilis, habẽs de facto omnes ſuas partes: ſed quot non finitas, non infinitas categorematicè, ſed infinitas ſyncategorematicè, hoc eſt, indefinitas & indeterminatas: ergo certiſſimâ & definitiſſimâ cognitione Deus intelligit indeterminatiſſimas continui partes quas ſi eſſe determinatas cognoſceret, aliter cognoſceret, quàm ſunt in ſe.

Opinio probabilis incerta. Opinio dubia, quæ? quotuplex,

Secundò, in Logicis, ſuccurrit Opinio probabilis, item Opinio dubia poſitiuè, aut etiam negatiuè. (Eam dico *negatiuè dubiam*, pro quâ nullam rationem habeo ne quidem leuem; *dubiam poſitiuè*, pro quâ habeo aliquam rationem congruam, quam motiuum rationabile vocant, quod tametſi leue ſit, affectu vel vrbanitate cooperante, poſſit impetrare conſenſum. Voco *probabilem*, quam graui & forti ratione fulcio, homini docto dignam, quæ tametſi demonſtratiua non ſit, non poteſt demonſtratiuè elidi. Quibus addo *ſententiam euidentem*, demonſtratione phyſicâ aut morali fulcitam) Pono igitur, quatuor viros rogari; Vtrùm materia exiſtat exiſtentiâ formæ? Pono Petrum nullam rationem habere prò, nec contrà: Paulum habere aliquas leues ſeu congruas: Ioannem fortes condignas viro graui, non tamen euidentes & certas: & Philippum demonſtratas & indubitatas: & Deũ interrogo, qualis ſit humanitùs Thomiſtarum ſententia? Reſpondebit, illam reſpectu Petri eſſe dubiam negatiuè, reſpectu Pauli dubiam poſitiuè, reſpectu Ioannis eſſe probabilem, reſpectu Philippi demonſtratam. Ecce Deus certiſsimâ cognitione diuinâ, cognoſcit incertitudinem cognitionis humanæ: illa enim quæ dubia aut probabilis, incerta eſt; & quæ demonſtrata humanitùs, fortè euidentiâ negatiuâ ſubſiſtit: illam enim rationem demonſtratiuam dixero, contra cuius efficaciam & ſecuritatem nihil occurrit.

& probabilis quæ?

Euidẽs quæ

Humanarũ demonſtrationum ſecuritas.

Tertio in Mathematicis ſuccurrunt aliqua multò ſubtiliora, quàm in phyſicis; nam ſi ponamus continuum componi ex indiuiſibilibus, quod tenuit Zeno, & multi viri docti cum ipſo, adhuc lineam potero conſiderare, quâ longam, præſcindendo à craſſitudine, etiam indiuiſibili;

CI.

Continuum

Linea.

&

Nota id bene.

& tunc lineam, quam phyſicè nequeo ducere, mathematicè potero & aſſerere, ſuperficiem mathematicam non componi ex lineis mathematicis, etiamſi phyſica componatur ex phyſicis; nam ſi Zeno negat Ariſtoteli hanc propoſitionem, *Indiuiſibile additum indiuiſibili nihil addit*, putat enim duo indiuiſibilia, eſſe plus quàm vnum indiuiſibile: non poterit negare Euclidi, hanc; *Nihil additum nihilo nihil addit*, non enim plus ſunt duo nihila, quàm vnum nihilum: & Euclidis omniumque Mathematicorum linea ſubtilior indiuiſibili eſt quoad latitudinem, hâc enim conſideratione nihil habet. Idem dixero de ſuperficie, quoad profunditatem, mathematicè enim conſiderata non habet altitudinem indiuiſibilem, ſed nullam prorſus. His poſitis, duco vnum circulum & iuxta trigonometriæ communes leges dimitto vnam tangentem, & à centro in illam produco nonnullas ſecantes. incipio à gradu primo, & interrogo; An Deus cognoſcat vltimam, quæ poſſit duci, & ſit gradui nonageſimo proxima? & ſi Deus vltimam non cognoſcat, cum non ſit defectus ex parte ſcientiæ, erit ex parte obiecti, quod non habeat lineam vltimam, quæ poſſit cognoſci. Idem dicam de triangulis, æquis baſibus inter duas parallelas deſcriptis; idem de lineis, quæ in infinitum accedunt, & nunquam coincidunt, quales in Matheſi meâ audaci, & in alijs Libris reperiuntur innumeræ. Stat ergo in rebus Logicis, Phyſicis & Mathematicis, quæ in mundo reperiuntur de facto, eſſe aliquas dubias, incertas, & indeterminatas, quæ imperfectè cognoſcerentur, ſi aliter quàm ſunt in ſe; adeòque non poſſe aliter à Deo, quàm vt dubias, incertas & indeterminatas cognoſci.

Superficies.

Linea tangens, ſecans

Deus vltimam ſecantem non cognoſcit.

Res dubiæ incertæ & indeterminatæ.

THESIS V.

Quomodo Deus cognoſcat futura contingentia abſoluta

Idem doctrinæ inſiſto, & ex iiſdem fundamentis deduco, quæſtionem illam, quæ interrogat, An Deus cognoſcat futura contingentia? *non eſſe Theologicam, ſed Metaphyſicam: nam ſi iſta cognoſcibilia ſunt, cognoſcuntur à Deo, aliàs non. Nec quæri debet, An Deus cæcutiat, & aliqua viſibilia non videat? Sed ſuppoſito, quòd omnia cognoſcibilia videat, inquirendum ſolummodò eſt, An futuri contingentis veritas ſit cognoſcibilis? Quod eſt quærere, An illa habeant determinatam veritatem aut falſitatem? Eorum cognitionem negauit Ariſtoteles Deo; & eamdem concedimus nos: nec tamen differimus in Theologia, ſed in Philoſophia ſolummodò: ſi enim Ariſtoteles in Philoſophicis tenuiſſet, contingentia futura habere determinatam veritatem aut falſitatem, in Theologicis conſequenter docuiſſet illa cognoſci à Deo: at quia philoſophicè errauerat, debuit theologicè conſequenter errare. Vnde non ſine admiratione legi cuiuſdam Iunioris (viri aliàs docti) Theſes, qui futuris contingentibus abſolutis, non ſolùm negabat determinatam veritatem, aut falſitatem, ſed etiam contendebat hanc eſſe doctrinam D. Thomæ; & tamen ex alio capite concedebat, Deum determinatè cognoſcere, vtrùm poſitiones de futuro ſint veræ? quem quia alibi euidenter impugno, non volo in præſenti producere, nec amplius in re clara immorari.*

CII. Theologizamus cum Ariſtotele, vbi diuerſimodè philoſophamur.

Ariſtotelis error.

Inconſequentia Philoſophi Salisburgenſis.

CIII. An ſcientia viſionis ab omnipotentia dependeat.

COgnoſcit Deus ſcientiâ viſionis intuitiuâ omnia futura; eademque cognoſceret etſi per impoſſibile eſſet impotens, nec illa crearet aut creare valeret; eadem etiam, & ſi illa eſſent producta ab alio Deo, quem poſſumus fingere, vt melius

Aeternitas male cognoſcitur.

lius ſcientiam viſionis cognoſcamus. Video conceptum æternitatis peſſimè formari, etiam a Viris doctis, & ex hoc æternitatis monſtro quod Deo adfingunt, plurimas prodire conſequentias intolerabiles. Ait Boetius: *Aeternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul ac perfecta poſſeſſio* clariùs & breuiùs: *Aeternitas eſt interminabilis vita tota ſimul*. Sanè ſi daretur homo productus ab æterno, & in æternum duraturus, haberet vitam vtrimque interminabilem. nec tamen ipſe æternus eſſet, quia non haberet totam ſimul. Ergo ſi Deus habet totam durationem ſuam ſimul, omnibus temporibus (præteritis, præſentibus, & futuris) eſt ſimul præſens: ergo omnia videt, quæ in illis temporibus fiunt: omniaque etiam videret, etſi non concurreret ipſe: nam ego præter ea quæ facio, etiã video præſentia quæ non facio; non enim ideò video quia facio, ſed quia habeo oculos, quib⁹ illa præſentia ſunt & de Deo eodem modo debebimus philoſophari. Deo igitur nihil eſt futurum, ſed omnia ſunt præſentia, tametſi ſibi ſuccedant: non enim valet illud axioma adulterinum, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*. Vnde poſſes deducere, *Quæ ſunt præſentia & coexiſtentia vni tertio, ſunt præſentia & coexiſtentia inter ſe*.

Quid illa ſit?

Differũt perpetuum & æternum.

Deus omni tempori eſt præſens.

Axioma cõmune reijcitur.

CIV. Quot modis & rationibus cognoſcat futura contingentia Deus?

Cognoſcit igitur futura contingentia Deus, quia illa ſunt in aliquâ differentiâ temporis, cui coexiſtit æternitas, vt dicebamus: & ſtante æternitatis coëxiſtentiâ, futura illa cognoſceret, licèt non à ſe, ſed ab alio (fingatur hoc impoſſibile, maioris eruditionis gratiâ) eſſent producta. Cognoſcit eadem, quia eſt omnipotens, & illa ab eo dependent vt à cauſâ & à fonte: vnde, ſi per impoſsibile Deus non eſset æternus, hoc eſt, non haberet ſuam durationem totam ſimul, adhuc illa cognoſceret: nam cognoſceret huius ratiocinii efficaciam: *Sum Deus; ſine me nihil eſt. Ergo erunt creaturæ, quas voluero: & quas noluero, non erunt. Sed volo has fore, illas non fore: iſtæ ergo erunt, illæ non erunt*.

Deo nulla futura.

Poſſet hæc ipſa controuerſia alio modo proponi: puta, ſi interrogares, *An Deus cognoſcat contingentia futura? hoc eſt, ſibi futura?* Et reſpondebo quæſtionem eſſe de ſubiecto non ſupponente; non enim dantur creaturæ, quæ ſint futuræ reſpectu Dei: nam omnis præteritio & futuritio creaturas tantummodò concernit. Sed quid, ſi fingeretur Deus durare duratione ſucceſsiuâ, & pati differentias temporum? Aio, in hac etiam hypotheſi eumcognoſcituru futura: tũ propter ſcientię ſuæ infinitatem, tum propter efficaciam decreti; ſi enim futura à decreto diuino habent futuritionem, & Deus decreta ſua cognoſcit; futura ignorare non poterit, quæ ſunt decretorum obiecta.

Scientia Diuinæ certitudo: & Decreti efficacia.

THESIS VI.

De futuris conditionatis, *& hac occaſione*, de Scientiâ mediâ, & Decretis conditionatis.

CIII. Futurum conditionatum quale, & quotuplex?

Futura conditionata dicuntur, quæ conditioni innixa: qualia ſunt I. Si Petrus eſſet Leo, eſſet animal rugibile. II. Si eſſet canis, perſequeretur leporem, III. Si eſſet Romæ, loqueretur Philippo. *Ex quibus exemplis colligitur aliàs conditionem eſſe impoſsibilem, aliàs poſſibilem, & conſequens aliàs eſſe neceſſarium, aliàs eſſe contingens*. CIRCA PRIMAM PROPOSITIONEM, *nemo dubitat, eſt enim eſſentialis & vera, & non Deo ſolùm, ſed etiam nobis per ſe nota: nomine enim Rugibilis, intelligimus differentiam illam prædicabilem, qua contrahitur animal ad eſſe Leonis* CIRCA SECVNDAM, *amens ſim, ſi dubitare velim. Definio ſine formidine non cognoſci à Deo, vtrum falſa vel vera ſit, caret enim determinata veritate vel falſitate: & quia Deus illam debet cognoſcere prout eſt in ſe, cognoſcet antecedens eſſe impoſſibile, nullamque connexionem habere cum veritate aut falſitate conſequentis. Et, ſi obiicias, dari hìc duas contradictorias ſi-*

Rugibile quid?

Theſis hæc cõtradictione non caruit interim quia nobiliſſimis Theologis placuit & laudatur, reponitur.

Conditionata eſſe atialia, Conditionata impoſſibilia.

mul

Objectio

mul veras aut ſimul falſas, vtrumque negaturus ſum: primò, quia dicere potero, has duas propoſitiones, [Si Petrus eſſet canis modo perſequeretur leporē: Si Petrus eſſet canis modo nō perſequereretur leporē] *nō eſſe cōtradictorias, cōtradictionis vocabulū ſtrictius accipiendo.* Contradictio ſtrictior quę *Secūdò, quia tametſi cōtradictoriæ dicātur, non erūt ſimul veræ, nec ſimul falſæ. Sed potius nec veræ nec falſæ: nā inter determinatè falsū & determinatè verum datur neutrum, quod eſt nec determinatè verum, nec determinatè falſum; ſicut inter finitum & infinitum datur neutrum, quod eſt indefinitum, ſeu indeterminatum, & vulgò dicitur, infinitum ſyncategorematicum.*

Conditio cō tingens & li bera.

CIRCA TERTIAM *ſunt grauiſſima Theologorum certamina, quæ in vna philoſophica poſitione fundantur, quæ ſi dicerentur eſſe falſa, vniuerſa ceſſarent. Porrò, ſi tertia propoſitio determinatam habet veritatem vel falſitatem, Deus determinatè ſcit, an ſit vera vel falſa: quòd ſi eadem propoſitio ſecundum ſe indeterminata ſit, ſimulque veritate & falſitate careat, falleretur Deus, ſi illam cognoſceret vt determinatè veram, aut vt*

Nota id bene.

determinatè falſam. Ergo Thomiſtarum & Moliniſtarum pace, antequam concertemus Theologicè, Philoſophos audire debemus. Dico igitur primò, ſi hæc propoſitio, [Si Petrus eſſet Romæ, loqueretur Philippo] *ex ſe determinatam habet veritatem vel falſitatem, cognoſcetur à Deo ante omne decretum liberum, & illa notitia Diuina meritò dicetur ſcientia media, quòd ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiæ viſionis interſit, ſtabitque doctrina Molinæ, quam hodie Patres Ieſuitæ, & alii Doctores defendunt: & per conſequens ſuperflua erunt & inutilia conditionata decreta omnia, quæ à Thomiſtis ponuntur. Dico ſecundò: ſi illa propoſitio ex ſe & ab intrinſeco non habet determinatam veritatem vel falſitatem, ſi tamen determinari poſſit ab extrinſeco, hoc eſt, à Deo, doctè ad conditionata decreta, Diſcipuli Angelici Doctoris recurrunt, vt eamdem propoſitionem determinent. Sed quia hæc phyſicas prædeterminationes ſupponunt, non poterunt admitti ab illis, qui has dicunt nocere libertati. Quomodo ergo cognoſcet Deus illam propoſitionem, ſi ex vna parte phyſicæ prædeterminationes negantur, & ex altera propoſitio illa ſecundum ſe indeterminata dicatur? cognoſceret procul dubio eamdem prout eſt in ſe; & ſi illa nec habeat intrinſecam nec extrinſecam determinationem, ſcientia determinatiſſima Deus cognoſcet illam eſſe indeterminatam, certiſſima illam eſse incertam, veriſſima illam eſse expertem veritatis & falſitatis. An non in hac hypotheſi (poſſibilis aut impoſſibilis ea ſit) reperitur abſurdum? minimè: nihil enim Diuinæ cognitioni detrahitur, cui omnia cognoſcibilia ſubiiciuntur, & incognoſcibilia negantur; ſicut enim non eſt minùs omnipotens, quòd impoſſibilia non creet, ita etiam non erit minùs ſapiens, quòd incognoſcibilia non ſciat.*

Decreta conditionata Thomiſtarū

Scientia media quæ vnde dicta?

An dentur Phyſicæ prædeterminationes?

CVI. EGo quidem ſtando principijs naturalibus, & à ſacrâ Scriptura præſcindendo, non video cur non poſſit probabiliter dici, hanc propoſitionem: *Si Petrus eſſet Romæ loqueretur Philippo*, conſideratam ante omne decretum Diuinum nullam veritatem & nullam falſitatem dicere (clariùs eamdem propoſitionem non in-

Conſideratio ſcientiæ Dei ante omne decretum,

intelligi eſſe veram aut falſam.) & quid ſi ad ſacram Scripturam veniatur (Dicam multas à Molinâ & eius diſcipulis authoritates allegari, quæ eiuſmodi conditionalium notitiam Deo adtribuit: at nullam, quæ exponat, an hæc notitia ſit prior aut poſterior decreto. Habemus igitur Diuinæ durationis ſignum (aut rationis inſtans) pro quo plurimæ propoſitiones nec ſint veræ nec falſæ. Ergo Deus intelligens illarum ſtatum intelligetur pro illo inſtanti, cognóſcere eas vt ſunt in ſe; hoc eſt, veriſſimâ cognitione percipere, omni illas veritate, omni illas etiam deſtitui falſitate.

Quid intelligatur Deus ſcire pro illo ſigno?

CVII. Argumentum commune.

Nec patiar illud argumentum opponas quo vti ſolent nonnulli; videlicet: (Hæc propoſitio *Petrus curret*, vel eſt vera, vel non eſt vera: alterum enim debet dici ex illo principio per ſe noto, *Quodlibet vel eſt, vel non eſt*: nam ex duabus contradictorijs altera debet concedi, & altera debet negari. Si dicatur primum, etiã abæterno, & ante omne decretum illa propoſitio fuit vera; ſi ſecundum, etiam ab æterno & ante omne decretum fuit non vera. Omnes ergo propoſitiones ante decretum aut ſunt veræ, aut non veræ: non ergo carent veritate ſimul & falſitate;) Non inquam patiar hoc proponi argumentum, quia non meretur ſolutionem: eſt enim quoad ſpeciem aliquid; & ſi bene examinetur, nihil. Interim, quia ſæpe in libris legitur & non pauci illo vtuntur, illud vel inuitus eneruo. *Interrogo*, an animal, quod eſt genus, & prædicatur de homine & bruto, ſit rationale: & ad regulas contradictionis, quas tu ſequeris labium conformans, dicam, alteram ex his duabus propoſitionibus, *Animal eſt rationale*, *Animal non eſt rationale*, eſſe veram: ſi prima, illud non verificatur de bruto: ſi ſecũda, illud nõ verificatur de homine: ergo nõ prędicatur de pluribꝰ differentibꝰ in ſpecie ergo nõ eſt genus.

An ſit forte?

Aliud eſt præſcindere & aliud affirmare aut negare?

An differentiæ includãtur in genere?

CVIII. Status propoſitionum duplex.

Dices, alium eſſe ſtatum exiſtentiæ, alium præſciſſionis: in illo debere alteram è contradictorijs eſſe veram: in hoc ab vtroque termino contradictionis præſcindi: Sic mihi tu, & bene. Ergo dictum puta etiam tibi.

Prioritas in Deo realis, aut rationis ratiocinatæ nulla datur.

Aio enim, cùm dicimus, *ante decretum* nos non ſignificare prioritatem realem, quia nullum datur inſtans ante decretum: non prioritatem rationis ratiocinatæ, quia nihil concipitur exiſtere ante decretum, ſed aſſerere prioritatem præciſionis ſeu rationis ratiocinantis; adeòque idem eſſe dicere, *ante Decretum*, ac dicere, *præſcindendo à decreto*.

CIX. Quæſtiones parallelæ.

His poſitis, reſponde mihi quæſo has quæſtiunculas interroganti. *Peto primò*, An Petrus, ſi præſcindamus ab omni qualitate, ſit albus? *ſecundo* An præſcindendo a rationalitate ſit admiratiuus? *tertiò* An Ioannes Baptiſta præſcindendo à Zachariâ, & Eliſabethâ ſit filius.

In abſtractionis ſtatu res non ſunt aut exiſtunt ſed intelligũtur.

Reſpondes *primò* & bene, has ipſas quæſtiones clariùs & meliùs poſſe proponi, ſi loco illius *ſit*, ſcriberetur, *intelligatur eſſe*: omnes enim pertinent ad præciſionis ſtatum, qui non ad exiſtentiam, ſed ad intellectionem pertinet.

Quid ſit admirabilitas

Reſpondes ſecundò, Petrum præſcindendo ab omni qualitate, nec intelligi eſſe album, nec nigrum, quia albedo & nigredo ſunt qualitates, *Addis*, eumdem præſcindendo à rationalitate non intelligi eſſe admiratiuum, nec non eſſe: dicis illum non intelligi admiratiuum eſſe, quia admirabilitas vel eſt ipſamet rationalitas, vel cum ipsâ neceſsariò connexa: ais non intelligi non eſſe admiratiuum, quia abſtrahentium non eſt mendacium, & illa re vera & realiter admiratiuus eſt. *Subiungis*, Ioannem Baptiſtam præſcindendo ab eius parentibus, non intelligi eſſe filium qua relatiua ſunt ſimul cognitione & ſublato termino, etiam relatio tollitur.

Mendacium in abſtractione nullum eſt.

Relatio ſine termino cognoſci non poteſt.

CX. Quid ſit omnipotentia.

Cur ſint creaturæ poſſibles? Cur futuræ?

Hinc ad rem venio, & tuâ doctrinâ vtor & iuuor. Creaturæ ſunt connexæ cum omnipotẽtiâ, quæ eſt volũtas diuina libera. Ideò creaturæ ſunt poſſibiles, quia Deus illas poteſt facere; hoc eſt, quia poteſt velle vt exiſtant. Ideò ſunt futuræ, quia Deus vult vt exiſtant in tali tempore. Et ideò eſſent, ſi talis ponetur conditio; quia Deus vult, vt ſint, ſi talia conditio ponatur. Ergo præſcindendo a liberâ Dei voluntate, quæ poteſt velle, non intelliguntur poſſibiles vllæ creaturæ. Et ſupponendo voluntatem diuinam potentem velle, & præſcindendo à volitione liberâ ſeu decreto, dabuntur creaturæ poſſibiles: at nulla ex ipſis intelligetur futura aut non futura, propter ſtatum præſciſſionis, de quo philoſophamur; & eſſentialem connexionem, quam habet concreata exiſtentia aut futuritio conditionata aut abſoluta, cum decreto diuino. Ergo idem eſt præſcindere à decreto diuino, ac a creaturarum futuritione aut exiſtentiâ.

Nota hic bene.

CXI. An propoſitiones contingẽtes ſint veræ vel falſæ præſcindendo à decreto.

Hinc ad argumentum, propter quod iſta ſcripſi, reſpondeo. Aio, hanc propoſitionem, *Petrus currit*, de facto eſſe veram vel falſam, & hoc à Deo infinitâ cognitione videri. Sed quia quæſtio procedit præſcindendo à decreto, addo idem eſſe quærere. *An hæc propoſitio ſit vera præſcindendo à decreto?* ac quærere, *An ſit vera præſcindendo à veritate & falſitate?* idem eſſe (nota id bene) quærere, *An Petrus curret vel non curret, præſcindendo à decreto?* ac quærere, *An curret de facto, aut non curret, præſcindendo ab omni creaturarum exiſtentia & futuritione?* Dico igitur, decretum diuinum eſſe cum propoſitionum contingentium veritate & falſitate neceſſariò & quiditatiu è connec-

xum, & hanc ob rem idem eſſe à decreto, quàm ab exiſtentia, & futuritione rerum, nec non à veritate, & falſitate aſſertionum contingentium præſcindere.

CXII. His ergo poſitis, & bene intellectis, aliquos actus, quos Deo attribuunt Theologi, recognoſcamus.

An Deus cognoſcat actus ſuos, vt futuros?

Iſte, *Ego ſcio, quòd ſi voluiſſem (vellem) Petrum fore Romæ die tali; voluiſſem (vellem) etiam eum eadem die loqui Philippo*: à multis admittitur, ſed eſt expoſitus maximis inconuenientibus. Primò, quia tota æternitas eſt vnum inſtans, & in vno inſtanti non datur actuum diuinorum abſolutè futurorum præſcientia: & diuinorum conditionatè futurorum notitia eiſdem, aut ſaltem ſimilibus argumentis obnoxia videtur non eſſe neceſſaria.

CXIII. An habeat decreta conditionata obiectiuè?

Iſte autem actus, *Ego volo, vt Petrus, ſi Romæ ſit, loquatur Philippo*: eſt poſſibilis: & qui dicat omnes conditionatas liberas ptopoſitiones habere in Deo vnum conditionatum decretum, vnde ſumant veritatem, aut falſitatem (illum, nimirum, ſi illi reſpondeat; hanc, ſi ab eo differant) nihil impoſſibile dicet: & poterit ſuam munire ſententiam authoritate Thomiſtarũ, qui negantes Deo ſcientiam mediam, ad decreta hæc formaliter abſoluta, & obiectiue conditionata recurrunt.

CXIV. Eiusmodi decreta non ſunt neceſſaria. De hypothefibus impoſſibilibus, & poſſibilibus.

Aſſerui, eiusmodi decreta eſſe poſſibilia: nego eſſe neceſſaria, etiam ſi ſcientia media negetur. Quo ergo procedere deberet modo, qui ſcientiam mediam, & Decreta hæc conditionata reijceret? Deberet ſupponere iſtas Propoſitiones: *Conditionata futura libera, quorum antecedens eſt impoſſibile (talia ſunt*; Si hic canis eſſet homo, ſtuderet Mathefi. Si hic lapis eſſet Imperator, iniret inducias cum Vvandalo.) *non habent veritatem, nec falſitatem. Conditionata futura libera, quæ non ſubſiſtunt, & inferuntur infallibiliter ab actu exiſtenti, aut futuro abſolutè, ſi non dentur conditionata in Deo decreta, non habent determinatam veritatem, nec determinatam falſitatem.* Et quidem; ſi hæc doctrina ſem. admitteretur, ſummas tolleret difficultates, vnoque ictu ſcientiam mediam, conditionata decreta, & phyſicas prædeterminationes, ab encyclopediâ Theologicâ decircinaret, & aperiret viam iuuentuti ſcholaſticæ, vt ſubtiliùs & expeditiùs poſſet ad ſublimia contendere: ſed quia aliqui putant hanc ipſam obiectiuam indeterminationem repugnare ſcripturæ diuinæ, operæ pretium erit breuiter explorare, An loci, qui circumferuntur, non poſſint explicari probabiliter illæſâ doctrinâ, quam ponimus, Conſultò *probabiliter* dico; non enim negaturus ſum contrariã ſententiam eſſe probabiliſſimam, ſeu ſcientia media, ſeu decreta conditionata defendantur: ſufficiet enim nobis oſtendere indeterminationem, quam ponimus, etſi cõferatur cum ſacris literis, permanſuram probabilem. (Fortè cùm probabiles ſolutiones promittimus, dabimus probabiliores: fortè manifeſtas & certas: ſed hoc non vrgeo; non enim ad me iudicium, ſed ad candidum Lectorem ſpectat.) Ergo ad Biblia & Literas diuinas veniamus.

An poſſint defendi ſalua fide?

CXV. Quid particula fortè ſignificet in ſacra pagina.

Sunt multa loca in ſacra Pagina, in quibus vtitur Deus hac particulâ *fortè*: Dabo vnum vel alterum, quia reliqua ſimilia ſunt. Ezechielis 3. *Hæc dicit Dominus Deus, ſi fortè audiant, & quieſcant* (quid ſi *adquieſcant*?) & Pſalm. 54 13: *Si is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo*; quæ verba de Chriſto Domino ſolent intelligi (Iſidorus Clarius Brixianus Monachus Caſſinas, & Epiſcopus Fulginatenſis delet illud *forſitan* quaſi errore exſcriptorum irrepſerit.) Et Pſalm. 90. 12. *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis; in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Quæ verba & de Chriſto intelexit diabolus, Matth. 4 & Luc. 4. alij de iuſto vniuerſaliter intelligunt, & de quocunque intelligantur, verba Dei ſunt. Sed quo ſunt modo intelligenda hæc teſtimonia? Prima Sententia ſequitur Iſidorum Clarium, & particulam dubitantis expungit: ſed hoc temerè fieri non debet, ſunt enim multa ſcripturæ loca, in quibus debet retineri hæc particula ex Manuſcriptorum conſenſu. Secunda docet ſic locutum Deum fuiſſe, vt ſe nobis accommodaret, ſic enim nos loqui ſolemus. Hanc tuetur Ariaga, *tract. de ſcientia Dei, diſput. 21. ſect. 2. nu. 7* illamque Hieronymo, & Auguſtino adſcribit. At mihi placet Tertia, quæ eſt Hieronymi Laureti Monſerratenſis Monachi, & apud S. Felicem Abbatis, qui in ſylvâ allegoriarum ſic inquit: Fortè *adverbium dubitantis, præcipuè de futuro: quod, cùm dicitur de Deo, non dicitur, quia ipſe dubitet, ſed quia per hoc liberum hominis arbitrium indicatur*; vbi doctiſſimè Laureti reuelationem ipſam ab obiecto reuelationis diſtinguit, illamque eſſe certiſſimam, & infallibilem aſſerit, iſtud incertum, & indeterminatum; adeoque præcipit, vt illud *forte* non Deum, ſed creaturam afficiat, nec de cognitione diuinâ, ſed de obiecto illius intelligatur. Hoc ſufficeret, vt obiectionibus omnibus expeditiſſimè reſponderemus: ſed vt meus Lector videat, quam longe abſint à me fulmina, quæ ex ſacra pagina diduci poſſunt, eruditionis gratiâ, theoremata nonnulla ſubijcio, contra quæ libenter videbo quid ex ſacris Literis obijci poſſit.

In ſacra pagina nihil temerè, mutari debet.

Deus ſe nobis attemperat.

Particula illa ſignificat libertatẽ humanam.

Incertum certiſſimæ cognitionis obiectum.

CXVI. Scientia media.

Primum ſit. *Non datur ſcientia media.* Nempe illa, quam PP. Ieſuitæ tuentur, ſcientiam enim conditionatorum, quæ ab

absolutis necessariò inferuntur, non negamus.

Physicę præmotiones.

Secundum. *Non dantur physicæ prædeterminationes*; nam necessitantes tollere libertatem videntur; & infallibilitantes, aut sunt impossibiles, aut superfluæ.

Decreta cõditionata.

Tertium. *Non dantur decreta in Deo conditionalia, quæ actus hominum liberos prædefiniant, qualia ponuntur à Thomistis.*

Futura conditionata incerta.

Quartum. *Futura libera conditionata, nempe illa, quæ ab alio futuro absoluto non inferuntur infallibiliter, aut necessariò; nec habent determinatam veritatem, nec falsitatem.*

Futura conditionata certa.

Quintum. *Futura conditionata imperata, quæ ab alio futuro absoluto necessariò aut infallibiliter oriuntur, habent determinatam veritatem, nimirùm in futuro absoluto, ita vt illud cognoscens, illa non possit ignorare.*

Futura conditionata reuelata.

Sextum. *Ad hanc vltimam classem pertinent futurâ omnia conditionata, quæ in scriptura sacra reuelantur, adeoque diuinæ illæ reuelationes, tam formaliter, quàm obiectiuè sumptæ, habent certitudinem, & infallibilitatem veram realem, in omni rigore metaphysico.* Et quidem hæc Theoremata nullo alio meliore modo propugnare poterimus, quàm dissoluendo singulas obiectiones, quæ possunt contra nostram doctrinam adduci.

CXVII. Obiectio prima.

Prima Obiectio ex 1. Reg. 23. desumitur; ibi enim anxius, & perturbatus Dauid Deum consulit, inquiritque, An si maneat Ceilæ, superuenturus sit Saul, vt capiat eum? An si ille superueniat, sit à Ceilitis prodendus & tradendus? & vtriquę consultationi Deus affirmatiuè respondet.

De Ceilitis.

Igitur hæ duæ propositiones: *Si Dauid maneat Ceilæ, veniet Saul: si superuenerit Saul, tradetur à Ceilitis Dauid*, fuerunt determinatè veræ; aliàs enim errauisset Deus, qui esse veras asseruit. Corruit ergo doctrina, quæ illis determinationem negat, & esse indeterminatas affirmat. Voluerunt aliqui veteres hoc testimonium intelligere de scientiâ coniecturali; ita, vt Deus non certò, & infallibiliter, sed solummodò coniecturaliter, illas propositiones cognouerit, & prædixerit. Sed hæc expositio duplicem sensum adhuc potest habere; nam vel dicitur scientia Dei formaliter esse incerta, & coniecturalis, vel formaliter esse infallibilis, cognoscens tamen obiectũ coniecturale, prout in se est. Qui primum diceret, Deo esset iniurius, & contra lumen naturale peccaret in Theologiâ, sed deberet exponere; An reuera illa prædictio diuina, si mansisset Dauid Ceilæ, potuisset consistere cum non descensu Saulis, vel cum non traditione Ceilitarum? *Dico igitur* scientiam Dei in illâ prædicatione fuisse infallibilem, de obiecto infallibili nec tamen contra nostram doctrinam militare. Sciebat Deus Saulem habere istam voluntatem de facto, quòd si Dauid veniret Ceilam, aut ad aliam similem ciuitatem, esset iturus illùc, & intercepturus illũ; & videbat Deus Saulem multis diebus sequentibus continuaturum iltum actum, & hoc scientiâ visionis: sciebat etiam Ceilitas decreuisse de facto, tradere Dauidem Sauli, si illum in potestate haberent, & hic eum peteret; & stantibus istis duobus decretis actualibus, (altero Saulis, altero Ceilitarum) quæ Deus scientiâ visionis cognoscebat, euidenter, & infallibiliter videbat Deus, Saulem descensurum in Ceilam, si ibi mãsisset Dauid; & Ceilitas tradituros illum, si Saul descenderet. Hæc doctrina mihi videtur valdè clara; illamque dilucidabo notissimo, & clarissimo exemplo. Interdicit Cæsar, verbi gratia, sub pœnâ capitis ingressum in vrbem Pragensem; & reuelat mihi Deus hoc decretum non esse reuocandum mense integro, nulli ignoscendum esse, adeoque quemcumque, qui ausus fuerit ingredi, statim trucidandũ iri: quæ omnia sunt futura absoluta, nec ab vlla conditione pendentia. Quid ergo vetat, quod ego hac notitia præuentus subinferam; *Ergo si Petrus cras ingrediatur Pragam, trucidabitur?* Sanè ista propositio erit conditionata contingens & libera; & tamen infallibilis & certa, & ex futuris absolutis per necessariam consequentiam illata: Potuit ergo infallibiliter Deus cognoscere illas duas conditionales infallibiles, quin vteretur scientiâ mediâ, aut conditionalibus decretis; sufficiebat enim decreta humana absoluta sufficienti tempore esse mansura, & à Deo scientiâ visionis ea cognosci.

Hæc doctrina adhuc exponitur, & dilucidatur.

CXVIII. Obiectio secunda.

Obijciunt alij ex 3. Reg. 3 1. verba dicentis Dei. *Non ingrediemini ad multieres alienigenas, certissimè enim auertent corda vestra*, vbi notari volunt illud *certissimè*, ne aliquis antiquus velit intelligere *forsitan*. Sed hæc instantia contra nos non militat, qui non ad coniecturas, sed ad infallibilitatem diuinas prædictiones reducimus: hìc tamen re bene considerata non putaremus malè expositurum hæc verba, qui reponeret; *Ne ingrediamini ad mulieres ethnicas & idololatras, est enim res plena periculo* (&, si vis *moraliter infallibile*) *quod decipient vos*: quâ semel expositione positâ, prædictio diuina esset formaliter & obiectiuè infallibilis; hac tamen differentiâ, quòd infallibilitas formalis, quæ se tenet ex parte Dei, esset realis; & infallibilitas, quæ se tenet ex parte obiecti, & creaturarum, esset moralis, & ipsi obiecto proportionata: Et quidem ego existimarem hanc expositionem sufficere; Quòd si aliquis maiorem adhuc postulet securitatem in obiecto, non Deiiste, sed creaturarum

An in Deo detur scientia coniecturalis?

Infallibilitas duplex; realis, & moralis.

rum cauſam ,aget ; quia ſi iſta propoſitio *Omnis , qui ingrediatur ad alienigenas,auertetur* , eſt moraliter certa , erraret procul dubio Deus , ſi vel cognoſceret eam infallibilitatem habere , quam non habet , & eam non habere infallibilitatem , quam habet . Cæterùm , ſi velimus aſſerere illam propoſitionem obiectiuè ſumptam eſſe metaphyſicè certam , fortè excedemus limites humanæ conditionis ; hodiè enim non eſt metaphyſicè certum , *Omnem hominem, qui ducit hæreticam; auertendum à Catholica fide* ; nihilominùs , vt videant aduerſarij nos obiectionibus iſtis non vrgeri , adhuc oſtendemus ex futuris abſolutis humanis poſſe infallibiliter oriri iſtam realem , & metaphyſicam certitudinem conditionatam ; nam , ſi ponatur ex parte Hebræorum voluntas abſoluta concedendi vxoribus,quod primum petât,& ex parte Ethnicarum voluntas abſoluta petendi idololatriæ propagationẽ, per conſequentiam realiter infallibilẽ inferetur Hebræorum corda auertenda,ſi ad idololatras viri ingrediantur . Ergo clariſſimè vides,quàm inutilis ſit ſcientia mediâ diuina ! quàm inutilia decreta diuina conditionata!quàm inutiles phyſicæ prædeterminationes!

CXIX. Obiectio tertia.

Obijciunt alij ex 4 Reg. 2 illa verba : *Rem difficilem poſtulaſti, attamen ſi videris me quando tollar à te,erit tibi quod poſtulaſti : ſi autem non videris , non erit* . Hoc teſtimonio vtitur Rodericus Ariaga *tract. de ſcientia Dei,diſput.21 ſect.2.num.8.* Sed non video quid eo poſſit probare;quoniam hìc non agit de libertate humanâ,ſed diuinâ,cuius decreta intuitiuè cognoſcit Deus cum cognoſcit ſeipſum .

CXX. Obiectio quarta . De Babylone,Corozaima, & Bathſayda .

Fortiùs alij obijciunt Ezechielis 3. *Si ad illos mittereris , illi audirent*,& ex Luc.10. & Matth. 11. *Væ tibi Corozaim , væ tibi Bathſayda ; quia, ſi in Tyro , & Sidone factæ eſſent virtutes , quæ factæ ſunt in vobis , olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent* . Sed his teſtimonijs non vrgeor; Babylones enim (ipſi ſunt populus profundi ſermonis , & ignotæ linguæ , de quo agit Ezechiel) habebant piam affectionem erga miracula,& prophetias,qualem etiam habuerunt Tyrus & Sido: & ſtante illorum decreto , quod vellent habere religionem, quæ confirmaretur prophetijs,aut miraculis , neceſsariò ſequebatur per conſequentiam realiter infallibilem illos , ſi prophetiam audiuiſſent , iſtos ſi vidiſſent prodigia,fuiſſe ad Deum conuertendos. Et quidem pios eorumdem affectus , & deſiderium inquirendi veritatem per prophetias , & miracula cognoſcebat viſionis ſcientiâ Deus , nec indigebat ſcientiâ media .

CXXI. Obiectio quinta.

TANDEM OBIICIVNT ALII illud Sapientiæ 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ipſius*: quod etiam neminem mouere poterit, nam & hodie ſcimus humanitùs ſtante Petri & Pauli aliquo decreto multa euentura eſſe , ſi tales aut tales circumſtantiæ ponantur ; poſſumus ergo dicere , ſiue ille locus intelligatur de Enoch,ſiue de quocumque alio iuſto, ſæpè cõtingere quod ſcientiâ ſuâ viſionis Deus cognoſcat aliquod decretum humanæ libertatis perſeueraturum v. g. per duos dies & reſpecturũ obiecta ſecundùm ſe indifferentia , quæ prima die ſint bona extrinſecùs propter adiacentes aliquas circumſtantias , poſtridie mala propter aliquas ſubſtantias ſuperuenientes : proterit ergo Deus intacto hominis libero arbitrio illas ſecundas circumſtantias impedire aut etiam hominem eripere è loco , in quem illæ concurrent, neque ad hoc egebit ſcientiâ mediâ Et vt clariùs hoc ipſum innoteſcat , ſit craſtina dies ieiunio colenda Madriti , non Compluti : ſit Madriti Albericus,& nihil de ieiunio cogitãs ſtatuat apud ſe voluntate efficaci,ſe cœnaturum totâ hebdomade; maneat hoc Decretum etiam totâ : ergo hodie cœnando Petrus non peccabit , & cras ſi cœnet Madriti peccabit . Quid vetat ergo,quod vel Deus faciat,quod in mentem eius non veniat diem craſtinam eſſe jejunij, aut etiam ad alicuius amici inſtantiam,aut etiam tactus diuinitùs (& ſi velis, non ſolùm prædeterminatus,ſed & neceſſitatus) transferatur Complutum , antequam legem cognoſcat , quam violaturus erat infallibiliter,ſi manſiſſet Madriti ? Sane in hoc caſu eſſent veræ illæ duæ propoſitiones, Prima, *Si manſiſſet Madriti , cœnaſſet & conſequenter peccaſſet* . Secunda . *Raptus eſt* . (motu nimirum libero,vel neceſſario;nam quoad hoc alterutrum perinde eſt) & *translatum eſt Madrito Complutum, ne malitia mutaret intellectum eius , aut ne fictio deciperet animam illius.*

Res tota illuſtratur exemplo.

THESIS VII.

De Omnipotentia.



Væstio illa, quæ interrogat, An Deus possit infinitum producere: nimirùm in genere substantiæ, quantitatis, qualitatis? &c. An possit summum angelum? An possit infimum? An quantitatem in omnes suas partes dissoluere? *& sexcentæ aliæ, quæ videntur agere de potentia diuina, non sunt Theologicæ, sed meræ Philosophicæ: & quæ solas creaturas concernant Conueniunt enim, qui asserunt, qui negant, in re Theologica; concedunt que produci diuinitùs posse, quidquid contradictionem non implicat; & solùm quærunt, An hæc vel illa creatura contradictionem implicet, vel non implicet?* CXXII.

Quid sit omnipotentia?

CXXIII. VT omnipotentiæ obiectum cognoscatur, semper recurritur ad non-repugnantiam: & vt prudentia Scholastica innotescat, semper recurritur ad parcitatem, & videntur sibi opponi hæc principia, Alterum, *Concedendum est posse à Deo, fieri, quidquid contradictionem non inuoluit*: alterum, *Non sunt concedenda noua entia sine necessitate*. Nam, si agamus de repugnantiâ probabili in primo principio, agemus de necessitate etiam probabili in secundo: & tamen euidens est quòd repugnat dari necessitatem probabilem: nam nihil probabile necessitat, & ideò necessitas probabilis nihil esset aliud quàm *necessitas non necessitans*, quam nemo admittet. Quod, si vtrobique agatur in sensu euidenti (nimirùm de necessitate & repugnantiâ manifestis) esset dicendus Deus infinita producere posse, & non posse: Posse, quia non datur repugnantia euidens: non posse, quia vbi non datur repugnantia euidens, non statim datur necessitas euidens, non enim est bona consequentia, *Non repugnat euidenter, ergo est necessarium euidenter*. Restat ergo sic efferendum hoc principium, *Concedendum est, à Deo posse omnia fieri, quæ dicunt non-repugnantiam euidentem; hoc est, illa omnia, contra quæ ne quidem probabilis occurrit repugnantia actiuitatis*.

Axiomata, quæ videntur opponi.

Probabilis necessitas.

De obiecto omnipotentiæ.

E parte contraria militat alia ratio, quæ videtur solutione indigere. Non ideò Deus est omnipotens, quia creaturæ sunt possibiles: sed ideo istæ sunt possibiles, quia Deus est omnipotens. Ergo in tribunali Scholastico Omnipotentia est in possessione, & non debet ob alicuius creaturæ dubiã aut probabilẽ impossibilitatem contrahi vel minui: Possessio enim, si prudentia obtineat, omni contrario dubio aut probabilitate potior est. Ergo, si hæc ratio obtinet, sic est efferendum illud Principium, *Concedendum est, a Deo posse omnia fieri, quæ dicunt euidentem aut probabilem non repugnantiam: hoc est, illa omnia, contra quę non detur repugnantia euidens*. Et, si hoc admitteretur multum extenderetur Diuinæ Maiestatis actiuitas.

An possessio præscribat, probabilitati?

Morales sunt istæ rationes, & interrogant, Quid expediat asserere? & supponunt, cùm datur repugnantia probabilis, si stamus rigori scholastico, vtrumque probabiliter posse teneri. *Ergo dicendum est, à Deo probabiliter posse fieri, & probabiliter non posse fieri, quę dicunt repugnantiam probabilem.*

Quid Dialecticus rigor statuat?

Resolutio.

THESIS VIII.

De Concurſu Diuino.

Concurſus duplex eſt: præuius & ſimultaneus



NDiget attentione & ingenio, qui velit de concurſu diſſerere. Et ego breuitati & facilitati conſulens, quæ multis ſolent folijs ad ſequentes Poſitiones reduco. Concurſum enim duplicem, eumque realiter ab extremis diſtinctum (nimirum Præuium & Simultaneum) admittunt Thomiſtæ vniuerſi. Præuium reijciunt Scotiſtæ: Patres Societatis; & alij. Simultaneum vniuerſi

Durandi opinio qua cenſura ſit digna?

Theologi mirabili conſenſu admittunt. Hunc negauit Durandus, cuius aliqui opinionem hæreticam, temerariam alij, nonnulli eſſe duram affirmant. Ne ergo illam cæcis oculis dicamur approbare, aut reijcere, Iuniores Durandiſtas audiamus: Iuniores, inquam, quia Seniores interdum loquuntur nimis obſcurè, & intelligi bene non ſolent. Adſit igitur aliquis Durandiſta, qui ingeniosè diſcurrat, & ſuam ſententiam, vt minus dura ſit, temperet & exornet. Illam proponat ſic.

CXXV. *AMo Philoſophiam, & qui Genius Naturæ parcus, aio, non eſſe multiplicandas entitates ſine neceſſitate; nec neceſſitatem hic experior, quoniam ſine illo concurſu multa expediuntur facillimè quæ cum illo vix intelligi poſſunt. Vnde potiùs dicerem dari neceſſitatem negandi illum concurſum, quàm adſtruendi: Concurſus enim ad materiale peccati, quomodocumque exponatur eſt difficilis; nec videtur, cur non ſit cauſa peccati Deus, ſi eſt cauſa totius materiæ, quæ dicitur eſſe peccatum. Vt igitur experiamur quid contrà magna ingenia poſſint, has concluſiones ſpecialiter defendendas (inquit ille) proponimus.*

Vnius Durandiſtæ diſcurſus.

An detur concurſus ſimultaneus?

An Deus ſit author peccati?

PRIMA, *De actibus neceſſarijs (ſiue hominum illi ſint ſiue brutorum, aut quarumqumque aliarum ſubſtantiarum) non ſumus ſolliciti, nec vociferabimur, ſi illis aliquis concurſum ſimultaneum affingat.*

Concurſus ad actus neceſſarios: Ad ſupernaturales.

SECVNDA, *De actionibus habituum ſupernaturalium non ſumus ſolliciti, etiamſi ad illas dicatur Deus concurſu ſimultaneo concurrere; poſſumus enim dicere eſſe actiones imperatas à voluntate, ac proptereà non in ſe, ſed in ſua cauſa liberas,*

Concurſus moralis: Mediatus:

TERTIA, *De concurſu morali non ſumus ſoliciti, nam ad multa concurrere ſolemus moraliter. ad quæ phyſicè non poſſemus, aut non vellemus.*

De motu proiectorũ.

QVARTA, *De concurſu mediato non ſumus ſoliciti. Nam ſi eo ſenſu quo dicitur motus proiectorum eſſe generantis, quia qui dat formam, cenſetur dare conſequentia ad formam, dicatur Deus ad actiones liberas voluntatis concurrere, hoc eſt, dediſſe voluntatem, quæ concurrit immediatè: concurſum ſimultaneum non negamus. Quem mediatum concurſum, ſi prævium dixeris, de nomine non diſputabo.*

Immediatus ad actus liberos, purè naturales.

QVINTA, *Tota difficultatum machina ad actiones purè naturales, quæ ſunt libertatis humanæ aut angelicæ imperantis alijs potentijs ſeu habitibus*

bitibus naturalibus vel ſupernaturalibus, deuoluta, non videtur concurſum ſimultaneum exigere. Quod hoc breui ratiocinio perſuadeo. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; nulla vrget, vt ſimultaneum concurſum admittamus: poterit ergo non admitti. Probatur minor. Non enim datur ratio naturalis, quæ eiuſmodi concurſum poſtulet: non datur reuelatio diuina, quæ illum credi præcipiat (vel qui aliter ſentias, produc vel textum Sacræ Paginæ, vel Concilij Canonem, qui hunc concurſum definiat) dantur rationes poſitiuæ, quæ hunc concurſum excludant; datur authoritas magnorum hominum, non ergo tenebimur eiuſmodi concurſum admittere, ſed poterimus mirabili compendio & ſuauitate dicere, Deum ad actus bonos ſupernaturales cooperatione ſimultanea concurrere, ad malos & peccaminoſos nullo modo concurrere: & hoc, quinque iſtis concluſionibus, quæ Durandi doctrinam attemperant & remittunt ſtando.

Ratio generalis.

An dentur actiones & paſſiones ab extremis diſtincta?

Sic argumentatur Durandiſta, cui ſtatim iniungerem, vt loqueretur clariùs, ne illum fortè damnarem, vbi eſſet quæſtio tota de nomine. Multi actiones & paſſiones ab extremis realiter diſtinctas negant, & tamen iſti actiones paſſiones, & concurſum Diuinum non negant: dantur enim in illorum ſententia eiuſmodi denominationes, ſed extremis identificatæ. Si igitur Durandiſta, omnem concurſum Diuinum ſimultaneum negat (nempe, tam diſtinctum, quam extremis identificatum) eſſentiam Creati Entis ignorat: quam ob rem noſtra ſit in hac controuerſia RESOLVTIO: Nulla Realitas aut operatio in nobis poteſt eſſe aut intelligi, quin actu dependeat à Deo. COROLLARIVM. Ergo, ſiquidem in eſſe & in operari dependemus a Deo datur concurſus ſimultaneus. *Sed quomodo ab extremis diſtinctus? Vt cæteræ actiones & paſſiones: nimirùm, diſtinctus realiter in Schola Reali, modaliter in Modali: &c.*

Vera concluſio.

De eadem re in diuerſis ſcholis diuerſimodè philoſophamur.

CXXVI. QVæſtio hæc eſt digna, quam accuratè intelligamus, & hanc ob rem ſumo ſecundum & ſubtiliorem calamum, vt eam decîdam. Stabimus Fundamento iam poſito, vt tamen ſecuriùs & meliùs, videamus ſtudiosè & diſtinctè, quæ poſſunt fauere Durando.

Opinio, quæ concurſum ſimultaneum excludit.

An concurſus ſimultaneus negari poſſit ſalua fide?

SEmel, iterumque vidi hîc Pragæ concurſum ſimultaneum defendi; & cum eum oppugnarem, Præſes teſtatus eſt multa poſſe expediriùs & ſallaciùs ſaluari, negato nimirùm hoc concurſu, ſi poſſet ſaluâ fide negari: quam ob rem concluſit, nõ ſe ratione aliquâ, ſed religione merâ induci, vt illum admitteret. Poſtulaui, vt è Bibliorum textu, aut Conciliorum Canonibus periodum produceret, quæ in ſpecie diceret, *Deum concurrere, non moraliter, ſed phyſicè; & hoc concurſu immediato & ſimultaneo (hoc eſt, non ſolum dando præuium adiutorium, ſed etiam cooperando) non ſolùm ad terminos actionum, aut etiã ad actiones ſupernaturalium habituum, ſed etiam ad ipſas actiones liberas voluntatis alijs potentijs imperantis.* Et quidem multa poſtulaui, & quæ reperiri non poterunt; videlicet in textu euidenti: nam doctrina, quæ de fide euidenter non eſt, probabiliter vt minimum non eſt de fide. Produxerunt illud, *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis.* Sed vbi quæſo dici *operatus eſt phyſicè?* Annon poſſet aliquis dicere actiones neceſſarias cauſarum ſecundarum Deum operari phyſicè, & liberas ſolùm moraliter. Sed concedamus textum intelligi in ſenſu phyſico: ſed vbi dicit *operationes?* Quid enim vetat, vt *Operum* nomine intelligamus operationum ipſos terminos, quos à Deo conſeruari nõ negamus? & ſi condonemus *Operum* nomine non opera ipſa, ſed operationes intelligi, vbi obſecro, dicit *operationes naturales?* poſſet enim aliquis adhuc textum intelligere de operationibus ſupernaturalibus. Et vt liberaliores ſimus, concedamus

Nota ſingula bene.

An omnia in nobis faciat Deus: & quo id ſenſu?

Quid opus proprie?

mus adhuc & condonemus hoc. Dixerit Propheta *omnes operationes noſtras naturales liberas, omnes volitiones noſtras operatus eſt in nobis, non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè*: adhuc non vrgebor; quia adhuc poſſet intelligi de concurſu præuio & mediato iuxta concluſionem quartam.

CXXVII. Intererat P. Eduardus Tirellus S. Theologiæ Profeſſor, & magni ingenij Vir, vociferabaturque, neſcio cuius Concilij verba eſse clara, quæ tamen non fuerunt producta. Poſt paucas hebdomades defendebantur ab alio eædem Theſes, & debebat præſidere Tirellus, & contigit quod etiam eadem doctrina impugnaretur: & cùm argumentator rationem peteret vel authoritatem; ſe cogi vt aſſerat hunc concurſum, inquit Tirellus, non teſtimonio aliquo S. Scripturæ, ſed ratione naturali tantummodò; & ad eſſentialem dependentiam, quæ clauditur in conceptu creaturæ, recurrit. Ex quibus ſic poſſet fortè diſcurrere aliquis Durandiſta (Fuit Tirellus magni ſtudij & ingenij Vir, & ipſe præſens, quando concurſus ille ex ſacræ ſcripturæ teſtimonijs defendebatur: ipſe tunc clariſſima pollicebatur teſtimonia, quæ nō dedit: & tamen cùm res ſua agebatur, non eſt auſus hanc viam ingredi, ſed teſtatus ſe non moueri teſtimonijs, ad rationes confugit: ergo obſeruauerat hanc propoſitionem, *Concurſus ſimultaneus eſt de fide*, probabiliter non poſſe defendi.

Qualis fuerit Tirellus.

CXXVIII. Eamdem opinionem, quæ concurſum ſimultaneum immediatum admittit, non de Fide, non claram euidentem & certam ſed probabiliorem cenſuit Rodericus Arriaga *in Phyſica, diſp.* 10 *ſect.* 1 *ſub ſect* 2. vbi ſic inquit. (Durandus *in* 2. *diſt.* 1. *qu.* 52 & *diſt.* 37 *qu.* 1 negauit concurſum immediatum Dei ad actiones ſubſtantiæ: cuius ſententia ab omnibus, vt erronea reijcitur: ideoque oppoſita vt vera tenenda eſt: cuius Authores, & Scripturæ loca, quibus ſuadetur, videantur apud Suarez *diſp.* 22. *Metaph. ſect.* 1. nobis vnus vel alter ſufficiat. Primum teſtimonium eſt Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis*. & Ioann. 5 *Pater meus vſque modò operatur*. & Actor 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*: ergo motus et operationes vitales ſunt immediatè à Deo iuxta Paulum. Dicunt nonnulli: &c.) & poſt pauca: (Ego autem ſupra & hic addo, hæc loca poſſe vtcumque explicari ſine immediato influxu, vel quia Deus conſeruat & diſponit cauſas omnes immediatas, vel quia permiſſio ipſius eſt neceſſaria conditio, vt cauſæ immediatæ operentur. Loca ergo Scripturæ non faciunt Concluſionem de fide, ſed ſummùm longè probabiliorem.)

Arriagæ opinio.

Teſtimonia Sacræ Paginæ contra Durandum.

Quid requiratur vt aliqua ſit doctrina de Fide?

EX dictis videntur Durandiſtæ obtinere, oppoſitam non eſſe de Fide, & audentiores redditi, rationes non videntur curare, producunt enim Arriagam, qui argumentis moralibus vtitur, quia naturalibus realibuſque diffidit. Ille enim vbi ſupra *num.* 11. ſic inquit. (Dico illum Deū) de facto concurrere immediatè: quia ſuppoſitâ non repugnantia in tali concurſu, quam ſtatim monſtrabo: & cùm Scriptura illum videatur ſignificare, conſentiantque patres Eccleſiæ, & tandem fere omnes Scholaſtici Doctores, videtur hæc efficaciſſima probatio in quæſtione de facto.) Ecce quò vir ingenioſus adducitur, cùm vult concurſum ſimultaneum adſtruere. Sed cur non vtitur phyſicis argumentis? an hæc eſse debilia iudicauit. Eum audiamus (Aduerte, ait, etiamſi quælibet ex adductis rationibus non ſit efficax, omnes tamen ſimul ſumptas, ſatis probabiliter oſtendere eum immediatum concurſum: eo enim poſito, quæ ſupra obiecta ſunt, explicantur meliùs, quàm ſine illo, etiamſi vtrumque poſſint aliter abſolutè intelligi; &c.) Notari volūt Durandiſtæ illud, *non ſit efficax*, illud *ſimul*, illud *ſatis probabiliter*, & *illud meliùs*, & inferunt, ſingulas obiectiones, quæ contra Durandum formantur, teſte Arriagâ inefficaces eſse, & omnes ſimul ſumptas non certò, ſed probabiliter tantùm concurſum ſimultaneum ſuadere: omniaque, quæ in Theologiâ tractantur, bene intelligi & explicari ſine iſto concurſu, tametſi cum illo intelligantur et explicentur meliùs.

CXXIX. An contra Durandum rationes naturales ſuccurrant?

Quàm ſint efficaces ſingulæ rationes: quam ſint omnes ſimul?

Arriagæ verba nonnullas conſequentias parturiunt.

Hoc ergo præiudicio præuenti Durandiſtæ ſic inquiunt Cùm concurſus ſimultaneus ſuadetur, committitur lepidiſſimus et certiſſimus circulus. Si dicitis, *Ideò Deus debet concurrere, quia creatura non poteſt operari ſine diuino concurſu*: idem per idem dicitis aut probatis, Si dicitis, *Creatura eſt eſſentialiter dependens tam in eſſendo quàm in operando*, aſſumitis idem quod quæritur. Et ſemper eamdem orbitam teritis, circulum agitis, & *chordam, pulſatis eamdem*. Ergo vnice examinandum. *An de fide doctrina illa ſit, quam hæ Theſes oppugnant*: ſi enim Fidei articulus ſit (quod tamen non dicit Durandus, Dola, Lalemandetius, Pariſienſes hodie, Salmanticenſes illi, qui Cathedram Durandi inſtituerunt,) triumphare debent, & contraria atteri, nec ampliùs in libris aut ſcholis permitti. Quod ſi in hac materiâ nihil ſit reuelatum diuinitùs, ſtabitur rationi humanæ: at hæc dictat tam multa abſurda ex illo concurſu ſimultaneo deduci, vt nequeat prudenter admitti. *Obijciunt* Durandiſtæ Deum concurrere ad formale peccati, Hominem libertate carere: *reſpondent* alij, ita tamen vt ſibi ſatisfacere ne-

Circulus & petitio principij.

Quid faciendum ſit opinionibus oppoſitis Fidei?

Durandinorum obiectiones.

nequeant: saltem multis non possint. Ponerem rationes, & etiam responsiones illorum. Sed cur illas? non hîc pungit me scrupulus. Doceri volunt Durandistæ: *An in Durandi doctrina, sit aliquid euidenter hæreticum*? Multi enim negant hodie, quæ alij putant probabiliter esse de fide; non enim humanus intellectus probabilitate ligatur. Quod si semel concedatur, posse hanc doctrinam saluâ fide defendi, in rationum conflictu sine formidine aggredientur qualescumque Gigantes. *Sic discurrit*, aut etiam insultat Durandista: & quia se rationibus muniri asseruit, illas accuratè proponit.

CXXX. Ratio generalis.

Argumentatur primo sic: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: at nulla vrget nos, vt simultaneum concursum concedamus: igitur non est concedendus. Probabit non aliter minorem, quâ illam rationem vrgentem postulando.

CXXXI. Quæ opinio inter probabiles eligi debeat?

Secundò sic. E duabus opinionibus, quæ secundum se consideratæ judicentur probabiles, illa præeligi debet, quæ aperit viam vt clariùs & expeditiùs controuersias alias intelligamus. Sed ex istis duabus opinionibus, quarum prior docet *Dari concursum simultaneum*, & *Non dari* posterior, modò nihil habeat contra fidem, hæc posterior, stando rationi nudæ, non solùm est probabilis, aut probabilior, sed Durandi & aliorum testimonio certa: & tamen dilucidat implicatissimas & obscurissimas difficultates, quas vix aut ne vix quidem alius sententiæ Authores possunt intelligere aut defendere. Est ergo eligenda sententia posterior. Vltima minoris pars ostenditur. Quia ratio formalis virtutis, peccati, libertatis, male intelligitur posito simultaneo concursu: quæ tamen est clarissima illo sublato.

CXXXII. Quomodo loquendum sit de Deo?

Tertiò sic. De Deo dicendum illud est quod est grandius & excellentius: nam sapientiâ summâ mundum condidit, & immensâ gubernat: At concursus simultaneus magnam sapientiam non requirit; & summam infert eiusdem concursûs carentia: non ergo datur simultaneus concursus. Minor hoc exemplo illustratur. Sum Vrbis Prætor, & desidero duas turres optimis automatis exornari: & duos Artifices (Franciscum & Ioannem) accerso, & oro vt omni arte et industriâ allaborent, vt Automata forment excellentissima, et præter millenos aureos (tanti ponitur fuisse facta conuentio) adhuc alios mille polliceor illi, qui ingeniosiorem et nobiliorem machinam elimârit. Franciscus magno rotarum apparatu turrim priorem onerat, et statis temporibus noctis & diei vicissitudines, Lunæ motus, & omnia Luminarium deliquia accuratè exprimit; indice & campanâ horas distinguit, & Musicam multiplicem addit, & supposito pondere totam hanc machinam absens & distans à pondere moueri permittit. Ioannes nullam rotam elimat, nullis ponderibus vtitur, sed concursu simultaneo horologium dirigit & gubernat: turrim enim scandit, retrò tabulam sedet, & manu mouet indices, & tempore quo vult campanam manu quatit, et horas distinguit. Te eligo in Iudicem; te in Arbitrum; et interrogo, Vter alterum ingenio viceerit? Vter horologium dignius et melius efformauerit? Aut summoperè fallor, aut pretium præmiumque deberi Francisco arbitraberis: dicesque Ioannem non iam minus ingenium ostendisse, sed nullum; nec pretium conuentionis mereri. Hoc est Iudicium tuum, et me iudice bonũ: quo tamen instructus poteris theologizare conuenientiùs et digniùs. Mundus est magnum Horologium; Deus est artifex; et si Durando credimus, Francisco similis, adeoque humanarum potentiarum rotas appetituum ponderibus promouet nullo simultaneo concursu: sed, si cæteris credimus, Deus Ioanni similis. Mundo non iam quà immensus, sed quà rector adest, et concursu suo simultaneo omnes causas commouet, et omnia cooperatur in singulis. Ergo quantam laudem Ioanni, tantam Deo concederes, si in Deo non maiorem scientiæ manifestationem fuisse, quàm in Ioanne sentires. Ergo vt de Deo dignè loquamur et sentiamus, debemus eius omnipotentiam et prouidentiam concipere qualem in Francisco concepimus: nimirùm seruatâ analogiâ, quæ esse debet inter infinitum finitumque, de quo non agimus, sed tantùm de necessitate illius simultanei concursus.

Applicatur exemplum.

CXXXIII. An actio, passio, & fieri, à suis fundamẽtis distinguantur

Quartò sic. Sunt multi, qui actiones et passiones distinctas ab extremis negant; quorum doctrina plurimis summè placet, & hodie in excellentissimis scholis defenditur. Si igitur inter voluntatem et eiusdem actum nulla actio mediat, nulla erit quæ dependeat à Deo. *Prætereà*. Si actio creaturæ non est aliquid realiter aut modaliter interiectum, neque actio Dei erit aliquis modus aut realitas distincta a termino. Ergo stando huic doctrinæ, non poterimus non stare fundamentis Durandi. Vel dicito, quî potest affirmari cooperatio realis aut modalis, vbi non datur realis aut modalis operatio?

RESOLVTIO.

Resolutio contra Scholam Durandi.

SIc ad Durandi mentem philosophari perplacuit; modò explicabo propriâ illamque ad hæc verba reducam *Simultaneus concursus (seu dicatur realiter, modaliter, aut saltem formaliter ab extremis distinctus, necessariò concedendus est. Omnia enim pendent à Deo; non solum in essendo, sed etiam in operando.* Nec vrgent rationes oppositæ.

CXXXIV. An circulus possit admitti?

CIrculus ille, qui obijcitur *num.* 88. neminem circumvenire debet; nâ Petrus est homo, quia est animal rationale, & est animal rationale, quia est homo, nec aliter scimus aut possumus rerum essentias explicare: vnde, illa dependentia, siquidem essentialis est, exponi alio modo non poterit. Ergo rationes quæ à *num.* 89. ponuntur, dissoluamus.

An productio sit aliquid

Ad primam concedo non esse multiplicanda entia sine necessitate; nego tamen nullam ponendi concursum simultaneum necessitatem esse. Et ratio est: quia creaturæ operatio, vel aliquid, vel nihil est: Si nihil, nihil producit: quod enim nihil est, non potest producere aliquid: si aliquid: creatum aut increatum: non increatum, creatum igitur, ergo à Deo dependens. Hæc ratio maximi momenti est, & debet medullitus considerari.

N. B.

CXXXV. An opinio Durandi sit in Europa probabilis?

Ad secundam condono posse è duabus sententijs probabilibus faciliorem præeligi; at nego Durandi opinionem, quæ concursum simultaneum excludit, hoc æuo videri probabilem. Rari eam hodie defendunt & omnes grauiter impugnantur. Pater Dola (Capucinus) ob hanc sententiâ obloquutiones multas patitvr: & Lalemandetius (Paulinus) non vult illam vt probabilem tueri, sed exercitij gratiâ proponere: & præter istos, vix est Theologus aut Philosophus altioris mentis qui Durando consentiat.

CXXXVI. An concursus simultaneus conducat ad futurorum cognitionem?

Ad tertiam, nullo alio meliori modo potero respõdere, quã verba Eximij & Reuerendiss. P. Hyacinthi Libelli producendo: ipse enim multis annis antequam vidisset Caramuelem) Theologiam in Minerua dignissimè profitebatur: & in Tractatu de Scientiâ Dei, agens de cognitione creaturarum Dubio II. inquirit, *An futura absoluta contingentia a Deo cognosci possint in decreto de dando concursu concomitante & simultaneo?* Vt respondeat supponit cum communi sententia dari concursum simultaneum, & infit: *Oppositam opinionem vicinam errori Theologi tradiderunt, & cum suo Authore Durando sepultam perpetuæ obliuioni mandarunt: nihilominus viuit hodie, (Caramuel) vir doctissimus, ingenio potens, scientiarum omnium peritia supra quàm dici potest instructus, ac apud omnes hac tempestate æstimatione incredibili, qui eam tumulo conditam ac sempiternæ obliuioni traditam, extumulare nisus fuit dicens*, &c. proponit postea hoc ratiocinium tertium, quod dignius solutione iudicat, & vt illud eneruet sic ait: [Similitudinem, quam prædicto argumento vir doctus inculcat, videtur desumpta ex Authore libri de mundo quicumque tandem ille sit, siue Aristoteles, siue alius quispiam, *Non secus*, inquit, *formas rerum omnium simplici motu citra difficultatem Deus absoluit, atque illi machinatores solent, qui instrumento vno dimittendo multos & varios effectus eruunt, aut illi præstigiatores iaciunt, quos neurospastas ob id appellant, quod imagiunculas animatas esse funiculis ductitandis ementiantur, hoc igitur modo natura diuina ab vno eodẽ, simpliciq; motu primò vim suam* &c. Vbi, vt videtis, prætatus author comparat Deum mouentem mundum homini, qui machinam composuit, vnoque simpliciſſimò motu etiam absens multos edit effectus

Sententiam durandi nõ docuerat, sed examinandam proposuerat Caramuel

De Mundo & automatis comparatione.

Illud etiam absens non reperio in textu isto quem cita.

CXXXVII. Et vt id obiter dicam, idem author lib 1. de mundo aliud exemplum dat quo ostendat posse fieri, vt Deus semel productis rebus illæ se moueant iuxta propriam naturam sine concursu simultaneo, illius scilicet qui ex eodem vasciacit globum, tesseram turbinem & columellam, nempe vnumquodque eorum modo accommodato suæ formæ mouebitur; aut si quis animal vnum aquatile aliudque terrestre, & aliud volucre á sinu suo emittat; planum est enim quod natabile & prosiliens enatauerit, vbi ei commodum est vicitare, terrestre ad suas ædes pascuaque sua erexerit, ad aërium è terra sublime rectum euolauerit; vna vtique eadem prima causa propriam eorum vnicuique naturam reddente. Sed hæc licèt verè & festiuè dicantur, Deo tamen applicari non possunt propter rationes quas Philosophi adducunt.

Aliud exẽplum.

CXXXVIII. Obiectioni respondet.

Sed redeamus ad argumentum ex auctomatis. Sic ergo in ea re cuiuscuius illa sit nobis discurrendum videtur. Omnia attributa, quæ sunt in Deo cum excellentissimo modo in eo sita sint, æqualem & eundem perfectionis gradum habent, adeò vt nec omnipotentiam superet sapientia nec sapientiam excedat omnipotentia &c nihilominus voluit Deus in aliquibus effectibus potentiam ostendere, vt in creatione mundi, in alijs misericordiam, vt in prædestinatione electorum, in alijs iustitiam

Interdum vnum Dei attributum magis manifestatur quàm alterum &c?

Quali sit cẽsura inuenda opinatio durandi?

tiam & iudicium, vt in perpetuo reproborum carcere in alijs ſapientiam vt in diſpoſitione rerum omnium, quæ tam admirando ordine ſibi obediunt ſeque iuuãt vt licèt inanimes æternam Dei ſapientiam ſemper & vbique prædicent, ex quo colligo effectum illum in quo potiſſimè diuina omnipotentia relucet, illum quoque in quo aut miſericordia aut ſapientia præcipuè reſplendet eſſe dignum Deo nec vnum cum altero de perfectione contendere: nec iactat creatio potentiam, ſuper gubernationem, quæ nec ſapientiam in præiudicium effert, omnipotentiæ, ſed ſorte ſuâ contentæ illis ſufficiunt ab omnipotentiſſimo & ſapientiſſimo Deo procedere, qui in tantum Deus eſt in quantum aliquando expreſſiùs omnipotentiam & aliquando expreſſiùs ſapientiam poteſt manifeſtare.

CXXXIX. Argumenta diuinæ omnipotentiæ.

Sed quid ad propoſitum? dicam breuiter, & ſi plura ſint: quæ Dei omnipotentiam demonſtrent, qualia ſunt creatio mundi, reſurrectio mortuorum Euchariſtię tranſſubſtantiatio & hîc me tamen iudice nihil eam aut eloquentiùs prædicat, aut vberiùs exagerat, quàm immediatus concurſus Dei ad quaſcunque operationes qui à Theologis *ſimultaneus* aut *concomitans* appellatur. Omitto operationes, quæ grandi naturæ diſſimilitudine diſcrepant, quales ſunt intelligere angelorum, & edere formicarum: illas, quæ immenſâ locorum intercapedine inuicem diſterminantur, quales illæ ſunt quæ in ſuprenâ cæli regione. & in inferioribus terræ viſceribus fiunt, illas quibus res longiſſimo tempore perſeuerantes conſeruat, quæ omnes omnipotentiam Dei admiſſo concurſu ſimultaneo efficaciſſimè probant.

CXL.

Ad eas animum mentemque conuerto quæ ob quâ faciliores eſſe videantur, ſuſpicienda tamen eſſe atque admirandam diuinam omnipotentiam luculenter oſtendunt, illas nempe, quæ Deum aut perpetuâ operatione non defatigari, aut aplicatione ad diuerſa non diſtrahi oſtendunt, cælum ſcilicet æterno motu rotare, perpetuas rerum generationes promouere, formas tam diſſentientes tamque inter ſe diſcrepantes excitare, & tamen nullo labore deteri, nullis curis vexari, aut angi. Etenim, ſi Rex poſſit ſibi ſolus parare ea: quæ ad neceſſitatem, aut ad commoditatem pertinent, ſcilicet, arare, occare, metere, ſine aliquo maieſtatis detrimento, ſuere, verrere coquinare ea quoque & ſine labore, & ſine diſtractione facere, abſque dubio laudabilioris conditionis eſſet illo, qui ruſtico, aut meſſore, qui ſutore, cerdone, aut coquo indigeret, ſemper enim indigentia, eſt nota indubitata imperfectionis: vnus Deus, qui immediato concurſu potens eſt omnia facere, qui non magis laborat, cùm habet curam de bobus, ac cùm Angelorum ordinem diſponit; qui tandem rerum viliorum miniſterio non inquinatur, adinſtar ſolis qui ab omni impuritate ſe præſeruat, ſiue ætherem ſiue limum illuminet, laudabilioris conditionis eſſet Deo qui hæc viliora permitteret à creaturis facienda.

Cur homines vtantur inſtrumentis?

Cur Deus non egeat?

CXLI. Retorquetur obiectio.

Vnde ſic in authorem argumentum retòrqueo. De Deo dicendum eſt quod grandius & excellentiùs eſt; at concurſus ſimultaneus maiorem potentiam oſtendit, quàm oſtendat carentia illius: ergo dandus eſt Et ſane potentior eſt Imperator Turcarum, qui vt audiui, voce hominum vtitur veluti horologio, horas ex altâ turri dictante, quàm priuatus quilibet aut infimæ plebis homo, qui ſibi horologium parui emit illoque in indicem horarum vtitur, cùm tamen vox concurſui ſimultaneo horologium concurſui primæ productionis comparetur.

horologia Turcarum?

CXLII. Quid præſtent inſtrumenta?

Et tandem prædicta inſtrumenta inuenta ſunt in ſubſidium noſtræ imbecillitatis, quæ ſi poſſet ſine defatigatione diſtractione aut modeſtiâ, ſibi ea quæ neceſſaria ſunt & quæ vult preparare, non machinas, non automata, non hydraulica, non horologia inueniſſet. *Hucuſque* progreſſi velitando; ſupponamus ergo dari concurſum ſimultaneum, & manum conſeramus ad pugnam, ſiue ad punctum principale titulo quæſtionis ſignificatum: ac. ſcilicet concurſus ſimultaneus talis ſit, vt in illius prædefinitione aut decreto poſſit Deus futura contingentia abſoluta prænoſcere?

Datur concurſus ſimultaneus.

CXLIII. Quid ille ſit?

Supponamus prætered concurſum ſimultaneum non eſſe aliquid præcedens actionem creaturæ prout à Deo quod in confeſſo eſt apud omnes Doctores, etiam illos qui extra noſtram ſcholam profitentur. Videre eſt, Suarez *de concurſu Dei cum voluntate c.* 4. & alios qui acceperunt à D. Thoma *lib.* 3. *cont. gent. c.* 70. & apertius *part.* 1. *quæſt.* 105. *art.* 5 *ad* 2. Ratio autem eſt, quia Deus non ſolum eſt cauſa omnium effectuum, quos producunt cauſæ ſecundæ ſed etiam omnium actionum, quas cauſæ ſecundæ eliciunt: nam tam effectibus, quàm operationibus cauſarum conuenit eſſe participatum, & conſequenter eſſe dependens & communicatum à primo ente: fieri autem non poteſt, vt Deus ſit cauſa actionis cauſæ ſecundæ, niſi actio cauſæ ſecundæ ſit a Deo, & non per aliam actionem creatam, ne detur proceſſus in infinitum.

Hæc

P. Libelli qualis?

Hæc omnia Reuerendiſſimus P. Hyacinthus Libelli, Ordinis Prædicatorum decus, S. Theologię Doctor & Profeſſor, quē poſt exantlatos multos labores in Theologiâ ſanctiſſimus D.N. promouit, & denominauit Indicis Secretarium. Eſt Vir ſuauiſſimus & doctiſſimus; &, ſi vitam illi concedat Deus, ad ſummas dignitates perueniet.

CXLIII. *AD quartam* rationem Durandiſtarum venio, & reſpondeo in eorum opinione, qui actionem et paſſionem ab extremis (illam ab agente, et hanc à paſſo) non diſtinguunt realiter, nec modaliter, dari adhuc concurſum Diuinum, actiuum nimirum, et paſſiuum: at illum à decreto ſeù volitione diuinâ non diſtingui, hunc non diſtingui à creaturis, quæ debent creatori obedire: cauſa enim efficiens Deo iubente operatur, materialis ſuſcipit, et formalis informat.

Subtilia, aut etiam difficilia erunt hæc, ſunt enim variæ de actione et Paſsione ſententiæ, et iuxta diuerſas debet ſimultaneus Dei concurſus aliter et aliter dilucidari. Sequentes periodos perpende.

Tres de Actione & Paſſione ſẽtentiæ. N.B. Hæc ſecunda ſententia videtur aut auferre actiones, aut illas eſſe indiſtinctas ab agẽte docere. Sed de hoc alibi.

Inter Agens et Patiens duas entitates Realis Schola collocat: videlicet, Actionem et Paſſionem: quarum illa cauſam efficientem afficit et denominat; iſta paſſum, Priorem adſtruere nonnulli, iudicantes poſteriorem ſufficere; illamque, prout egreditur ab agente, Actionem; et prout ſubiecto ineſt, Paſſionem nominarunt. Tandem alij è Reali Scholâ egreſſi ſubſcribentes Formali, ad formalitates recurrentes realitatem abſtulerunt vtramque: dari de facto Actionem et Paſſionem, inter ſe realiter diſtinctas: at illam identificari agenti, iſtam paſſo.

CVI. An cooperatio diuina ſit realiter diſtincta ab extremis?

In omnibus his opinionibus concurſus Dei ſimultaneus admittitur: ſed modo diuerſo explicatur. Et vt ab vltimâ incipiam, ſi cauſæ ſecundæ actiua & paſſiua operatio datur de facto in mundo, nec tamen realiter ab extremis diſtincta, cooperatio diuina non debebit realiter diſtingui ab extremis: Ergo in iſtâ opinione concurſus ſimultaneus actiuus dabitur; dabitur & paſſiuus: at ille, vt paulo ante dicebam non erit realiter à Dei voluntate diſtinctus, & iſte non erit realiter diſtinctus â cauſâ efficiente ſecundâ, quæ in eſſe & agere pendet à Deo. Ergo in iſtâ ſententiâ hæ duæ poſitiones ſunt veræ, *Datur concurſus ſimultaneus*, & *Non datur*: puta ſi prior intelligatur de concurſu extremis identificato: & ſecunda de concurſu realiter ab extremis diſtincto.

Oppoſitæ ſententiæ conciliantur. S. Auguſtini mens.

CXLVI. Sed hîc obiter noto, hanc ſententiam videri à S Auguſtino reiectam: quoniam Diuinus iſte Doctor libr. 5. Geneſ. ad literam cap. 20. ex Scripturâ probat Deum ad effectus cauſarum ſecundarum immediatè concurrere, et ſic inquit. *Sunt, qui arbitrentur tantummodo Mundum ipſum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipſo mundo, ſicut ille ordinauit & iuſſit. Deum autem ipſum nihil operari: contra quos profertur illa ſententia Domini, Pater meus vſque modo operatur*: et infra, *Deinde, quia non ſolum magna & præcipua, verum etiam terrena iſta & extrema (externa) ipſe operatur. Ita dicit Apoſtolus, Tu nudum granum ſeminas, Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & unicuique ſemini proprium corpus.* Ecce Auguſtinus inter velle iubere et ordinare ex vna parte, et facere et operari ex alia diſtinguit; quæ tamen ſententia præcedens non diſtinguit. Ergo Auguſtinus eſt Philoſophus Realis, vultque vt præter actionem immanentem, quâ Deus vult, iubet, et ordinat, detur alia tranſiens, à Deo realiter diſtincta, et creaturis inhærens, per quam Deus cooperetur et agat: et hoc iuxta ſecundam ſententiam, quam iam expono.

Opinio cõmunior.

Et quidem ſecunda, meo iudicio eſt omnium ſententiarum facillima, et obtinet hodie in Scholis. Quando enim manum ignis calefacit, idem *fieri*, prout ineſt manui, eſt Paſſio; prout oritur ab igne, eſt cauſæ ſecundæ operatio: & prout oritur & dependet à Deo, eſt ſimultaneus concurſus cauſæ primæ. Etiam in hac ſententiâ illæ duæ poſitiones *Datur*, & *Non datur concurſus*, diuersâ acceptione ſunt veræ: datur enim identificatus operationi ignis, & non datur ab hac ignis operatione ſeu actione diſtinctus.

Fieri, actio, Paſſio, & concurſus Diuinus eadẽ res, diuerſimodè conſiderata.

CXLVII. An actio ſit in agente, & paſſio in paſſo.

Prima ſententia concurſum ſimultaneum Dei maiori labore defendit. Nam, ſi actio ſit in agente, agens priùs eſt paſſum quàm agens: &, ſi actio pendet à Deo, debet per aliam dependentiam; quam, quia male explicari poterat, nonnulli auſu temerario negarunt. Dicendum igitur eſt primò, ſi actio eſt in agente, vt aſſerit ſententia prima; actio cauſæ ſecundę poteſt diſtingui realiter ab agente, at actionem cauſæ primæ non poſſe; Deus enim accidentium & relationum realiter à ſubſtantiâ diſtinctarum eſt incapax. Ergo etiam tunc hæ duæ poſitiones, *Datur*, & *Non datur*, ſunt veræ datur enim operatio diuina, quæ non ſolùm ignis eſſentiam & ſubſtantiam conſeruat, ſed etiam illum in operatione ſuâ adiuuat, & cum illo concurrit. At iſte diuinus concurſus non eſt diſtinctus realiter à voluntate diuinâ. At verò, ſi nomine concurſùs velit aliquis intelligere actionem diuinam â Deo realiter diſtinctam, iuxta hunc modum dicendi, ille non datur.

An actio diuina ſit in Deo?

An Deus accidentium ſit capax?

CXLVIII. Thomistarum opinio.

VT melius hæc doctrina intelligatur, proderit aliquos Viros Magnos audire.

P. Philippus à Sanctissimâ Trinitate Carmelita excalceatus hanc primam sententiam tuetur, & curiosè discurrit: Ergo vt melius Quæstio ista intelligatur, lineas aliquas ex eius Philosophiâ subscribo. Ipse igitur *part. 3. quæst. 16. art 2.* ponit hãc Conclusionem. *Actio definitur à Gilberto, quod sit forma secundum quam in id quod subijcitur, agere dicimus: Passio verò quod sit actualis receptio termini producti per actionem.* & istam Conclusionem sic explicat. [Respondeo dicendum prædictas definitiones Actionis & Passionis acceptari à Philosophis cum S. Thomâ *opusc* 48. *art* 5. possunt autem clariùs tradi sub alijs verbis, Actio est *causalitas causæ efficientis*; siue *actus secundus potentiæ operatiuæ*: siue *est accidens, à quo res constituitur actu producens.* Passio autem *est actus secundus potentiæ passiuæ*, seu *accidens, à quo res constituitur actu recipiens, &c.*) Ecce huius seueriſſimi Thomistæ opinione Actio est accidens, quod ineſt agenti, et Passio est accidens, quod ineſt passo. et quomodo concurrit Deus? Hoc explicat I 2. *eiusdem summæ Philosoph. quæst.* 11. *art* 1 in quo hanc Conclusionem statuit. *Cùm prima Causa sit ens per essentiam; & actio causæ secundæ sicut et quodlibet aliud, sit ens per participationem; causa secunda constituta in actu primo per suam virtutem actiuam, non potest agere sine concursu causæ primæ.* Ergo indiget simultaneo concursu. Sed quali? Debet esse actiuus, et actio est inagente asserente P. Philippo: et accidentium Deus est incapax. Ergò erit difficile istum concursum explicare, nisi ex esse à posito fundamento velimus. Iterum illum audiamus, nam in responsione ad tertium inquit: *Causa prima & secunda concurrunt per eandem actionem.* Sed quomodo? potest-ne actio causę secundæ in hac sententiâ, quæ docet actionem agenti ineſſe, esse actio causę primæ? non potest. Quo ergo modo? Debuisset P. Philippus præuidisse hanc instantiam, & illam præoccupasse hac doctrinâ: sic inquam. Actio ignis, v.g potest dupliciter considerari, vel vt dependens, vel vt ratio, per quam calor productus, ab agente dependet: primo modo influit in illam Deus per actionem à suâ volitione indistinctam: secundo modo est actio causæ secundæ per quam influit Deus in effectum.

CIL.

Thomista est P. Philippus, & seuerus videri vult, & tamen vnicã actionem cõmunem Deo & creaturæ admittit: interim P. Ildephonsus de Peñafiel *in Physica. disp 9. quæst. 3 sect. 1.* esse communem apud Thomistas eam sententiam asserit quæ binas actiones admittit, & *sect 2. num 6.* propriam mentem exponens ait Causam primam secundamque per vnicam actionem concurrere. At ipse hanc Conclusionem facili negotio tuebitur, non enim actionem quæ insit agenti admittit, sed quæ insit passo, & extrinsecè causam efficientem denominet.

Actio ineſt agenti, & Passio passo

An Deus per actionẽ distinctam ab actione causæ secũdæ concurrat?

NOTA.

CL. De seuera argumentandi methodo.

THeses Reales reperiuntur in Seuerâ argumentandi methodo: & in ipsis concursus simultaneus distinctus realiter abextremis conceditur: qui in Scholâ Modali distinguitur ab extremis modaliter. Sed quia in alijs Thesibus negatur Deum concurrere influxu simultaneo distincto iuxta Scholam formalem, & asseritur concurrere influxu simultaneo indistincto, proderit hinc lucem sumere, si ibi obscuritas esse videatur. Recuditur modò ille liber, & omnia reponuntur clariùs

QVAESTIO SVBCVRRENS.

An possit Deus pro libitu cessare a concursu immediato in actiones creaturæ substituendo aliam causam, concursuram efficienter loco sui?

CLI. Proponitur quæstio, & certa ab incertis separantur.

Hæc quæstio supponit Durandi sententiam negantem concursum simultaneum esse falsam Non quærit, an de absolutâ potentiâ vera esse possit? (& in hoc hallucinantur multi, cùm veniunt ad hanc difficultatem) supponitur enim, non posse Deum cessare à concursu simultaneo, quin aliam causam loco sui concursuram substituat: & quæritur, an sit possibilis hæc cum substitutitione cessatio? videlicet, an creauerit Deus aliquam causam (puta angelicam) aut saltem aliquam creare possit, quâ concurrente ad humanas actiones v.g. possit Deus cessare à concursu immediato, & ad easdem hominum operationes immediatâ cooperatione non concurrere?

CLII.

Hoc sensu hanc Controuersiam tractat & expendit Arriaga *in Physica disp.* 10. *sect. 1. subsect 3.* vbi multa acutè & eruditè congerit, quæ possunt apud eundem legi. At ego hæc pauca impresentiarum exscribo

Numero illa 28 sic inquit, [Hæc est secunda pars difficultatis supra tactæ, & quidem ardua valde, vt ex totâ præcedenti subsectione manifestè constat: est enim ferè idem cum præcedenti; differt tamen in hoc, quod ibi quærebatur, *An naturaliter omnes creaturæ operationes immediatè à Deo petant oriri?* hic autem adhuc minus quæritur, *An scilicet, licèt id petant ex natura sua, possit tamen Deus diuinitùs hunc concursum suum alteri committere?* Hanc olim tetigi, sed valde breuiter; quam videò posteà ab alijs fusiùs tractatam, inter quos Hurtadus *disp.* 10. *à* §. 28. *qui* §. 33. docet sen-

Hurtadi opinio.

ſententiam affirmantem, poſſe Deum alteri hunc immediatum concurſum permittere, nullo argumento firmo impugnari; propter cenſuras tamen Scholaſticorum, non tenendam; in contrariam ergo ipſe inclinat. Alij verò aliquantò audaciores in neutram ſe determinant.]

An ſit audacia iudiciũ ſuſpenſum habere?

Et num. 32. ſub finem ait: [Ego in hac quæſt. fateor me non inuenire repugnantiam, tamen quia per hoc minuitur quodammodo depẽdẽtia creaturarum à Deo, putarem id non poſſe fieri, & quia male apud Theologos audit ſententia Durandi, quã iſte modus dicẽdi videtur etc.]

Arriagæ opinio.

CLIII. Reſolutio.

Ego in hac difficultate facili negotio me expedio. Sic inquam. [Tres ſunt propoſitiones connexæ: Prima, *Deus non concurrit cum cauſis ſecundis immediatè*: Secunda: *Deus, concurrit quidem immediatè, at de potentia abſoluta poteſt non concurrere.* Tertia: *Deus concurrit immediatè de facto, & non poteſt ab hoc immediato cõcurſu ceſſare, quin aliam cauſam loco ſui concurſuram ſubſtituat: at poteſt iſtam ſubſtituere, & illam ſubſtituendo, a concurſu immediato ceſſare.* Ergo, vel omnes tres ſunt probabiles, vel nulla eſt probabilis: rationes enim quę vnam ex ipſis eſſe probabilem ſuadebunt, alias eſſe probabiles etiam ſuadebunt. At prima eſt improbabilis, vt paulò antè vidimus: cæteræ ſunt connexæ: ergo etiam improbabiles ſunt.

THESIS IX.

De Conſeruatione.

CLIV. An omnis entitas naturaliter eſſe deſideret?

Omne Ens deſiderat conſeruare ſuum eſſe, inquiunt Philoſophi: ſed non probant: & nos contrà id non poſſe probari propugnabimus. parati reſpondere cuicumque. Sed quid de conſeruatione ſentimus? Omne ens creatum appetitu innato tendere in ſui non-eſſe. Hinc eſt qualitates omnes & omnes illas realitates, quæ gradus habent, paulatim ſeneſcere & remitti, nullo vrgente aduerſario: illas accidentarias eſſentias, quæ conſiſtunt in motu, in quietem, hoc eſt, in non-eſſe, procurrere. Rarefacta ad condenſationem feſtinare: vt vel ſic conſtet, omnia aut ferè accidentia mera ſenectute deficere, appẽtitu & vi intrinſeca ex eſſe ad non eſſe impellente. Hinc argumentum ad ſubſtantiam deducitur: nam ſi forma ſubſtantialis gradus habet, eodem modo, quo accidentia (analogia nempe ſeruata) demoritur; Si autem gradus non habet: conſiſtet in indiuiſibili, & tunc tandem peribit, cùm diſpoſitiones ad ſuam conſeruationem neceſſariæ. Sed quid dicemus de Materia prima: quo nomine intelligi volo primum ſubiectum, quodcumque illud ſit? An appetitu illud innato in mortem tendit? Et ſi tendit; Cur non petit in ſingulis inſtantibus, ſiquidem conſiſtit in indiuiſibili: Poſſet quis dicere ſuis Materiam-primam meritis non-niſi vnico inſtanti duraturam, at quia ſingulis inſtantibus à Deo producitur (conſeruatio enim eſt continua creatio) poſſe pluribus exiſtere & perſeuerare.

Seneſcunt omnia.

An ſubſtantialis forma gradus habeat?

An materia prima inſtantibus ſingulis reproducatur?

CLV. Hebræorũ antiquorum doctrina.

EX dictis lucem habere poteſt Rabbinorum veterum opinio, quam faciliùs falſam dixeris, quàm falſam probaueris. Dicunt enim creaturas vnico inſtanti durare, & quæ videntur durare pluribus, pluries reproduci. Accidentia eſſe ſingulis inſtantibus noua; & à prioribus diuerſa. Quæ omnia nos cum aliqua limitatione admittimus, vt conſtat ex Theſeos contextu.

Volui aliquando in hoc ſubſtantiam ab accidente diſtingui, quòd illa appetat *eſſe*, hoc *non-eſſe*: quâ doctrinâ præmiſsâ meliùs videbantur intelligi Definitiones, quę à Philoſophis circumferuntur: videlicet, Subſtantia *eſt ens per ſe*: *eſt exiſtens per ſe*

se. Accidens *est entis; est ens non existens per se*. Sed si ideò accidens in *non esse* tendit, quia est forma, omnes etiam formæ substantiales tendent in nihilum; & si ideò ad *non esse* festinat, quia est creatura & finitâ perfectione præditum etiam tendent in nihilum non solùm formæ substantiales sed ipsamet materia prima.

Louanij in Disputationibus pro Doctorali Laureâ sic substantiam volui ab Accidentibus distingui: nempe quod Essentia diuina & accidens opponantur ex diametro: illa infinitè petat existere quia est infinita; & hoc petat non existere, finitè tamen; quia est finitum: Et inter hæc duo opposita extremam substantiam creatam collocaui, quæ nec petit *esse*, nec *non esse* Vnde concludebam, Accidentia senescere, remitti, & tandem deperire, nullo corumpente contrario; at substantias nisi corumpantur diuinitùs, æternas esse, & vt hoc vltimum suauiùs possem defendere, addebam, ptæter Humanam, quæ est substantia, omnes omnium Plantarum & animalium formas esse accidentarias: & in Hominum obitu nullam substantiam deperire entitatiuè, sed Corpus & Animam, quæ nexu intimo erant conuncta, seperari.

An substantiæ sint perpetuæ & æternæ? Omnia corpora præter humanum carent ne orma substantiali? Discrimen inter Deum & creaturas.

At re medullitùs examinatâ ita hodie Creatorem à Crauturâ distinguo, vt dicam illum æternum & immutabilem, hanc temporaneâ & mutabilẽ, hæc enim agẽtiũ externorum impetu aut crescit aut minuitur: & sibi derelicta nullo extrinseco agente impellente. sed naturæ suæ pondere tendit in nihilum; vnde emersit: tendit inquam per gradus, si illos habeat: & instantaneo motu, si illis careat. Quod si aliquæ entitates videantur persistere, hoc debetur, non earumdem naturæ, sed liberalitati Conditoris. Hinc Damasceno Lux. *Angelus*, ait, *est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea: Deo ministrans: gratia & non natura immortalitatem suscipiens: eius substantiæ speciem & terminum solus, qui creator est nouit*. Ita ille *libr. 2. cap. 3.* Mutabilitas de quâ loquitur, est radix & appetitus tendendi in nihilum; vnde supponens hanc esse bonam consequentiam, *Est mutabilis, Ergo corruptibilis*. ait: *natura Angelorum mutabilis est, quia in est illis mutabilitas in natura: sed fecit eos incorruptos charitas sempiterna*, & iterum; *Angeli sunt natura mutabiles conditi sed facti contemplatione immutabiles, animo impassibiles, mente rationales, stirpe æterni, & beatitudine perpetui*. Sicut de Angelo, sic de rationali Anima debebimus philosophari: quod ratio euincit, & concessit antiquitas. Nam Apollo Mylesius consultus, *An Anima mortalis esset* respondit his versibus

An Angeli sint immortales?

An etiam rationales animæ?

Ψυχὴ μὲν μέχρις &c. hoc est.

Anima quidem quoad vinculis corporis tenetur,
Corruptibiles passiones sentiens mortalibus cedit doloribus.
Cum verò humanam solutionem velocissimam.
Post corruptum corpus inuenerit, omnis in æthera fertur.
Nunquam senescens, & manet in æthereum sine pœna;
Primogenita enim hoc diuina dispossuit Prouidentia.

vbi vides Animam ideò esse æternam, ideò non senescere, ideò non mori, quia sic dispossuit prouidentia diuina. Ergo nisi à Deo illa conseruaretur (hoc est continua creatione produceretur: aut si sic velis loqui, singulis instantibus recrearetur) ictu oculi ad *non-esse* rediret, & ad nihilaretur.

NOTA.

CIVI. Controuersia curiosa.

Quæri hic potest, *An-ne Anima rationalis recipiat magis & minus?*

Eam recipere magis & minus in passionibus & actibus, manifestum est quod & Apollo Mylesius paulo antè confessus. In entitate posset, si esset diuisibilis.

Varietas in homine vnde fit?

Posset dici eam in radicatione recipere magis & minus, & rationis maioris aut minoris radicationis esse vegetam languidamque: & tandem in morte Hominis non deperire, sed eradicari & tandem deuniri solummodò: Quam ego doctrinam sæpe propugnandam suscepi, nec vidi qui contra aliquid obijcere posset, quod aliquâ solutione indigeret.

CLVII. Lucretij error.

Hinc placet examinare opinionem Lucretij, qui de rerum naturâ Lib III. ab experientiâ & sensu argumenta desumit, aitque.

Prætereà gigni pariter cum corpore, & vnà.
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri teneroque vagantur:
Corpore, sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde vbi robustis adoleuit viribus ætas.
Consilium quoque maius, & auctior est animi vis.
Post vbi iam validis quassatum est viribus æui.
Corpus & obtusis ceciderùt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat lingua que mensque,

Omnia

Omnia deficiunt, atque vno tempore defunt:

Et infrà ex dictis concludit

Quapropter fateare neceſſe eſt, quæ fuit antè
Interijſſe, & quæ nunc eſt, nunc eſſe creatam.

Concedimus ergo Lucretio vires ingenij creſcere et decreſcere, et eiuſdem incrementa & decrementa corporis conſtitutionem & ætatem concernere: at negamus inde colligi poſſe ipſammet Animam entitatiuè augeri aut minui, negamus ex morte Hominis probari Animæ interitum: Eadem enim Anima, cùm profundiùs radicatur, operatur intenſiùs: et cùm minus profundè, remiſſiùs. Et tandem cùm tota eradicatur, ſeparaturque, moritur Homo, non Anima; adhuc enim hæc in ſeparationis ſtatu viuit, et perſeuerat. Nam, vt ait Ouidius Metamorph. 15.

Morte carent animæ, etc.

Mors hominis interitū animæ non ſuadet.

et vt Propertius 4.7.

Sunt aliquid Manes. Lethum non omnia finit,
Luridaque euictos effugit vmbra rogos.

HAEC SVNT,

Quæ ex Scholaſticâ Theologiâ præponenda eſſe cenſui, vt Deus gratiæ et bonorum omnium Author, et Cauſa prima, meliùs cognoſceretur; puto enim radicitùs non poſſe cognoſci Morales ſcientias Scholaſticis ignoratis. Priores et poſteriores Theſes (illas de libero arbitrio, has de Omniſcientiâ et omnipotentiâ) non expono defendendas, ſed examinandas ſubijcio; et oro, vt ſine vocum et iniuriarum ſtrepitu (nam multi hodie furiunt, ſi conſulantur) me iuuare dignentur, et oſtendere, cur debeant vel admitti, quæ nego; vel quæ admitto, negari.

Authoris votum.

FVNDAMENTVM II.

De prima Veritate, & prima Veracitate.

CLVIII. Sacramentorum numerus.

EST infinitè ſapiens Deus: eſt infinitè bonus. Quia eſt infinitè ſapiens, falli non poteſt: & quia infinitè bonus, non poteſt fallere. Omnia ergo, quæ à Deo reuelata, ſunt certa. Hæc eſt veritas, quam præter Chriſtianos, etiam Iudei ac Mahometani admittunt; nam in hoc ſyllogiſmo; *Quidquid Deus reuelauit, eſt verum: At reuelauit Deus ſacramenta eſſe ſeptem: Ergo verum eſt eſſe ſeptem*: Lutherani & Caluiniani negant conſequentiam, non quod de maiori dubitent, ſed quod minorem falſam credant.

Cur differant à nobis Hæretici?

CLIX. Humana veracitas quanta?

DEus eſt veritas prima, eſt veracitas prima: homo eſt mendacium, homo eſt mendax: & ſi quis fide dignus fidei diuinæ compos eſt. Sed vnde ſcio veritatem principem non poſſe falli, veracitatem principem non poſſe fallere? Si enim alterutrum demonſtrare non potero, tota mea doctrina vacillat. *Porrò non poſſe falli Deum*, Infinitas ipſa demonſtrat: ſapiens, eſt, & quia nō eſt finitè ſapiēs, eſt infinitè: ergo habet ſapientiam, quæ omnem ſcientiam exhaurit, quâ maior, quâ melior nec eſſe, nec concipi poteſt; habet igitur ſapientiam infallibilem intellectus enim qui falli nequit, illo qui fallitur & decipitur, nobilior eſt. Et *Deum* non poſſe fallere demonſtrat veritas: qui enim alios decipit, bonus non eſt; & qui poteſt decipere & non decipit; eſt, quidem bonus, ſed eſſe malus poteſt: Ergo ſi Deus ita eſt bonus vt infici non poſſit malitiâ; ita erit verax, vt dicere mendacium non poſſit. Hanc rationem confirmat generalis diſcurſus, qui ad hos terminos reduci poteſt. *Omnis perfectio realis, omnis moralis, imperfectione omni ſublata infinitè competit DEO. Sed eſſe fide dignum eſt prærogatiua, eſt perfectio: & dedecus carere fide: Ergo Deus eſt infinite fide dignus. Ergo Deus mentiri non poteſt*: nam ſi mentiri quidem poſſet, ſed nollet, non eſſet iam dignus fide, quàm ſi non poſſet.

Cur neque at fallere?

Cur Deus falli non poſſit?

Deus mentiri non poteſt.

FVN-

FVNDAMENTVM III.

De Eccleſiæ Romanæ ſecuritate & Infallibilitate.

CLX. An Eccleſia in fidei articulis errare poſſit?

VEra Eccleſia in ſubſtantialibus articulis errare non poteſt. Cum loquitur Eccleſia vera, Deus loquitur *vt quod*, & illa *vt quo*. Eccleſia Romana ſola eſt vera: Ergo ſola eſt infallibilis, & ſola verax. Eccleſia Lutherana, Caluiniana, &c. (ſi Eccleſiæ vocari ipſæ poſſunt) non eſt vera. Igitur Romana in ſubſtantialibus Articulis errare non poteſt: illæ poſſunt. Et, quia eidem, quæ errare non poteſt, contradicunt; illæ ſolent. Atqui omnia, quæ Iuſtificationem, Sacramenta, Gratiam & Gloriam concernunt ſunt ſubſtantialia: Ergo in his omnibus errare Eccleſia Romana non poteſt.

An Eccleſia loquatur vt quod: an vt quo?

Quæ ſint ſubſtantialia in Religione catholica?

CLXI. Eccleſiæ authoritas in Philoſophicis.

COnſultò diſtinguo ſubſtantiales articulos ab accidentalibus: nolo enim ingredi illam quæſtionem, quæ inquirit, *An ſi Eccleſia Romana aliquam controuerſiam merè Philoſophicam, & quæ nec mores nec fidem concerneret, definiendam aſſumeret, habitura adhuc eſet certam & infallibilem Spiritus-Sancti adſiſtentiam?* hanc alibi controuerſiam examino, & exiſtimo propoſitiones merè Philoſophicas, aut non definiendas ab illâ, aut infallibiliter definiendas: Nullus enim foret in Eccleſiæ definitionibus error, qui indirectè in fidei articulos non incideret, & ipſiſſimos ſuſpectos redderet. Deus, qui reuelare ſubſtantiales propoſitiones voluit, accidentales potuit: imò et reuelauit nonnullas, ſine quibus conſiſtere poſſet Eccleſia. Multa ſunt in ſacrâ ſcripturâ veteri et nouâ ad melius; multa ad eruditionem; multa ad ſolamen; multa ad neceſſitatem; et tamen omnia ſunt æquè vera, æquè certa, æquè de fide: nam omnia reuelata à Deo.

Deus multa quæ ad melius, reuelauit.

COROLLARIVM.

CLXII. In vnicam omnes controuerſiæ coincidunt.

OMnes controuerſiæ, quæ hodie in orbe Chriſtiano ventilantur, magno poſſunt Catholicorum bono ad vnicam quæſtionem reduci. Demonſtratur: Nam ſi ſemel conſtet Eccleſiam veram errare non poſſe, & demonſtretur Eccleſiam Romanam veram eſſe, ſtabit Eccleſiam Romanam nec fallere, nec fallere poſſe: quam ob rem omnes Heterodoxæ Controuerſiæ ad iſtum Syllogiſmum reducentur: videlicet. *Quidquid Romana Eccleſia definiuit, eſt verum: At illa hoc definiuit: &c. Hoc ergo eſt verum.*

CLXIII. Hæc omnia legantur accuratè & attentè.

MVlta in vnum congeſſi; quorum, ſi ſingula bene probentur, triumphabit in hoc libro Orthodoxa Religio, quæ in alijs, quos Viri doctiſſimi ſcripſerunt, etiam triumphat, et certiſſimis argumentis firmatur. Perſpicuitatem amo; et ideò ſub ipſum initium agam de Fidei et morum diſcretione.

Porro

Porro Romanæ Ecclesiæ Veritatem et Veracitatem, quam Fundamentum II. statuit, clarissimè demonstrandas assumo: nec patiar, terrena cœlestibus, et humana diuinis commisceri, distinctè enim discurro, & volo oculis discretissimis legi. Catholicorum aut etiam Acatholicorum mores Ecclesiasticos & Sæculares, antiquos nouos, vsus abususque, distinguo à Religione & Fide; nec volo examinare, quid fieri soleat, sed quid debeat. In quadam epistola Maurum alloquens Antonius de Gueuarâ *Pono calamum* ait, *& oro Deum, vt tuos mihi indulgeat mores, tibi meam fidem*: & meritò; contingit enim aliquando vt in bonâ religione non nulli perditissimè viuant, & alij in malâ modestissimè. Hinc satisfit omnibus Hetèrodoxis, qui à priuatis aliquorum hominum moribus argumenta desumunt; nam neque apud nos omnes sunt mali, nec apud ipsos omnes probi: sed vtrobique reperiuntur nonnulli moralium virtutum cultores, & vtrobique etiam contemptores nonnulli. Et, si de Sanctitate, quæ in omnium virtutum obseruantiâ consistit, inquisitio procedat, apud nos inuenientur perpauci, & apud Hęreticos nullus.

Debent mores à Fide distingui.

D. Antonius de Gueuara.

CLXIV. P. Valerianus Magnus Hinc debet incipere Hęreticorum conuersio. Hinc incepturus erat Marcellus II Summus Pontifex, sed morte præuentus non potuit. Ni corrigantur nostri mores, frustra libri scribuntur, & cum Hæterodoxis disputatur.

Fateor ait Valerianus Magnus in Iudicio de Catholicorum & Acatholicorum Regulâ credendi in Prologo Bibliistis inscripto *fuisse subfinem (initium potiùs) superioris seculi* [subintelligo sub annum MD. & MDX.] *cur homo amans boni publici ac prudens voluisset reformari apud Nos pleraque* [Nota benè; *pleraque* dicit non *aliqua*] *salua Fidei integritate, nusquàm deformata. Fuerat ea tempestate Catechismus Christianæ Plebi rarus* [in multis locis etiam hodie] *ignorantia frequentior* [& hodie etiam inter doctissimos Viros, qui serpunt, multi sunt ignorantes in alto] *mores in populo corrupti, vsque ad orbis scandalum* [at hodie vix datur scandalum; non enim scandalizantur summè boni, nec summè mali. [*Insederat animis ex insciția illa frequens superstitio in cultu Sanctorum; in deuotione erga Sanctorum Reliquias*: [& hanc ipsam video altas radices egisse alicubi, creuisse alibi; & vix ab ignorantiâ separari.] *Inuaserant plerosque Ecclesiasticorum* [Magna est Valeriani sinceritas; *plerosque* iterum dicit, non *aliquos*] *ambitio, Simonia Pompa. Delitiæ, Quæstus etiam ex Iurisdictione Ecclesiastica grauis populo Christiano Ipsæ Indulgentiæ à priuatis Ecclesiasticis sæpe trahi videbantur in nundinas.* [Anne correcta singula? Vociterantur, qui tanguntur, cùm vel leuiter insinuatur veritas] *O tempora! O mores! Sedo tram Diuini Numinis! Defuit qui ex postularet opportunã reformationem; nec tamen defuere, qui in orbe crearent secessionem ab Ecclesia Romana.*

CLXV. Martini Lutheri delectio.

Incepit Martinus Lutherus contra abusus Indulgentiarum concionari: & quam diu contrà abusus solummodò, piè & sanctè, Reperit, qui propugnent, quæ præstaret corrigere, exacerbatusque ad alios abusus trasgreditur, & salua Fidei & Ecclesiæ vnitate corrigi singula vult, quæ carpit Magnus In Colloqu. Conuiual titul. de Sacram. fol 211 iuxta editionem Isleb. *Quoad ipsam Substantiam & essentiam attinet*, inquit, *Sacramenta & Biblia nequaquam abolet Papa. Veruntamen cogere nos vult* [sed non erat Papa, Martinê, sed Ministri, qui eius nomine inuidiam Germaniæ concitabant] *vt ijs ex ipsius arbitrio & nutu vtamur. Non negat opus ipsum sed vsum. Itaque omnes meæ Disputationes Scriptiones & Actiones sunt contra abusum Pontificis*, [aliquorum Ministrorum potius eius nomine abutentium] *directæ*. Et iterum, *Tota dissentio est de quibusdam abusibus, qui sine authoritate*] hoc est à Ministrorum auaritiâ & malitiâ] *in Ecclesias* [plurali vtitur numero, vt priuatas intelligat] *irrepserunt*. & rursus, *Cum Ecclesiæ* [iterum priuatas intelligi] *apud nos de nullo articulo Fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica, tãtùm paucos quosdam abusus omittant.* Quæ omnia verè potuerunt dici sub initium: quamdiu non res ipsæ, sed modus excessusque reprehendebantur.

Hæc omnia verè potuerunt dici sub initiũ, sal. ò postmodũ, cum ipsamet Fidei substantia, à Luthero & eius Assecłis oppetebatur Quamobrẽ dici omninò debebit: his verbis abuti Philippũ Melanthonẽ in Confessionis Angustanæ art. 21. pag. 22. iuxta Ijbrum Concordiæ, qui editus est Lipsiæ an. 1580.

CLXVI. Someus. Couellus. HoKerus. Bunius. Henricus Fiz. I. Caluin.

Impatientia transiuit in animositatem, huic Zelus indiscretus successit; vt enim ex Some. in def. contr. Penrie pag. 176. Couello in defens. HoKeri pag. 68. & 72. Edmundo Bunnio in sua pacificatione, & alijs Hæreticis Catholicisque P. Henricus Fix in suo Britannomachiæ lib 1. cap 10. pag. 76. colligit *iudicio omnium eruditiorum, in defectionis initio* (& vtrimque vt existimo) *ignaro zelo laboratum*. vnde Caluinus art. 2. contr. anabapt. *Cum sub specie perfectionis imperfectionem nullam tolerare possumus, aut in corpore aut in membris Ecclesiæ tunc Diabolus nos tumefacere superbia & hypocrisi seducere moneamur.* Indiscretio & superbia retusæ Irritationem peperêre; morbum grauem; quem lucrum reddidit immedicabilem: nam vt ab annis plurimis expertus sum, verissima est sententia Bunij in suâ Pacificatione post finem, & aliorum dicentium, *Hodie esse manifestum* [*N. B.*] *non ex conscientia aut fide, sed ex commoditatum seculi amore homines prætensæ Reformationi adhærere.* Incepit ab irritatione Hæresis in Germaniâ, fouetur auaritiâ & lucro: & nonnulli Catholici dum nimium feruidè caduca curant, Hæreticos vehementius irritant, et eorundem conuersionem, aliàs facilem, difficillimam reddunt. Sunt, qui Hæretici, Homines rationales, studiosi etiam et eruditi, et nisi irritatione excœ-

Hodiernæ Hæreseos causæ.

Bunius.

centur, ad nos paulatim redeunt, etiam fæpè cùm abire dicuntur. Nam si singula examinemus, antiquos errores remiserunt, & ita in aliquibus philosophantur, vt si Ecclesiam admitterent, facili negotio sanarentur, Hæresim suam merâ irritatione & auaritiâ fundatam non posse diu subsistere, sed debere paulatim deficere; & fore vt Lutherani paulatim ad Ecclesiam rediret, præuidit Martinus Lutherus contra Zvvinglium. *Si diutius steterit Mundus, iterum erit necessarium propter diuersas scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruandam Fidei vnitatem, vt Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.* Et quidem quod præuidit Lutherus, experientiâ didicit Kingus; & impatiens occlamat, *hæc tempora ad Papismum relabi, & generali apostasia omnia transuerso cursu eodem retrocedere.* Idipsum etiam didicit experientiâ Coulerus, qui tria dicit; primum, iam Reformatam Puritanorum Religionem, modicè à Romanâ differre; secundum, esse idipsum gloriosum; tertium; multos hac ipsâ veritate Puritanos offendi. *Dolemus* inquit in exam. pag. 185; *offendi ab infirmitate Puritanos, ex eo quod nos ducimus gloriæ & præstantiæ nobis in Ecclesia nostra; nempe nos modicè ægreque ab Ecclesia Romana discrepare* & à pag. 185. ad 195. postquam sibi obiecisset Liturgiæ Anglicanæ formã ab Antichristo fuisse acceptam; respondet; *se suosque gloriari, quod parcè & illibenter ab Ecclesia Romana (à qua ipsi, vt pleræque Ecclesiarum Fidem hauserunt) desciscant, non omninò dissensuros, si per corruptiones licuisset.* Se ex irritatione discessisse: & iam paulatim aperire oculos, & propiùs redire fatentur. Et si alterum quispiam aut falsum aut incertum iudicet, vel legat, quæ de Arbitrio seruo olim Lutherus, quæ etiam Caluinus, aliique scripsêre aut dixêre, legat & Iuniorum scripta, audiat Theologos Heterodoxos, qui hodie viuunt, & summam inter Magistros & Discipulos differentiam inueniet: videbitque illos voluntatem passiuè se habere, & ab extrinseco necessitari docuisse. & nihilominus ex his quamplurimos Molinæ, alios D. Thomæ fundamentis insistere; non paucos laborare homonymiâ; omnesque iam reijcere fatalem necessitatem Stoicorum, & inire viam probabilem aut tolerabilem. Bona opera gratiâ non indigent in sententiâ Pelagij, vt meritoria sint: & gratia ipsa, vt meritoria sit, non indigeat bonis operibus in sententiâ Lutheri & Caluini: vtrumque errorem damnat Paulus: [Priorem dicens, *non esse condignas passiones huius mundi ad futuram gloriam*: & posteriorem asserens, *repositam sibi esse diuinitus coronam Iustitiæ*] vtrũque Ecclesia Naturæ & Gratiæ concursum et cooperationem dilucidans, et meritum vtrique concedens. Et etiam hîc Heterodoxi, dum à Pelagio et Luthero recedũt, ad nos accedunt, tam enim clara est Ecclesiæ Romanæ doctrina, vt verbis sæpiùs quàm mente opperi soleat. Si semel liberum admittatur arbitrium, intelligaturque Potentiarum naturalium & supernaturalium concursus, pauca remanent quæ possint aut debeant agitari. At hæc pauca, vt expediantur dignè. Libris integris indigent. Multos hoc seculò euulgarunt eximij et subtiles Theologi; et quia multos et magnos, multa robusta et efficacia miscuerunt et eneruarunt argumẽtis debilibus; vnde Hæretici, si semel nodum aliquem soluerint, aut exciderint, cætera putant non esse maioris efficaciæ, nec nouâ solutione indigere. Video à nemine magnos Libros euolui; paruos à paucis; et hinc obrem Decreto Marcelli Papæ insistendum existimo, debereque Hæreticos conuerti, non tam uerbis et libris nostris, quàm pietate, sobrietate, et liberalitate. Multa facerem, nisi auaritia illorum, qui Anticaramueles se inscribunt irritaret Hæreticos: condoleo omnino, et qui huius seculi mores uertere non præsumo, ne nihil facere dicar, sumo calamum; & quæ ab omnibus legi desidero, ad Paginas paucas reduco. Sed quo potero modo, tam multas variasque Hæreses tam breui compendio expugnare? Si nullus est Fidei Romanæ articulus, quem non centenis modis legant & explicent Heterodoxi; & si milleni sunt errores, qui in singulas Fidei Veritates impingunt; qui vix magno possem volumine singulos recensere, quomodo potero vno aut altero folio expugnare vniuersos; nam recensere facilè, & expugnare difficillimum est? Potero quidem; nempe omnes, quodcunque & quale scunque sint, ad vnicam solam Quæstionem reducendo; illamque non multis, sed paucis, his verò euidentibus & irrefragabilibus argumentis monstrando; vt qui primum catenæ annulum teneat, cæteros non tenere non possit. Ingrediamur igitur paulatim, et ne probabilia commisceamus incertis, qui euidentias promittimus, ab ipsâ euidentiâ exordiamur.

An Concilia sint necessariò admittenda?

Kingus apud Leachũ pag. 60. & Henricum Fitz Simonem in Britannomachia lib. 1. c. 6. pag. 15.

Iam Hæretici paulatim aperiũt oculos & ad nos accedunt.

Iuniores Hæretici minùs seueri sunt, quã antiqui.

Hodie ex Hæreticis alij dicunt se sequi D. Thomam, alij Molinã.

An bona opera sint necessaria?

An liberũm arbitrium?

Verus modus conuertendi Acatholicos.

Anticaramuelium auaritia.

Omnes cõtrouersiæ ad vnicam possunt reduci

CLXVII.

DE

DE EVIDENTIA, QVAE ad fidei aſsensum requiritur; & de euidentia, quæ fidei opponitur obſcuritati.

CLXVIII. An Fides cũ euidentia componatur?



BScura eſt Fides, inquis; & euidentia clara: ergo tũc cõcurrere aut coincidere poterunt, cùm detur vel tenebroſa claritas, vel clara obſcuritas Ego inquam; tenebras eſſe obſcuras clarum eſt, & homines debere credere & aſſentiri Deo; clariſſimum: nimirùm, ita notum & certum, vt adſtruatur ab omnibus, nec debeat ab vllo probari. Interim hac claritate non obſtante Fides manet obſcura, & quia hoc ipſum luce indiget, aliqua breuiſsimè hîc perſtringam, quæ alibi vberius retractabo.

CLXIX. Credibilitatis euidentia.

Datur, Candide Lector (attende obſecro) *Credibilitatis euidentia* & hæc in omnium Theologorum ſententiâ. Et Iuniores, qui rem diſcuſsêre radicitùs, non iam credibilitatis ſolummodò, ſed & Credenditatis etiam euidentiam & certitudinem ad Fidei aſſenſum requirunt: & Nos Veterum & Iuniorum fundamentis recognitis, non eos aliud, ſed aliter loqui putamus. Si ſtemus dictionis rigori, ſicut aliud eſt rem eſſe poſſibilem, aliud eſſe futuram; & ſicut aliud eſt rem eſſe factibilem, & aliud rem eſſe faciendam; ſic etiam aliud eſt propoſitionem aliquam eſſe credibilem, & aliud illam eſſe credendam Non eſt bona conſequentia, *Hoc eſt factibile, ergo debebis illud facere:* adeoque nec hæc erit bona; *Hoc eſt credibile, ergo debebis illud credere.* Aliquid igitur præter credibilitatem requiritur, vt detur credendi obligatio: & hoc ipſum *credenditatem* appellamus; & ſicut ſublata albedine non datur album, ſic credenditate ablatâ nihil remaneret credendũ. Puto vulgus Theologicũ *Credibilitatis* vocabulo credenditatem intelligere, & à nobis non differre mente, ſed linguâ, & ideò tantùm à credenditatis vocabulo abſtinuiſſe, quod voluerint Scholaſtica & Theologica ad Ciceronis labium caſtigare; quoniam apud eloquentiſſimos Rhetores multa reperiuntur abſtracta *Credibilitati* ſimilia, nullum *Credenditati*. At quia hodiè vniuerſa ſubtiliſſimè & diſtinctiſſimè ſolent tractari; nullius iniuriâ nos Credibilitatem à Credenditate diſtinximus, & æquiuocatione, quâ laborabant ſub ipſum initium controuerſiæ, illuſtratâ aut ſublatâ, pede ſecuriore progrediamur, & conſequentias aliquas dilucidamus. Sentimus eſſe malas has, *Hoc eſt poſſibile, ergo & futurum. Hoc eſt præceptibile, ergo ſubditus obedire tenetur*; & interimus malam etiam eſſe iſtam *Hoc eſt credibile, ergo tenemur credere*; quoniam aliud eſt *poſſe* aliud *debere*, & ex merâ potentiâ debitum inferri non poteſt; quam ob rem præcedentes conſequentias reformo, & loco illarum has ſubſtituo: *Hoc eſt poſſibile, ergo illud Deus poterit facere: Hoc eſt futurum, Illud igitur ſua cauſa efficiet. Hoc eſt præceptibile, ergo non repugnat vt ſubditus olim obedire teneatur; teneretur enim ſi præciperetur, & tenebitur cum præcipiatur. Hoc eſt credibile, Illud igitur poterimus credere. Hoc eſt credendum; ergo non ſolùm poterimus credere ſed debemus.*

Nota illud mera: nam aliquibus additis poteſt.

A potentia ad actum, mala eſt argumentandi forma.

Hinc patet ſummo olim conſilio Malderum Duaci dum eſſet Theologiæ Anteceſſor, ſemper dictaſſe & propugnaſſe iſtã Propoſitionem videlicet; *vt aliquis teneatur credere, oportet talem ei fieri Fidei propoſitionem, qua euidenter videat, res fidei eſſe credibiles & credendas.* Hinc patet ſummo etiam iure, dum eſſet Antuerpienſium Epiſcopus, hoc eundem Dogmate doctiſſima volumina fundaſſe; erat enim Hæreticis multis præpoſitus, & debebat exactè ſcire & exactè docere regulam & obligationem credendi, Hinc patet tandem Louanienſes, præcipuè Dominum Fromondum, & Patrem Leonardi, alioſque Theologiæ Doctores Profeſſoreſque, meritò hanc ipſam Poſitionem feciſſe ſuam, & publicis illam Diſputationibus dilucidaſſe & propugnaſſe. Hinc patet vltimò, meritò Gallos conſonare Duacenis, Louanienſibuſque: & D. Petrum à S. Ioſeph, Fulienſium (ſunt Ciſtertienſes reformati) decus & ornamentum, meritò dixiſſe, *Tenentur infideles actu credere quando Articuli ſunt illis ſufficienter propoſiti & explicati: quia cùm tunc ſufficienter ipſis conſtet, ea quæ proponuntur à Deo reuelata, ac proindè vera eſſe: eò quòd DEVS, vt pote infinitè ſapiens & bonus, falli nequit nec fallere; ſine graui Primæ Veritatis iniuria, aſſenſum rebus propoſitis negare non poſſunt. Quod ita intellige, vt infidelis de veritate ſuæ Religionis, minimè dubitans, non teneatur audire Concionatorem Catholicum cupientem eum inſtruere de rebus veræ fidei & ſi eum admittat, non teneatur illius doctrinæ aſſenturi, niſi eam eſſe creditu dignam, euidenter probet rationibus miraculis alijs ue ſignis. Et cùm hoc probatum nouit, adeò vt nulla ſuperſit ratio, qua oppoſitum errorem, cui hactenus adhæſit, creditu dignum arbitretur; teneatur ſtatim aſſentiri, cum nulla tunc appareat*

Malderus.

CLXX.

Antuerpienſium Epiſcopus.

Libertus, Fromondus Pater Leonardi; &c.

D. Petrus à S. Ioſeph Fulienſis.

Quando detur obligatio credendi?

An Hæreticus noſtros audire concionatores teneatur? an ſi audiat teneatur aſſentiri?

Credibilitatis & credẽditatis differentia.

Eloquentia in Scholaſticis ſæpiſſimè nociua eſt.

ratio, cur in aliud tempus aſſenſum differre debeat. Ita ille in Summulâ Caſuum Conſcientiæ in Decalogum cap. 1, de primo præcept. articul 1 pag. 3. Ita etiam F. C. de la Haye Benedictinus; I. Hobier; C. Bourlon; Academiæ & Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi, qui eandem Summulam, legerunt, laudarunt, approbarunt, Ita etiam omnes, qui illâ vtuntur, & ſummis encomijs exaltant.

CLXXI. An Fides poſſit demonſtrari? Propoſitionis de ineſſe & modalis diſcrimen.

At dices auferri Fidei meritum, ſi ad demonſtrationem recurritur; imò ipſos Fidei articulos, humano omni eminentiores ratiocinio, demonſtrari non poſſe. Et Tibi ego, debere propoſitionem *de ineſſe* quam vocant, à modali diſtingui: alia enim Propoſitio eſt, *Non iuſtificamur Fide ſed Gratia*: & alia, *De Fide eſt nos non iuſtificari Fide ſed gratia*; prima enim rationibus euinci non poteſt, at ſecunda facillimo negotio demonſtratur. Nam ſi ſecunda eſſet ſolum probabilis, prima poſſet negari tutâ Fide, vt patet in centenis Aſſertis, quæ dicuntur probabiliter eſſe de Fide. Et hîc maximè notandum eſt; qui in materiâ Fdei modalem aſſertionẽ poſſe & debere demonſtrari ſupponunt. *Demonſtrationis* nomine moralem tantummodò intelligere; tota enim Fides conſiſtit in quæſtione de facto [Videlicet, Vtrum id Deus dixerit vel non dixerit?] quæ non poteſt decidi ex fundamentis naturalibus: quæ enim à Deo liberè ſunt reuelata, ſtante tota natura prout nunc, potuerunt liberè non reuelari. Demonſtrari ergo debet, non ipſa propoſitio *de ineſſe* ſed modalis. Demonſtrabitur, ſi a Deo fuiſſe reuelata probetur ſillogiſmo legitimo [in formâ ab omnibus receptâ conſtructo] cuius præmiſſas nemo Hæreticus negare poſſit: agimus enim cum Lutheranis & Caluinianis, præcipuè qui nobiſcum admittunt iſtas Propoſitiones

Vtra demõſtrari poſſit vtra non poſſit?

Dantur propoſitiones quæ probabiliter de fide ſint.

Demonſtratio moralis.

Omnis noſtra Fides pendet ab hiſtoria.

I. DEVS eſt, Deus exiſtit.

II. Deus eſt infinitè ſapiens & per conſequens qui falli non poſſit.

III. Deus eſt infinitè bonus; & per conſequens qui fallere nec velit, nec valeat.

IV. Quidquid Deus reuelauit, eſt Articulus Fidei, debetque ab omni Chriſtiano teneri.

Quid Hæretici nobiſcum admittant?

Et tantùm differunt in ſubſumpto; vbi enim Nos dicimus, *Atqui Deus, qui neceſſariò exiſtit, & eſt infinite verax bonuſque, reuelauit Sacramenta eſſe ſeptem; item hoc & illud &c.* reſpondent negando minorem abſolutè.

Quid ad-uerſus nos negent?

Profectò iſtæ Minores [primi ùm, Articuli Fidei] multæ ſunt; & ideò debuerunt ad claſſes reduci, & ſingulæ ſeorſim demõſtrari; qui labor à maximis Viris aſſumptus, Eccleſiæ Romanæ ſummè profuit. At hodiè Hæretici ſaltim controuerſias exagitant, & cùm conuincuntur in vnâ exſiliunt ſtatim ad aliam, ſi in hac conuincãtur ſimiliter, aut exſiliunt in tertiam, aut etiam reuertuntur ad primam; ita vt vix vita integra ſufficiat, vt ſingulæ demonſtrentur exactè. Hinc eſt, quod iſte illis excurſus clypeus ſit, vt non poſſint adæquate conuinci; non enim poſſunt vna hora omnes controuerſiæ decidi, & ipſi nolunt hærere in vno puncto, ſed ſemper tranſcurrere ad alia. Poſſem nominatim producere Homines, qui apud Heterodoxos magni fiunt, & tamen, ſi agamus de adoratione imaginum, de bonorum operum fructu & neceſſitate, ſi de Summi Põtificis authoritate, tandem mihi conſentiunt, nec tamen Catholici fiunt, ſed ſcrupulos nouos allegant, quos qui tollere velit, incipere debeat ab quo, & præuidere alios eſſe obijciendos, cùm hos funditùs eradicat-verit.

CLXXII. Articuli Fidei à plurimis dilucida i ſunt.

Nunquam Hæretici eidem Propoſitioni inſiſtunt, ſed ex vna in alteram diuerſam ſaltrãt. Cur non ſoleant conuinci?

CONTROVERSIAE OMNES, quæ inter Catholicos & Heterodoxos agitantur, ad vnicam eamque facilem & claram reducuntur.

CLXXIII. Omnes controuerſiæ reducuntur ad vnam.

QVid ergo remedij in intricatiſſimâ re? quid conſilij, vbi ſummum Heterodoxorum conſilium eſt controuerſias multiplicare & intricare? Quo rem ſummam modo poterimus verbo expedire? Non aliter profectò, quam omnes controuerſias omninò, quæ centenis indigerent diebus, aut annis etiam, ſi eſſent ſingulatim tractandæ, ad vnicam ſolam reducendo; & reductionem ipſam negari non poſſe monſtrando. Pronuntio igitur omnes controuerſias omninò debere coincidere in illam, quæ de Eccleſiæ diſputat veracitate; & vt demonſtrem coincidentiam, experientiam & rationem appello. Sanè experientiam; quia multi Viri Clari hac viâ ſunt ad Eccleſiam conducti. Sanè rationem; quia multiplex & fortiſſima datur, quæ hanc Poſitionem demonſtret. Ergo vos Lutheranos alloquor; vos Caluiniſtas; & vos etiam Heterodoxos vniuerſos. Argumentari ſic incipio. Attendite.

GENE-

GENERALIS PROBATIO.

Veræ Eccleſiæ character.



Eccleſia vera quæcumque illa ſit, in doctrina ſubſtantiali errare non poteſt; vera enim ideò dicitur, quòd verax ſit; nam Religio, quæ mendax, non eſt vera. At doctrina de libero arbitrio, de votis & bonis operibus, de peccatis & iuſtificatione, de Sacramentis & medijs neceſſarijs ad æternam ſalutem; item doctrina de Cœlo, Purgatorio & Inferno &c. ſubſtantialis eſt: ergo in eiuſmodi doctrina Eccleſia vera errare non poteſt.

LXXIV. An vera Eccleſia errare poſſit?

De Eccleſia Lutherana;

Ergo ſi Eccleſia Lutherana eſt vera, ſtandum eſt Sacramentorum materiæ, formæ, & numero & doctrinæ, quam ſtatuit Anguſtana Confeſſio.

De Caluiniana.

Ergo, ſi Eccleſia Caluiniana eſt vera, ſtandum eſt inſtitutionibus Ioannis Caluini, & in Sacramentorum & Iuſtificationis materia debebimus omninò noſtram ad mentem Caluini, aut fortè, [nam in pleriſque Diſcipuli dicuntur à Magiſtro differre) Caluinianiſtarum formare.

An Caluiniſtæ ſuum Caluinum ſequantur?

De Romana.

Ergo, ſi Eccleſia Romana vera eſt, Concilio Tridentino eſt ſtandum; damnandæ ſunt Lutheri & Caluini Poſitiones; admittendus eſt cultus imaginum; bonorum operum concedenda eſt vtilitas & neceſſitas: aſſerendum eſt Sacramenta eſſe Septem, & ſingula materiam, formam & Miniſtrum & effectum habere, quæ Trident definiuit Eccleſia.

CLXXV.

HVcuſque videtur eſſe partium concordia; nec enim vel vnum Prædicantem inueni, qui aliquid ex prædictis negaret. Sanè Religio à veritate doctrinæ *vera* dicitur, & hanc ob rem non minùs repugnat doctrinam veræ Religionis eſſe falſam, quàm veram doctrinam eſſe falſam. Quod ipſum tomo VII Germ. wir. fol 561 titul. de veteri Eccleſiâ, confitetur Martinus Lutherus cùm dicit, *Eccleſiam* (ſubintelligo *veram*) *mendacium falſamque doctrinam pronunciare nec velle nec poſſe.* Sed in quibus? Quidquid de accidentibus & impertinentibus ſit, in quibus fortè maior eſt veræ Religionis authoritas, quàm vulgò creditur, ſaltem in eſſentialibus & ſubſtantialibus veram Religionem non poſſe mentiri, aut errare, omnes Romani, Lutherani, & Caluiniani confitentur. Sed quæ vocantur ſubſtantialia? Reſpondeo, totam de peccatis & iuſtificatione, totam de ſacramentis & medijs ad Salutem neceſſarijs doctrinam, eſſentialem et ſubſtantialem eſſe; nati enim cœlo ſumus, et ſine mediorum ſecutorum notitiâ iſte finis haberi non poteſt. Stat ergo Religionem veram (quæcunque tandem illa ſit) errare non poſſe in Sacramentorum materiâ. Sed progredior, Fildeus enim in epiſt. dedic. tractat. de Eccleſ. doctiſſimè me monet his verbis. *Quid reſtat hominibus ſatisfactionis auidis in tanti momenti rebus, niſi diligente indagine inueſtigare, quænam inter omnes hominum ſocietates eſt illa ſancta ſodalitas ſanctorum, illa Fidei familia, illa Chriſti Sponſa, & DEI viuentis Eccleſia, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, vt ſic eius amplectantur conſortium, ſequantur præcepta, eiusque arbitrio acquiescant?* Multa et ea certiſſima me mones, ſed cur non ipſe ſuscipis admonitionem?

Vnde Religio vera dicitur.

In quibus Eccleſia errare aut mẽtiri non poſſit?

Fildeus. Vera Religio eſt quærenda, & tenenda.

Adquieſco, vera Eccleſia et Religio quæratur. mente me ſequere; nam ſic ſubſumo:

Quæ ſint ſubſtantiales materiæ.

CLXXVI. Progreditur ad minorem & conclusionem.

AT Lutherana Religio non est vera; Non est vera Caluiniana Religio: sed neque cæteræ, quæ à Romana damnantur: & tamen sola Romana est vera. Ergo omnes & singuli Articuli Fidei, quos Romana proponit sunt veri. Sacramentorum ergo omnium, quæ traduntur à Romana Religione, Materia, Forma, Minister, Valor, &c. sunt vera; & quæ à cæteris traduntur non sunt vera.

CLXXVII.

SI probemus Minorem, nimirùm *Religionem Romanam esse veram*, probabimus cæteras omnes esse falsas: sibi enim singulæ contradicunt, et binæ contradictoriæ simul esse veræ non possunt. Et quidem, si contra severos Lutheri Assectas disputaremus, vt puto, non teneremur demonstrare Minorem, quam centies concessit Lutherus, [et præcipuè tom. 4. German. VVit. fol 227 b. et tom. 7. German. Ienens. fol. 169. b. vbi ait: *Nos fatemur sub Papatu multa esse bona Christiana, imò omne bonum Christianum; atque inde etiam ad nos peruenisse*, et mox: *Imò dico in Papatu veram esse Christianitatem, imò verum nucleum Christianitatis*. Vnde Bucerus in præparatione ad Concilium, *Planè profitemur inter priscos Ecclesiæ Patres conuenire. Primatum habuisse Romanam Ecclesiam super reliquas Ecclesias.* Vnde etiam in rationibus desumptis ex verbo Dei Iacobus: *Romam totius Christiani Regiminis originem & fontem* appellat.] At quia multi sunt hodie Lutherani, qui Lutherum non curant, illam Minorem demonstrabo. Igitur, si persuasero Religionem Romanam esse veram, omnes eius Definitiones esse veras consequenter probauero: ergo et simul euicero, omnia, quæ in Sacramentorum materiâ à nobis dicuntur esse vera; et omnia quæ ab Heterodoxis contra ponuntur, esse falsa; supereſt igitur vt illam Minorem probemus.

An Lutherus concedat Romanam Religionem esse veram?

An & Bucerus?

An & Iacobus? An-ne Lutherum suum Lutherani sequantur?

CLXXVIII.

TOt succurrunt rationes, ut in librum Librosue transiret hæc Summa, si singulas ponerem, expenderem et dilucidaremeligam pauculas; sed quæ sint faciliores et fortiores. Faciliores quidem, quoniam vniuersis scribimus, è quibus pauci capiunt Theologicas subtilitates, rarò enim eadem subtilia; quæ bona: nam Aranearum telæ subtilissimæ sunt. Omissis igitur subtilioribus, et eminentioribus conceptibus, quos suo loco expendemus, torosis vtamur ratiocinijs, quorum veritas et efficacia sit tam solida vt manibus possit palpari.

Rationes subtiles sæpè debiles & malè sùt.

PRIMA RATIO.

CLXXIX. Diuinæ Religionis essentia.

FIdes Diuina reuelata à DEO est. Lutherana à DEO reuelata non est. Ergo non est Fides Diuina. Probatur Minor. Quoniam prima & præcipua illius fundamenta à Diabolo tradita sunt: & cætera Diabolica Fide subcollantur. At dices, Catholici hoc imponunt Hæreticis. Sed cur, id faceremus? Ipsi id enarrant, & tanquam rem scitu dignam in suis libris scribunt, ne posteritas nesciat Lutherum Dæmonis fuisse discipulum. Nec in hoc dicendi suo Præceptori iniurij: quoniam à Luthero habent, quæ dicunt; impudens enim & imprudens se illa frequenter ait Dæmonis magisterio in hæreseos suæ compositione profeciſſe. Loquor hominibus versatis in Hæresiarchæ Operibus, & ideò non volo in re omnibus nota diffundi.

An Lutherus fuerit Auditor & discipulus Diaboli?

CLXXX. An-ne Lutherani sint Dæmonij discipuli?

AVdiueram sæpè obijci Lutheranis, non tam Lutheri quàm Dæmonis esse discipulos, & putabam omninò, eodem illos sensu discipulos Diaboli dici, quo peccatores & *Hæreticos* cæteros, qui ducti & docti asserantur à Diabolo. At reperi Metaphoram transire in Historiam, tropum in veritatem, Lutherumque tom. 7. Germ. VVitt. fol. 479. b. & tom 6. Ienens. fol. 82. b. clarè & expressè cõfitetur se verè & rea-

Legat Pius Lector Lutheri & Dæ-

monis disputationem & cœcum medicat si in inuincibili adhuc ipsa cæcitate permaneat.

& realiter disputasse cum Diabolo, in disputatione succubuisse, connictum Diaboli Logicâ Religionem mutasse, & nouum Euangelium cudisse. Sic discurro.

Fatetur rotundè Lutherus, totam se doctrinam Eucharisticam didicisse à Diabolo: ergò vel mentitur, vel non. Si mentitur, tota Lutherena Religio splendidissimo fundatur mendacio: Si non mentitur tota Lutherana Religio fundatur verbo Diaboli. Tam igitur erit illa vera, quàm ille verax. At ille mendacissimus est, ergo Religio Lutherana est falsissima.

CLXXXI. 1. Pet. 5. c. 8.

Fratres vos alloquitur Petrus, *sobrij estote & vigilate*: ne velitis plus sapere quàm oportreat sapere, sed sapite ad sobrietatem: *vigilate*, lex enim Diuina Ius est, & Iura non scribuntur dormientibus, sed vigilantibus. *Vigilate* obsecro, & vestræ saluti invigilate; *quia aduersarius Vester Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit*, (circumuenit) *quærens quem deuoret*; non enim deuorari ab eo potest, qui circumueniri non vult, ab hoc fallacissimo Leone, *cui resistite fortes in Fide*. Sed cur in Fide, quoniam infidus ipse est, & quia omne agens optat assimilare sibi passum, infidelitatem animabus circumuentis instillat, vt Fidem Fortitudinemque euertat, aut eradicet. Attendite Fratres, attendite: multa nos docet Petrus paucis lineis.

Omni nisu hominem Diabolus conatur decipere & perdere.

Comites Fidei & Infidelitatis.

Opponitur infidelitas Fidei, & fortitudini Fragilitas; & existimo sicut Fidei comes est Fortitudo, sic etiam Infidelitatis esse comitem Fragilitatem. Cessat ergo omnium Hæreticorum pusillanimitas; legem DEI iudicant impossibilem? significationis expers Castitatis vocabulum? Liberum arbitrium esse titulum sine re? Non minor.

An sit impossibilis diuina lex?

An voluntas sit libera?

Carent Fide, & ideò exuberant fragilitate. Fidem Orthodoxam suscipiant, & induent Fortitudinem tantam, vt Diabolo aduersùs insidianti, & linguâ Lutheri loquenti, resistere possint in fide.

CLXXII. Nota benè,

Porrò ego istâ Propositionem, *Doctrina Eucharistica tota, quam Lutherus varijs in locis tradidit, & hodiè complectitur Augustana, Confessio fuit reuelata à Diabolo*: si essem Lutheranus, negarem; & si tam clarè probaretur, vt illam negare non possem, Lutheranus non essem: summo enim pudore et terrore suffusus & confusus putarem idem esse à Diabolo duci, quàm seduci.

Idem omnino est à Diabolo duci ac seduci.

CLXXXII. Henricus Fiz Simon.

Hoc vnico argumento conuersus fuit Franciscus Vvalsingamus, cuius historiam edidit Henricus Fiz Simon in suæ Britannomachiæ lib. 3. cap. 2. par 1. pag 254. ego eandem ad paucas periodos reducam. [Feriâ sextâ Parasceues Anno M.DC. IV. Regi Angliæ VValsingamus obtulit libellum supplicem in hanc sententiam, *Si Papistæ falsò criminati essent CHRISTVM & Sanctos eius. Rex scelera-*

Franciſci VValſingami libellus.

tum genus calumniatorum solito seuerius mulctari iuberet: sin è diuerso indelebilis fama illa esset Lutheri præcipuam doctrinam à Diabolo emanasse, eandem abiurandi Rex indemnem faceret ipsi potestatem. Rem examinari iubet Rex. Et Montacutus Regius Sacellanus *Lutherum* (de cuius Apostasiæ authore et magistro agebatur) *quamuis Virum Sanctum & eruditum, Anglicanæ Religionis Authorem non haberi* pronuntiat; vt vel hinc supersedere possit à quæstione, quæ inquirit, An fuerit edoctus à Diabolo? alij (ex VVita Kero ad Rat. Camp. pag. 155.) *Nos Lutherum libenter vt Patrem veneramur*, dicebant; & Cantuarienſis Archiepiscopus, *quod de Lutheri magistro Papistæ asserunt splendidissimum mendacium esse* Quæritur liber. Producitur tomus VII. fol. 479. b. & ibi ad literam singula reperiuntur. Hærent, turbantur. Quid possint respondere nesciũt; nihil, præterminas reponunt: non terrent istæ VValsingamum, sed nolens persistere in doctrinâ reuelatâ à Diabolo abiurat Hæresin, & redit ad Ecclesiam Catholicam. Illum sequitor Lutherane; & tuo Magistro dicito cum Augustino, *Si quod dicis, à Diabolo accepisti, & Diabolo credidisti, mendax es.*

Montacutus An Anglı Lutherani sint

VVitaKerus

Cantuarienſis Archiepiscopus. Lutherus tom. 7. Germ. VVit. fol. 479. pag. 2. & tom. 6. Ienens. fol. 82. pag. 2.

Auguſtin. tract. 42. in Ioan.

Sed Federicus Balduinus Martini Lutheri Hyperaspistes, in libello speciali, vult videri Augustino prudentior doctiorque, & fatetur *id quod de missa, Eucharistia, Ordinis Sacramento, Lutherus dixit & docuit, à Diabolo verè & seriò accepisse Diabolo omnino credidisse, nec tamen esse mendacem, quoniam fas est & ab hoste doceri*. Sed Federice stomacho polles fortissimo; hoc enim ego non possem vllo modo transglutire; si transglutirem, non possem vllo modo concoquere; et tamen tu Lutherum sequeris, quem Diabolum sequi fateris. Diabolus familiarissimus Luthero fuit; cum eo ambulabat, disputabat [Colloquia Mensal. edita Francofurt ad Mœnum fol. 216. a.] cum eo cubabat, dormiebat, vigilabat, Catharinâ frequentior. et duo suggessit: alterum vt Christum relinqueret [Colloq. mensal. fol. 217. a.] alterum vt missam abrogaret priuatam [tomo 7 VVitt. fol. 479. et tom. 6. Ienens. fol. 82.] vtrumque vehementi rationum et argumentorum insultu. *Ergo vel Diabolo credendum est vel non credendum. Si credendum, CHRISTVM debuit deserere: si non credendum non debuit ab eo Lutherus cæteros errores addiscere. Ergo Lutherus vtrumque credere debebat, vel neutrum: non vtrumque, ut uidimus: neutrum ergo.*

CLXXXIV. Federicus Balduinus. An licitè & securè aliquis erudiatur à Diabolo?

Luthero Diabolus familiariſſimus.

Dilemma.

Addo aliud ratiocinium, quod ab ipsomet Luthero desumo. Libro de abroganda missa tom. 2. lat. Ienens. fol. 444. b. sic ait. *Quod enim è Scripturis authoritatem non habet manifestissimum est à Dia-*

CLXXXV.

An sit absurdum quod à Diabolo.

bolo

bolo eſse. Sed quid abſurdi, niſi abſurdum ſit à Diabolo doctrinam eſse? Ergo teſte Luthero doctrina, quæ à Diabolo eſt, mala eſt: at eodem Luthero etiam teſte præcipua Religionis Euangelicæ Dogmata ſunt à Diabolo, Abſurda igitur ſunt et peſſimam doctrinam continent.

doctus fuerit à Diabolo?

CLXXXVI. An etiam Zvvinglius.

SVfficiat hæc de Authore Hæreſeos Lutheranæ dixiſse; qui audiunt Zvvinglium ſubdubitantem, An ſpiritus, à quo fuerit doctus fuerit niger, an candidus? et qui aliorum Hæreſiarcharum; aut mendacia aut deliria; dignabuntur hanc primam rationem attentiſſimè conſiderare. Tranſeo ad nomen et Catholicorum omnium Populorum conſenſum. Sit igitur.

SECVNDA RATIO.

CLXXXVII. De religione Catholica.

RElegio vera eadem quæ Catholica. At Lutherana (& idem de Caluiniana & cæteris omnibus dixero) non eſt Catholica; & ſola Romana eſt Catholica. Ergo Religio Lutherana (adde Caluinianam &c.) non eſt vera. Probatur Minor, Quia omnium Chriſtianorum conſenſu Catholicorum nomine ſoli intelliguntur Romani. Ratio hæc fuit valde communis apud veteres; & iam hodie annoſa, eaſdem obtinet vires: nam Hæretici, licèt actu reflexo & vim inſerentes dictamini, ſe Catholicos vocitent, quoties tamen naturalem loquendi fluxum tenent, ſe Lutheranos, *aut* Caluinianos, *&c. dicunt, & nos* Catholicos: *quod eſſe verum, experientia quotidiana demonſtrat.*

Omnium Chriſtianorum conſenſus.

CLXXXVIII. Damnatur imprudens credulitas. Auguſtinus. Inuenire veram fidē eſt facile. Matth. 5.

QVi citò credit, leuis eſt corde; vnde colligo, aut D. Auguſtinum leuem corde fuiſſe, aut iſtam rationem grauem eſſe, & quæ virum ſimilem Auguſtino cōuincat. Ille epiſtol. 170 *Quàm dolendum eſt,* inquit, *vt qui ſecundum carnem fratres ſumus, non vna ſocietate viuamus; præſertim quia vobis facile eſt attendere & videre ciuitatem ſuper montem conſtitutam de qua Dominus ait in Euangelio, quod abſcondi non poſſit. Ipſa eſt enim Eccleſia Catholica, vnde* Καθολικὴ *Græcè appellatur, quod per totū orbē terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licèt: Ideò ſecundum verbum Domini noſtri IESV CHRISTI, abſcondi non poteſt.* Et ego Sanctiſſime Pater, conuincor eſse volo Catholicus, & quamcumque Acatholicam doctrinam aut ſententiam deteſtor. Si Religio Catholica extra Eccleſiam Romanam ſit, hanc abiuro: ſi nulla ſit Catholica præter Romanam, in illâ ſecuriſſimè maneo, et cęteras eidem aduerſarias deteſtor. Quo ergo modo Catholicam ab Acatholicis potero Auguſtine diſtinguere? nā facile eſse diſcretionem affirmas, et quia Chriſtiani omnes hodie non pauca difficillima ſcimus, facilia ignorare non poſſumus. Sed iam te audio: iam rem capio: ad ipſummet nomen recurris, et nihil notitiâ nominum facilius eſt. Contra Epiſtolam Manichæi cap. 4. ſic inquis. *Tenet me in Eccleſia ipſum* Catholicæ *nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes, ſic ipſa ſola obtinuit, vt cum omnes Hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen Peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus Hæreticorum, vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* Dixiſti, Sanctiſſime Pater, & multum didici; & à Te doctus ad Lutheranos Ego me & ad Caluinianos conuerto. Singuli volunt dici *Catholici* & *Apoſtolici*, ſed volunt, & ab alijs non hoc prætenſo illi nomine, ſed *Lutherani* potiùs aut *Caluiniani* nominantur. Catholicorum nomen penes Romanos ſolos eſt; Auguſtini argumentum etiamnum vincit. Ergo vel Auguſtinum, vel omnes Hæreticos accuſa; quos eſt euidens temerè & imprudenter agere, ſi Auguſtinus prudenter proceſſiſſe dicatur. Habitaui in Hæreticorum Ciuitatibus, & hoc proprijs oculis vidi proprijs audiui auribus, quod deberet ab Heterodoxis ponderari. Præter Prædicantem & pauculos qui plus ſapiunt quàm oportet ſapere, totum Hæreticorum vulgus *Catholicos* vocat Romanos. Ergo ſi Romani ſunt Catholici communi, hoc eſt, Catholicâ & omnium Chriſtianorum ſententia; nulla eſt Aſſertio magis Catholica & vniuerſalis, quam, *Romanos Catholicos eſſe*, erit igitur Acatholicus, qui illam negauerit. ergo non excuſabit voluntaria cœcitas in re facillimâ: nam qui nolunt conuinci ratiocinio, quo

Efficax eſt hic argumētum, quod à nomine communi ſumitur.

fuit

fuit Augustinus conuictus; laureâ ipsi, quâ redimitur Augustinus, non coronabuntur in cœlis.

CLXXXIX. Hoc argumentum, quod desumpsi à communi & catholico omnium Christianorum consensu, non solum Augustinum ad Romanam Religionem adduxit, sed & Hieronymum alioque Patres in Romana Religione firmauit. Audiatur Sanctissimus Senex; ait enim Libro aduersus Luciferianos sub finem. *Breuem Tibi apertamque animi mei proferam sententiam.* [Ecce *breuem* & apertam esse ait, quam *facilem* dicit Hipponensis Episcopus.] *In Ecclesia illa permanendum est, quæ ab Apostolis fundata, vsque adhuc durat. si ubi audieris eos, qui dicuntur CHRISTI, non à quocumque alio nuncupari, vt puto Marcionitas, Valentinianos, Montanenses, siue Campates* [addo *Zuuinglianos, Lutheranos Caluinianos &c.*] *scito non Ecclesiam CHRISTI, sed Antichristi esse Synagogam* Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eo se esse indicant, *quos futuros Apostolus prænuntiauit Nec sibi blandiantur.* [Auditote Acatholici] *si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt, cùm & Diabolus aliqua de Scripturis sit locutus, & scripturæ non in legendo, sed intelligendo consistant.* Nihil hic addo; hæc enim omnia mihi videntur valdè clara; tantùm ergo Argumentum Augustini & Hieronymi ad hanc formam reducam.

Hieronymus.

Hoc testimonio prima ratio firmatur.

Doctrina quæ Catholica & vniuersalis tenenda est:

At nulla Assertio vniuersalior & magis Catholica est, quàm hæc, Romani sunt Catholici: *quia vt vidimus, illam Romani omnes & exceptis pauculis, quæ menti suæ violentiam inferunt, illam etiam Heterodoxi & Hæretici admittunt.*

Ergo hæc Assertio ab omni Christiano tenenda est.

Sed quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat Catholicam Fidem; hoc est vt sit Catholicus:

Ergo ante omnia opus est, vt qui vult saluus esse, teneat Fidem Romanam.

HAEc ratio sola videretur sufficere, sed quia Hieronymus in loco citato etiam ab antiquitate argumentum desumpsit; illud placet expendere, & ad Dialecticas Positiones reducere. Sit igitur.

Ratio ab antiquitate sumpta.

TERTIA RATIO.

CXC. De successione Doctrinæ. De successione Episcoporum agetur in confirmatione à num. 221.

REdeamus ad prima Orthodoxæ Religionis principia, & hanc rationem attentis oculis cõsideremus. sic inquam. CHRISTVS & Apostoli (quod saltem Hæretici dignabuntur concedere) fuerunt Catholici, & docuerunt Religionem veram. Ergo vel hodiè non dantur in Mũdo Catholici; quod nemo dicet, vel si dantur, dabitur à Christo & Apostolis ad ipsos doctrinæ non interrupta successio. (*Ago hic non de successione Episcoporum, sed doctrinæ.*) *ergo Te compellamus Lutherane; A Christo ad Te interruptam doctrinæ successionem ostende. Aliquos Libros Sacros è Canone confidenter proscribis, & inter alios Machabæorum Historiam; admittis alios, sed in dissonos sensus, eorundem sententias obtorques. Sed vndè habes non esse Canonicam Machabæorum Historiam? Vnde Eucharistiæ consecrationis verba reduci debere ad Metaphoram? vnde cætera? Fortè à tuo Prædicante, & ille? aut ab alio Seniore; aut saltem à Confessione Augustana, & eius authore Philippo. At Philippus à quo? A Martino Luthero, qui est primum principium Hæreseos. Quod si alterius rem resumere placeat, ad Diabolum veniendum est, à quo Lutherus didicit, quæ Te docuit. Sed à quo noua omnia dogmata, quæ vocas* antiqua, *Lutherus aut Diabolus habuit? Inter te Christumque dari non interruptam doctrinæ successionem non video. Profectò antè Martinum Lutherum, aliqui erant in Mundo Catholici, & hi non nisi Romani, qui tamen excommunicationis fulmine condemnarunt Lutherum. Lutherus igitur, si-*

An libri Machabæorum sint canonici? An Diabolus Lutheri sit Magister?

An apud Lutheranos sit doctrinæ interrupta successio?

An apud Caluiniſtas?

quidem ab illis, qui ante ipſum erant & dicebantur Catholici, Hæreticus eſt declaratus, doctrinam Ipſe ſuam aliundè habuit, non ab illis; ergo non poteſt ex Te Lutherano, ad Apoſtolos & Chriſtum oſtendi doctrinæ interrupta ſucceſſio. Idem edico Tibi Caluiniſta: idem cæteris. At penes Romanos eſt doctrinæ non interrupta ſucceſſio, ergo penes eoſdem vera Religio Fideſque. Probatur Minor. Quia nullus dabitur Romanus Epiſcopus, qui nouam & ab antiquioribus aut etiam coætaneis condemnatam doctrinam in orbem Chriſtianum inuexerit.

CXCI. An Lutherana Religio ſit noua?

QVid ergo Lutherani ad hæc? actum eſt de eorundem Religione, ſi *nouam* dicant; actum, ſi *ueterem*: quoniam ſufficit eam eſſe nouam, ut non ſit Apoſtolica & eſſe ueterem demonſtrare non poſſunt cùm potiùs eſſe nouam clariſſimè demonſtrauerimus. Quid dicent igitur? Suam Religionem *nouam* eſſe. *Nouam* ipſi? *Nouam* ſuam? magnum eſt pondus ueritati! Sed ubi *nouam* ſuam ipſi? ubi noſtram vocitant veterem. Nimirum, in Pacis Religioſæ Diplomate, quod à toto Imperio per modum concordiæ & contractus expeditum fuit Anno 1555. Audiatur Virgilius Pingitzerus, & ſub eiuſdem præſidio Petrus Syringus & iuſtus Springerus, nam & Theſes nonnunquam eadem ſub eodem Præſide, etiam apud nos à pluribus ſolent defendi; omnes ſunt Lutherani & tamen hæc habent Concl. XII. *Vnanimi Procerum totius Imperij Romani conſenſu regnante adhuc Inuictiſſimo Cæſare Carolo V. & uices ipſius gerente Fratre Ferdinando Romanorum Rege inita eſt illa, nunquam ſatis laudata Religionis Pacificatio, quæ non inſcitè* GERMANIAE PALLADIVM *dici poteſt, per quam hucuſque viguit, & in futurum uigebit Sacro-Sancti Imperij noſtri Maieſtas. Eſt autem Pax Religionis Senatus-conſultum, quo Ciuibus Romanis certæ Religionis liberæ colendæ facultas limitato modo conceſſa eſt à Principe, electoribus, cæteriſque SS. R. Imperij Proceribus ſeu Patribus Conſcriptis Auguſtæ Vindelicorum Anno MDLV. concordi ſuffragio factum promulgatumue.* Vide me in S. R. Imperij Pace licitâ demonſtratâ, num. 152. & 289. Sed quid in hoc Diplomate de antiquitate vtriuſque Religionis definiuit Imperium? Romanam eſſe veterem: aliam eſſe Auguſtanam, hoc eſt, nouam & Auguſtæ Anno MDXXX. natam. Legitur enim in Pacis Religioſæ § 2. *Imperij Status ueteri Religioni adhærentes* § 4. *Veteri Religione receſſerit.* & iterum *Veteri Religioni addictum* § 7 *Statibus Veteris Religionis.* Ecce igitur à toto Imperio definitur Religionem Romanam eſſe veterem & Lutheranam nouam: ergo ab eodem Religionem Romanam eſſe veram, & Lutheranorum eſſe falſam; quoniam in Chriſtianæ hodie Religionis materiâ nouitas repugnat veritati.

Quid ſit Pax Religionis?

Authoris liber, qui inſcribitur, Sacri Romani Imperij Pax.

Apud Dominicum Arumæum de iure publico vol. 2. diſc. 10.

CONFIRMATIO.

De ſucceſſione Pontificum.

CXCII. FVit *Chriſtus Summus Pontifex: eius Vicarius Petrus fuit; ab illo ad Alexandrũ VII. qui modo Chriſti vices agit, in terris, ordine non interrupto ſucceditur. Demonſtratur ergo Romanæ Religionis antiquitas, & nouitas Hæreticarum. Vel Si Lutherana, Caluiniana aut alia Secta non ſit noua, ab eo vel illis, qui modo præſunt ad Apoſtolos vſque oſtendatur Superiorum & Prælatorum non interrupta ſucceſſio.*

CXCIII. SVceſſionem doctrinæ à Pontificũ ſucceſſione diſtinxi; quoniã tametſi vtraque ſatis clarè probetur, & ſemel probata perſuadeat noſtrã Reſolutionẽ ſatis clarè; nihilominus fortiùs videtur ſucceſſio doctrinæ conuincere, Vtramque ob ſimilitudinem coniungo, vt ſe mutuò corroborẽt. Multos ipſæ Heterodoxos conuicerunt, & inter alios Auguſtinũ, qui contra Epiſtolã fundamentalem Manichæi de ſignis veræ Eccleſiæ diſputat & has binas ſucceſſiones producit. *Multa ſunt alia*, ait, *quæ in eius* [Eccleſiæ Romanæ] *gremio me iuſtiſſimè tenent. Tenet* [me] *conſenſio populorum & gentiũ* [imò ẽt ſeculorũ &c.] *Tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas Dominus poſt reſurrectionem ſuã cõmendauit, uſque ad præſentem Epiſcopatum* [Epiſcopum] *ſucceſſio ſacerdotum.*

Auguſtinus hac ratione cõuincitur.

MEntitur, etiã cũ verũ, dicit qui decipere vult; nec dignus fide qui fallere velle cõuincitur: multa poſſẽ adducere, quibus mendacij Fideiq; oppoſitionẽ demonſtrarẽ: ſed quoniã certa illa eſt, præſtat eam ſupponere, quàm examinare. Sic diſcurro.

CXCIV. An poſſit verum dicens mentiri?

QVAE-

QVARTA RATIO.

CVC. Lutherus ex irritatione contrà dictamen concionatur.

Eligio, quæ inuenta & diuulgata fuit à Viro, qui animum habebat decipiendi, & contrà mentem concionabatur, non debet admitti à prudentibus. At Lutherus ſciens & volens mentitus quæ ſciebat eſſe falſa, docebat: Eius ergo doctrina non poteſt admitti à prudentibus. Et quidem minorem eſſe veram, negare nemo poterit, qui fuerit in libris Lutheri verſatus. [Idem argumentum formari poſſet contrà alias Hæreticorum Religiones ſed clariùs contrà Lutheranam.]

An deceptori enim icto credi debeat?

VT huius ratiocinii efficaciam meliùs intelligas & capias, aliquas periòdos ſubſcribo.

CXCVI. Lutherus ſe dubium in fide fatetur.

Lutherus in colloquio Isleb. de Chriſto fol. 96: §. 3. *Sæpe ſic mecum cogito. Propemodum neſcio, quo loco ſim, & vtrum veritatem doceam; nec ne,*

Matthæſius.

Ioannes Matthæſius plures conciones in Vitam Lutheri compoſuit, quas etiam in lucem emiſit. Immoderatis illum laudibus euehit, & quia veritas etiam non quæſita ſe inſinuat, concione ipſe 12. fol. 147. ſic inquit. *Magiſter Ioannes Muſa Prædicans Rochlizenſis narrauit mihi, ſe quodam tempore admodum dolenter Luthero queſtum eſſe, quod ipſemet ea credere non poſſet, quæ aliis prædicabat. Tum reſpondiſſe Lutherum, Benedictus ergo ſit Deus, cum idem aliis, quod mihi vſu venit: adhuc enim id ſoli mihi vſu venire credidi.*

Lutherus Muſa & alii plurimi, cõcionãtur ea, dẽ quæ non credunt.

Nota hoc bene.

Hic multa conſideranda eſſent, at ſufficiat euidenter videre Lutherum Muſam &c. contra dictamen concionari & ſuadere populo, quod ipſi non credunt. Multa poſſem de Prædicantibus teſtimonia congerere, vt oſtenderem nihil eos minùs credere, quàm quæ vociferantur; at breuitas calamum abripit, ne me vberius in rem minus neceſſariam diffundam. Redeo ad Lutherum. Appellabant Germani ad Concilium vt ibi audiretur Lutherus: appellabat ad illud Hæreſiarcha, ſed non ſerio, nec ex mente. In Epiſt. ad Philippum Melanthonem data 20. Iulii. 1530. hæc lego; *Poſtquam iſthæc mendaciſſima Diabolorum capita ludunt in permittendo* (promittendo) *Concilium liberum, ſic volo & ego cum eis ludere, voloque ab eorum ſomnijs appellare, ad illud ipſum Concilium, quod tamen nunquam futurum eſt, vt ego interea in pace agam* Quæ verba Henricus Fix Simonin ſuæ Britannomachiæ lib. 1. cap 6. pagin. 48. ſic expo nit: *Ludendum eſt & illudendum, vt pace tantilla potiamur; nec ſcripturarum aut Conciliorum ratio aliter habenda, quam cauillando, ergo & imponendo.*

Contra dictamen ad concilium appellat.

CXCVII.

Anxius & dubius ille concionabatur aliquando, & quia ſciebat Romanam Eccleſiam eſſe in poſſeſſione pacificâ quàm dubia impugnare non poſſent, ſe Hæreticum ſciebat & fatebatur. In Epiſt. ad Spalatinum in tom. 2. Epiſt. Latin. *Hoc corde quo hactenus fui & modo ſum, non fiet inquit, vt vxorem ducam, non quod carnem meam aut ſexum non ſentiam cum neque lignum neque lapis ſim, ſed animus alienus a coniugio eſt; cum exſpectem quotidie mortem, & meritum Hæretici ſupplicium.* Et in Colloq. Iſled fol. 10. 125. 168. 260. 261 288. & ſæpe alibi *Iſtas cogitationes* (agit de exortis ab Apoſtaſia & Hæreſi curis) *nun quam ex animo dimitto, quin optem hanc me cauſam nunquam ſuſcepiſſe.*

Se fatetur Hæreticum

CXCVIII.

Et quia tandem deſperatam cauſam eſſe videbat à ſe aſſumptam, ſeſe effert, & in furorem raptus libr. aduerſus Henricum Regem Angliæ (habetur tom. 2 Ienenſ. Latin. fol. 520 pag. 2.) ſic inquit, *Summus Viuens Papatus Hoſtis ero. Exuſtus bis Hostis ero. Facite Porci Thomiſtæ quod poteſtis; Lutherum habebitis Vrſum, in via, Leonem in ſemita; vndique vobis occurret & pacem habere non ſinet, donec ferreas veſtras ceruices, & æreas frontes contriuerit, vel in ſalutẽ, vel in perditionem.* Ecce illi ſtat pro ratione voluntas, & non qualiſcunque ſed maleuolentia præuenta & perturbata. Tanto ipſe odio in Romanum Pontificem arſit, vt Pomeriano teſte adhuc viuus hoc ſibi Epitaphium ſcripſerit, PESTIS ERAM VIVENS, MORIENS TVA MORS ERO PAPA; quod tamen vanum fuit vaticinium, ſupereſt enim & viuit Papa, in cineres verſo Luthero, & viuet quamdiu Mundus durabit. Hoc o-

Thomiſtæ reſiſtũt Martino Lutheroꝰ

Ephitaphiũ Lutheri.

dium erat quædam prædeterminatio, quæ mentem Lutheri præmouebat & præmouendo obnubilabat & excœcabat; hinc ortum quod ipſe ſolus ſaperet ſe iudice & omnes Patres reijci deberent eo cenſore. In libro citato ſic ait. *Neque enim quæro quid Ambroſius Auguſtinus*, Concilia (etiam hæc?) *& vſus ſæculorum dicant nec fuit opus mihi Henrico Rege Magiſtro qui hæc me doceret*, *qui adeò pulchre noueram, vt etiam impugnarim* [Impugnabat igitur, quæ vera nouerat] *vt miranda ſit ſtultitia Sathanæ* [hîc ſtultum dicit quem alibi irrefragabilem Logicum aſſerit] *quæ ijs me impugnat, quæ ipſe impugno, & perpetuò principium petit. Non inquam diſputo, quid à quoquo dictum ſit, vel non dictum, ſcriptum vel non ſcriptum ſit; ſed, An hoc dictum vel ſcriptum neceſſarium ſit ſeruatu? An ſit articulus Fidei? An ſit æquale verbo Dei? an conſcientiam liget?*

Lutherus Patres & cõcilia contemnit

Semper petitur principium in Dialectica Diaboli.

CXCIX.

Sed & ipſe Lutherus contra falſum nominatum Eccleſiæ ſtatum: & contra Regem Angliæ (vt habetur tom 2; VVittemberg. fol 333. *Certum eſt inquit Dogmata mea habere me de cœlo* [Dixerat alibi ſe illa hauſiſſe à Diabolo.] *Non ſinam vel vos vel ipſos Angelos de Cœlo de mea doctrinâ iudicare. Cum enim certus de ea ſim, per eam quoque & veſter & Angelorum Iudex eſſe volo.* An hæc effutit ſeriò? Nugatur vt exiſtimo, eum tamen ſeriò locutum ſupponamus, & videamus vnum aut alterum dogma, de quo eſt ſecurus 1. Germ. VVittenb. fol. 273. §. 3, ſic inquit, *Cum tibi venit in mentem Chriſti velut Iudicis qui te villicationis ſiue anteactæ Vitæ rationes reddere iuſſurus ſit, tum pro certo & explorato habeas eum non Chriſtum ſed ipſiſſimum eſſe Diabolum.* Conſonat ſibi alijs in locis & multò clariùs tom. 2 epiſt. Latin, Iſleb. fo. 44. & tom 6. Lat VVittenberg. in cap. 2. cap. 23. cap. 25. cap. 42. & capit. 49, Geneſ. & tom 4. Lat. VVittenberg fol. 109 b. vnde hæc pauca teſtimonia deſcribo. *Veriſimile eſt* inquit *exceptis paucis, omnes dormire inſenſibiles.* Iterum *Ego puto mortuos ſic ineffabili, & miroſomno ſopites, vt minus ſentiant, aut videant, quam hi qui aliàs dormiunt*: Iterum, *Animæ mortuorum non ingrediuntur in purgatorium, nec Infernum*, Iterum: *Anima humana dormit omnibus ſenſibus ſepultis* Iterumque, *Mortuorum locus cruciatus nullos habet* Periodum primam ſic vrgeo. Aut Diabolo credendum aut non. Si credendum: tota iſta inſtantia obliterari debet. Si non: tota Euchariſtica doctrina quàm a Diabolo Lutherus didicit, debebit neceſsariò abjurari. Prætereà, ſi tota Fides quâ credimus *finale iudicium* eſt illuſio Diabolica: ſi errat Eccleſia tota, cum credit *Ieſum Chriſtum iudicaturum eſſe viuos & mortuos*. Si deſipit decipitque, cum ſymbolum S. Athanaſij approbat, & inquit; *Aſcendit* (Chriſtus) *ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis & inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Ad cuius aduentum omnes reſurgere habent, cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem, & qui bona egerunt ibunt in Vitam æternam; qui verò mala in ignem æternum*: tolluntur Virtutes & vitia, merita et demerita: *tollitur præmium & pœna* hoc eſt, tollitur Cœlum et infernus, et ſublato Deo, quâ fine vltimo, fortè manebit Theologia naturalis, at tota moralis proſcribetur. Et quidem quia abyſſus abyſſum inuocat, ex hoc errore alius pernitioſior ſubnaſcitur, videlicet arriculum illum, quo credimus *Animam eſſe immortalem*, eſſe Luthero Iudice, *portentum hauſtum e Romano ſterquilinio Decretorum, quod Papa condidit ſibi & ſuis Fidelibus*. Hinc animoſiores reddiri, Nouatores cœperunt de Animæ immortalitate dubitare. Brentius hom. 35. in cap. 20. Luc. *Etſi inter nos nulla ſit publica profeſſio, quod Anima ſimul cum corpore intereat, & quod non ſit mortuorum reſurrectio: tamen impuriſſima & profaniſſima illa vita, quam maxima pars hominum ſectatur, perſpicuè indicat quod non ſentiat vitam poſt hanc. Nonnullis etiam tales voces, tam ebrijs inter pocula excidunt, quam ſobriis in familiaribus colloquiis*, Quibus declarat licet non publicâ ſaltem priuatâ perſuaſione & licentiâ vitæ apud Heterodoxos iſtam inualuiſſe ſententiam, ipſosque illam vel ſobrios interdum profiteri.

Certitudinem ſe habere delirat & ſe iudicaturum eſſe etiam Angelos.

Athanaſ.

An anima mortalis ſit?

Lutherus negat iudicium vniuerſale & particulare.

Imò & alteram vitã.

CC.

Hæc et alia cùm lego, in eam opinionem inducor Lutherum afflictum et irritatum hominem [quod ipſum de multis eiusdem Diſcipulis etiam affirmo] pauca ſeriò aut ex mente ſcripſiſſe pleraque ex paſſione, aut potiùs ex perturbatione Cur enim ipſe quintum Euangelium vociferatur: cur ſuos inſtituit et noſtros: ſi poſt mortem ratio anteactæ vitæ non exigitur? Quod ſi Chriſtus neminem iudicaturus eſt, quâ ſe fronte reponit, et homines Angeloſque ſe iudicaturum affirmat.

Luth. egit contra dictamen.

CCI.

Contra dictamen locutum, fuiſſe Martinum Lutherum dixi probauique. Sed interrogas quo ille fuerit fine mentitus? Reſpõdebo aliquas ex eo adhuc periodos ponendo. Tomo enim 2. German. VVit in epiſt. ad Argentinenſes fol. 10. *ß.* 4 et tom. 3. Ienenſ fol. 104. § 5. ſic ait. *Hoc ſanè confiteor, ſi quis ante quinquennium docere potuiſſet, in ſacramento nihil.*

Lutherus quo fine fuerit mentitus

Corroboratur ratio prima.

Spiritus cõtradictionis

bil niſi panem & vinum remanere, quod in magni beneficij loco habiturus fuerim. Grauiſſima enim in eo ſuſtinui meque ipſum torſi [NB.] *& extremam mihi vim feci.* [loquendo & ſcribendo contra conſcientiam & dictamen] *vt eam ſententiam euincere & obtinere poſſem: quoniam probè intelligebam eiuſmodi ictum longè maximas ad Papatum proſternendum vires habere.* Et Tom. 2 Germ. Ien. ad Equites Teut. fol 314 §.3 & fol. 252. §.4 *Si contingeret per Decretum Concilij Eccleſiaſticis nubendi poteſtatem dari, tunc ego Eccleſiaſticis omnibus loco Dei præciperem, vt nullus ipſorum vt decreti illius, vxorem ducat, ſub æternæ damnationis pœna, ſed potiùs caſtè viuat; aut ſi hoc non queat, Vnam, duas aut tres concubinas habeat, & in hac infirmitate ſua nequaquam de Dei gratia deſperet.* Conſonat ſibi Libello de formulâ Miſſæ ſerm. 4 poſt Inuocat In D. articulis: artic. 115. 302. 391. & ait: *Si quo caſu Concilium id ſtatuerat, ac permitteret, tunc minimè omnium nos velle* & ſubdit, *Imò tum primum in deſpectum tam Concilij, quam ſtatuti ſui vellemus &c.* Et iterum: *Nullo pacto ſinas te à libertate, in quam te Deus poſuit: extrudi, ſed in eius deſpectum contrarium agas. & dicas, ob id ipſum ſanè quod mihi prohibes, ideò in diſpectum tuum &c. ſic facias in omnibus.* Et tom. 1. Ienenſ. Germ. lib. de confeſſ. ad Franciſcum. Sic King *Idcirco fidele conſilium meum eſt, vt homo Chriſtianus in quadrageſima & Paſchate, neque confiteatur, neque ad hoc ſacramentum accedat, at ſic cogitet. Quando quidem homo (Papa ſcilicèt) præcipit ob idipſum non faciam; & ſi non præcepiſſet, facturus eſſem. Faciam autem alio tempore, quo ipſe non præcipit, quando & quomodo me voluntas mea libera,* [ergo datur voluntas libera] *impulerit.* Et iterum in formulâ miſſæ. *Amplius dicimus. Si quo caſu Concilium ſtatueret, aut permitteret vtramque ſpeciem, tunc minimè omnium nos uelle utraque ſpecie potiri, imò tunc primum in deſpectum tam Concilij, quam ſtatuti ſui, uellemus, aut utra tantum, aut neutra, & nequaquam utraque potiri, ac planè eos anathema habere, quicunque authoritate talis Concilij uel ſtatuti utraque potirentur.* Et quod videri debet mirabilius & miſerabilius, iterum in formulâ Miſſæ, tom. 2. Germ. fol. 214. & tom 3. fol. 55. & 274. *Eleuationem Sacramenti ſciebam eſſe idololatricam; ſed tamen* [NB] *eam retinebam in templo VVittembergenſi, ut ægrè facerem Diabolo Carolo Stadio.* Ecce, tota fides & doctrina Lutheri problematica eſt, ſi ais, negat; ſi negas, aſſerit. Quidquid ſit contra Papam, vt verum ſtatim admittet: quod ipſum ſi admittas, ne non tibi contradicat, negabit. Videtur ſibi doctè et eruditè loquutus, ſi riualibus ſuis contradixerit: vnde omnia, quæ hucuſque Papæ contradiceret, dixerat, obliterat, vt diſcipulis ſuis contradicat. *Audio*, ait, *nonnullos ex hoc fundamento Anabaptiſmum inſtituere ut Papæ moleſti ſint, quippe qui nihil ab AntiChriſto habere velint, quemadmodum etiam ſacramentarij, nudum panem & uinum in Euchariſtia credunt, ſeque hoc demum modo Papatum deiecturos exiſtimant* Profectò *hoc eorum fundamentum eſt prorſus nullius rei, neque ſuper illud quidquam boni ædificabunt. Nã ſi hoc iuſtum ſit, oportebit nos etiam negare totam ſacram ſcripturam, & prædicandi officium* (*nam hoc totum ſine dubio à Papa habemus*) *oportebit quoque nos nouam ſcripturam cudere &c.* Ita in Epiſt. ad Anabap. tom. 4. Ienenſ. fol. 320. §. 2. et tom. 2. VVitt. fol. 279 §. 4.

Odium in Papam.

An Eccleſiaſtici debeãt vxores ducere?

An poſſint concubinas habere

An detur liberum arbitrium?

An communio neceſſariò ſit danda ſub vtraque ſpecie?

Lutheri fides verſatilis & problematica eſt.

Argumentũ quod nimiũ probat nihil probat.

QVINTA RATIO.

CCII. Reſpublica benè gubernata non poteſt carere tribunali ſupremo.



NSulam Atlanticam deſcripſit olim Plato; nuper Ciuitatem Solis Campanella: alias alij Reſpublicas, da vnum qui aliquam, quæ careat Tribunali ſupremo. Si aliquis Iuſtinianus Iura edidit, vi quorum nullis litibus finis imponeretur, imprudens omnino ille fuit. Ergo ſiquidem Apoſtolicam & Catholicam Rempublicam fundauit & inſtituit Chriſtus, omnia illius ſubordinauit tribunalia alicui vltimo, alicui ſupremo, à quo non detur Appellatio; aut Legislator imprudens Chriſtus fuit. Et quia imprudens non fuit (nam impudentem illum dicerem, qui Chriſtum imprudentem vocaret) Reſpublica, quæ inſtituta eſt à Chriſto non caret tribunali ſupremo. At Religio

Luthe-

Lutherana, caret tribunali ſupremo: ſupremo etiam Caluiniana caret: etiam cæteræ, & Romana ſupremo tribunali non caret: ergo nec religio Lutherana (ergo nec Caluiniana, &c.) eſt Reſpublica inſtituta à Chriſto. Ergo ſola Religio Romana eſt Reſpublica inſtituta à Chriſto. Apud Lutheranam Religionem non dari ſupremum tribunal conſtat ex eorundem varietate & diſcrimine. In ſcripturis Lutheri nihil conſtans: Eadem centies aſſerta, centies etiam negata. Et ipſa Auguſtana Confeſſio, tametſi medulla doctrinæ Lutheranæ dicatur, anno M. DLXXVIII. duodecies iam mutata fuerat, nec datur Iudicium aut Tribunal, quod vltimum & infallibile ſit. Idem de Caluinianis dicendum eſt. At inter Romanos priuata aliquorum ſapientum & proborum ſententia dicitur opinio probabilis: & foret certior ſi alicuius Academiæ, aut Nationalis Concilij decreto roboraretur: & eſſet nihilominus errori obnoxia, quouſque ab Eccleſia Romana Fidei articulis adnumeraretur. Ergo, ſiquidem hoc ſupremum tribunal character eſt Eccleſiæ veræ: & hoc ipſum non apud Lutheranos, aut Caluinianos; ſed ſolummodò apud Romanos reperitur, concluditur alias Religiones eſſe falſas, & ſolam Romanam eſſe veram.

Chriſtiana eſt à Chriſto inſtituta

Auguſtana Cõfeſſio eſt Doctrinæ Lutheranæ medulla.

In Eccleſia Romana habemus tribunal ſupremum.

CCIII. *Nec iuuat ad ſacram ſcripturam recurrere, illamque in Iudicem cauſarum aſſumere: Quoniam duæ ſunt Quæſtiones grauiſſimæ: altera, an hæc, quæ traditur ſit ſacra Pagina? altera quomodo ſit intelligenda? In priore Quæſtione ipſa Sacra Scriptura rei Perſonam ſuſtinet nec eſſe Iudex poterit niſi Circulum velimus admittere; in poſteriori: Ipſa Iudex non eſt: tunc enim controuerſia inter expoſitiones ſolũ eſt, videlicet an totius Eccleſiæ in Generali concilio congregatæ authoritas & interpretatio, ſit priuatæ cuiuſcunque vetulæ aut ruſtici ſtupidi & ignari authoritati & interpretationi anteponenda? Et quia quotquot priuatum admittunt ſpiritum, aſſertiuè reſpondent, tam euidenter errant, vt audire deberent, quod ille olim qui interrogauit Ariſtotelem, eſſent-ne colendi Parentes? cui Prudentiſſimus Philoſophus; Qui de hoc dubitat inſtitutione non eget. pœna eget.*

An in controuerſiis Fidei, ſit Iudex ſcriptura ſacra?

An vni potiùs vetulæ credendum ſit, quàm toti Concilio Generali?

An colendi parẽtes ſint?

GCIV. LVtheranorum dogmata eſſe varia, diuerſa, et frequenter aduerſa, experientia demonſtrat, nec pluribus debet ſuaderi; non enim vellem adhibere laborem et probare, quæ nota omnibus à nemine negari poſſunt. Britannomachiam Henricus Fitz Simon ſcripſit eruditiſſimè, et in toto Lutheraniſmo et Caluiniſmo, nihil eſſe quod non fuerit pluries, iam contrariè et iam contradictoriè immutatum, magnâ doctrinæ vbertate et ſecuritate demonſtrauit. Breuitati ego ſtudeo, et tantummodò ſubſcribam aliquas Heterodoxorum Authoritates. Omitto diſſidia Lutheranorum, illa enim fortè ideò excuſari poſſent, quod ſint inter diuerſas ſectas Non miror Caluinum in defenſione ſecunda aduerſus VVeſtphalum pagin. 155. inclamaſſe: *Euangelicos tam virulento in Reformatos erepare odio, ut citiùs illis Pax cum Turcis futura ſit & cum Papiſtis Fraternitas, quàm cum Reformatis induciæ.* At miror vocari à nonnullis Catholicam (hoc eſt Vniuerſalem.) Religionem Lutheri quæ ferè in tot Sectas eſt diuiſa, quot capita, Nolo multa producere, ſatis erit ipſos audire Heterodoxos, quos ſequi nequeas, ſi audire placeat.

Henricus Fitz Simon.

Lutheranorum & Caluinianiſtarũ odium quatum?

Ioannes Pappus contrà Sturmium apud Schluſſelb. in Theol. Caluin. l. 1. arg. 28. fol. 153. *Agitur nunc inter nos de Omnipotentia Dei, de vnione Perſonali duarum Naturarum in Chriſto, de communicatione idiomatum, de Chriſti corpore glorioſo, de aſcenſione eius in cœlum, de diſcrimine Sacramentorum Noui & Veteris Teſtamenti, de vi & efficacia Baptiſmi, de prærogatiua infantium natorum ex Parentibus fidelibus, de Cœna Domini, de Prædeſtinatione, &c. de quibus omnibus Arti-*

I. Pappus.

Iuellus ; *Articulis nemo Pius negare poteſt, magnas inter nos Controuerſias eſſe.* Et tamen hoc ipſum negat Iuellus, ne quidpiam apud Lutheranos ſit, quod negari non ſoleat.

Ph. Melan. Philippus Melanth. in Conc. Theo. parte 1. pag. 249. *Nulla res æquè deterret homines ab Euangelio* (hoc eſt, *Confeſſione Auguſtana*) *ac noſtra diſcordia.*

CCV. Th. Beza. Beza in Epiſt. Theol. Epiſt. 1. ad Andreæ Duditium pag. 13 *Exercuerunt me diu & multum illæ ipſæ, quas deſcribis, cogitationes:* ſed quæ? *Noſtros Palantes, omni doctrinæ Vento & in altum ſublatos, modò ad hanc, modò ad illam partem deferri. Horum, quæ ſit hodiè de Religione ſententia* [*NB.*] *ſcire fortaſſe poſſis: ſed quæ cras* [*NB.*] *de eadem futura ſit opinio, neque tu certò affirmare queas. In quo tandem Religionis Capite, congruunt inter ſe Eccleſiæ, quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? A capite ad Calcem ſi percurras omnia, nihil propemodum reperias, ab vno affirmari, quod alter* [*NB.*] *ſtatim non impium eſſe clamitet* Ergo aſſerente Bezâ in hoc conueniunt Acatholicæ Sectæ, quod Dogmatum conſtant an non habeant, ſed diebus ſingulis heſternos Articulos Fidei exauthorent, craſtinoſque conſcribant & ſubſtituant: cuius in Romana Religione contrarium ipſimet Hæretici vident licet cœci. Oſiander ad annum 1583. *Theologi quidam, qui libro Concordiæ ſubſcripſerant, eumque approbarant, mutata ſententia eum reprehendere cœperunt, inter quos erant præcipui Theologi Brunſuicenſes.*

Quotidiè mutant ſuâ Religionem Hæretici.

Oſiander

Muſculus. Andreas Muſculus in Colloq. Hertzberg. fol. 91. & 92 fatetur, *Confeſſionem ipſam Auguſtanam ab anno* 1530. *ad* 1578. *fuiſſe duodecies mutatã* Sed quid debemus intelligere *mutationis* ſpecioſo vocabulo? verſionẽ, inuerſionẽ cõuerſionem, peruerſionem mutilationem, & deprauationem vt ipſi Lutherani teſtantur. Vide Oſiandrum apud Hoſium in AntiBrentio & Clebitium in Victoriâ & ruinâ Papatus Saxonici, & vide etiam Eccl. Sciop. cap. 101. 128.

Auguſtana confeſſio quinquaginta annis fuit duodecies mutata.

CCXI. Dreſſerus. Dreſſerus in Millenar. 6. pag. 86 fatetur quod cum anno M. DL. VII. VVormatiæ proponeretur, Lutheranis hæc quæſtio, *Anne omnes uno eodemque ſenſu banc Cõfeſſionem tueri uellent?* factũ fuerit, vt diſſentientes inter ſe Euangelici, nec ad Pontificiorum quæſtionem reſpondere potuerint, neque cum illis congredi. Et ſimilia exempla Amsdorfius in confeſſ. veræ doctr. Lauatherus in Hiſt. Sacrâ, Hoſpinianus in Hiſt. Sacram. part. 2. fol. 250. & Scultingus to. 4. & alij Lutherani producunt. Vide Surium ad ann. 1557.

Euangelici inter ſe cõuenire non poſſunt.

Znuingl. Zvvinglius tom. 2. com. de vera & fol. Ralig. cap. de Euch. fol. 202. *Retractamus hic quę illic diximus tali lege, ut quę damus anno ętatis noſtræ* 42. *prępondererę ijs, quę* 40. *anno dederamus.*

Cur plura in re tam manifeſtâ et clarâ? CCVII. Diſſerunt Lutherani et Caluiniſtæ; et alterutri ſubdiuiduntur inter ſe, et in tot ſectas, vt videantur ſimiles Peripateticorum Continuo, quod in infinitum interciditur. Lindanus Ruremundenſis Epiſcopus in ſuo Dubitantio, et ex eo P. Bonauentura Hocquardus in ſuo Perſpectiuo, et alij Lutheranorum Sectas nominant et enumerant; et præter multas minus notas, et quæ in incunabilis aut infantiâ perierunt, cæteras ad Claſſes recenſent. Et quidem.

Lindanus, Hocquard.

Primo loco Puri Lutherani ſolent poni. Sub illis militant Illyricani, Maiorani, Antinomi, Manſfeldenſes, Oſiandrici, Stancariani, Muſculani, Iuſtificatorij, Pfeffingeri, Paſtillari; quibus addere libet, rigidos Confeſſioniſtas, videlicet Samoſatenicos, internales vtroſque, Antidæmoniacos, Amſdorffianos, Antidiaphoriſtas, Antoſiandrianos, Antiſuencfeldianos, AntiCaluinianos, Manus impoſitorios, Biſacramentales, Sacerdotales, Inuiſibiles, & alios plurimos.

Sectæ quæ pertinent ad primam Lutheranorum claſſe.

Secundò poni poterunt Lutherani remiſſi, & complectuntur Interimiſtas Adiaphoriſtas, Luthero Antoſiandrianos Luthero Zuuinglianos, Bellianos, Hushuſios, Melanthonicos, Frontones, Pneumaticos, Luthero-Papiſtas, &c.

Sectæ quæ ad ſecundã.

CCVIII. Sectæ quæ ad Tertiam

Tertiò poterunt poni illi, qui Anti-Lutherani vocantur, qui tametſi à Luthero diſſentiant, à Luthero habuerunt exordiũ & audaciam. Recenſebo præcipuos: nimirum, Sacramentarios, Zuuinglianos, Oecolampadios, Martirianos, Buceranos, Farelliſtas, Caluiniſtas, Bezanitas, Boquineos, Richerios ſeu Marcioniſtas, Valentiniſtas, Seruetianos, Alaſcanos, Campaniſtas, Poſtellanos, Deiſtas, ſeu Trinitarios, Antimarianos, Anabaptiſtas, Muntzericos Apoſtolicos, Nudipedes, Spirituales; Cathatos, Tacentes, Euchutas, Enthuſiaſtas, Adamitas, Mennomitas, Tibbas, Mallapos, Liberos, Adiaphoros, Hutitas, Ambroſianos Auguſtinianos, Melchioritas, Monaſterienſes, Clancularios, Ollarios, Dauid-Georgianos, Batenburgicos, Pacificos, Doſtoricidas, Sanguinarios, AEgidianos, Libertinos, Quintiniſtas, Anti-Chriſtianos, Dæmoniacos, Dæmonicolas, Epicuræos vel Atheos.

Aliæ etiam Sectæ ſunt, quas alij enumerant: aliæ fuerunt, quæ ſenſerunt occaſum; aliæ quotidiè oriuntur, & vix domi conceptæ vnum vicum inficiunt, cùm iam Catholicæ volunt Vocari: cùm tamen nihil certiùs ſit, quàm illas, non eſſe Vniuerſales, *Omnes & ſingulæ*, (vtor Hilarij conceptu, imò etiam verbis.) *dum ſe inuicem vincunt; nihil tamen ſibi vincunt: Victoria enim earum* (nimirùm, quæ ex tanta hæreſeon

Hilarius de Trinitate lib. 7.

reſum varietate & contradictione reſultat,) *Eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt, dum in eo hæreſis contra alteram pugnat, quod in Hæreſi altera Eccleſiæ fides maneat* Omnes Sectæ ſunt ſibi ipſis contrariæ: Differunt in Canone ſacræ ſcripturæ, differunt in expoſitione, nec omnes eodem modo admittunt Canonicam Lutheri Grammaticam, quam tradit tom. 5. VVitt. Latin. fol. 171. b. nu 5. Comm. in cap. 3. ad Gal. Vbi ait. *Hæc tibi norma & regula eſto, quam in Scripturis Sacris intelligendis ſequaris*; [tu attende] *vbicunque ſcriptura iubet bona opera facere, tu id ſic intelligas, quod ſcriptura probibeat bona opera facere*; vel aliter in hunc modum: *Tametſi Papiſtæ ingentem cumulum locorum Scripturæ afferant, in quibus bona opera præcipiuntur, ego nihil curo omnia dicta ſcripturæ, ſi etiam ſi adhuc plura afferrentur. Tu Papiſta valde quidem faſtidis, & ferocem te facis cum ſcriptura, quæ tamen Chriſto vt domino ſubeſt. Itaque nihil ea re moueor. Age ſanè; famulo nitere quantum voles.* Et quidem hæc Regula admittenda eſt vel non. Si admittitur, ſeriò non agit Chriſtus: ſi non admittitur; ſeriò eſt condemnandus Lutherus.

Mart. Lutheri Grammatica, cõtemnit ſcripturas illaſque in ſenſum cõtrarium obtorquet.

Dilemma.

CCIX. Colloquium Altenburg. Impreſſum fuit Ienæ in 4. an. 1569.

Quanta ſit Lutheranorum diſſenſio, & quanti apud ipſos fiat hæc Hæreſiarchæ Regula, clariſſimè videmus quotidiè. In eundem conuenire locum Euangelici ſolent, at rarò in eandem opinionem vel dogma. Carent credendi regulâ; & ideò in eorundem Comitia tot confluunt, Religiones, quot capita. Alia poſſem producere, ſed placuit Colloquium Altenburgenſe ponere; nam in ipſo [à 20. Nouemb. 1568. ad 9. Maij 1569.] Electorales Theologi, Paulus Eberus, Henricus Salmuth, Andreas Freidhub & Gaſpar Cruciger Iunior contra Lutherum ſtatuunt opera requiri ad ſalutem. Sequuti ſunt Maiorem, qui libro contrà Amſdorffium c. 2. anno 1552. operum neceſſitatem admittit. Stant à Luthero Theologi Ducis Saxoniæ, Ioannes VVigandus, Ioannes Fridericus Cœleſtinus, Chriſtophorus Irenæus, &c. Et ſemper ſtat Lutheri doctrinam non ſtare: ſed in tot diuidi & ſub diuidi ſectas, vt numerum Perſonarum exæquent Hæc ſufficiant vt hoc argumentum formemus.

Religio vera debet eſſe certa, conſtans, & vniformis.

At Lutherana, Caluiniana &c. nil certi habent: ſunt diſformes, inconſtanteſque: & ſola Romana ſibi conſtat, & retinet antiquam doctrinam, &c.

Ergo nec Lutherana nec Caluiniana, nec aliqua alia Acatholica Religio eſt vera. Ergo ſola Catholica, hoc eſt Romana, eſt vera.

Conſequentia eſt legitima: Minor iam clarè oſtenſa: maior ab omnibus admiſſa & præcipuè a Luthero to. 7. Ger. Vitt. fol. 561. dicente; *Eccleſia non debet nec poteſt mentiri, nec falſum docere: nec in vnico quidem capite.* [NB.] ſi petas rationem hanc ſubdit. *Eſſe nimirum Eccleſiam Dei os & Deum nec decipi nec decipere poſſe.*

CONFIRMATIO I.

CCX. Quæ & qualis ſit Reſpublica à Chriſto inſtituta?

CHriſtus Rempublicam Chriſtianam inſtituit: ſed quam? veram omnino: nullam aliam. At Chriſtiana Reſpublica, eſt hodiè diuiſa in multas ſectas, & ſingulæ ſe vocant veras: cæteras falſas. Vnde igitur cognoſcere potero, quænam inter centenas Religiones ſit illa, quam Chriſtus inſtituit? Rationem fortiſſimam poſui: illam confirmo. Pronuncio Eccleſiam, in qua Chriſti inſtitutio verſatur, eſſe veram, cæteras omnes eſſe falſas. Ergo, cum finis Inſtitutionis fuerit, vita æterna, (nam de hoc nemo mortalis dubitat) inueſtigandum eſt, An Chriſtianis ſuis Inſtitutor, omnia neceſſaria conceſſerit ad æternam Salutem, vel non? & ſi non, An quia noluerit, an verò quia non potuerit? Chriſtum Chriſtianis ſuis neceſſaria concedere potuiſſe ſtatuo; eſt enim Deus Omnipotens & infinitus. Addo & concedere voluiſſe, qui ſummè eſſet aliàs imprudens, ſi poſſet & tamen nollet neceſſaria concedere. Addo & dediſſe hæc enim conſequentia [Potui: Volui: ergo feci] *iudico infallibilem eſſe, qui enim finem intendit, omnia adhibet neceſſaria, vt aſſequatur illum, niſi imprudens aut ſtupidus ſit, quod de Chriſto Domino di-*

Inſtitutor Reipublicæ, ni imprudens ſit, omnia ad finẽ media neceſſaria concedit.

An Chriſtianis omnia ad ſalutem neceſſaria conceſſa?

Qualis hæc conſequentia ſit potui volui: ergo feci? Quid ſit rem eſſe de neceſſitate medij.

ci non

cinon poteſt. Tunc ſic. Conceſſit Chriſtianis à ſe Inſtitutis Chriſtus neceſſaria ad ſalutem. At inter alia neceſſaria eſt infallibilis & certa cognitio earum rerum, quæ requiruntur neceſſitate medij (ideò enim de medij neceſſitate eſſe dicuntur, quod eis omiſſis, etiam ſi ex ignorantia inſuperabili omittantur, tunc habebitur æterna vita, cum finis non poſitis medijs.) Ergo Reipublicæ à ſe inſtitutæ Chriſtus conceſſit aliquem certum & infallibilem modum aſſequendi Veritatem, ſaltem in controuerſijs, quæ de illis diſputant, quæ de neceſſitate medij eſſe neceſſaria dicuntur. At eiuſmodi certus & infallibilis inueniendæ Veritatis modus, nec apud Lutheranos, nec apud Caluinianos, nec apud vllos alios Acatholicos eſt: atqui eſt apud ſolos Catholicos ſeu Pontificios: Ergo ſola Pontificiorum Eccleſia illa eſt, quam Mundi Saluator inſtituit.

De rebus neceſſitate medij requiſitis, & de earundem notitia.

CCXI. De his quæ requiſita ſūt de neceſſitate præcepti.

SEmel demonſtrato Eccleſiam ſeu Rēpublicam inſtitutam à Chriſto, in eſſentialibus & ſubſtantialibus errare non poſſe; hoc eſt habere priuilegium ab Inſtitutore conceſſum, vi cuius in notitiâ rerum, quæ neceſſariæ ſunt de neceſſitate medij errare non poſſit: facili negotio, ad ea quæ ſunt de neceſſitate præcepti & ad ea quæ ſunt accidentalia, poſſet conſequentia diduci, partim aſſerens & partim negans: ſed quia hæc ipſa diductio minus eſt neceſſaria, & maiore molimine pertractari deberet, ab ea impræſentiarum ſuperſedeo, Veritatemque Romanæ Eccleſiæ ab alijs motiuis confirmo.

CONFIRMATIO II.

CCXII. An Eccleſia vera errare poſſit?

ARguebam ſic. (*Eccleſia vera in Articulis ſubſtantialibus Fidei errare non poteſt: At Eccleſia Romana eſt vera; Lutherana & Caluiniana non ſunt veræ: Illa igitur in ſubſtantialibus articulis errare non poteſt, iſtæ poſſunt.*) Hanc eandem rationem verto, & ad alium modum & figuram reduco. Sic diſcurro: (*Religio vera in articulis ſubſtantialibus Fidei errare non poteſt: At Religio Lutherana (& idem de Caluiniana & cæteris Acatholicis dixero) errare poteſt: imò ſolet. Ergo non eſt Religio vera*) *Minorē probant omnia Lutheri ſcripta, quæ multa & varia ſunt, in quibus nullus eſt articulus Fidei, qui non aſſeratur, nullus qui nō negetur, aut expreſsè & implicitè. Minorē firmat ipſa Auguſtana Confeſſio toties mutata (hoc eſt verſa, cōuerſa, inuerſa.) Minorem ipſæmet Ioannis Caluini Inſtitutiones, quæ ſæpè prodierunt alteratæ. Eandem confirmat quorumcumque Theologorum Hæreticorum aut etiam Ciuitatum collatio, in ſingulis enim angulis diuerſimodè creditur, & Libri ſinguli diuerſam (imo aduerſam) complectuntur doctrinam.*

Rationis præcedentis inuerſio.

Erroré varietas & inconſtantia monſtrant.

CCXIII. Contradictiones Lutheri.

QVi omnes velit Lutheri contradictiones legere vel colligere, deberet eius omnia reſcribere; vix enim quidpiam ab eo aſſertum, quod non etiam ab ipſo negatum. Multas contradictiones & mendacia collegit P. Bonauentura Hocquardus, Ordinis Minorum ſtrictioris obſeruantiæ Reformatorum, in erudito illo Opere, quod *Lutheranorum & Caluinianarum perſpectiuum* inſcribitur: Articulo enim vigeſimo-tertio iſtum præfixit Titulum, *Contradictiones à Martino Luthero Lutheranorum Propheta, Euangeliſta, Coryphæo, in diuerſis rebus etiam maximis Fidei commiſſæ.* Illaſque expendit à pag. 374. ad 934. nimirum per paginas 560. quæ ad librum complendum ſufficerent. Clauinianiſtarum contradictiones & inconſequētias dilucidat & enumerat Henricus Fitz Simon, toto illo libro, qui inſcri-

Perſpectiuſi Hocquardi.

Contradictiones Caluini. Henrici Fitz Britannomachia.

ſcribitur *Britannomachia Miniſtrorum in pleriſque & Fidei Fundamentis & Fidei Articulis diſſidentium*: etiam ego alibi: etiam alij doctiſſimè & eruditiſſimè. Hanc ob rem nolo hic multum hærere, ſed ſupponere eſſe hoc tam euidens, vt à Lutheranis nec poſſit, nec debeat negari.

SEXTA RATIO.

CCXIV. Quænam ſit Patrum & ſanctorum Religio?

An inter Hæreticos ſint ſancti?

IN vera Religione ſunt ſancti: itaut Vitæ Sanctitas & Religionis Veritas videantur adæquatè conuerti; illa enim & ſola Religio, quæ habet ſanctos eſt vera: & illa vnica & ſola, quæ eſt vera ſanctos habet. At omnes illos veteres, quos colunt Heterodoxi, ſunt Romani, & in ſuis nouis Sectis nullum habent, qui ſit, fuerituè conuerſationis inculpabilis. Ergo Religio Romana vnica & ſola, vera eſt: & cæteræ mendaces & falſæ.

CCXV. Sancti qui ab Hæreticis citantur ſunt Romani.

LVtherus & Melancthon Gelaſium, Pium, & Gregorium ſummos Pontifices, Chryſoſtomum, Irenæum, Cyprianum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum in Auguſtanâ Confeſſione producũt, licet immerito; & eorum teſtimonijs totam ſuam doctrinam roborare conantur. Caluinus, tametſi multos alios alleget, ſolo Auguſtini teſtimonio contentus eſt. At iſti omnes ſub Eccleſiâ Romanâ militarunt. Et o *Hæretici*, cùm vitos ſanctos & Illuſtres quærunt, non niſi ad Romanam Religionem recurrunt. Et li. de votis Monachorum [habetur to. 2. Lat. fol 480. b.] Bernardum, Franciſcum, Bonauenturam, & alios *ſanctos* nuncupat. Videamus igitur quos qualeſque Sanctos habeant Sectę Acatholicę.

CCXVI. Quis & qualis fuerit Mart. Luther? Eius vxor ſacrilega. Eius vitæ ſceleſta

Incipio à Martino Luthero. Religioſus fuit, & Apoſtata; duxit in Vxorem Catharinam Boram, Monialem: perditiſſimè vixit, & in ebrietate mortuus eſt. Eraſmus in Epiſtolâ ad Godenium, eum ſceleratiſſimum fuiſſe, ex eius ſcriptis collegit. Nos ob oculos ponimus hæc paucula.

Eius Genius Fuit ebrioſus & vorax

Colloq. Francofurt 1571 fol. 445. ſuum genium & mores depingit. *Nihil ſingulare*, ait, *in vita mea eminet. Poſſum iocari, potare, frontem exporrigere, ridere: ſumque commodus & facetus conuiuator: cumque vnum biræ aut ceruiſiæ cantharum teneo, ſtatim dolium ipſum totum concupiſco; ſæpiuſque bene bonum hauſtum facio in Dei gloriam. Pro eo itaque quod priùs maserabam corpus meum, mox cum mortuus & in capulo poſitus fuero Vermibus ventricoſum beneque craſſum Doctorem eſcã dabo.* Et vſque adeo genio & inertiæ indulſit, vt in Colloq. Isleb. de Fanaticis dixerit; *Ego non ita ſum affectus. Papæ vt cauſa meum otium, cibum potum & recreationem velim corrumpere*; imò neque Chriſti vt causâ illud velit; ait enim. *Si cælum apertum viderem, idque culmo ſtramineo de terra ſubiato mereri poſſem, culmum nequaquam vellem tollere.* O ſummam Germani Euangeliſtæ deuotionem! Et quò tandem tota iſta doctrina protendit? Ille, *Voramus ad mortem*, ait, *potamus ad egeſtatem, & ad infernum dormimus.* [parcant mihi oculi & aures] *viſimus*, addit (fortè *minximus*) *pedimus cacamus, denique ad mortem.* Vide Colloq. Iſleb. de Fanaticis fol. 356. §. 2. & de creatione fol. 59 §. 5. & de mundo fol. 70 §. 5. & Poſtilla Dom. 9 poſt Trinit. fol. 124. Quod ſi adhuc mirabiliora legere placeat, recognoſce Breuiſſ. annot. in cap. 15. Mar. tom. 5. Lat. VVittenb. ibi enim ait, *Omnis ſanctitas conſiſtit in cacando & mingendo.*

Rei diuinæ cõtemptor.

Immundus vita & calamo.

Generaliora hæc ſunt; ſed quæ ſufficiunt, vt hominis impietatem noſcamus. Veniamus ad ſpecialiora. Quanti ipſe totam primam tabulam fecerit, conſtat ex formulâ miſſæ: tom. 2. Germ. fol. 214. & tom. 3. fol. 55. & 274. vbi ait, *Elevationem Hoſtiæ eſſe idololatriam & hanc ſe permiſiſſe, eo tantum fine, vt Caroloſtadium vexeret*: & vt vides errat in Fide, & contradictamen & conſcientiam procedit, vt vel ſic torquere poſſit cornialem. Et apud Henricum Fitz ait, *Doctori Staupitio ſæpè confeſſus ſum, non de mulieroſis. ſed verò atrocia & ſolida facinora*: & hinc conſtat quanti fecerit ſecundam tabulam. Si enim opinione Lutheri mulieroſa peccata non ſunt atrocia & ſolida; & tamen ille, ſe atrocia & ſolida commiſiſſe fatetur: quæ ſint & qualia iſta peccata, à ſe commiſſa, quæ ſolida, quæ atrocia nominat: pijs Lectoribus quærendi, ſuſpicandi, aut etiam opinandi occaſionem & licentiam reliquit.

CCXVII. Contrà dictamen agit

Atrocia peccata commiſit.

Hæc eſt Lutheri pietas & ſanctitas; & quia

Ignauus.

quia agens intendit ſibi aſſimilare paſsũ, hanc eandem, in ſuos magno concionum & librorum apparatu & molimine inſpirat. tom. 2. Latin. VVitt. fol. 74. § 4. docet *vnicum eſse peccatum, ſolam videlicet infidelitatem: eundem qui credit, peccare non poſse*: & ſui oblitus, ſuadet *vt ſint peccatores & peccent fortiter*. Ibidem in Colloq. de peccat edit. Iſleb. fol. 130. b. vrget, *vt blaſphemias, parricidia, Dei contemptum, adulteria &c. confidenter committant*. Et tom. 4. Germ. VVitt. fol. 305. §. 5. exiſtimat, *eos eſse germanos, & veros ſanctos, qui fortibus & atrocibus peccatis obnoxij*: & vt vno ictu omnia tollat peccata, to. 1. Germ. VVitt. com. in c. 5 ad Galat. fol. 273. & tom 5. Germ. VVitt. fol. 112. & in colloq. Iſleb. de Fanat fol 369. *Nos prorſus*, inquit, *nec debemus nec volumus pati vel vnicam Moyſis legem aut vnicum præceptum ceruicibus noſtris imponi*. Et iterum: *Ita omninò manifeſtum eſt, Iudæis tantum, non nobis data eſſe decem Præcepta*: Et tandem: *Tollantur de medio decem Præcepta Dei, & ceſſabunt omnes hæreſes nam decem Præcepta ſunt fons, ex quo velut ex ſcaturigine hæreſes omnes emanant*: &c. & tom. 1. Epiſt. edit. Ienæ fol. 345. in eundem ſcopum mirabiliter dialecticatur. *Si vera eſt gratia*, ait, *verum non fictum peccatum ferto: cum Deus non faciat ſaluos fictos peccatores*: ergo fortiter peccandum eſt, vt veri peccatores ſimus.

Omnia peccata, ſi excipias infidelitatem negat.

Tollit Decalogum.

CCXVIII. Obedierunt tam benè Prædicãtes huic legi, vt apud omnes exoſi & infames euaſerint, & vt illos excuſet Lutherus ad neceſſitatem recurrit: in Poſtillâ Eccleſ. Dominic. 4. & 26. poſt Trinit & in cap. 46. Geneſ. *Bene habet*, inquit. *Cape, furare: rape, quod lubet. Veniet tempus cum uice uerſa præda tua alijs prædonibus prædæ erit*. Conſonat ſibi alijs in locis. Inquit alibi; *Tametſi peſſimo ſanè loco ſint res noſtræ, cum omninò Prædicantes furari cogamur, nihilominus alacriter in nomine Domini furari poſſumus. Omnino enim urbani ciues & agricolæ, cum quid nobis dant, ſe ueluti furibus & prædonibus illud dare perſuaſum habent* & alibi. *Breui rurſum eò rem redire oportebit, vt probi ſinceri ac fideles Prædicantes cœlibem uitam ducant, & alienis uxoribus ac filiabus utantur; quæ cùm erga ipſos benè affectæ fuerint, etiam mariti ac Patres eos diligere cogentur*. Ita ille to. 2. Germ. VVitt. ad cap. 13. Geneſ fol 215. §. 3. Et in Colloq. Iſleb. de Prædicantibus fol. 235. § 4. Vide Britan. lib. 2. cap 2. num. 5. & Henricum Fitz In Britannomachiæ lib. 3. cap. 5. par. 10. pag 342. Ecce his duobus locis Lutherus furtum & adulterium ſuadet, excuſatque æque impia ac ridicula fundamenta ponendo. Videtur voluiſſe ethniciſmum à Græcis transferre ad Germanos, nam in Gentilium libris interdum legimus *fures ab ingenio laudari*: & Ariſtoteles inter alia falſa & abſurda loco axiomatis habeti voluit *Bonum eſſe adulterari cum uxore Tyranni tempore belli*. Quod ipſum inter Philoſophica poſuit, expoſuitque Monfortius pag. 49.

Furta & adulteria præcipit & permittit.

HAEc de Luthero & Lutheranis breuiter dixiſſe ſufficiat: aliquid de Caluino & diſcipulis eius dicamus. CCXIX.

Fuit Presbyter Nouiodunenſis: captus conuictuſque de infando crimine; fuerat adiudicandus igni, ni interpoſitus fuiſſet imprudens Amicorum fauor. Leniuntur Iudices, & ſententiâ mitiore ſignatur lilio Gallico, & Ciuitate pellitur. Si dubites, lege Cochlæum, alioſuè, qui Hæreſiarchæ huius miſerabilem vitam mortemque literis commendarunt. *Abſit*, ait Beza, *vt Caluinum inter ſanctos referam*: eundem alij adſcribunt perditiſſimis: & mirùm eſſet tam multa & execrabilia falsò dici, voluiſſeque Deum, Mundum reformari & inſtitui ab homine liliato & nefario. Ioannes Caluinus Sodomita: publica ſententia damnatus & liliatus.

SVb Hæreſiarchis iſtis multi Prædicantes perierunt; quorum ſceleratiſſimã conuerſationem noſcunt ipſi Acatholici, apud quos ſunt execrabiles & intolerabiles. CCXX. An Caluiniani Atheiſtæ ſint?

VVhirgiftus in ſua Defenſ. à pag 31. ad 51. & clariùs pag. 278. *Eccleſia noſtra plena eſt Atheiſtis*. VVhitgift.

ParKes in Epiſt. dedic. Apol. *Hæ contentiones noſtræ* (licet Barlous & Epiſcoporum fautores, omnia inter nos pacata eſſe dicant; & nobis perſuadere conentur. *Non minimæ ſunt ad Atheiſmum præparationes*. ParKes.

Edwinus Sandes in Relat. nu 45. & iuxtà editionem anni 1605. *Noſtræ lites ad Atheiſmum augendum domi, & Mahumetiſmum foris uehementer faciunt* Sandes.

Couellus in modeſto & rationabili examine pag. 179. iuxta editionem Londinenſem anni 1604. *Quæcumque irrepſerunt profanationes in Eccleſiam noſtram; quæcumque Sabbati uiolationes, quæcumque irreuerentiæ contrà diuinas ſine concionibus preces; breuiter Atheiſmus & Hypocriſis in omnibus Ordinibus huius Regni Puritanorum impio deſpectui, Libri publicarum precum accepta referantur*. Couellus.

Kingus Londinenſis Epiſcopus ſuper Ionam ſect. 32. pag. 442. *Tam ſumus nos peregrini operibus & fructibus pœnitentiæ, vt quid ſignificet pœnitentia vix intelligamus. Adeòque procul abeſt vt veri ſimus Iſraelitæ Natanaële, aut ex parte Chriſtiani cum Agrippa, vt potiùs conuincamur eſse perfecti Athei. Et quod Tullius* CCXXI. Kingus. Qualis ſit Reformatorum pietas & ſanctitas

Qualis sit Anglia?

inter naturæ portenta retulit, in quadam regione ex siccitate cœnum, & expluuia pulueres suscitari, in nos verè quadrat, apud quos abundantia gratiæ peperit abũdantiam peccati Et sicut aliqui ex lege arripuerunt occasionem maioris nequitiæ, sic iniquitas nostra nunquam fuisset adeò luxuriosa, nisi ex Euangelij exuberantia.

Barlous.

Barlous conc. 21. Sept. 1606. *Religio in Anglia ab annis multis conuersa in statissimum, breui transibit in Atheismum.*

Ieffrius Qualis Londinus?

Richardus Ieffrius in Concione habitâ Londini 7. Octob. Anno 1604. *Liberè eloqui possum, quod manifestè vidi in meis itineribus, & adnotaui ex quibusdam discursibus; Nunquam in Belgio maiorem ebrietatem, in Italia maiorem Luxuriam, in Iudæa maiorem hypocrisim, in Turcia maiorem impietatem, in Tartaria maiorem iniquitatem quam in Anglia generaliter specialim verè Londini esse in vsu.*

CCXXII.

Tale est Londinum afferente Richardo, at vix est vmbra Geneuæ, de quâ occini solet hoc Distichum.

Qualis Geneua?

Furum & Latronum atque impostorum & nebulonum,
Natura hic posuit, quidquid vbique fuit

Sic vulgus: cui apud Bezam in libro quem Sycophantem inscripsit, adstipulatur Castalio dicens: [*Vocant Geneuam* Ciuitatem Sanctam, *Conuenticulum vero suum* Ierosolimam: *at nos dicimus*, O Babyon, Babylon: ô Aegypte: ô Sacrificuli Aegyptij, & Babylonici Incantatores]

Castalio.

Caluinus.

Caluinus de scandalis [iuxta edit. Gall. anni 1560 in quatern. K. 1. a. b. & iuxta editionem Latin. pag. 65. 66 118. 127. 128.] aduersus Geneuenses Administros hæc habet. *Quidam miri sunt ad captandum artifices Humaniter exceepti spoliatis hospitibus, fuga dilabuntur. Alij ancillas ad flagitium pelliciunt; ipsasque sine scrupulo conjuges sollicitant. Alij matuò petunt quantum valeat, quod nunquam reddituri sunt. Alij deposita sibi vsurpant; &c. ipsimet Pastores, turpissimæ sunt nequitiæ, vel malorum aliorum exempla &c. Et tales scilicet in contemptu esse apud plebem, aut etiam ludibrij causa digito demonstrari quæruntur. Ego verò potius miror* [NB.] *vulgi patientiam, quod non eos luto & stercoribus mulieres & pueri operiant.*

Omnes Prædicantes ũt vafri In varias classes distribuũtur.

CCXXIII.

Et vt aliquem nominatim notemus, producam Authorem Anonymum in extracto Responsionis ad Edictum, qui ait; *Agit de Domini VValteri Raleighi schola Abessini: vt etiam de Magno eiusdem Institutore: & de diligentia in infatuandis iuuenibus Aulicis vbidem impensa: in qua schola Moyses & Christus Dominus cum veteri nouoque Testamento habentur ludibrio, docenturque inter reliqua Discipuli inuersè Deum pronunciare* [nimirum faciendo ex God, *Deo* Dog. *Canem*] Fuit VValterus captus, & in turrim Londinensem inuectus, vbi, quia vexatio intellectum immutat, ex Atheismo formali ad virtutem (hoc est, ad Caluinismum) rediit teste Henrico Fitz in Britannom. lib. 1. cap. 12. pag. 114. sed reponet aliquis Heterodoxus, etiam apud nos sceleratos homines reperiri; & apud Euangelicos & Reformatos multos Sanctos, Cum lachrymis concedo illud prius & nego rotundè hoc posterius. Non arguebam sic; *Religio vera illa est, quæ nullos improbos habet; Romana nullos improbos habet; ergo Romana est vera.* Non inquam arguebam hoc modo: Collegium enim Apostolicum, etiam viuente Christo, Iudam habuit, Sed isto omninò: *Religio mala certè est, quæ nullum sanctum habet: Lutherana, Caluiniana &c. nullum sanctum habent: ergo illæ Religiones sunt malæ.* Et nomine *Sancti* illum intelligo, qui fuerit non iam in aliquâ virtute morali clarus; sed in omni; qui fuerit inculpabilis vitæ, & similis Augustino, Bernardo, Francisco, Bonauenturæ, & aliis, qui pontificii fuerunt, & ab ipsomet Luthero & aliis Hereticis vocantur *sancti*. Postulamus nobis designari vel vnum qui vitæ sanctitate [aut etiam miraculis & reuelationibus] fuerit illustris & tamen vixerit extra Ecclesiam Romanam, & ostendimus duo; alterum eos omnes, qui apud Heterodoxos coluntur, esse nostros; alterum apud ipsos reperiri non paucos modestos pacificosque; Sanctum verò & inculpabilis conuersationis: nullum; nullum. Et quod mirabilius omninò est eorundem Patriarchas, Martinum Lutherum & Ioannem Caluinum, fuisse homines perditissimæ vitæ, nec dignos qui discipulos habeant. Quod ipsum fatentur, quotquot ab vtroque seducti, nolunt enim *Lutherani* aut *Caluiniani* dici, nam pudet illos talis nominis Consentiunt ipsimet prædicantes & inter ipsos ille qui ante annos paucolos in Palatinato ab Illustrissimo D. Comite de Rebolledo, Gubernatore Comitatûs, rogatus, *An Lutherum Caluinumque esset admissurus si in Mundum reduces, illi vellent adhærere aut conuiuere* sincerè respondit coram me, eiusmodi Pacis publicæ perturbatores repulsurum, seque Lutheranum nec Caluinianum, sed Christianum purum & reformatum esse, ac ideò nec Lutherum nec Caluinum curare.

God Deus Dog. Canis.

Atheismus virtualis

An apud Heterodoxos sint sancti.

Quid sancti nomine intelligẽdum?

Quæstio à Rebolledo Prædicanti proposita.

SEp-

SEPTIMA RATIO.

CCXXIV. Quænam ſit Religio quæ veris miraculis ſtaret?



Iracula, ſi vera ſint, à ſolo Deo poſſunt fieri: ea enim quæ à natura, ſed rariùs fiunt, & ea quæ ab Angelis & Dæmonibus poſſunt, non vocantur vera miracula. Cum igitur Deus non poſſit mentiri, non poterit Deus falſam doctrinam miraculis confirmare. Ergo ſolùm in Religione vera, vera reperiuntur miracula. Atqui apud Lutheranos, Caluinianos &c. ceſſant miracula vt ipſimet confitentur: apud Pontificios nõ ceſſant. Ergo iſti proculdubio ſunt in Eccleſia & Religione vera, illi in falſa.

Quæ ſint vera miracula?

An hodiè ceſſent?

CCXXV. Plerique Hæretici dicint ſe inſiſtere Auguſtini doctrinæ.

LAudant Auguſtinum Hæretici, ſanctiſſimum doctiſſimumque, Illum ſolum Ducem habere volunt, & cæteros Patres reijciunt, Ergo ſtent vel ſemel conſequentiæ doctrinæ, & S. Auguſtinum ſequantur. Sic arguo. [Septima hæc Ratio ſecundum Auguſtinum eſt euidens & demonſtratiua, & cui ſolus contumax reſiſtere poſſit; Vir ſincerus & prudens dare manus & cedere debeat. At vos vultis ſequi Auguſtinum; ergo ſicut ille, ſic etiam vos de huius rationis efficaciâ, iudicare debetis.] Probo maiorem producendo vnam aut alteram Periodum ex Auguſtino de vtilit. cred. cap. 17. inquit, *Culmen authoritatis obtinuiſſe Eccleſiam hæreticis miraculorum maieſtate damnatis*. Et iterum de ſign. Eccl. contr. Epiſt fund. cap. 4. ait: *Omittens ſinceram ſapientiam, quam in Eccleſia eſſe Catholica non creditis multa ſunt alia, quę in eius gremio [NB] mc iuſtiſſimè tenent Tenet conſenſio Populorum atque gentium* [hodiè autem inter Sectarios nulla datur conſenſio] *tenet Authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, vetuſtate firmata* [& tamen hodiè ceſſant miracula apud Heterodoxos, quæ apud nos frequentiſſima ſunt. Spes illorum in præſumptionem tranſit, Exauthoratur Charitas, & iuſtificatio peccatoris ſoli *Fidei* aſſcribitur. Et tandem eorundem Religio non vetuſtate (concepta eſt enim anno 1517. nata anno 1530) ſed merâ nouitate firmatur] *tenet ab ipſa*, &c.

Miracula.

Apud Hæreticos quot capita tot ſunt ſententiæ.

Richardus de S. Victore; & ipſe pius et Pontificus, Deum generosè alloquitur, et ait: *Domine, ſi error eſt* (nempe id, quod credimus) *à te decepti ſumus: nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt.* Ita de Trinitate lib. 1 cap 2. [Vide I. Lipſium in Virgine Aſpricollenſ. cap. 2, pag. 5.]

Dicunt Hæretici apud ſe eſſe ſupremum Tribunal, quoniam apud ipſos et ſacra ſcriptura, quæ eſt regula omnium veritatum, et quia multi ſunt, qui loquuntur hoc modo, ſit.

OCTAVA RATIO.

CCXXVI. De librorũ Canonicorũ diſtinctione & diſcretione.



Vel datur in orbe Chriſtiano authoritas & infallibilis cenſura, quæ diſcernat Libros Canonicos à Non-Canonicis: vel non: ſi non datur, nulla datur Religio, quæ ſit certa, & per Conſequens non datur Fides diuina, quæ enim incerta Fides eſt, Catholica & diuina non eſt. Vel dicito, quam certitudinem ego habere potero, ſi duos libros habeam, & neſciam, an vtrumque an neutrum, an alterutrum Deus dictauerit? Ergo ante omnia debet ſtatui Librorum reuelatorum Canon, Sed vnde ille ſtatuetur? Ex Eccleſiæ definitione

Quis poſſit declarare, an iſte ille liber ſit ſacer, à Deo reuelatus?

nitione, ſi ſtemus doctrinæ Auguſtini tom. 6. contra Epiſt. fund. cap. 5. dicentis: (Ego Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas:) & ſi ſtemus nouæ ſectariorum doctrinæ, ex ipſamet ſacra ſcriptura. Sed malè hinc (Quoniam ſi nihil credendum eſt, niſi quod in ſacra ſcriptura eſt, nihil omninò credendum, quod in ſacra ſcriptura eſt; quia non debebit credi hos libros quibus vtimur, eſſe ſacram ſcripturam, quoniam eos eſſe ſacram ſcripturam non eſt in ſacra ſcriptura Quam ob rem, ſi non debet credi hos libros eſſe Sacram Paginam, nec credi debebunt, quæ continentur iſtis libris.) Si cui contradicere placeat, det quæſo ſacræ ſcripturæ teſtimonium indubitatum, in quo dicatur, quinque Libros Moyſeos, quibus nos vtimur, & non fortaſſis alios quibus non vtimur, eſſe ſacram ſcripturam.

Argumentũ à Contradictorio.

Monſtrum Dialecticum at legitimè natum.

Tunc ſic. In Religione Catholica & vera datur infallibilis authoritas diſtinguendi Libros Canonicos à Non Canonicis: At hæc authoritas non eſt in ſacra ſcriptura vt oſtendimus. Ergo neque apud Lutheranos, Caluinianos, &c. qui nihil admittunt, quod non ſit in ſacra ſcriptura. Ergo hæc authoritas eſt in Religione Romana tantummodò. nam excluſa Lutherana, Caluiniana, &c. ſola remanet; & quæſtionem, quæ examinat, An hic vel ille liber ſit Canonicus? Concilio generali, hoc eſt, toti Eccleſiæ committit. CCXXVII.

Vel dicito, An non eſſet imprudentiæ ſummæ arguendus, & accuſandus Iuſtinianus aut alius Legislator quicunque qui talem Rempublicam inſtituiſſet, in qua non eſſet modus certus & politicè infallibilis leges veras à legibus adulterinis & factis diſcernendi. At hodie quæritur, quot & quinam ſint libri Iuris Diuini. Ergo vel Reſpublica Chriſtiana habet modum certum & diuinitùs infallibilem hanc controuerſiam decidendi; vel fuit imprudentiſſimus Chriſtus. Non hoc, niſi blaſphemus eſſe velis: ergo Reipublicæ à Chriſto inſtitutæ concedendum Tribunal eſt, in quo certitudine diuinitùs infallibili decidatur: Quinam Libri à Deo dictati ſint, & qui non ſint? Atqui hoc Tribunal non penes Lutheranos, non penes Caluiniſtas &c. ſed penes Romanos ſolum eſt: ergo vnica Eccleſia Romana eſt Reſpublica, quam Chriſtus condidit.

De Iure Apocrypho.

Debet eſſe in Republica modus cognoſcendi veras leges, & modus diſtinguendi illas à falſis.

CCXXVIII. SI ſemel vnicuique liceat, libros quos velit admittere, & quos velit e Canone ſacrorum proſcribere, tota tollitur de medio Religio, & qui dubitet, legat ſequentia.

Cũr aliquos libros Lutherus ex Canone expungi voluerit.

Lutherus in 2. præf Noui Teſtam. & tom. 1. nouor. oper. edit. Liſp. anno 1603. & inſerm. de Phariſæo & Public. ibid. *Abolenda eſt falſa illa opinio, quod ſint quatuor Euangelia. Nam Euangelium Ioannis eſt vnicum pulchrum, verum, ac principale Euangelium, alijs tribus longè anteponendum.* & ibidem: *S. Ioannis Euangelium & prima Epiſtolarum; Epiſtola S. Pauli, imprimiſque Romanis, Galatis, & Epheſijs ſcripta, tum prior S. Petri Epiſtola; eiuſmodi ſunt libri, qui tibi Chriſtum intento velut digito demonſtrent, omniaque te doceant, quæ ſcitu ſunt neceſſaria.* Sed cur cæteros libros Canonicos reijcit? quia in cæteris clariùs eius errores condemnantur; nam & hos fuiſſet reiecturus, ſi in ipſis aliquid præuidiſſet ſuæ prætenſæ Religioni aduerſarium. Anteponit cæteris Ioannem, & vt ait, *quia parum ille de operibus Chriſti ſcribit*: admittit & libros nonnullos, & vt ait. *quia in ipſis non multum audis de operibus Chriſti.* Et quis Luthero dedit conſtituendi Canonem, authoritatem? Reſpondet in Apoc. editionib. prior Bibl. *Meus quidem Spiritus in eo acquieſcere non poteſt. Quiſquis verò reliquorum*

An dentur quatuor Euangelia.

quorum Scripturas hac tanti faciat, quanti, cuique ſpiritus ſuus dictabit. Hæc Lutherus; & quia abyſſus abyſſum inuocat, Bucerus apud Sanderum de Schiſm. Anglic. lib. 2. pag. 272. *Si quidquid Euangeliſtæ tradiderunt, verum habeatur, Chriſtus verè & realiter eſt in Sacramento. Sed vtrum teneamur abſolutè, credere, quidquid ab ipſis eſt traditum, verum ſit an ſecus, Iudex eſſe nolo.* Si non in omnibus ſed aliquibus ſolummodò credẽdum eſt Euangeliſtis, in quibus quæſo? & cur non in omnibus? Lutherus in Colloq. Isleb. de tentationibus. fol 286 *Apoſtoli etiam ipſi peccatores fuere, & insignes magniquè nebulones, nempè Paulus. Petrus quoquè Chriſtũ negauit quod erat facinus hominis improbi* VVilletus in Medit. ſuper Pſal. 122. pag. 91. de HoKero & Couello hæc ſcribit *aiũt inter alia Chriſtũ originaliter nõ eſſe Deũ, Scripturas nõ eſſe media quoad Deum, omnium quæ vtiliter creduntur. Scripturas ſolas non ſufficere ad æternam felicitatem. Verbo Dei non conſtare, quod ſit Verbum Dei; Voluntatem naturaliter quodcunque ſibi obiectum ſine ſuperna gratia appetere vel reſpuere poſſe. & cõſequẽter ſine gratia opera moraliter bona naturaliter edere, quæ Deo ſint grata &c.* & quidem de Verbo Dei non conſtat, apud Heterodoxos, quod ſit verbum Dei; adeoque tota eorumdem Religio ab aëre pendet. At apud Catholicos conſtat de verbo Dei, illi n. Euangelio credimus, quod eſſe dictatum à Deo pronunciat ſupremi Tribunalis authoritas.

Nota bene iſtam conditionalẽ.

An Euãgelium ſit de Fide?

Quales apud Lutherum Chriſti Apoſtoli

Anchriſtus ſit Deus?

Inuento diuinorum Librorum Canone, adhuc quæritur, quo ſenſu debeant intelligi, aut non debeant Sed quis erit Iudex et Doctor? An ne vnuſquiſque Prædicans in vico ſuo? In Sermone de Hieruſalem negat Lutherus *Neque vides* ait *duriſſimam plagã Dei, qua nos punit, per innumeros falſos fratres & ſectas, quas nobis vndequaque immittit? qui tam ſecurè prædicant; per inde ac ſi Spiritũ ſanctum penitus deuorauerint. Et quos velut omnium optimos exiſtimauimus, illi nunc homines vſqueadeò dubios reddunt, vt penè ignorẽt omninò quid facere vel omittere debeant* Nam, addit tom. 1. German. VVitt. fol. 114. comm. ad cap. 3. Gal. *Prædicantes eo omnem operam conferunt, vt omnia argumenta contra ipſos allata illudant, Scripturarum loca commentitiis ſuis expoſitionibus adulterent* Ergo ſemel conceſſo textum aliquem eſſe Canonicum, adhuc poſſunt occurrere duæ expoſitiones aduerſæ, quarum altera verax, & altera commentitia ſit. Sed quis certò & infallibiliter cõmẽtitiam à veraci diſtinguet? prædicantes? *Nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt; Nec authoritatibus corrigũtur, quia non recipiunt; nec ſuaſionibus flectuntur quia ſubuerſi ſunt;* inquit Bernardus ſerm. 66. in Cantica. Quis ergo? Sacra Pagina? Minimè; Eius enim eſt ſemper idem tenor, & niſi illuminaremur ab Eccleſia aſſequi veram intelligentiam non poſſemus, *Sit igitur.*

CCXXIX.

In textu diuino certiſſimè, incertæ expoſitiones ſolẽt eſſe.

Et apud Prædicãtes præcipuè.

NONA RATIO.

CCXXX. Deus potuit alia & aliter ſacramenta inſtituere.



Multa quæ docent Hæretici ſunt poſſibilia falſa tamen.

Mnia aut ferè, quæ hodiè in Sacramentorum materia dicunt Hæretici, potuerunt eſſe vera de potentia abſoluta. & tamen falſa ſunt: Deus enim, qui ſeptem Sacramenta inſtituit, potuit pauciora, & talia qualia Lutherus aut Caluinus protrudunt. Addunt Hæretici, omnia aut ferè, quæ à Romanis dicuntur eſſe poſſibilia: Deus enim qui duo vel tria Sacramenta conſtituit, plura potuit. Ergo tota noſtra diſputatio Quæſtionẽ de facto concernit. Pono in exemplum iſta verba [Hoc eſt corpus meũ.] *potuit tale Sacramentum inſtituere Deus, in quo panis in corpus Chriſti moraliter virtualiter ſignificatiuè, aut aliter cõuerteretur: potuit tale in quo eſſet phyſica & realis cõuerſio: etſi feciſſet alterutrum, potuiſſet adhuc, vt hoc demus aduerſariis forma Sacramẽtalis cõſtare eiſdẽ verbis. Ergo Hæc Poſitio* [Hoc eſt corpus meũ] *ſi ſtaremus primæ hypotheſi, deberet Metaphoricè intelligi: ſi ſecũdæ. realiter & hiſtoricè. Ergo manentibus ijſdẽ omnimò verbis, mutaretur ſẽſus eſt ſuppoſitio: ergo ex verbis nõ poteſt colligi, vtro modo Chriſtus Sacramentum*

mẽtum Altaris inſtituerit: ergo errant omninò Heterodoxi, cũ ſupponunt nihil debere credi, quod eſt in Sacra pagina; & addunt conſecrationis verba intelligenda metaphoricè: Errant inquam omninò, quia illa debere aut non debere ſic intelligi, non eſt in Diuina ſcriptura, ergo recurrendũ eſt ad authoritatem ſupremi Tribunalis, quod doceat, an illa hiſtoricè, an verò metaphoricè debeant intelligi.

CCXXXI

Priuatus bibliſtarum Spiritus.

Sæpe eſt animus. Sæpe ſibi contrarius.

Negat hanc vltimam cõſequentiam Hæreticus, & ad Spiritum priuatum recurrit; & dupliciter errat primò quia non poteſt ſoluere hunc ſillogiſmum *Nihil credendum aut tenendum, quod in Sacra Scriptura non ſit; At priuatum ſingulorum ſpiritum eſſe controuerſiarum iudicem non eſt in ſacra ſcriptura: hoc ergo non eſt credendum nec tenendum.* Secundò: quia paradoxus & ridiculus eſt, cum ſublimium myſteriorum intelligentiam vnius animi dictamini & cẽſuræ ſubiicit *confirmatur*. Veritas ſemper eadem eſt; & Spiritus Sanctus, cum ſit Prima Veritas, contradicere ſibi non poteſt, At Spiritus Priuatus ſibi quotidiè contradicit: Non eſt ergo Spiritus Sãctus. Probatur minor primò; quia non dabuntur duo Hæretici, qui eodem modo Fidei myſteria intelligant. Secundò quia non aſſignabitur vnus, qui totâ vitâ eodẽ modo crediderit. Zuuinglius, quæ hoc anno ſcripſit, altero refutauit: Lutherus eadẽ aſſeruit & negauit; confeſſio Auguſtana pluries mutata fuit: Angli Scoti & alij multi; quæ heri ad fidem pertinebant, hodiè eſſe impia & blaphema proclamant. ergo euidens eſt, ſummis obnoxium eſſe erroribus, hunc priuatum ſpiritum, ac propterea eundem non eſſe ſpiritum ſanctum: ergo euidens eſt Chriſtianos, vt Catholici ſint debere ad ſpiritum Catholicum & communem recurrere; & veram ſcripturæ Interpretationem haberi debere ab Eccleſia, confirmant hæc omnia ſacræ litteræ, 2 Pet. 2. 15. *Hęc primũ intelligentes, quod omnis Prophetiæ Scriptura propria* (priuatâ) *interpretatione non fit.* 2. Corinth. 12. 19 *Nunquid omnes interpretabuntur*. Omnes Paule, ſi ſtemus Luthero & Caluino; at ſi ſtemus doctrinæ tuæ non omnes. Et tandem Ezech. 13. 3. multò clariùs *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur Spiritum ſuum*, hoc eſt *priuatum*. Quem igitur ſequi debuiſſent? Catholicum & vniuerſalem. Hæc ita clara & certa ſunt, vt Lutherus diuerſis in locis Miniſtrorum & Prædicantium ſuorum Spiritum priuatum irrideat: & meritò: nam & ipſi eodem iure Spiritum priuatum Lutheri Sermonẽ de Hieruſalem ait, *ſuos adminiſtros eſſe falſos fratres & tamen tã ſecurè prędicare, ac ſi ſpititũ Sãctũ penitùs deuorauerint, & eorundẽ doctrinã ita eſſe perplexã & dubiã, ut quid credere, aut decreadere debeant auditores ignorent.* Et Epiſt. ad Antuerp. quæ habetur tom. 2. Germ. Ienenſi fol. 101. *Tot sũt*, inquit *inter nos Religiones. quot Homines* [Nota id bene] Nec anitiorum (hoc nomine ſuos Prædicantes honorat,) *quisquam eſt tam hębes & uecors qui inſomnia proprij Capitis & propriam opinionem pro inſtinctu Spiritus Sancti & ſeipſum Prophetam haberi nolit.*

Patet igitur hunc priuatum Spiritum tam eſſe rediculum & improbabilem, vt ſeriò defendi non credam; illo enim admiſſo erit Regula Fidei priuata & præuẽta voluntas. Nam vel omnis & quæcunque Anus nulla adhibitâ diligẽtiâ intelligit aſſequiturque verum Sacræ Paginæ ſenſum; vel requiritur aliqua diligentia, Si nulla debeat diſpoſitio præmitti, duo ſequentur: alterùm, omnem Vetulam eſſe Theologam & ſublimia inteligere; cùm tamen conſtet experientiâ, eaſdẽ ſæpè eſſe ſtupidiſſimas, & ignorantiſſimas; alterùm, omnes Vetulas eundem textum, eodem intellecturas modo, quod iterum eſt contra experientiam. Si requiritur aliqua diſpoſitio, rogo, vnde ſcias illam debere præmitti? vnde ſcias, illâ poſitâ mentem diuinitus illuminandam? Nam vel hoc ipſũ ſcis a Sacrâ Pagina vel aliunde. Si aliunde, humanitus ſcis, falli potes. Si à Sacrâ Paginâ vnde ſcis in primo actu adhibuiſſe debitam diſpoſitionẽ. Ergo ibitur in infinitum vel in arenâ debebitis ædificare. Sic diſcurro. [Pone illuminari à Spiritu Sancto omnem & ſolum hominem, qui orat ſicut oportet. Pone Dorotheæ ſumpto ientaculo Spiritum priuatum dictare, illuminari hominem cœlitus, qui poſt ientaculum ſenſum Sacræ Scripturæ examinarit. An ideo eſſe ſecura poterit, & Fidei Myſteria interpretari? Nullo modo. Quid ſi illa ſic diſcurrat *Qui poſt ientaculũ legit, intelligit: ego poſt ientaculũ lego: ergo intelligo*? Quid ſi maiorem dicat veram, quod ſibi in mentem venerit ientaculum? Implicabitur circulo euidentiſſimo, & dum petit principium, delirabit; Ergo de aliis mediis pariformiter philoſophabor. quia exemplis iuuor, hoc propono. Maior, celeber prędicans aſſerit. *Opera ad ſalutem requiri*, & hoc dictante eius Spiritu & Margaretha eius ancillâ, ſecuta ſuum Spi-

CCXXXII. Priuatus Bibliſtarum Spiritus (nõ ſolũ eſt falſus ſed & ridiculus.

Hæretici ſemper Petunt principiũ, & circulo vitioſo laborant.

ta ſuum Spiritum reponit, *Non requiri.* Et inquiro, an in utroque loquatur Spiritus Sanctus? Nam ſi in vtroque ſibi Spiritus Sanctus contradicit. Si in altero: in vtro obſecro. Vter igitur alteri conſentire debebit, ancillæ hærus, an contra? Stabit fortaſſis pro ancillâ Cur ergo in Margarethâ Deus loquitur? Vterque orauit inquies; at ſola Margaretha, vt oportuit. Sed vnde ſcis quãcumque anum, ſi oret ſicut oportet, infallibiliter illuminandam tantâ luce, vt cuiuſcunque textus veram intelligentiam aſſequatur? & vt hoc ſcias, vnde tu, illa ſcit ſe orauiſſe, vt oportet: & herum non orauiſſe; vt oportet? Res eſt euidens; in quâ eſſe debes, aut formaliter Hæreticus, aut mente captus; qui enim cœcus non ſit, transglutire non poterit has nugas, quæ *Spiritus priuatus* vocantur.]

CCXXXIII

De Authoritate practica & Legislatiua.

EGimus de authoritate ſpeculaitvâ & Definitiuâ, quâ ſuam Chriſtus condecorauit Eccleſiam: oportet paucula de practicâ & Imperatiuâ ſuſcribere, vt videamur non totam Eccleſiæ Maieſtatem in mere ſpeculatione conſiſtere, ſed conceſſam eidem eſſe practicam ſoluendi & ligandi poteſtatem Vtrique authoritas & facultas expreſſis Sacræ Scripturæ teſtimoniis dilucidari poterit & præcipuè ſpõſi affectibus, qui leguntur in Canticis. Vnum concionatorio ſtylo expono. Fauet, inquam Sponſus Spõſæ lingua & animo, aitque *Oculi tui Colũbarum, abſque eo quod intrinſecùs latet* Quod ſic intelligo [Pulchra es Sponſa mea, oculis diuiniſſimis condecoraris, columbinis benignis, ſinceris perſpicacibus Lynx es, qui rem otiſſima me reuelante intelligis, Aquila es, quæ ſublimiſſima penetras alis ingenii, quod in obſequium veritatis reuelatæ captiuas. Et hæc dixero de ſpeculatiua ſpecie tuâ & pulchritudine tuâ, præſcindens ab illâ, quæ intrinſecus latet; nimirum à practicâ & Imperatiuâ. Hac fruẽs intẽdè proſperè procede & regna: tibi n. ſpeciali priuilegio concedo, vt quidquid ligaueris in terris, ſit in Cœlo ligatum, & quid quid ſolueris in terris, ſit etiam ſolutum in Cœlis.] ſic inquam Sponſi vocem & ſententiam intelligo, & me benè eandem intelligere & interpretar demoſtrat.

Cant. 1. de cant 4. 2.

DECIMA RATIO.

De obſeruatione Sabbathi & inſtitutione Die Dominice

CCXXXIV An ſabatha obſeruent hæretici?

IN Sacra pagina Sabbathi obſeruatio præcipitur, & rigore tam graui vt Deo Iudice vltima ſententia plexus fuerit, qui ligna colligebat Sabbatho. At hodiè multi Sabbathum Chriſtiani obſeruant, omnes enim Dominicum diem celebramus, omnes inquam quoniã Lutherani, Caluiniſtæ, & cæteri noſtræ ætatis Hæretici operantur publicè Sabbatho, & die Dominico à ſeruilibus miniſterijs abſtinentes, Diuinis officijs interſunt. Igitur vel totus Orbis Chriſtianus peccat, impœnitensque in voluntate ſcelerata ſordeſcit; aut licitè declarauit Eccleſia excidiſſe iam obligationem obſeruandi ſabbatum: & iuſſit loco illius diem ſubrogari Dominicum. Ergo eſt in Eccleſia authoritas Imperatiua & præceptiua. Ergo ſicut illi in feſtorum deſignatione obedimus, in cæteris præceptis debemus.

CCXXXV. Sabbathi ſolennitas fuit inſtituta a Deo.

VT hanc ipſam rationem benè intelligas, paucula volo teſtimonia citare Exod. 31. c *Videte vt Sabbathum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me & vos, in generationibus veſtris vt ſciatis, quia ego* Dominus, *qui ſanctifico vos. Cuſtodite Sabbathum meum, ſanctum eſt enim vobis: qui polluerit illud morte morietur. Qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ſui. Sex enim diebus facietis opus, in die ſeptimo Sabbathũ eſt, requies ſancta* Domino, *omnis qui fecerit opus in hac morietur. Cuſtodiant filij Iſraël Sabbathum, & celebrent illud in generacionibus ſuis. Pactum eſt ſempiternum inter me & filios Iſrael, ſignum perpetuum; ſex enim diebus fecit* Dominus *cœlum & terram: & in ſeptimo ab opere ceſſauit* Cui teſtimonio alia potes ſubſcribere, quæ habentur Gen. c. 2. Exod. 20. 8 num. 28 11. Hierem. 17. 21. &c. Hæc lego; hæc relego; & video ſeueriſſimè legem

hanc ferri: Et ſi tantum inſiſtatur literæ, illa verba, *In generationibus ſuis &c. Pactum ſempiternum. Signum perpetuum &c.* innuere legem fore perpetuam ſempiternamque & in quâ diſpenſari non poſſit. At hodiè, nec à Romanis, nec à Lutheranis, nec à Caluinianis, nec ab alijs Sabbathum obſeruatur; & hæc cultus omiſſio non eſt peccaminoſa; ergo iam non obligat illa diuina lex. Sed vnde habet, quod nullum Chriſtianum obſtringat? Inde omninò; quod Deus iuſſerit feſta obſeruari; at feſta determinari ab Eccleſia voluerit, quæ mole ſuâ, ſicut alias leges excidente obligatione obſeruandi ſabbathum, & manente præcepto Decalogi in genere ob rationes grauiſſimas, Dominicum & alios dies Feſtos ſubſtituit. Videant igitur hîc, quid velint Lutherani aut etiam Caluiniani reponere: Nam obſeruantia Sabbathi obligat, vel non obligat. Si primum [quod tametſi traditione Apoſtolicâ coli diem Dominicum fateatur, tenet, Vrſinus in doctrina Chriſt. pag. 775 777 Petrus Martyr. in c. 16. Corinth. 1 & loc. com. Angl. Zanchius de Sacr. Script. pagin. 123. 124 iuxta editionem anni 1543. Thomas Bellus in Surueij Pag 17.] omnes nos, omnes ipſi deliquimus & cùm errorem noſtrum defendimus, Catholicâ, hoc eſt, vniuerſali iniquitate & pertinaciâ laboramus: ſi ſecundum [quod mordicus defendunt VVhitgiftus in ſua Defenſ. pag. 89. Fuleus contr. Rhe. Theſt. fol. 463 Carterightus apud citatum VVhitgiftum pag. 89. VVheletus in ſynopſi p. 431. Bullingerus in Decad. Angl. pag. 140. & quæ maioris eſt authoritatis, nam è multis Prædicantibus coaleſcit Geneuenſis Eccleſia in prop. & princip. pag. 80.] ergo datur in Eccleſia practica et Imperatiua poteſtas, quâ Deus quæ olim immediatè diſpoſuit, hodiè eadem dirigit per ſuos Vicarios.

Et tamen hodie non obſeruatur: imo nec debet ſed cur

CONFIRMATIO.

CCXXXVI. De diſcretione ciborum.

Præcipitur in Sacra Pagina ciborum aliqualis diſcretio: quæ tamen hodiè non obſeruatur, ergo aut dicturi ſunt Heterodoxi ſe quotidiè, aut ferè legem hanc Diuinam violare. aut dari etiamnum in Eccleſia poteſtatem & authoritatem; diſpenſandi in omni præcepto Apoſtolico. Si diſpenſandi etiam ferendi Apoſtolicas leges: ideò enim diſpenſare hodie poteſt & ſolet ſummus Pontifex, quia eamdem hodie habet poteſtatem & authoritatem quam olim habuit S. Petrus, cuius eſt in Apoſtolica dignitate ſucceſſor.

Eiuſdem eſt legem abrogare, cuius eſt conſtituere.

CCXXXVII. Lex Apoſtolica.

ET vt confirmatio hæc melius intelligatur, Apoſtolicam Hiſtoriam produco. Actor. cap. 15. d. *Notum eſt à ſæculo Domino opus ſuum, propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum; ſed ſcribere ad eos. vt abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum & fornicatione & ſuffocatis & ſanguine.* Et mox ponitur, Apoſtolorum Seniorum & Catholicorum cæterorum epiſtola, cuius tenor fuit talis. *His qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus ſalutem. Quoniam audiuimus, quia quidam ex vobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas veſtras quibus non mandauimus; placuit nobis collecti in vnum* (vide quantæ ſit authoritatis & poteſtatis Eccleſia in vnum collecta) *eligere Viros & mittere ad vos, cum Chariſſimis noſtris Barnaba & Paulo, hominibus qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Dñi noſtri Ieſu Chriſti. Miſimus ergo Iudam & Silam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem. Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quã hæc neceſſaria, abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum & ſanguine & ſuffocato & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos benè agitis. Valete.* Hic vos mo. ror. Præceptum eſt, & latum à Spiritu, ab Apoſtolis, à Senioribus à tota Primitiuâ Eccleſiâ [*Viſum eſt Spiritui Sancto & Nobis*] & præceptum obligatorium [non dicunt *conſulere*, ſed *imponere*] & de rebus omninò neceſſariis [*hæc neceſſaria*] ergo interdictus eſt eſus Carnium ſuffocatarum & ſanguinis. Sed quis hodiè apud vos hanc legem diuinam obſeruat? Nullus omninò; nec tamen ſingulorum omiſſio arguitur temeritatis. Quia hodiè non obligat hæc lex. Sed cur hodie non obligat? Quia eadem authoritas, quæ olim fuit in Eccleſia, perennat etiam nunc

Nota hanc loquẽdi formulam Nota vocem illam: Neceſſaria Sanguis & Caro ſuffocata interdicitur.

Et tamen hodie licitè comeditur vtrumque.

&

& ſicut tunc viſum fuit Spiritui Sancto & Eccleſiæ ſanguinem & ſuffocata interdicere, re, mutatis temporibus & circumſtantiis viſum fuit demum eidem Spiritui Sancto & eidem Eccleſiæ in priore præcepto diſpenſare, nouumque addere etiam circa ciborum diſcretionem, vi cuius obligamur hodiè determinatis diebus abſtinere â Carnibus & determinatis ieiuniare.

Extrema omnia ſunt periculo obnoxia; & vt vidimus vniuerſales Hæreticorum poſitiones multo errore laborant. Duæ ſunt, quæ indigebant examine I. *Omnia quæ ſunt in ſacra Pagina fieri debent* II. *Quæ non ſunt in ſacra Pagina, fieri non debent*. Priorem eſſe falſam iam vidimus, [multa enim in Sacra Pagina ſunt Eccleſiæ præcepta, in quibus hodiè poteſt & ſolet Pontifex diſpenſare: vt probatum eſt & ex negatione prioris ſequitur poſterioris negatio. NOTA. Egimus de religione Sabbathi, & abſtinentiâ à ſanguine: vtramque in veteri lege reperio; aio vtramque obligationem, ſicut alias mole ſuâ cecidiſſe ſuperueniente lege gratiâ. Obſeruata fuiſſe ſabbatha ſimul cum Dominicis in primitiuâ Eccleſiâ lego, at hanc obſeruantiam fuiſſe ab Apoſtolis præceptam, non lego: ergo fuit potiùs tolerata. At abſtinentia à ſangnine indicta fuit à *S.* Petro, quia tunc videbatur expedire. & mutatis temporibus, & circumſtantijs à ſucceſſoribus Petri ſublata. Et ſemper manet verum legem de obſeruandâ Dominicâ, & ſanguinem edendi licentiam ab Eccleſiâ ſtatutam, & tamen admitti ab Hæreticis.

VNDECIMA RATIO.

CCXXXVIII De Præceptorum Eccleſiaſticorum mutatione.

Aliqua ſunt in Sacra Pagina quæ tametſi olim fuerint præcepta hodiè non obligant, propter commutationem & diſpenſationem Eccleſiæ. Ergo in multis eadem à Deo commiſſa eſt authoritas diſpenſandi & commutandi. Atqui eius poſita commutatione id debet fieri, quod loco rei præceptæ ſubrogatur, quod tamen non eſt in Sacra Pagina. Aliquid ergo debet fieri, quod non eſt in Sacra Pagina. Hanc conſequentiam vltimam demonſtrat obſeruantia diei Dominici, quæ recepta eſt a toto orbe Chriſtiano, nec tamen eſt in Sacra Pagina. Hanc eandem conſequentiam Eccleſiæ traditiones perſuadent, nam hodiè Euangelici & Reformati (ſic dici volunt) Infantes ſuos baptizant, cum tamen demonſtrare non poſsint in toto nouo Teſtamento vel vnum infantem baptizatum.

An debeant Infantes baptizari.

CCXXXIX. Debent admitti rationes.

POrro in veteri teſtamento multæ erant leges non ſcriptæ, quæ per traditionem conſeruabantur & rigoroſè, obſeruabantur [Legi poterunt, Deut. 32. Eccleſ 8 &c.] ad nouum venio; et non omnia fuiſſe ſcripta demonſtro. Ioannes cap. 20. *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus, quę non ſunt ſcripta in libro hoc.* et cap vltimo *ſunt autem & alia multa, quę fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe, eos qui ſcribendi ſunt, libros* Et in Epiſt. 2. cap. 5. *Plura habens ſcribere, nolui per chartam & atramentum; ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* Et Paulus 2. ad Theſſ. 2. *Fratres; ſtate & tenete Traditiones, quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.*

CCXLI. Lutherus.

Quod ſi hodiè aliqui Lutherani traditiones reiiciant non ſolùm ipſi à Sacrâ Scripturâ, ſed etiam a Luthero recedunt ipſe enim Epiſt. ad Albertum Brandenburgicum Pruſſiæ Ducem [quæ habetur. Tom. 2. Germ. VVitt. fol 243 b] ſic ait *Teſtimonium totius Eccleſiæ Sanctę, tametſi nihil aliud haberemus ſolum nobis ſufficere deberet ad reiiciendos Fanaticos ſpiritus: nam periculoſum & horrendum eſt, quidquid audire vel credere contra vnanimem teſtificationem & doctrinam totius Sanctę Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ inde ab initio per annos mille quingentos vnanimiter ſeruauit. Qui enim de eo dubitat, quod ab initio ſcienter creditum eſt, idem facit ac ſi Eccleſiam Catholicam non crederet; damnatque ipſam S. Eccleſiam Chriſtianam tanquam hæreticam imò & ipſum Chriſtum & Apoſtolos, &*

Quanti debeat fieri vnanimis Eccleſiæ conſenſus.

Prophetas, qui Articulum Fidei noſtræ; Credo Sanctam Eccleſiam Chriſtianam [Catholicam *dicere debebat*] *condiderunt.* Hæc ſunt vera; & hac ſubſiſtente doctrinâ corruit tota doctrina Lutherana.

Traditio eſt duplex, Catholica & particularis.

CCXLI. Caluinus.

Luthero addo Caluinum, vt videatur veritatis potentia; quæ tanta, vt ſe inſinuet in linguas & calamos, etiam illorum qui ſinceritatem deteſtantur. Sic inquit ille contrà Pighium, *Non difficulter contra me & Pighium in hac contentione de Traditionibus conuenire poſſet. Si modo Eccleſiæ Traditionem ex certo & perpetuo conſenſu Sanctorum & Orthodoxorum demonſtraret. Deinde ſi ijs ipſis ſimpliciter & candidè vteretur ad ueram & germanam Eccleſiæ doctrinam comprobandam; non ad pingendas horum temporum impias doctrinas abuteretur. Nunc ſi ex priuato paucorum ſenſu communem conſenſum Eccleſiæ facere velit Pighius, eumque ex Apoſtolorum Traditione natum eſſe aſſerat, non recipiam* Omnia ſunt vera; quæ ſi ſemel admittas, eſſe Caluiniſta, non poſſis; omnia enim Religionis Reformatæ Dogmata euertuntur radicitus, ſi Catholicus communisque Eccleſiæ conſenſus admittatur. Conſultò *communem* & *Catholicum* dixi, conſentio enim Caluino, qui priuatæ, & paucorum hominum Traditioni decredit; quæ enim dicuntur Apoſtolicæ, totius Eccleſiæ ſunt, & olim in Diuerſis Concilijs; & iam demum in Tridentino à totâ Eccleſiâ examinatæ. Hinc iterum reditur ad primum, & ipſæmet Traditiones fundantur Eccleſiæ authoritate. Sit igitur,

DVODECIMA RATIO.

CCXLII.

De Authoritate & diſcretione traditionum.

IN Orbe Chriſtiano dantur Traditiones innumeræ: ergo vel omnes reijciendæ, vel omnes admittendæ, vel partim admittendæ & partim reijciendæ ſunt. Qui omnes velit admittere, multas admittet dubias incertaſque, non enim omnes Apoſtolicæ ſunt, nam & plurimæ ſunt priuatæ & prouinciales. Qui omnes velit reijcere, debebit ſacram etiam ſcripturam reijcere, hæc enim Traditiones admittit & commendat. Media igitur via eſt incedendum: dicendumque nec debere omnes indiſcriminatim reijci, nec omnes admitti: ſed ſuſcipi debere Catholicas & Apoſtolicas, non politicas, prouinciales, priuatas. Sed, bone Deus; quis mihi has & illas diſtinguet? Sacra Pagina? Sic habet Auguſtana Confeſſio: at non ſemper id poterit: ſæpe enim Sacræ Scripturæ ſenſus à pura traditione dependet. Recurrendum igitur eſt ad Infallibilitatem Eccleſiæ, qua ſublata totus Chriſtianiſmus aufertur.

An ſacra ſcriptura Traditionũ ſit iudex?

CCXLIII.

An infantes cum baptizantur Fidei actum eliciant?

VT hanc rationem benè intelligas, audi Anabaptiſtam, Lutheranum, Caluinianumque de Sacramento Baptiſmi diſputantes. Probat ille non eſſe baptizandos Infantes, quia excluduntur à Chriſto Domino dicente, *qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Nam ſi prius debet quis credere, quam baptizetur, infantes baptizari non poſſunt, cum enim illi rationis vſu careant, non poſſunt Chriſto Domino credere. Ait ſecundus debere infantes baptizari; quia vt docet Lutherus tom. 5. VVitt. Latt. in 1. ad Corinth. *apud Chriſtianos hæc conſideratio fortiſſima eſt: cum enim Eccleſia Chriſtiana baptiſſet* (paruulos & adultos) *certũ ſequi articulum de Baptiſmo verum eſſe; fieri enim non poteſt, tot eximios Chriſtianos ſtultos & amentes fuiſſe.* Et ne traditio in textum Diuinum impingat, addit infantes, quo baptizantur tempore diuinitùs illuminari & actu credere; Verbum enim Dei & Traditionem neſcit aliter Martinus Lutherus componere quàm ad Paradoxa recurrendo. Docet vltimis infantes baptizandos eſſe & hoc ex Traditione; additque teſtimonia, quæ fidem ante baptiſmi ſuſceptionem requirunt, debere intelligi de baptiſmo adultorum. Et quid faciemus nos, cùm omnia momenta controuerſiæ percipimus? Stando enim nudæ Literæ non videretur Anabaptiſtæ Aſſertio probabilitate carere: imò etiam videretur Traditio ipſa Scripturæ contraria: & nihilominus certum eſt (quod & Lutherani & etiam Caluiniani fatentur) in-

Anne baptiſmum fides debeat neceſſariò præcedere?

Quantæ efficaciæ ſit hæc conſequenda Eccleſia facit ergo poteſt:

An inſiſtendum nudæ literæ?

Quid faciẽdum cum Sacra Pagina dupliciter exponi poteſt?

infantes baptizari debere: ergo aliunde hæc certitudo exorta eſt, quàm à Sacrâ Scripturâ; aliunde quàm à Traditione. Sed vnde obſecro? Non à Sacrâ Scriptura; quæ ſtando literæ dupliciter exponi poteſt: Non à Traditione: vt ſic; dubitare enim poſſet aliquis, an eſſet Catholica & Apoſtolica hæc Traditio? nam, vt oſtendimus,

Traditio duplex: priuata, & catholica Quomodo diſtinguantur & dignoſcantur?

priuata & particularis quæcumque fallax eſt. Ergo dicendum eſt hanc veritatem, *Infantes baptizandi ſunt*, haberi à Traditione, non quacumque, ſed Apoſtolicâ et Catholicâ: et hanc Veritatem, *Traditio quę inbet Infantes baptizari, eſt Catholica & Apoſtolica*, non aliunde haberi, quàm à definitiuâ Eccleſiæ Romanæ ſententiâ.

CONCLVSIO.

Synopſis omnium controuerſiarum illuſtratur.

TAt igitur Eccleſiam in Concilio generali congregatam [vt à Conciliorum Prouincialium, & Summi Pontificis, cùm non loquitur ex Cathedra, authoritate præſcindamus] frui infallibilii aſſiſtentia Spiritus Sancti, & labi in errorem non poſſe. Ergo dicendum eſt in omni controuerſia, quæ concernat Canonem, aut expoſitionem Sacræ Paginæ, Eccleſiam eſſe humillimè audiendam: & qui eam non audierit, debere haberi vt Ethnicum & Publicanum. Cùm igitur errare non poſſit (quod demonſtratum eſt.) & Articulos, quos credimus Romani definierit, et oppoſitos ſub anathemate damnauerit (quod certiſſimum eſt) manet iam demonſtratum omnes noſtræ Religionis Articulos eſſe veros, omneſque contradictorios eſſe falſos. CCXLIV.

CCXLV. Cur Authoritas rationes ſcripſerit?

SIc ſentio; et oro Deum vt vitam illam meam, quam toties pro hac Veritate expoſui, permittat aliquando ponere; et quam ſemper mente, linguâ, et calamo ſum veneratus Infallibilitatem Eccleſiæ, poſſim vel ſemel toto effuſo ſanguine teſtificari. Scripſi Demonſtrationem hanc anno M. DC. VL. FrancKenthaliæ vt iuuarem meos ſubditos lue Caluinianâ infectos; et quia Domino cooperante, et has periodos confirmante non pauci oculos aperuêre, eaſdem recognoui Pragæ anno M. DC. IL. et eadem iterum recognoſco nunc Romæ anno M. DC. LVI. et ad maiorem Dei gloriam et inſtructionem eorum, qui à Doctoribus ſuis ſeducuntur, legi deſidero; ſunt enim me Iudice ſingula argumenta tam clara, vt euidenter videam, nihil probabile reponi poſſe.

FVNDAMENTVM IV.

De ſummi Pontificis Veracitate.

Pontifex aliquando loquitur vt doctor ſupremus & aliquando vt homo priuatus.

An ſoleat aut poſſit errare?

VAndo loquitur ex cathedra Pontifex (hoc eſt; quando vt caput Eccleſiæ & toti Eccleſiæ) errare non poteſt: cum loquitur vt homo priuatus, tametſi errare poſſit ſoleatque eius ſententiæ ſunt authoritatis eximiæ, quamdiù eſſe falſas non monſtratur. An, vt loquatur vt Pontifex, debet Generale Concilium congregare? Non puto: non enim Concilio ſine pontifi- CCXLVI.

Pontifice, aut Pontifici in Concilio,& non aliàs,infallibilitatem Deus promiſit: ſed Pontifici ipſi, intra aut extra Concilium, modò Eccleſiæ loquatur. Nec curandum, ſi aliqui Authores oppoſitam ſententiam teneant, non enim rationes pro illis militant, quæ indigeant ſolutione. Quam ob rem, ſiquidem oppoſita ſententia, ſolida ratione non firmatur, non debet vocari probabilis.

CCXLVII. PRior huius fundamentalis propoſitionis pars coincidit cum antecedente: quæcumque enim à Pontifice ex cathedrâ ſunt definita, credendaque toti orbi Chriſtiano propoſita, dicuntur definita, ab Eccleſiâ.

Quid ſit loqui vt Pontificem?

Sed quid eſt loqui pontificem ex cathedrâ? an idem, quod loqui in generali ſynodo? an ne extra generale Concilium habet definiendi articulos fidei poteſtatem? Negabant Louanij nonnulli, qui cenſebantur docti, vt meliore colore reijcerent Vrbani VIII Bullam, quæ doctrinam Cornelij Ianſenij condemnabat. Conſului Salmanticenſes meos, et recepi ſingularum poſitionum cenſuras; ſed quia, quæ in Ianſenio carpuntur, multæ ſunt, nec omnes huc ſpectantes, ponam vnam, quæ poterit noſtro intento prodeſſe.

CCXLVIII Salmanticẽſium opinio circa ſummi Põtificis veracitatem & infallibilitatem.

Quæſtio erat, *An ſummus Pontifex extra concilium ſit magiſter Eccleſiæ? An poſſit condemnare aliquam propoſitionem, vel aliam vt fidei dogma tradere?*

Reſpondit eximius Dominus Magiſter noſter Reuerendiſſimus D. Alphonſus Perezius, S. Theologiæ Doctor et Profeſſor, Salmanticæ Collegij Ciſtertienſium Abbas, et poſteà totius Ordinis apud Hiſpanos Generalis; cui ſubſcripſerunt alii multi, qui fuerunt conſulti; cui ſubſcripſiſſent cæteri, ſi fuiſſent conſulti. Reſolutionem ipſam, et etiam ſubſcriptiones pono.

CCIL. DIco tam conſtans eſſe inter Catholicos hæc omnia poſſe Pontificem Romanum extra concilium; eumque eccleſiæ vniuerſalem *Doctorem* & magiſtrum eccleſiæ eſſe, vt certa fide id tenendum dicat Suarez *de Fide diſp. 5. ſect. 8. num. 4* Idque communis Fidelium Doctorum conſenſus probat, dum ea omnia, quæ à Pontificibus extra Concilium, Eccleſiæ credenda proponuntur, certa Fide credenda Fidelibus proponant & prædicent.

F. Alphonſus Perez.

Subſcripſit Salmanticæ in S. Bernardi collegio, die 20. Maij, anno 1642.

F. Angelus Manrique.

Et eodem loco die menſe & Anno.

F. Petrus Ouiedo.

Et in Veræ Crucis collegio, ordinis Beatæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, ciuitatis Salmanticenſis die 21. Maii, anni 1642.

Summi Põtificis infallibilitatem præter horum Doctorum auctoritatem argumenta satis multa confirmant & inter ea præcipuè multa, quibus in concionibus variis contra Heterodoxos ſumpſus.

F. Petrus Merino.

Et in eodem collegio Veræ Crucis poſtridie.

F. Gaſpar de los Reyes.

Et in Salmanticenſi conuentu Sancti Auguſtini die 22. eiuſdem menſis ſubſcripſerunt,

Fr. Ioannes de Aguilar.
Fr. Gaſpar de Ouiedo.

Et

Et in eadem vniuerſitate, in conuentu Sanctiſſimę Trinitatis die 24. Maij, eodem anno.

Fr. Antonius de Ledeſma
Fr. Ioſephus Romanus.

Et ibidem in Collegio Societatis Ieſu, die 26. eiuſdem menſis eandem reſolutionem ſua ſubſcriptione firmarunt.

Ildefonſus del Cano.
Martinus de Eſparza.

Et ex *Doctoribus* ſæcularibus conſultus fuit, ſubſcripſitque etiam Salmanticę, die 18 menſis Iunij eodem anno 1642.

Magiſter Don Ioann. Ioaniz de Echalaz.

Cùm igitur Salmanticenſis vniuerſitas eximia ſit, & in ea ſummi duodecim iſti Doctores & Theologi, qui nomina ſua ſubſcripſerunt, quorum plerique mihi ſunt bene noti, & inter ſummates militantis Eccleſiæ numerandi; cumque rationes, quas formare pro hac veritate ſoleo, non videam efficaciter ſolui, Suarez & illis conſentio Summum poſſe Pontificem, etiam extra Concilium Articulos Fidei definire pronuncio: & in deuotionis & obſeruantię teſtimonium ſi quid in meis vnquam operibus Sanctiſſimo Domino noſtro delere, aut immutare viſum, me hac manu deleturum & immuraturum religioſè & ſincerè polliceor: & meum nomen ſubſcribo. Pragę in Cęſareo montisserrati Monaſterio pridie ſolennitatem paſchatis Anno 1650.

Sententia Authoris.

Caramuel.

CCL. An Galli ab Hiſpanis diſſentiant?

HAEc eſt in re grauiſſimâ Doctorum Hiſpanorum ſententia. Audiui aliquos, qui Hiſpanis Doctores Gallos conarentur opponere; ſed fruſtra: Galli enim etiam nobis conſentiunt: vel ſi dubites, oculos ad cauſam Ianſenianam conuertas. Pius V. & Gregorius XIII. condemnarat in Michaële Bayo multas Propoſitiones; è quibus præcipuas Cornelius Ianſenius reuocauit; cui ſtatim Vrbanus VIII. contradixit: & iterum Innocentius X. At quia aliud eſt interdicere & aliud condemnare doctrinam, aliud in genere & aliud in ſpecie cenſurare; octoginta-quinque Galliæ Pontifices ad Innocentium X. vt ad vniuerſalem Magiſtrum confugerunt; & vt definiret quid rei eſſet, humiliter poſtularunt. Epiſtolam habes apud P. Stephanum Dechamps, in initio Operis de *Hæreſi Ianſenianâ* editi Lutetiæ Pariſiorum in folio, anno 1654 ex quâ ego has pauculas lineas exſcribo. *Vt præcamur*, inquiunt, *Sanctitas Tua, quid in hac re ſentiendum ſit, clare diſtincteque definiat. Obteſtamur ergo, vt has præſertim propoſitiones, de quibus diſceptatio, periculoſior, ac contentio ardentior eſt, Sanctitas Tua expendat, ac perſpicuam & certam de vnaquaque ſententiam ferat*, &c. *Experta eſt nuper Beatitudo Tua, quantum Apoſtolicæ Sedis in Gemini Eccleſiæ capitis errore profligando, valuerit Authoritas. Continuò ſedata eſt tempeſtas: atque ad Chriſti vocem & imperium venti & mare obedierunt. Quam ob rem flagitamus. Beatiſſime Pater, vt clara firmaque de propoſitionum iſtarum prolata ſententia, cui Reuerend. ipſe Ianſenius morti proximus Opus ſuum ſubiecit, caliginem omnem diſcutias, animos fluctuantes componas, diſſidia prohibeas; Eccleſiæ tranquillitatem, ſplendoremque reſtituas.* &c. ita octoginta-quinque Galliæ Pontifices ad ſummum. Ergo Galli & Hiſpani in hac controuerſiâ conſentiunt. Conſequentiam demonſtro.

Michael Bayus. Ianſenius.

Differt à cõdemnatione interdictio.

Galliæ Epiſcopi poſſe Pontificem extra Concilium definire fatentur.

Et primò, agendo de hæreſi, bicipitem Eccleſiam delirante. Prodiit liber Petrum Paulo coæquans, & vtrique tanquam vni compoſito capiti Eccleſiam vniuerſam ſubiiciens. incepit, vt opiniones nouæ ſolent, placere multis: & procelleſcere apud Gallos Orthodoxæ veritatis ſinceritas. Scribunt contrà eximij & Doctiſſimi Viri, & inter alios Reuerendiſſimus Pater Don

Noua quædam hæreſis in Gallia nata. & ſtatim ſepulta aſſerebat Petrũ & Paulũ per modum vnius fuiſſe caput Eccleſię aut etiam fuiſſe duo capita Eccleſiæ.

Ianſenius in mortis articulo, ſe & doctrinã ſuam Eccleſiæ Romanæ ſubiecit.

CCLI. Hanc hæreſim Innocẽtius condẽnat.

Don Augustinus de Belis, librum fortissimum & eruditissimum. Etiam Reverendissimus Pater Don Antoninus Diana. Persistunt tamen noui Hæretici : nec demonstrationi humanitùs elimatæ consentiunt. Ergo ingraueſcenti morbo ventura erat è cœlo medicina. Innocentius X. Vicarius Christi,& lingua Dei,etiam extra concilium ad definitionem procedit : & continuò ſedata eſt tempeſtas. Tenent igitur Galli, Pontificem extra Concilium habere infallibilem aſſiſtentiam ab Spiritu ſancto:ſi enim Pontifex cùm illam nouam damnauit hæreſim,errare potuit,non fuit, cur continuò acquieſcerent, mentemque in definitionis obſequium captiuarent. Vel dicito. Si non eſt infallibilis Summi Pontificis authoritas, cur illi potiùs quam Antonino Dianæ, & Auguſtino de Belis veritatem euidentiſſimè monſtrantibus, animi fluctuantes crediderunt? Nempe, quia ſciebant Antoninum & Auguſtinum licèt eximios & magnos eſſe homines, ipſoſque etiam quando loquuntur doctiſſimè,hallucinari poſſe;eſſe autem ſupra humanam omnem probationem aut reſolutionem Definitiones Pontificias. Ergo Gallorum ſententiâ iſtæ ſunt infallibiles & erroris ſuſpicioni non obnoxiæ.

CCLII. Pontifex eſt lingua Chriſti Vbi?quãdo? loquitur vt quo; Chriſtus vt quod.

Secundò exillis verbis, *Ad Chriſti vocem & imperium venti & mari obedierunt* demonſtrationem aliam formo. Sic inquam. Quando Chriſtus loquitur *vt quod* & Summus Pontifex *vt quo*, nullus eſſe poteſt in definitionibus error. At Epiſcopi Galliæ tatentur Chriſtum per Innocentium, extra Concilium fuiſſe loquutũ : & adquieuiſſe omnes,qui aut dubitabant, aut contrariam opinionem defendebant Sentiunt igitur iſti pientiſſimi & doctiſſimi Epiſcopi,Papam extra Concilium poſſe articulos Fidei definire ; & ſi Eccleſiæ toti ex cathedrâ loquatur , errare non poſſe.

CCLII. Reſolutio dubia non poteſt ſedare animos dubitantes.

Tertiò . Poſtulant vt ad definitionem Innocentius protedat ; vt tollat contentiones, ſedetque animos fluctuantes (hoc eſt,dubitantes:) ſentiunt igitur eum errare non poſſe. Quo enim modo fluctuantes dubios animos componeret ſententia dubia fallibilis, & errori ſubiecta?

CCLIV. Concluſionum Concluſio.

Stat igitur *Pontificem (in Concilio aut extra Concilium ſit) ſi ex cathedra loquatur,errare non poſſe.* Stat *eum loqui ex cathedra,cùm toti Eccleſiæ.* Stat *cum toti Eccleſiæ loqui,cùm declarat ſe definire articulos, quos vult fide teneri & credi à tota Eccleſia* . Stat *hanc eſſe hoaiè Hiſpanorum ſententiam.* Stat *hanc eſſe etiam Gallorum.* Cùm igitur his cultiſſimis gentibus cæteræ quodammodo concatnnentur , dicendum puto, *in hac controuerſia, quam tracto videri hodiè terram (hoc eſt Orbem catholicum) labij vnius & ſermonum eorundem.*

FVNDAMENTVM V.

De Congregatione Cardinalium, & Rota.

CCLV. Cardinaliũ Reſolutiones habent vim probabilioris opinionis: habent & certę quando t

EMinentiſſimorum Dominorum S. Rom. Eccleſiæ Cardinalium & Rotæ Romanæ *Deciſiones*, etiam quando nihil præcipiunt, maximæ authoritatis ſunt , nec temerè reiici poſſunt . Nolumus eas cum articulis Fidei Orthodoxæ componere ; nolumus infra priuatas authorum opiniones deprimere ; & ideò conſiderando Eminentiſſimos Dominos eſſe quidem doctiſſimos & pientiſſimos, homines tamen , reſoluimus authoritatem illorum eſſe maximam ; humanam tamen: vnde illis non adulabimur aut detrahemus , ſi dixerimus , ſpeculatiuas eorundem opiniones eſſe probabiliores contrarijs . Sed quantam authoritatem habent practicæ ? ſunt Eminentiſſimi Principes, practi-

Authoritas Cardinaliũ duplex:ſpeculatiua & practica.

cè

cè considerati, à Summo Pontifice delegati ad interpretandas Sedis Apostolicæ Constitutiones: & in hoc sensu videntur considerari *ut quo*; non enim ipsi (si in rigore loqui velimus) sunt, qui illas interpretantur; sed sunt, quibus Pontifex vtitur, vt eas interpretetur: & hanc ob rem eorum declaratio & interpretatio est authentica & obstringit conscientias. Fidei Articulos non possunt condere; sed à Pontifice conditos siue in materia speculatiua, siue practica tuentur: proponunt enim illos authenticè, puniunt hæreticos; pœnitentes adiurant & absoluunt. & quia hæc omnia faciunt vt Apostolicæ Sedis Deputati, possunt obligare conscientias.

Sunt causæ instrumentales: nam Principalis est summus Pontifex.

Articulos fidei, non definiunt: sed definitos proponunt authenticè.

CCLVI. De Romano Tribunali, quod Rota dicitur.

Rotæ (Tribunal est notissimum & celeberrimum) Auditores doctissimi sunt & selectissimi. Non habent leges ferendi potestatem, non concedendi gratias, sed ius dicendi. Magno Orbis bono hoc est Tribunal institutum; & cum magna laude & approbatione pronunciat, non ex arbitrio, sed secundum Pontificios Canones, Apostolicas Bullas, Cardinaliumque Declarationes.

SAEpe contra aliquas Authorum opiniones, Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Decisiones obijcimus. & quia varij sunt hominum Genij, sæpe illas admitti, & sæpe non admitti vidimus. Hanc ob causam decreui interrogare, Quantam illæ vim habeant.

Hanc controuersiam tractat Diana *par. 2. tract. 10. resol. 29.* & Ausonius Noctinot *in Dianæ Summa verb. Cardinalis. num. 23.* vbi varias opiniones adducit.

Sanè antequam de infallibilitate Declarationum Cardinalium differam, prænotare volui non omnes Declarationes, quæ circumferuntur, esse illorum, nec omnes authenticas: multæ enim, vt fieri in alijs rebus solet, authoritate & commodo priuato ab Aduocatis confingutur: et inde in libros Iuniorum Theologorum irrepunt; quorum aliqui, quia incautè scripti, iustissimè interdicti sunt. Sed de hoc vberiùs infra.

An omnes Cardinaliũ Declarationes sint authenticæ?

I.

Quam sint certæ & indubitatæ Declarationes Cardinalium?

CCLVIII. De certitudine Declarationum Eminentissimorum Dominorũ Cardinaliũ.

PEtunt aliqui, *An Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Declarationes, sint quædam definitiones infallibiles, nulli errori, aut periculo obnoxiæ?* Etsi tales dicuntur, desiderant sibi ostendi rationes certas & euidentes, quibus id probetur, cùm contra militet ratio, & authoritas: *ratio*, quia emanarunt, vt aiunt, multæ declarationes contrariæ, cùm tamen verum, vero contrariari non possit: *authoritas*, quia circà Eminentissimorum Dominorum authoritatem Theologi nobilissimi variant. Ergo dicendum est Cardinalium Declarationes habere vim opinionis probabilis, aut vt plurimum probabilioris, ait enim Petrus de Ledesma in Summ tom. 1. cap. 13. diff. 7. *Las Declaraciones de los Señores Cardinales no han derecho como es cosa cierta y auerigüada* (id est quanta ille animi securitate suam opinionem proponat) *tan solamente tienen fuerça en el caso particular, que les preguntan, y es augmento* (forte *argumento*) *grande en fauor de aquella sentencia, que parece, que aprueban* Consonant Ioann. Valerus; Pontius de Martim. Zipeus, Serrarius, Bonocina, Vegha, Villalabos, Portel &c. quos citat & sequitur Diana, qui ait *Censeo cum supradictis Doctoribus Declarationes Cardinalium maximi quidem ponderis esse, & ab his nulla ratione recedendum, sine firmissimo fundamento: attamen vim legis non habere existimo, neque standum illis necessario* Sic aliqui dialecticantur.

An habeant vim opinionis probabilioris?

An habeant vim legis?

Et ego authoritatem practicam à speculatiuâ distinguo: & licet condendi Articulos fidei, hoc est, sententiendi & credẽdi potestatem soli Pontifici ex cathedrâ loquenti concedam: condendi practicos articulos, loquendi, docendi, concionandi, dictandi, et operandi authoritatem concedo Dominis Eminẽtissimis quos ad Ecclesiæ regimen practicum adsumpsit Sanctissimus Dominus noster. Aio eorundem authoritatem esse duplicem, Interdictoriam, & Condemnatoriam.

CCLIX. Solus Pontifex articulos Fidei cõdere potest.

Quando liber vel sententia interdicitur, non asseritur esse improbabilis,

ſed neque eſſe probabilis ; ſed iuſſa manere in gradu probabilitatis in quo anteà, ob bonum publicum vel priuatum, nec dictari nec defendi præcipitur. Aliqua enim non ſolum dubia aut probabilia, ſed etiam interdum certa, vtiliter ignorantur ; & ſunt opiniones nonnullæ etiam certæ, quæ eſſent pernitioſæ Reipublicę, ſi permitterentur dictari. Et, ne multis te onerem, Biblia ipſa vulgata ob oculos pono ; Non ideo erunt falſa quod in linguam transferantur vernaculam: et nihilominùs interdicuntur, quod multi veritate abutantur. Ergo, quia poteſt ſolerque doctrina bona, eſſe pernitioſa per accidens dedit ſuis Cardinalibus authoritatem Pontifex, non ſolùm cauendi malam doctrinam, ſed etiam bonam, ſi per accidens pernitioſa credatur.

Non ſolùm probabilia ſed aliquãdo vera sũt nocua.

Cur interdicantur Biblia?

Veritas poteſt eſſe pernitioſa per accidens.

CCLXI. Condemnationis vis.

Quando aliqua ſententia ab Eminentiſsimis Dominis condamnatur, practicè cõdamnatur. Propoſitio ſic condamnata non pertranſit in hæreſin, ſed perdit omnem extrinſecam authoritatem, & redditur improbabilis practicè. Quid, ſi condemnetur tanquã hæretica? Tũc vi huius condẽnationis non fiet hæretica: quæ antea nõ eſset hæretica: ſed quæ antea erat hæretica, hac condẽnatione declarabitur eſſe hæreticã, idque tantâ certitudine, vt eãdẽ non eſſe hæreticã maneat improbabile. In hoc, et ſimilibus caſibus habent Inquiſitores authoritatem interdicendi, præcipiendi, adiurandi; et ſubditi tenentur in conſcientiâ, obdire, ſincerè iurare. Ergo in eiuſmodi caſibus ſubsũt tribunali actus externi per ſe, et interni per accidens.

II

De motu Terræ ab Eminentiſſimis Dominis condemnato.

CCLXII. ET quidem multa ſunt, quæ non intelligo in Dianæ et aliorum Authorum libris, ſi quæ dicunt Authores citati et Diana cum ipſis ſunt vera: hanc ob rem, vt melius inſtruar, Dubia ſubſequẽtia propono,

An terra moueatur, vel quieſcat.

Olim fuit probabilis illa Aſtronomorũ opinio, quæ terram mouet, aut tantum diurno motu, quod placuit Origano; aut etiam diurno et annuo, quod placuit Ariſtarcho olim, ante annos paucos Copernico, et hodiè fere omnibus Hæreticis, qui tribunal Cardinalium nõ curant. Hæc opinio damnata eſt hodiè à Cardinalibus, et inquiris, An ideò ſit improbabilis reddita? An qui putaret ſe habere firmiſsima momenta pro Copernico, poſſet illam in foro exteriore defendere? An in interno aut priuato ſaltem? An qui illam pertinaciter tueri vellet, accuſandus eſſet de inobedientiâ tantum, an etiam de improbabilitate?

Sit ne opinio Copernici probabilis?

Reſpondeo magna incendia incipere ab vi à ſcinti. à: nam hæc ipſa dies Pentecoſtes, quãs ſpiritus ſanctus ſub ignis ſpecie comparuit, hoc anno 1653. Catholicis vniuerſis feſtiua, triſtis et horribilis fuit in parua Pragâ, quoniam vehementiſsimus ignis domos plurimas incinerauit, et in ipſis immenſas diuitias abſumpſit. Et vnde occœpit hoc terribile incendium? Ab vno vili ſeruo, qui incautè ſumebat tabacum. Reſpondeo magna bella exordium ſumere à leuiſſimis motibus. Pono ob oculos Luſitanorum defectionem, quæ inde ſequuta; omnia, omnia; ob vnius Secretarii, nomine Vaſconcellos, intolerabilem in loquendo arrogantiam. Pono ob oculos Catalonicum, Hiſpano-Francicum, Germano-Suecicum, et alia plurima, quorum cauſas ſi inquiras, aut nullas, aut tam leues inuenias, vt ſicut aliquæ herbæ ſponte emerſione naſcuntur, ſic et illa vtrò ſuccreuiſſe credantur. Et quia hæreſes incendia ſunt, et bella pariunt, in incunabilis ipſis debent ſuprimi, antequam creſcant, et omni remedio humano careant.

CCLXIII. Res magnæ interdum à leuibus initijs incipiunt.

Incendia à ſcintilla.

Bella à verbulo.

Bella ſponte naſcuntur.

Hæreſes in initio opprimendæ.

Et quidem, ſi ageretur tantùm modò de motu, qui ſalsò adſcribebatur terræ, non puto fuiſſent ſolliciti D. mini Eminentiſſimi: quæſtio erat Phyſica, & per duo ſæcula tolerata aut permiſſa, quamuis intra Philoſophiæ cancellos manſit. At hoc æuo inceperunt ſutores ſupra crepidam ſapere, Aſtronomi ſupra Arithmeticã & Geometriam, & velle torquere ad sẽſa ſua authoritates Sacræ Paginæ, quæ potius terram firmant, quam volunt. Et quia ſacra non debent manu illatâ tractari: diſplicuerunt Aſtronomi, qui temerario auſu falcem audacem in meſſem alienam immiſerant. Sacræ Paginæ expoſitio probabilis ad Sacræ Theologiæ Profeſſores, & infalibilis ad ſummum Pontificem ſpectat, non ad Arithmeticos, non ad Geometras, non ad Aſtronomos & Mathematicos: &, ſi iſti audeant: vbi Theologi timidè & circũſpectè procedũt, coercendi ſunt. Defenditur à Caluiniſtis hodiè motus terræ magno niſu; & cur? vt Cœlo & Syderibus quietem accenſeant? Minimè. Nihil enim eſt illis & cœlo commune. Cur igitur (N. B.) vt ſuggeſtum erigant, in quo ſuas machinas & bellica tromenta ponant, Chriſtianæ Religionis articulos oppugnatura. Conſidera ſequentem diſcurſum. [Doctrinam Copernici de motu telluris diurno & annuo admittit Eccleſia Romana: ergo admittit

CCLXIV.

Cur hodie Hæretici motum terræ defendant.

in

De ſenſu metaphorico Sacræ Scripturę.

in Sacrâ Scripturâ ſenſum metaphoricũ, apparentem, & opinatiuum: patet conſequentia, quia teſtimonia quæ contra terræ motum adducuntur, niſi ad metaphoricas & abuſus ſententiarum trahantur, quietem euincunt. Ergo & Poterimus nos eoſdem ſenſus admittere, cum Sacram Paginam interpretamur. Ergo & poterimus, dum proferimus baptiſmi verba, infantes abluere per multos, nos enim moraliter facimus, quæ fieri per miniſtros iubemus. Ergo poterimus vti aquâ artificiali in Baptiſmo etſi enim non ſit aqua vera, eſt aqua apparens. Ergo poterimus ad metephora trahere teſtimonia, quæ apud Catholicos Confirmationis ſacramentum euicunt. Peccata ergo teguntur, non delentur: gratia imputatur, non confertur; nec loca Sacrę Paginæ, quæ contrâ adduci ſolent, ſignificant quantum apparet. Conſecrationis ergo verba ſunt admittẽda metaphoricẽ; & transſubſtantiatio neganda. Ordo igitur & Matrimonium, Politici & apparentes ſtatus ſunt non veri: & quidquid de extemâ vnctione [dicitur præter Romanorum opinationem nihil habet.] Ecce Hæreticos Ectheſeon mirabiles textores, quam caute humana diuinis immiſcent, confundunt Theologicis Phyſica, pro ſua hæreſi vndique argumenta corradunt.

An in baptiſmo alter poſſit aquâ fundere, & alter verba pronunciare.

An vti poſſimus aquâ odoracea.

An deleantur peccata?

An detur gratia?

An Chriſtus ſit in Euchariſtia?

An Ordo & matrimonium ſint contractus Politici?

An detur Extremæ vnctionis Sacramẽtũ.

CCLXV. Facilius eſt antecedens negare, quã illo admiſſo cõſequens.

Quid ad hæc deberemus reſpondere Catholici? Nihil occurrit facilius, nihil melius, quam primum antecedens negare Debemus igitur agere gratias Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium conſeſſui, quod nos ab hoc argumento tam facili negotio expedierit, Copernici doctrinam condemnando.

Hinc patet, quid reſpondendum ſit, inquirentibus, *An, qui tellurem circumducunt, dicendi ſint inobedientes, an etiã hæretici vel temerarij?*

CCLXVI.

Reſpondeo illos, & inobedientes, quia interdictam opinionem tuentur: & eſſe temerarios practicè, quia improbabilem practicè: addo eoſdem, ſi contumaces ſint, poſſe practicè puniri vt hæreticos, tũ quia eſt ſuſpectus de fide, qui Eccleſiæ obedire ex malitiâ non vult; tum. quia Cardinales, penes quos eſt practicum Eccleſiæ regimen, Ariſtarchi doctrinam erroneã & Sacræ Scripturæ contrariam iudicarunt. Addo tamen Cardinales nõ feciſſe per hanc Declarationem, quod motus terra eſſet hæreticus, ſed feciſſe, vt ille qui aliàs erat hæreticus, & putabatur verus, eſſe hæreticus & Scripturæ oppoſitus ab omnibus cognoſceretur.

NB. An qui dicunt terram moueri ſint hæretici?

III

CCLXVII. An Galilei liber de motu terræ ſuperiorum authoritate & approbatione impreſſum ſit?

At hic poterit dubitare nonnemo, *An hodie hæc ipſa inhibitio ablata aut moderata ſit*, nam ante annos pauculos prodiit SYSTEMA COSMICVM authore Gali læo Galilæi Lynceo: in quo sol in centro mundi quieſcere aſſerîtur, & tamẽ impreſsũ eſt ſuperiorũ permiſſu & præ ſe fert licentias AE. EpiſcoPi Bellicartenſis vices gerentis, Fr. Nicolai S. Palatii Apoſtoliçi Magiſtri, Petri Nicolini Vic. generalis Florentiæ Fr. Clementis AEgidii, inquiſitoris generalis Florentiæ, Nicolai Dell' Altella &c. Antiæ omnes iſtæ Facultates confictæ? et ſi verè conceſſæ, quid ille liber habet, quod Copernicani non habeant?

CCLVIII. Reſolutio.

Reſpondeo in hoc dubium propoſitũ fuiſſe Louanii Viris Magnis, eoſque omnes Cenſuras illas dixiſſe fictas; quibus etiam ſubſcribo, quoſque mihi conſtet contrarium. Imo iam conſtare videtur hodiè enim defendendi Ariſtarchi Syſtema nulli facultas datur. Imo iam iterũ liquidiùs conſtat nã Theologi Romani ad petitionem meam ad Eminentiſſimi Chiſi mandatum, dum hanc quæſtionem examinarent & cenſurarent, hic poſuerunt hanc notam. *Imo hac de cauſa, & ob hunc librum Galileus carceratus fuit, & coactus retractare ſuam ſententiam.*

IV

CCLXIX. An in quæſtionibus Philoſophicis libertati indulgendũ ſit?

At expediret inquiẽs in controuerſiâ Philoſophicâ ingeniis libertatem concedere & campos doctrinæ & eruditionis non claudere?

CCLXX. Communis eaque conditionata Aſtronomorum Catholicorum Reſolutio.

Sic loqueris, & multi tecum: nam vt rẽ fatear. in hac materiâ Hæretici contra Eminentiſſios Dominos Cardinales inſaniunt, & multi Aſtronomi Catholici ægrè tacent, & omnium aut ferè vox eſt *Si contrarium de fide non eſt, hoc verum eſt*: & ſemper conqueruntur, rem Purè aſtronomicam à non Aſtronomis (non enim Cardinalium Thologi profitentur hanc artem) in iudicium vocaram. Habeo inter alios amicos, quendam virum doctũ, ipſumque Sacræ Theologiæ Doctorem, qui vt ait, minori difficultate aſſentitur Sacramento Euchariſtiæ, quam Solis motui: & tamen aut tacet, aut terram non moueri aſſerit, ne difficultates patiatur: at ipſum temerè ſic loqui et ſentire inferius demoſtraturus ſum Recepi ab alio, etiam docto, multas epiſtolas de hâc materiâ vberioris doctrinæ gratiâ ex vnâ, lineas ſubſequentes excerpo.

CCLXXI. Litteræ cuiusdam Duaceni Doctoris viri doctissimi & dignissimi.

MIrificas ago gratias, quod dignata sit eximere aliquot scrupulos qui occurrerant in lectione libelli de perpendiculorum inconstantia. Deerat sanè hoc ad institutionem rudiorum inter quos ego sum, qui non ambio nomen Astronomi benè Astrophili. Addideram aliquid de motu terræ diurno, non quòd velim refragari Declarationinibus & statutis Eminentissim. Cardinalium, à quibus, Copernicanis olim & etiam nuper os oppessulatum est; sed quia notaui in decreto Aloysij Carafæ typis edito anno 1633. contra Galilæum Galilæi duas sententias coniunctim prohiberi his verbis. [*Illam Galilæi sententiam nempe Solem esse centrum nec moueri motu locali declarauerat* (*Cardinalium Congregatio*) *absurdam & falsam in Philosophia & formaliter hæreticam, cùm sit expressè contrà Scripturam Sacram: aliamque assertionem eius videlicet, Terram mundi centrum non esse, nec stare immobilem, sed moueri motu locali & diurno censuerat pariter absurdum & falsum in Philosophia. In Theologiâ verò ad minimùm in fide erroneam &c.* Origanus autem neque vnum docet, neque alterum. Verum est, quod in hac materiâ linguam comprimo, vt par est; nihilominùs conatus sum ab aliquot annis soluere argumenta Ioann. Morini, & aliorum qui motum terræ impugnant & ostendere, quod argumenta eorum non conuincant, idque in publico consensu Quæstionum Quodlibeticarum; quod etiam fecerunt postmodum Patres Societatis in Thesibus impressis, & diceret quis Terram dici *stabilem* in Scripturâ eo modo, quo Boetius Seuerinus *lib. 1. de cons. Philos.* Firmamentum vocat *orbem stabilem*. quia etiamsi moueatur, & mutet locum secundùm partes non tamen secundum totum in sententiâ Origani. Addidi & Longomontani, quia ipsemet *in Astronomia Danica lib 1. cap. 1.* dicit: *Terram autem super centro in medio moueri, & diurnam reuolutionem ab occasu in ortum proficere magno compendio naturæ, nos cum D. Origano & alijs viris præstantibus asserimus.* Sed abrumpo ne importuniùs obstrepem vestris doctissimis auribus aliunde occupatis &c. *Sic ille*;

Contra Cardinalium declarationes non licet obloqui.

Legantur attentò ista verba.

Censet non interdici à Cardinalibus sententiam Dauidis Origani: at liber expurgatorius S. Inquisitionis Hispani. cæ expressè delet hanc Dauidis sententiam. An hodiè defendi illo possit & quo sensu.

V.

CCLXXII. Difficultatis Resolutio.

EGo autem non tanti facio terræ motum, imò nec totam terram vt propter illam velim, non dicam Dei aut Ecclesiæ, sed ne vnius quidem boni amici indignationem incurrere; adeòque protestor in hoc rerum genere hanc me habiturum opinionem, quem iusserit Ecclesia Romana: cum autem stando rationi neutra opinio videatur impossibilis [quis enim Copernicanus ita insanire vellet, vt diceret, non posse Deum concedere mundum, qualem esse conditum DD. Cardinales affirmant?] cùm vtraque suas difficultates patiatur [quis enim tolleret immensam illam abyssum, quam inter fixas & sphæram Saturni debent ponere qui tellurem peruertunt: nescio enim, an stando purè rationi magis dissonent omnia, quæ tenentur concedere Tychonici (nam de Ptolomaico Systemate iam est actum) quàm hæc vnica abyssus, quam non potest negare Copernicus? [*Terram quiescere affirmo, & opinationem contrariam, esse hæreticam & a Sacra Scriptura condemnatam assero.*

Hinc patet Scientiarum esse rudes, qui tàm difficilem creditu dicunt quietem terræ, quam venerabilis Sacramenti veritatem. Illa enim naturæ vires non superat, ista superat, & hoc nescire, est Astronomiam & Philosopiam ignorare. Rem fatear: Viri etiam docti affectibus reguntur interdum, & quæ iste edisserit, non nascuntur ex mente, sed ex corde odio Tychonicæ doctrinæ præoccupato

Stando nudæ rationi vtraque sententia est Probabilis Intolerabilis est Copernicana à Fixis ad Saturnum distantia? Iam èst antiquata doctrina Ptolomæi

CCLXXIII. An difficilius assentari quis possit motui terræ, quam Sacramento toVenerabili?

An docti regãtur affectibus?

VI.

IAm difficultatem penetras & vberioris doctrinæ gratiâ, quatuor dubia proponis quorum claram solutionem desideras Nam quæris.

CCLXXIV. Dubia nonnulla proponuntur.

Primò an D.D. Cardinalium inhibitio adhuc perstet; an verò sit sublata aut mitigata?

Secundò, Si non mitigata nec sublata dicatur, quomodo Romæ & Florentiæ Systema Cosmicum Galilæi fuit approbatum, benignis censuris honoratum, & typis vulgari permissum?

CCLXXV. Authoritatem faciendi sententiam improbabilem Cardinalibus concedimus,

Tertiò. An Censorum Romanorum pace possit admitti hæc propositio, *Nulla datur ratio speculatiua aut practica, hoc est nullum argumentum insensibile aut sensibile, Terræ quietem euincens Sacræ Scripturæ testimonia, quæ contra Aristarchum citantur, potuerunt probabiliter* (aut impunè saltem) *solui ante Dominorum Cardinalium Decretum, iam non possunt, posita enim vera Sacræ Scripturæ intelligentia nulli probabilitati datur locus?*

De Longomontani Origani opinione

Quartò, An ab Eminentissimis Dominis non solùm damnetur in Galilæo Aristarchi doctrina, sed etiam Dauidis Origani: nam & hanc Hispanica Inquisitio condemnat?

VII.

CCLXXVI An terramoueatur?

QVid ad ista respondendum sit dubia, ex dictis sufficienter colligitur.

Resolutio

Pronuncio igitur iterum *terram quiescere*. Addo *esse multa Sacræ Scripturæ testimonia, quæ quiescere terram persuadeant*. Subiungo *hæc loca non debere ad metaphoricos sensus torqueri pronũciauisse Ecclasiam per Eminentissimos Dominos verum Sensum illorum locorum declarando*: quamobrem eidem sensui insistendo accinit:

Telluris ingens Conditor
Mundi solum qui eruens
Pulsis aquæ molestijs
Terram dedisti immobilem.

CCLXXVII Precedentia alia diſoluũtur?

Ad primum, igitur stando positæ doctrinæ respondeo; perstare hodiè Eminentissimorum Dominorum Cardinalium sententiam; nec sublatam esse, nec mitigatam.

Ad secundum respondeo, quæstiones, quas vocamus de facto, à testium productione pendere. *Et* quia non videtur verosimile, quod ille liber præsefert, multis viris magnis subscribens, puto illum typis subreptitiis editum, & omnes illas censuras & approbationes, quibus munitur, esse fictas. Qui sunt Romæ poterunt rem meliùs examinare, nam præsumptio prudens militat contra prædictum librum quoùsque persuadeatur contrarium [Imò iam examinarunt & monuerunt]

Ad tertium dico Propositionem illam, quæ Theologicæ Censuræ subiicitur, tres continere partes omnes veras.

NB CCLXXVIII An possit Probari philosophicè terræ quies?

Prima à Sacrâ Scripturâ præscindit, & asserit, nullum dari argumentum Philosophicum, vel desumptum a sensibus, vel depromptum a scientijs, quod terrã quiescere, aut Solem moueri demonstret. Et hoc est verum; quoniam pro vtraque parte multæ sunt pulchræ & plausibiles ratiocinationes, nulla demonstratiua. Et stando nudæ rationi Planetarum Copernicæorum cœlum Tyconico & pulchrius & nobilius est; sed quid inde, si hæc ipsa nobilitas & pulchritudo habet annexam duplicem absurditatem, quam nemo libenter transglutiet. Quoniam inter Saturnum fixasque immensa quædam adsignanda est distantia, omni corpore vacans, & ad nihil utilis, nisi ad tuendam opinionem Copernici. Et præter hoc, etiam fidem omnem superat, quod de minutissimis stellulis Copernicani necessariâ cõsequentiâ pronunciant: nimirùm minimam esse multis vicibus maiorem Sole: maximas mole suâ totum cœlum planetarium excedere. Et quis quæso in rerùm naturâ toleret hæc immensa monstra, eo tantùm fine, vt Copernici opinionem defendat? Sed de his monstris vberiùs loquar paulò inferiùs.

Vtrum Systema sit pulchrius, Tychonicum an Copernicanum? Absurda in sententia Copernici. Immensa abyssus inter Planetas & Stellas. Harù immẽsa magnitudo.

Secunda ait, ante declarationem Cardinalium fuisse probabilem Aristarchi & Copernici delineationem. Et hoc ait verè: habuit enim pro se rationes plausibiles, & Authores illustres; & ab Ecclesiâ Catholicâ tolerabatur. At ipsa etiam tunc tam erat falsa & Sacræ Scripturæ contraria quàm nunc: at id ipsum nesciebatur ab illis, qui eam sincero animo propugnabant: nam probabilitati non opponitur falsitas. Dicamus ergo *Aristarchi opinionem ante Cardinalium declarationem fuisse Philosophicè probabilem*; loquendo enim theologicè, loca Scripturæ tam sunt clara, vtante omnem Pontificis declarationem videantur Aristarchi doctrinam euidenter damnare.

CCLXXIX

An falsitas probabilitati opponatur?

Probabilitas duplex: philosophica scilicet & theologica.

Tertia addit modò probabilem non esse. Et etiam verè: quia omni practicâ probalitate exuitur propositio, quæ ab Eminentissimis Dominis condemnatur.

Ad Quartum dico, non solùm condemnari ab Eminentissimis Dominis telluris annuam reuolutionem, sed etiam diurnam: & hanc, nõ solùm in Systemate Copernicano, in quo annuã necessariò cõsequitur; sed etiã Systemate Origani & Lõgomõtani. Et de hoc dubiũ mouere non poterit, qui attentè legerit Aloysij Carafæ decretum.

CCLXXX. An cõdemnetur diurnus motus?

VIII.

CCLXXXI. De Tychone & Longomontano Iudicium.

SEd quia horum duorum Authorum (Origani & Lõgomontani) Cœlũ, ut dicitur, differt à Copernicano, de quo hucùsque differui; quid de illo sentiam, studiosè requiris.

Et respondeo illud duobus modis (nimirùm, physicè & theologicè) posse considerari. Et quidem, si consideretur physicè, magno compendio satisfacit obseruationibus, & liberat sublimia corpora motuum contrarietate, quam illis communis accenset opinio. Fixas stellas immediatè supra Saturnum collocat; & earum molem non adauget. *Ergo* per Physicam stat, vt tellus Origano & Longomontano obediat, & ab occasu in ortum motu diurno moueatur. *Ergo*-ne agi in gyrum dicetur? Minimè: quoniam Sacræ Paginæ loca, quæ motum telluris condemnant, vix agunt de annuo: & ne multa congeram vnum produco.

Sacra Pagina potùs diurnum motum condẽnat.

Irruerat in hostes Iosue, & illos ruperat & in fugam egerat: persequutus est illos non sine periculis & difficultatibus totâ illâ nocte, & die etiam sequenti vsque

CCLXXXII

ad

ad meridiem. Cæterum quia diſperſos tueri poterant & occulere tenebræ, ſummâ ad cœlum confidentiâ oculos ſubrigit, & ait, *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.* Et quo id euentu? *Stetit Sol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio unius diei. Non fuit anteà & poſtea tam longa dies obediente Domino voci hominis & pugnante pro Iſraël.* Quem locum ſic exponit Iſidorus Clarius *Epiſcopus* Fulginatenſis. [Gabaon fuit in tribu Beniamin, & Aialon in tribu Gan. fuitque circa meridiem cùm Ioſue iuberet ſtare Solem, ſicut textus indicat. Stetit autem Sol in loco illo immobilis tanto temporis interuallo, quo aliàs curſu ſuo diem creaſſet, hoc eſt, ſpatio viginti quatuor horarum, ſi capitur pro die naturali ſicut Hebræi exponunt.

Ioſue. 10. c.

Vbi fuerit Gabaon? vbi Aialon?

Relego textum & rem totam conſiderans, infero (quidquid de annuâ ſit, qui tamen ſine diurnâ admitti non poteſt) iſtis Sacræ Paginæ verbis telluris conuerſionem quotidianam negari: quod ſic demonſtro. Intentum Ioſuæ fuit, vt dies eſſet longior, & Sol non occumberet, quouſque ipſe plenam victoriam adipiſceretur: ſed ſi Solis motus annuus ſiſteretur, dies fuiſſet breuior [Quadriennio enim hoc eſt diebus 1461. conuertitur Sol motu rapto, quem vocant, 1461. vicibus: licet ſydera fixa eodem tempore compleant 1465. reuolutiones: quas etiam Sol conficeret, ſi alicui puncto fixus motu annuo careret. *Ergo* ſi aliquibus horis ſiſteretur Sol in ſuo orbe; velociùs raperetur motu rapto: ergo citiùs ad occaſum deſcenderet.] Ergo motus, quo Solem exuit Ioſue non fuit annuus, ſed diurnus. *Ergo* iſte non erat in terrâ, ſed in Sole. *Ergo* teſtimonia, quæ terram non moueri conuincunt, directè motum diurnum oppugnant & indirectè annuum, qui negato diurno probabiliter admitti non poteſt. *Ergo* non ſolùm Ariſtarchi & Copernici, ſed etiam Origani & Longomontani Syſtema Sacræ Scripturæ contradicit, & meritò ab Eccleſiâ damnatur. *Ergo* ſiquidem de Ptolemaico actum iam eſt, manet Tychonicum.

Ioſuæ intentum.

IX.

De ſenſu Virtuali.

CCLXXXI. An Deus obediat hominibus, & quo id ſenſu.

ERuditio poſtulat, vt citatus Sacræ Paginæ texus benè intelligatur: et quia ibi dicitur *Deus voci hominis obediſſe*, hunc idem pro motu terræ argumentum efformas Sic ais.

Contextus iſte debet eodem ſenſu explicari: ergo vel totus intelligi debet metaphoricè, vel totus rigorosè et propriè. Si Sol ſtetit in ſenſu rigoroſo et proprio, etiam Deus obediuit in ſenſu rigoroſo et proprio: et quia obedientia dicit ſubordinationem et inæqualitatem, Deus rigorosè et propriè loquendo fuit minor homine, et hominis imperio ſubiditus: quod ſine blaſphemiâ ſacrilegâ dici non poteſt. dicatur obedientia Dei erga hominem fuiſſe apparens metaphoricaque; etiam quies Solis et Lunæ apparens et metaphoricus eſſe dicetur. At ſi Sol & Luna apparenter & metaphoricè quieuerunt; terra fuit, quæ quieuit verè & realiter. Ergo motus diurnus non eſt in cœlo, ſed in terrâ.

De voluntate ſigni in Deo.

Præterea, cognoſcunt in Deo Theologi voluntatem ſigni, quam ſic explicant. [Dicimus, aiunt, in Deo eſſe furorem, iram, pœnitentiam, dolorem: non quod eiuſmodi paſſiones & perturbationes ſint in eo: ſed quod videamus effectus, qui in nobis ab eiuſmodi paſſionibus, & affectibus veniunt.] Ergo non obſtante reuerentiâ Deo debitâ, poterimus dicere eum obedientiâ ſigni obedientem fuiſſe homini; quia tametſi Deus homini obedire non poſſit effectum dedit, quem dediſſet, ſi homini obediiſſet de facto. Ergo conſequenter poterimus dicere, quietem Solis et Lunæ fuiſſe quietem ſigni; quia licet Sol non quieuerit, ſed terra, effectus omninò fuit idem: diei enim longitudo æquè quiete Solis in ſphærâ Tychonis, ac quiete Terræ in ſphærâ Copernici (aut etiam Origani, et Longomontani) ſaluatur.

De quiete ſigni in Sole

Vt huic ſatisfaciam obiectioni duæ mihi ſolutiones ſuccurrunt: altera, quæ iubet recognoſci Hebræum textum; altera, quæ manet in Latino.

Priorè Do. Magna eſt artis in linguis dialectis varietas, et quia occaſio poſtulat, et omninò neceſſarium videtur, non niſi de Hebraicâ ſub ſcribam. Habet illa ſeptem coniugationes, (vocis potiùs) tres actiuas, tres paſſiuas, et immanentem, quando videlicet agens exercet actionem in ſe ipſum. Sunt

De linguâ Hebræa: & Verborum vocibus ſeu coniugationibus.

Actiuæ: *Cal. Pibel. Hipbil.*
Paſſiuæ: *Niphal. Puhal. Hophal.*
Immanens verò, *Hithpahel.*

Nota hæc omnibus ſunt; addam aliquid quod paucis notum: nimirùm, has voces tum punctis, tum poteſtate commutari ſolere Prima Vox *Cal*, continet aut verba intranſitiua vt *frigeſco caleſco*, aut leuiter tranſitiua, vt *diligo*. Vox *Phiel* intenſam et tranſitiuam ſignificationem habet, vt *frigefacio calefacio, amo.* etc. Ad *Hiphil* ille pertinet, *qui facit ut alter faciat* Vocum harum futura, habent ſæpe ſignificationem præteriti, et quia non tam literis multa vocum futura, quam punctis

Vocum cõmutatio.

Temporum commutatio.

ctis differunt, sicut variè dispungi, sic etiã variè solent accipi. Accedit vocem ipsam *Pihel* vim interdum habere vocis *Niphil*, & posse multa significantiùs verti, si huius doctrinæ habeatur ratio. Illam didici à Marco Marino Brixiano, qui in suâ Arcâ Nohæ non pauca habet, quæ hanc veritatem firmant. In Præfatione §. *de Translationib*, sic ait. *Scribitur Psalm.* xxvi *vers.* vi. *Leuabo* (*in*) *puritate manus meas* vt audiam *in voce laudis vèl confessionis* &c. *Iudæi nihilominùs hodierni pro Lismoa* ad audiendum, *ex Masara constanter legunt lasmia*, ad audire faciendum *punctis vocalibus immutatis* &. *de Punctis* nonnullas sententias puncta alterando variè exponit, & inter alias versũ xii. Capitis xxii Geneseos sed de hoc statim. Ex verbo *Iadach* sũpto in Pihel citat versum vi. Psalmi cxxxviii. *Excelsum* (*Deum*) *a longè cognoscit*, & ait *nonnullis est potius ex* Niphil *transitiuum*; *quod an verum sit*, *alij viderint.*)

Hiphil Hebræorũ vox prædeterminatiua.

לשמע

לשמע

לשמע

יודע

Aliud testimonium clarius & luculentius addam. Iubetur Abraham sacrificare filium suum obèdijt: conduxit puellum ad montem: *in quo ædificauit altare*, *& desuper ligna composuit. Cùmque colligasset Isaac filium suum*, *posuit eum in altare super struem lignorum: extenditque manum*, *& arripuit gladium*, *vt immolaret filium suum.* Et *ecce Angelus* Domini *de cœlo clamauit dicens. Abraham*, *Abraham. Qui respondit. Adsum. Dixitque ei Non extendas manum tuam super puerum*, *neque facias illi quidquam*; *nunc cognoui quod timeas Deum*; *& non peperci. filio unigenito tuo propter me.* Legunt istud *propter me*, Expositores, & Deum fuisse, qui per Angelum loquebatur, affirmant. igitur, si loquebatur Deus quare dicit. *Nunc cognoui*, ac si priùs non cognouisset: An non est infinitè sapiens Deus: Respondet Marcus Marinus Brixianus, illam vocem *Iadahti* licèt habeat formam *Pahal*, habere significationem vocis *Hiphil*, & posse verti *Feci cognoscere*; vt tota oratio sit: *Nunc manifestaui*, *& feci*, *quòd vniuersi sciant*, *quod times Dominum*.

Genes. 22.

Deus nouas notitias non adquirit.

Confirmo hanc veritatem aliam adhuc authoritatem adducendo. Apostolus 8. 26. ad Rom *Spiritus orat gemitibus inenarrabilibus*. orat in hiphil; hoc est, orare facit. Et Zacharias 12 10. promittit Deus se effusurum spiritum deprecationum; non quia Spiritus deprecetur sed nos præmouet & prædeterminat ad deprecandum. Sic debent explicari isti & similes textus. Et hæc veritas tam est clara, vt Catholicis subscribant hæretici. Samuel Maresius Caluinista in Synopsi de gratiâ. cap. 4 §. 34. Sic inquit. *Estne gratia necessaria ad orandum? Ita: nam vt ait Apostolus*, *Spiritus est*, *qui in nobis*, *& pro nobis precatur: id est*, *facit vt precemur.*

An Spiritus Sãctus oret? quo id sensu?

De necessitate gratiæ.

HINC doctior & eruditior venio ad Iosuam, & aio, obedientiam illam, de quâ in sacro textu fit mentio, exprimi per formam, *Pahal* sed hab re significationem vocis *Hiphil*: & sic textum interpretor, *Non fuit antea & postea tam longa dies obediente* (hoc est, *faciente Deo*; *vt sol obediret*) *voci hominis*; *& pugnante* (hoc est, *faciente*, *quod elementa cœlumque pugnarent pro Israel.*

Distinctio virtualis.

Posteriorem interpretationem subiungo. Mo multa humana, quæ formaliter sumpta imperfectionem manifestam involuunt, adtribui ab hominibus Deo virtualiter: nam dicunt attributa & relationes virtualiter ab essentiâ distingui; quia licet verè & realiter non distinguantur, ita se habent, ac si realiter distinguerentur. Voluntatem Diuinam per actum liberum mutari virtualiter; quia licet realiter non mutetur, ita tamen se habet, ac si realiter mutaretur. &c. Ergo poterit dici Deus homini obedire virtualiter; quia licet verè & propriè loquendo non fit inferior, nec homini subiici possit, ità se habere vult, ac si deberet obedire.

Mutatio virtualis.

Obedientia virtualis.

X.

An tellus virtualiter quiescat?

DIces. Ergo & poterimus dicere, Solem, Lunam stetisse virtualiter: hoc est, non stetisse verè & realiter, sed propter miraculosam terræ quietem ita se habuisse, ac si realiter stetissent?

CCLXXXIV Quies virtualis.

Nego consequentiam; & regulam valdè necessariam subiungo. Sic inquam, *in expositione Sacræ Paginæ insistendum est sensui litterali*, *quamdiù iste non dicat implicantiam*, *quæ non cogat ad metaphoras*, *aut moralitates recurrere*. Cùm igitur sit euidenter certum quòd subordinatio vera repugnet Deo; & etiam euidenter sit certum, quòd motus non repugnet Soli; opus est, vt cùm Deus dicitur *obedire creaturæ*, ad moralitates & virtualitates recurramus: & cùm Sol dicitur *moueri*. literam in sensu reali & proprio intelligamus.

Regula generalis pro expositione Sacræ Paginæ.

XI.

XI.

De Astronomicis Demonstrationibus.

CCLXXXV. An possit demonstrari terræ quies?

ET, quid si prodierit perindè aliqua Demonstratio Astronomica, quæ Solem non moueri conuincat? Quid, si per doctrinam parallaxeon terram moueri euidenter & clarè conuincatur?

Respondeo citra miraculum non posse dari demonstrationem physicam, quæ terram quiescere aut moueri persuadeat: adeòque frustrà se & nos fatigare Mathematicorum ingenia, cùm vel volunt tellurem circumducere aut sistere. Nec volo hic multùm disputare, quia contrarium est velle nimium sapere, quod expertissimi in hâc controuersiâ, ridemus.

An fides sit demonstrationi postponenda?

Quid si hæc ipsa demonstratio, quam impossibilem esse dicimus, olim daretur? Responderet hic aliquis, in tali casu adsentiendum esse demonstrationi (est enim supponendum esse legitimam & veram) at in illo casu dici non posse, Ecclesiam Romanam errauisse: non enim hanc propositionem speculatiuè sumptam Generale Concilium, aut Pontifex ex cathedrâ proposuit vniuersæ Ecclesiæ vt Articulum fidei; ita vt vellet ipsummet internum dissensum esse hæresim: sed Cardinalium Eminentissimum Tribunal, cuius authoritas inter homines summa est, definiuit non dari rationem humanitus, propter quam non dicatur motus terræ Sacræ Scripturæ contradicere: adeòque practicè debere haberi tâquam hæreticum qui Pontifici per Cardinales suos cum pertinaciâ contradicat. Quòd, si per impossibile cras haberetur aliqua noua demonstratio, tunc inciperet dari humanitùs ratio propter quam possent permittere Eminentissimi Domini, vt in expositione Capitis X. Iosuæ ad sensum aliquem apparentem aut metaphoricum recurreretur. Sic fortè aliquis responderet, & fortè se involueret nouis difficultatibus: *Ego* autem summâ cum facilitate me expedio. Assero igitur esse impossibile, quod olim moueri terram demonstratiuè suadeatur, *Quia si suaderetur demonstratiuè?* Respondeo vno impossibili admisso non esse absurdum si impossibilia & absurda sequantur.

Ex vno absurdo multa: & ex vno impossibili multa sequuntur.

XII.

An de systemate Mundi sit demõstratio?

NOn posse dari alterius vtriusque systematis (Copernicani, aut Tychonici: aut etiam Origanici aut Longomontanici) demonstrationem, diximus & audimur cum admiratione; quoniam multi Authores demonstrationes plurimas euulgarunt, quibus isti Heliocentricum, & illi Geocentricum Mundum euidenter persuadere nituntur; & inter ipsos nuperrimè Scheinerus, qui ex macularum solarium fluxu vult ostendere terram quiescere & Solem moueri. Hinc est, quod scire velis, quid de his demonstrationibus, se mutuò elidentibus, sentiam.

Nulla demonstratio demonstrationi contrariatur.

Respondeo contra demonstrationem vnam, non posse alteram demonstrationẽ militare: adeòque esse euidenter falsum, quod vtraque contradictionis pars habeat oppositas demonstrationes. Addo neutram partem habere mathematicam aliquam demonstrationem; multæ enim rationes, sunt pulchræ & bonæ, nulla vero conuincens. Ad Scheineri librum quod attinet, pulcher est, & à me permissus ire in lucem, & Censurâ aut potiùs elogio commendatus.

XIII.

DIGRESSIO.

De Reuerendissimi P. Petri Lorcæ doctrina. An Christus habuerit moriendi præceptum rigorosum & verum?

CCLXXXVI. PAuca sufficiunt, vt me distrahant, & multa hodiè concurrunt: ergo tantisper me permittam eruditioni, & lineas nonnullas scribam. Sum præuentus illis Historiographi Diuini verbis, *Non fuit antea & postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis & pugnante pro Israel.* An ne voci hominis obedit Deus? Minimè. Quid ergo? Ibi *Obedire* verbum est, quod non supponit aut importat præceptum, sed conformitatem voluntatis. Et hinc aliquid profundius eruam.

An possit Deus voci humanæ obedire.

Habeo præ manibus Cõmentarios Lorcæ in tertiam Partem; & ob oculos notas Reuerendissimi & eximij Viri, D. Hilarionis Ranchati, nostri Ordinis decoris & ornamenti. Et hîc iterum distrahor, vt commendem laborum eorum, qui in libris, quos legunt adnotant, quæ succurrunt.

CCLXXXVII. De notis marginibus librorũ manuscriptis.

Obijt Cornelius Ianterius, eiusque Bibliotheca importata fuit Brugas, et meo consilio empta à Reuerendissimo D. Bernardo Campmans, Monasterij Dunensis Antistite, magnâ ex parte. Perique libri erant notis marginalibus, in doctorum sententiâ maculati, meâ illustrati: Fuerat enim

enim Cornelius multæ lectionis et memoriæ vir, et scribebat in margine quod alibi legerat, et putabat conducere. Inter alios libros, Aluarez de auxilijs elegi, in quo vix erat linea sine lineâ; et inde cognoscere cœpi, quæ alibi expendo.

De hæresi Ianseniana.

CCLXXXVIII. Ioann Guill. Managetta laudatus.

Veni Viennam; et expertissimi. Domini Ioannis Guillelmi Managette amicitiâ et fauore sum vsus; et quia habet Bibliothecam ditissimam, etiam libris. Et Deus bone, quàm multos thesauros in margine legere licuit, scriptos à doctissimo calamo!

Ioãnes Marcus laudatus.

Eâdem curâ etiam Pragæ libros exornat suos Clarissimus D. Ioannes Marcus Marci, Regni Bohemiæ Archiater, vel vt loquuntur ipsi, Physicus.

CCLXXXIX Diana laudatur.

Et Romæ in Bibliothecâ Dianæ (doctissimi et suauissimi Viri) maioris est factura posteritas, notas margini inscriptas, quàm ipsummet textum Authorum. multa enim, quæ vel Author non vidit, vel ego suspicari non possem, expressum paucis verbis reperio.

CCXC. D. Hilarion laudatus.

Hæc omnia dicta sunt propter Lorcæ Commentarios, quos lego. Sunt è Bibliothecâ Reuerendissimi D. Hilarionis, vt dixi, et multis testimonijs Patrum et obseruationibus aucti. Lectione Notarum et Obseruationum delector, & illis vtens liberè (sic voluit Author) lineas istas subscribo.

CCXCI. An Christus habuerit præceptum.

Probabilissima est sententia Petri Lorcæ asserentis, *Christum Dominum non habuisse moriendi præceptum rigorosum & verum*. & ostenditur. primò, quia habet rationes fortes, quas concinnat & roborat Lorca *in 3. part. quæst. 19. art. 4. disp. 73*. Secundò, quia est expressa multorum Patrum, quos ille loco citato allegat, quibus adde S. Ioannem Climacum, qui grad 16. post initium ait, *Animas non debere esse contentas præceptis, sed plusquam præceptum sit debere facere*, & addit: *Persuadebit tibi id penitus, is qui plus quam se ipsum proximum dilexit, ac pro eo animam exposuit, cum imperium* (præceptum) *Dei de hoc non accepisset*. Tertiò, quia frequentissimè in Vniuersitate Complutensi & Salmanticensi sub præsidio Virorum illustrium defenditur. Quartò, quia quæ contrarium docet, fundatur illis verbis Apostoli; *Christus factus est obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*. At ista verba possunt intelligi sine rigoroso præcepto: Pater igitur æternus non præcepit Christo vt moreretur, sed illi insinuauit sibi placere vt moreretur. Probatur minor, quia vocem istam *Præceptum* Patres communiter vsurpant laxiùs, vt etiam *Consilium* comprehendant. Sequentia testimonia considera.

Quid vox ista præceptum significet?

S. Hieronymus *epist. 16.* scribit S. Marcellum obedientiam erga matrem Albiram exercuisse, etiam in illis, quæ ab ipsâ non iubebantur, sed ei placebant, & epist. 12. cap. 15. *Prima apud eos confœderatio est obedire Maioribus & Maiorum* nomine non Superiores, sed Seniores intelligit.

CCXCII. S. Marcelli obedientia.

S. Benedictus Regulæ cap. 71. *Vt obedientes sibi sint inuicem Fratres*, docet omnes iuniores prioribus suis, id est, senioribus obedire debere; & seniorum dicit esse priuata imperia: & tamen certum est defectu Iurisdictionis & potestatis non esse in eorum præceptis & imperijs vim obligandi, atque adeò nec voluntatem. Si ergo vbi non est vis obligandi, ibi D. Benedictus imperium & obedientiam esse dicit, quid mirum si dicantur ea duo esse, vbi vis obligandi est, solaque voluntas deest.

Vis obligandi non est vbi non est subordinatio.

Haymo Halberstadensis lib. 2. de Varietate cap. 47. *Inuicem obedire debemus sicut serui Dominis secundùm quod præcepit Dominus; quia qui vult in vobis esse magnus fiat omnium nouissimus & omnium seruus*. & tamen certum est, quod non habemus adinuicem vim obligandi per modum rigorosi præcepti: &, si non habemus vim certè nec voluntatem, quam irrationabiliter & sine potestate habere non debemus.

Do Christi & Religiosorum obedientia.

Epitome Ludouici Imperatoris super Regulam S. Benedicti. *Oportet omninò, vt obedientes sibi sint inuicem, & ipsa obedientia, sirecto corde ostendatur, Deo offertur*.

S. Basilius Regul. breui. interrog. 114 *Nunquid cuiuis passim & quiduis imperanti obediendum sit?* Responsio. *Omninò: diuersitas eorum, qui imperant & eorum quibus imperatur, obedientiæ officere nihil debet. Neq; enim Moyses, Iether, qui rectũ sibi consiliũ dederat, non consultauit* Græcè παρήκουσε Aoristus verbi ὑπακούω *non obtempero, oscitanter, negligenterque audio* & interrog 115. sequenti. *Quomodo alij alijs obedientiam inter nos præstabimus?* Resp. *Tanquam serui aduersus Dominos, conuenientes illi præcepto Domini*: Qui vult &c. *bis esse magnus, sit omnium vltimus seruus omnium*.

Sanè duo testimonia, quæ ex Basilio & Haymone desumpsi, cum Christum in exemplum producant videntur manifestè probare, non solum *præcepti* nomine intellgi posse consilium: sed hoc specialiter esse intelligendum cùm agitur de obedientiâ Christi.

Vt hoc fortiùs vrgeam; & ostendam hanc vocem sumi latissimè apud veteres; addam periodos aliquas, in quibus Verbum æternum quâ Deus dicitur Patri æterno obedire: quâ voce, nec subordina-

tio, nec verum importatur præceptum, sed sola concordia voluntatis. ¡Lege cautè & attentè sequentia.

CCXCIII. An in diuinis vna persona obediat alteri?

S. Hilarius lib. de Synodis non semel dicit Filium secundùm naturam Diuinam obedientiam præstare Patri, id est, voluntatis conformitatem, vel potiùs vnitatem voluntatis à Patre acceptæ. Vnde explicãs illud Ioannis 5 *Non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, sic inquit *Authoritatem discreuit, cùm ait: Non potest à se facere; obedientiam significat: cum addit: Nisi quod viderit Patrem facientem.* Ad quæ verba, quidam iuntor Commentator sic inquit [Nõ est virtutis differentia non posse nisi videat, quia virtutem magis præstat natura quàm visus. At verò obsequelæ est tunc posse cùm videt. Atque ita per id quod tamen potest cùm videt, significat non ex visu accipere se virtutem; sed authoritate visus præsumere potestatem. Non ergo differt naturæ virtus in Patre & Filio, vbi vt vides & obedientiam & obsequelam in Filio secundùm eam naturam quæ virtute non differt à Patre agnouit Hilarius.] Imò obsequelam siue obsecutionem in Filio respectu Patris agnouit Concilium Sirmiense in primâ confessione Fidei contra Platinum, quam vt Catholicam recipiunt omnes teste Baronio ad ann. 357. num 38. & recipit Hilarius suprà. Porro Concilium ita habet *Si quis vnum dicens Deum, Spiritum autem Deum ante sæcula Filium Dei obsecutum Patri in creatione omnium non confitetur anathema sit.*

Cautè legẽda est sentẽtia affirmatiua, si occurrat in veterum libris; nam sumunt vocẽ hanc in alia significatione.

Porrò idem Concilium anathematismo 17. in eâdem confessione subiectionem agnouit in Filio secundùm naturã Diuinam, ita enim habet. *Non enim exæquamus vel comparamus Filium Patri, sed subiectum intelligimus* (loquitur autem de Filio secundum naturam Diuinam) *quod explicans Hilarius ait. In eo quidem non cõparatur nec coequatur Filius Patri, dum subditus per obedientiæ obsequelam est, dum Christus Dominus à domino &c. sed pietatis subiectio non est essentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem facit naturam* & infra. *Vt sit Patri & obsequio subiectus & nomine, ita tamen vt subiectio nominis proprietatem naturalis atque indifferentis tollatur essentiæ*, & loco priùs citato, *Honorem Patris quem subiectio Filij conseruauit, naturæ Filij virtus æquauit.*

CCXCIV. Hodie habet Schola terminos, quibus caruit antiquitas.

Hodiè loquimur cautiùs & meliùs; nec volumus eiusdem phrasibus & vocibus vti, cùm agimus de Verbo Diuino quà Deo: interim Veteres locuti sunt suo modo, quia tunc nondum obtinuerat hodierna terminorum Scholasticorum acceptio, & singuli Doctores, vocibus vtebãtur aut abutebãtur. Stet igitur voces *Obedientiæ* & *Præcepti* pro voluntatis concordiâ sumi posse & (præscindendo à naturâ diuinâ, in quâ minùs est tolerabilis verborum istorum admissio, & valdè periculosa eorundem incauta susceptio) stet probabilem esse sententiam quæ docet Christum carnisse rigoroso præcepto.

XIIII.

De aliquibus opinionibus à Pontifice, aut etiam ab Eminentissimis Dominis condemnatis.

VLteriùs pergis; stet vel moueatur Olympus: & sic discurris. [Olim erat probabilis absolutio in absentem directa: imò olim erat practicata. *E* multis casibus quos accidisse probabile est, hunc propono ex P Conrado Societatis Iesu.

CCVC. An possint absentes absolui.

CVm olim tota Prouincia Liffland in optimo Catholicæ Fidei flore & dignitate constituta esset; erat ibidem in celeberrimâ ciuitate Rigâ Monasteriũ Virginum Ordinis S. Benedicti, S. Magdalenæ dicatum, quod plurimis maximæ nobilitatis Virginibus ditatum trecentis ferè annis in magnâ sanctitate & obseruantiâ viguit, ab anno scilicèt 1251. vsquè ad 1550. Verùm cùm eo tempore in ijsdem locis Pestis Lutherana ingrueret, ac paulatim per membra se diffundendo ipsum totius Prouinciæ corpus, & præcipuè pulcherrimam ciuitatem Regiam inficeret, celebre illud Monasterium ita debilitatũ fuit, vt solummodò tres magnæ constantiæ Virgines perseuerauerint eoúsque, donec (Deo ita disponente) in Collegium Societatis Iesu sit mutatum.

CCXVI.

Cùm igitur hæresis illa radices agere inciperet, nacillabant inprimis in Christianâ Religione ciues Rigenses, quamdiù viuebat ueræ Fidei propugnator Archiepiscopus ibidem Thomas nomine: uerùm quamprimum obiit, ac alter VVilhelmus de Brandenburg eâdem peste infectus successit, omnes unanimiter, (quia dissimulabat omnia) in eandem hæresin penitus sũt delapsi, ita ut Clerici & alij Sacerdotes coacti fuerint ab uno ad alium locum discedere, donec ingraueſcente illa lue, ex totâ omninò Prouinciâ expulsi, & Monasteria ac bona Religiosorum facta fuerint præda Impiorum. Itaut sola ciuitas Rigẽsis quatuor Monasteria quãdam uice uno impetu inuaserit & spoliauerit, unum Patrum Dominicanorum, alterum F. Minorum, alterum *F.* Minorum strictioris obseruantiæ. Franciscanorum alterum, &

Vr-

Virginum vnum. Primum quia erat extra ciuitatem ſitum, non ita curarunt: ex reliquis fecerunt diuerſiora, tabernas, & loca pro nuptiis & conuiuiis habendis. Monachos verò ſuperſtites, qui Clericos & Canonicos Apoſtatas, in abnegatione veræ fidei, & ſacerdotalis caſtitatis ſequi nequaquam voluere, flagellis ceciderunt & ex totâ Prouinciâ expulerunt. &c.

CCXCVII. Iam verò nihil reſiduum erat, niſi hoc S. Magdalenæ Monaſterium, quod inuadere non fuere auſi propter plurimorum Nobilium filias, quæ in illo degebant. Præter hoc eo tempore optimum etiam erat, quod habuerint prudentiſſimam & deuotiſſimam Abbatiſſam nomine Alidurangel, quæ omni viro generoſior inſtar muri pro defenſione Monaſteri ſe hoſtibus opponebat: illa enim, ne in re grauiſſimi momenti ſuis deeſſe videretur, nulli labori pepercit, nullas expenſas reſpexit nullum vitæ periculum timuit. Sed ſæpènumero ſola omninò Archiepiſcopum, ſola Gubernatores illius Prouinciæ adiuit vt bona ſui Monaſterii conſeruaret, quod etiam in illâ tempeſtate obtinuit &c.

CCXCVIII. Sanè longè aliter res agebatur poſtquam è viuis piiſſima illa Mater deceſſit, & in locum illius ſubſtituta fuit Eliſabetha Tenhoph; videbatur enim quoad externam apparentiam, quòd Chriſto ſuo ſponſo fidem ſeruaret: internè tamen infidelitatem fouens in hæreſin delapſa, aliis eandem fidem frangendi cauſam dedit; ſiquidem plurimæ ex ipſis monaſticæ diſciplinæ & obſeruantiæ oblitæ, cum hæreticis familiaritatem inierunt: à quibus poſtmodùm perſuaſæ habitùm ſanctum reiecerunt, & veſtibus pretioſiſſimis indutæ ſe hereticis illis ſacrilego Matrimonio obſtrinxerunt &c. Tres tamen, nimirùm Anna Topel, quæ erat centum & triginta annorum; Anna NetKen, & Otilia, quarum quælibet centeſimum annum attigerat conſtantiſſimè perſeuerarunt (*de illis poſtmodùm multa ſcribuntur quæ recenſere longum foret*)

CCIC. Habebant hæ Virgenes in Eccleſiâ, ſui monaſterij duodecim Altaria, ſecundum quorum numerum, duodecim Sacerdotes alebant; quorum obligatio erat pro Virginibus quotidiè aut canere aut legere Miſſam, & iiſdem Venerabile Sacramentum porrigere & alia diuina officia peragere. Verùm cùm omnes vnico excepto eandem peſtem contraxiſſent & longo tépore ex manibus huius qui perſeuerauerat ſacram Euchariſtiam ſumpſiſſent, tandem etiam obiit. Quid ergo? quò ſe verterent? in tota Prouincia non reperiebatur Sacerdos niſi in finibus pruſiæ in monaſterio quodã ruinæ iã proximo nomine Haſepot, quod quadraginta milliarib' diſtabat, vnicus venerandus Senex Monachus degebat. Ad hunc igitur, quandoquidem, qui illis Sacramentum porrigeret, non erat, communicare volentes vnam nomine Otiliam clauſis & obſignatis litteris, in quibus quælibet ſua peccata patefecerat, miſerunt: & ille viciſſim Abſolutionem ſcriptò, vna cum tot hoſtiis conſecratis quot illarum erant, acſubinde etiam plures, quas reuerenter in Ciborio obſeruabant, miſit. Modus verò ſumendi SS. Euchariſtiam erat iſte: Hoſtias cautè ex ciborio ſupra mundiſſimum corporale mittebant, flexis poſtmodùm genibus alternatim ante illas decliuato capite ſacram Hoſtiam linguâ tangentes ad os attraxere: poſt quam ſumptionem, omnes vnanimiter Deo gratias agentes ſe ipſi commendarunt

Ad hæc conſuetudo illarum erat, quotieſcunmqè comunicare vellent, pro meliori diſpoſitione tribus diebus ante abſtinere à carnibus, ouis & lacticiniis. Hunc modum confitendi, communicandi & abſtinendi ideò propoſuimus, ut putemus iniquitatë èſſe ejusmodi Exemplum harum Piiſſimarum Virginum ſilere & non potiùs omnibus patefacere &c.

Ita P. *Conradus in libello, cui titulus: Breuis Deſcriptio ſeu Relatio, quomodo Monaſterium Virginum Ord S. Benedicti quondam in Ciuitate Riga in Liffland in Collegium S I tranſierit.*

CCC. Clemens VIII. ea es confeſſiones & abſolutiones, aut interdixit, aut damnauit: & nihilominùs R.P. Ludouicus Connæus S. Theol. Profeſſor Pragæ, nec non ſtudii Prouincialis Director Aſſertionibus Theologicis, quas defendendas ſuſcepit die 13. Decembris ann. 1650. Interrogationes ſeptem addidit, quarum quinta erat hæc. nimirùm, *Valida ne ſit abſolutio directa ad abſentem poſt Clementis VIII declarationem?* Reſpondeo eſſe ſtandum omninò ſummi Pontificis Declarationi.

XV.

De nonnullis propoſitionibus ab Eminentiſſimis Dominis interdictis, An etiamnum probabiliter defendi poſſint?

CCCI. Reliĉto motu terræ tranſitur ad alias materias. ET veniendo ad inihibitiones & declarationes Cardinalium ſic inquiſ[o]. lim erant probabiles iſtæ opiniones. *I. Epiſcopi vigore Tridentini Concilij poſſunt reducere miſſas in fundatione poſitas. II. Quæ poſt illud relictæ poſſunt ad numerum minorem reagi. III. Generales Or-*

Septem opinionum circa miſſarum celebrationem Cenſura.

dinum poſſunt miſſas ad pauciores ex cauſa compente reducere. IV. *Quando ſtipendium Miſſæ eſt ab Epiſcopo taxatum, petens ſibi celebrari non dat ſtipendium integrum, poteſt Sacerdos ab uno vel à diuerſis tot parua ſtipendia accipere, quot iuſtæ eleemoſynæ æquiualeant.* V. *Sacerdos pauper poteſt pro vna miſſa tot accipere ſtipendia, quot ad diurnam eius ſuſtentationem ſufficiant.* VI. *Die feſto accipi poteſt duplum ſtipendium pro miſſa.* VII. *Poteſt miſſa celebrari pro primo daturo ſtipendium, &c.* Damnatur ab Eminentiſſimis Dominis teſte Diana *part 2. tract. 14. reſol. 1 2. 6. 7. 8. 9. 15* quales igitur erũt modò? improbabiles, an tantummodò minùs probabiles? Si improbabiles, cur? an ob nudam reprobationem, an ob demonſtrationem, quam hodiè habemus cuius veteres non habuerunt notitiam?

XVI.

CCCII. Præmotanda.

ANtequàm definitiuam pronunciem, per hypoteſin placet diſcurrere, & ſic Philoſophari aut dubitare. Si ſententiæ declaratæ & electæ à Cardinalibus dicantur eſſe probabiliores reiectæ & damnatæ minus probabiles, ſi addamus neminem poſſe ſequi opinionem minùs probabilem, quod etiam probabile eſt, & à multis aſſeritur, fortè ſententia damnata à Cardinalibus teneri non poterit, Quid autem dicendum eſt ſtando illi ſententiæ, quæ hodie eſt omnium, nimirùm poſſe hominem tutâ conſcientiâ ſequi opinionem minùs probabilem?

An poſſimus ſequi opinionem minùs probabilem.

CCC. II. Diana videtur ſibi contradicere.

Produco Dianam qui *part. 2. tract. 13. reſol 1.* tenet cum communi ſententiâ, eſſe licitum relictâ opinione probabiliore & magis tutâ ſequi minus probabilem, & minùs tutam, & *part. 1 tract. 10. reſol. 29.* Declarationes Cardinalium non habere vim legis, nec illis neceſſariò ſtandum; & tamen *part 2. tract. 14. reſol 1* ait, *Stante dicta declaratione Illuſtriſſimorum Cardinalium modò non eſſe amplectendam opinionem Henriquez & Miranda*, & reſol. 8. *Affirmatiuam ſententiam probabilem putauit Ioann. de la Cruz, Ledeſma, Molfeſius: & abſolutè illam docet & ſuſtinent Sotus, Canus, Bata, Dom. Montagnolus Angelus, Rodrigues, Fernandes, qui citat Honcalum, Tabienam, & Petrum de Aragon; & noviſſimè Didacus Nugnus, & ante illum Ocellana, &c. Sed hæc opinio mox corruit: nam Sacra Congregatio in Decretis &c.* Sed corruit, ſi Diana teſte tãtũ probabilior opinio quam elegerunt Cardinales: Produco etiam Auſonium Nouicinot, dignißimum & doctißimum virum in Dianæ ſumma dicentem Lectori beneuolo *Pleriſque incommodum erat eandem quæſtionem pluries repeti; quod tamen authori neceſſarium fuerat, vt ſi quæ opinio in priori parte excuſſa, oppugnata fuiſſet in poſteriore confirmaret: aliquas nouis augeret inventis: in alijs iudicium prius ſuſpenſum determinaret: in aliis demum modificaret, vel ſuperuenientibus Sacræ Congregationis oraculis reuocaret. Commune eſt omnibus harum doctrinarum Scriptoribus ſuas lucubrationes non ſimul & eodem tempore in lucem edentibus non ſolùm ob eam, quæ a veritatis interpretibus manant in dies Reſponſa, quibus ceruicem flectere neceſſe eſt; ſed ob temporum etiam aliorumue accidentium vicißitudinem noſtrique flexibilitatem ingenii; quæ nos pro diuerſo temporum ſtatu rapiunt in diuerſa.* Cui Tu, Si Dominorum Cardinalium reſponſis ceruicem flectere neceſſe eſt, dabitur ratio, quæ hanc ipſam neceſſitatem euincat (nam nec probabilitas, nec etiam probabilioritas vllam poteſt inducere neceſſitatem, ergo illam dignabitur ille ſubminiſtrare.

An liceat Authoribus in poſterioribus editionibus aliqua alterare autmutare.

An Cardinalium Deciſionibus ſtare debeamus neceſſario?

SIc placuit diſcurrere ex hypotheſi; nunc venio ad abſolutã & definitiuã: & quia demonſtrationes poſtulas, dum Auſonius concinnat eam quam petis, iubeo priùs Cardinalium leges a Declarationibus diſtingui, vt enim ſub initium notaui, differunt toto cœlo & iſtam rationem produco.

CCCIV. Aliter de legibus & aliter de Declarationibus Philoſophandum eſt.

Præter authoritatem ſpeculatiuam pronunciandi articulos fidei, & obligandi mentes ad actus internos credendi, quæ reſidet in ſummo Pontifice ex cathedrâ ad totam Eccleſiam loquente: de quâ non agimus, quoniam Pontificum, quando non loquuntur ex cathedrâ, & Cardinalium declarationes ad Articulos Fidei non ſpectant Datur in Eccleſiâ authoritas practica circa colloquia, diſputationes, ſcriptiones, & editiones opinionũ (hæ enim ões ſunt actiones externæ, & ad Eccleſiæ quietem & fidei vnitatem, conſeruationem & propagationem neceſſariæ,) Ergo poterit de his omnibus Pontifex ſancire ſalutares leges, quæ obligent ſub mortali, At iſtam Authoritatem ſuam commiſit DD. Cardinalibus, Ergo eorumdem leges obligant ſub mortali. Ergo quando Cardinales aliquam ſententiam condemnant auferunt omnem eius practicã authoritatem, & illam reddunt, non iam minùs probabilem, ſed improbabilem. Ergo in tali caſu, vt benẽ dicebat Auſonius, *Ceruicem flectere neceſſe eſt.*

Authoritas ſpeculatiua

Authoritas practica.

Apud quẽ ſit?

Concluſio

Item Auſonius noſtinot

XVII.

CCCV. De erroribus Bayi & Janseni j.

OBijcies antiquas Michaelis Bayi preces, obloquutiones, appellationes: nec nop nouam. Pseudo-augustinianorum contumaciam, qui per duodecim aut plures annos multas assertiones defendunt, à quatuor Pontificibus condemnatas; qui mihi frequenter dixerunt, ad Generalia Concilia pertinere dare Articulos fidei, ad Theologiæ Doctores dare Mundo opiniones probabiles Et quia post quinque Propositionum condemnationem, vides adhuc nonnullos Parisienses replicare, & sub libelli supplicis nomine insultare Pontifici; mirarís rem tam certam ab integris, iisque Catholicis vniuersitatibus negari. Et quia vna vniuersitas sufficit ad faciendam opinionem probabilem, obiicis ea omnia quæ de authoritate & potestate practicâ Cardinalium dicta & admissa à nobis probabiliter posse negari:

Quàtæ sint authoritatis integræ Academiæ

CCCVI.

Respondeo plerosque Pseudoaugustinianos, quos agnosco esse viros pios & bonos, & licèt irritatio interdum illos coegerit, vt irreuerenter loquerentur, communis illorum vox non erat nec est insultabunda, sed deprecatoria. Sub initium, dicebant Bullam quâ Vrbanus VIII. doctrinam Ianseni condemnabat esse falsam, & ab æmulis Ianseni confictam: postea rei veritatem docti, esse subreptitiam, exortam, concessam ad male narrata. Nũc pontificis authoritatem non negant, sed agunt de verâ intelligentiâ Diplomatis. Ergo Ianseniani (quidquid sit de opinionibus quæ liberum concernunt arbitrium cùm agitur de authoritate Pontificis & Cardinalium non [distantâ nostrâ sententiâ, nec negant Eminentissimorum Dominorum Consessui potestatem practicã, condemnasse doctrinas, & euulgandi decreta de hac re, quæ obstringant omnium Christianorum conscientias: sed solùm olim dicebant, se debere audiri (at miserunt Romam qui nomine illorum loquerentur & audirentur) & subreptitiis Bullis & legibus non obligari: & modo dicunt se indigere luce, ùt intelligant assertiones damnatas (at ipsæ satis claræ sunt, nec luce indigent.) [Et hoc exposuerim, non vt aliquis opinetur doctrinæ Ianseniauæ condemnationem fuisse subreptitiam; fuit enim magno consilio edita, & post longam deliberationem publicata; sed vt omnes vtdeant Ianselianos ipsos (Louanienses. parisienses) à nobis esse in quæstione de Iure: & vt se excusent ab obligatione obediendi, recurrere ad quæstionem de facto. Non enim condemnandi libros & Assertiones, negant potestatem pontifici. Cardinalibusque: sed illos aiunt à suis hostibus fuisse siniſtrè & iniuriosè præoccupatos. Quod licèt falsum sit, tamen illorum in hâc materiâ opinionem ostendit. [Et quidem illustrium Virorum iudicio Ianseniani sũmè reprehensibiles sunt, nec enim admitti debent excusationes & declarationes quas euulgant; sed si obniti pergãt, & *Hæreticas propositiones* defendant, tractandi erunt vt *Hæretici* & excommunicati. [Censor Romanus hic *Aperit portam* (nimirùm qui responsionem eiusmodi, videlicet Ianselianistarum tolerat) *ad resistendũ Bullis Pontificiis, in materia dogmatica sub prætextu, quod Pontifex sit malè informatus, confundit enim Bullas circa prouisiones cum Bullis circa doctrinam in quibus Pontifex non potest decipere nec decipi a malè informantibus: & verè intendit damnare doctrinam ibi subiectã alioquin nihil esset firmum in Ecclesia, si his occasionibus* (excusationibus) *locus daretur.*]

An tolleranda sint, qui temerè Bullas esse subreptitias exclamant?

XVIII.

CCCVII. Eorundem sua contumacia, modestia.

LEgis Louanienſium querelas, effudit primas Iacobus Segers Typographus; quas edidit secundò & tertiò semper auctas: alias nonnulli anonymi: & prout fuerunt occasiones & tempora, modestas, aut intemperantes] & inquiris, An non possit aliquando contingere, vt propositio facta ab Eminentissimis Dominis Cardinalibus sit fallax: hoc est an non aliquando ignorantiâ, aliquando malitiâ seducti proponentes possint & soleant rẽ aliter proponere, quàm in se sit? Et si id contingere possit, & soleat an non seruatâ omni reuerentiâ priuatus Theologus, si propositionem factam Eminentissimis Dominis fuisse erroneam reperiat, possit dicere illos quidem iuxta casum propositum doctissimè & solidissimè respondisse, & nihilominus eorundem Decisionem admittendam non esse, quia fuerunt malè instructi & vt vulgo loquimur malè informati?

CCCVIII. Louanienſium querelarum author.

An informationibus, quæ coram Eminentiss. DD leguntur, error subesse possit?

Puto in hoc genere neminem concessurum Cardinalibus esse, quod Pontifici summo negamus; oratus enim à Transalpinis, Bullas expedit conditionatas, videlicet, *si preces veritate subsistant*; vndè, si contingat easdem veritate destitui, non ideo dicendus est errasse Summus Pontifex, sed Bullam esse inualidam, & supplicantem condemnandum. Ergo similiter si propositio facta Cardinalibus *veritate subsistat*, tunc eorundem decisio vim habebit; cæterum, si propositio fuerit mendax, non illi dicendi errauisse, sed Decisionem esse inualidam,

CCCVIII. An summi Pontificis decretis?

&

An fuerit subreptitia Bulla contra Ianseniũ lata?

& Proponentem condemnandum.

Sanè posse et solere homines, etiam summâ dignitate fulgentes decipi et præoccupari, exempla frequentia demonstrât. Baronius ad annum CDLXIV. num. vltim. *Non mireris Lector Romanum Pontificem Hilarium aduersùs Mamertum adeò vehementer insurgere virum (vt declararunt euenta) sanctitate insignem. In his quæ contentiosi fori sunt, perfacile est quemque decipi. Persimile etiam Sancto Leoni accidit, qui in Sanctum Hilarium eadem ferme ex causa acerrimè inuectus est. Quis nesciat sæpe accidere, vt falsis accusationibus & subreptionibus aures Pontificum repleantur, & cùm putant agere quod iustum appareat, exagitent innocentem?* Sed et adduci potest S. Bernardus, qui sic inquit. *In quo, quæso, puer vester tam malè meruit de vestra paternitate, vt eum inurere, & insignire placeret nota & nomine proditoris.*

An narrationes, quæ fiunt Pontificibus, sint veræ?

Leo Epist. 1. ad Episcopos Prouintiæ Viennensis.

Bernardus Epist. 213.

XIX.

CCCIX. Quid dicendum sit de errore ab intrinseco?

EX hoc dubio oritur aliud, *An sicut in Eminentissimorum Dominorum tribunali ab extrinseco casus proponi malè solent, etiam ab intrinseco possint? puta, si, quod Deus auertat, contingat assumi indoctos viros, aut etiam aliàs doctos decidere quæstiones aliarum facultatum in qua uiderentur indocti?* Quæstio enim subtilis Philosophica non solùm non potest ab homine ignorante decidi, sed neque à docto in aliâ scientiâ, puta à Pictore, Architecto, Sartore vel Sutore: quia vt olim benè inclamauit Apelles, *Sutor ne vltra crepidam*; habent enim suos terminos singulæ Facultates, & dum *Nauita de ventis, de bubus narrat arator, & numerat miles vulnera, pastor oues.* Igitur si contingeret (sit casus possibilis aut impossibilis) Cardinales Theologos aut Canonistas resoluere aliquam quæstionem alicuius Facultatis Mechanicæ, quam illos ignorare censeres, an ne in eodem casu (interrogo) tenereris eorundem resolutioni stare; & cõtra dictamen proprium, quod à te demonstratiuis, aut probabilissimis saltem rationibus suaderi existimas, deberes captiuare intellectum, & vt Ausonius Noctinotus loquitur, ceruicem flectere? Nihil obijcio, ais, habemus enim in Cardinalium Consistorio præter Lugonem; Chisiumque alios viros doctissimos, qui non solùm sunt in dignitate, sed in omni scientiarum genere *Eminentissimi*, sed nec fuerunt, nec erunt omnia tempora nostro æqualia; doctrina generalis exigitur, quæ si seruire modò nequeat, fortè olim sit seruitura?

Cæci de coloribus iudicare non possunt.

Hodie habemus Cardinales doctissimos.

CCCX. An omnes Cardinales sint docti?

Sic tibi rem placuit proponere, & placebit audire responsionem sinceram. Non omnes sunt Doctores Theologiæ, qui ad purpuram promouentur Romæ; nam & Regum filij, & summi Europæ Principes assumuntur interdùm, etiam ætate teneri, prout videtur bonum publicum postulare. At cæteri sunt Viri docti, & inter doctos nonnulli reperiuntur doctissimi, & ipsi admoti rebus arduis. Habent singuli suos Consiliarios (Theologos, Canonistas,) & licèt hîc aut ibi non sit felix semper electio, error est rarus: Ergò stando cursui ordinario rerum, impossibilis est casus quem ponis: sed neque ipse est possibilis stando cursui miraculorum, mira enim quotidie patrat Deus vt suam exaltet et promoueat Ecclesiam, non autem vt illam supprimat et conquasset.

Contrà bonum Ecclesiæ Deus nõ patrat miracula.

XX.

CCCXI. Condemnari ne possit opinio probabilis?

QVæstionem odio plenam excitas, sed quam sine odio & iniuriâ vt spero, resoluam. Video, inquis multorum Authorum opiniones ab Inquisitionis Tribunali, video à Congregatione Cardinalium expungi, &, vt vulgus loquitur, condemnari; & inquiro, *An detur in mundo visibili authoritas condemnandi opiniones probabiles?* Antequàm meam sententiam proponam, ponendi erunt ob oculos Patres Carmelitani discalceati in Hispaniâ, qui ante annos viginti Ordinis Prophetici mirabilem historiam euulgarunt, quæ varias subijt Theologorum censuras. Traductus fuit ab ignorantibus liber & accusatus. Vt priorem tueantur, edunt alterum Patres, quem olim libenter legi, ex quo nũc potissimas Positiones assumo.

Prima erat. *Alterius est dare Ecclesiæ articulos Fidei, & definire quænam propositiones sint hæreticæ, & alterius est Hæreticas (seu personas seu propositiones) comburere.* Quod dilucido & probo. Quæritur hodiè an Regina angelorum caruerit peccato originali? Hæc controuersia videtur non fuisse tacta à Patribus, ante quingentos annos, multi videntur tenuisse opinionem seueram: hodiè cuius sint Doctores nescimus; nam si qui contrariam tenent, præcipiuntur aut tacere aut loqui nobiscum, qui piam defendimus. [Quod ipsum notarum volo contra Pozam, qui frequentissimè asserit illam, quæ pia vocatur, esse hoc æuo omnium Catholicorum opinionem: nam ego, quam opinionem habeam scio, quam habeas nescio, nec ex verbis eam colligere possum, nam si fortè seueram teneas, nec licitè, nec impunè illam prodes; & si prudens sis malles in materiâ probabili (damnare enim hæreseos piam sententiam, delilare est) tè accommodare Superiorum dictamini, quam coram Deo in conscientiâ, coram Mundo in honore & commoditate pati iacturas aut censuras.] Desideramus hanc con-

CCCXII. Aliud est definire articulos & aliud comburere Hæreticos. An Deipara fuerit sine culpa concepta?

An hodie alterutra opinio sit alicuius?

Hæc doctrina est vera, & si est vera cur Thomistæ non sequuntur opinionem piam?

Cuius sit articulos Fidei definire?

controuersiam semel ab Ecclesiâ decidi, & dicimus, à nullâ Vniuersitate, à nullo Tribunali Inquisitionis, a nullo Cardinalium Consistorio decidi infallibiliter posse, ita vt transeat in articulum *Fidei*, & sint, qui dissentiant hæretici. Cæterùm quos Ecclesia hæreticos dixerit, seu articulos seu homines, poterit Inquisitio vltimâ sententiâ condemnare.

CCCXIII. *Ex* hâc doctrinâ solidissimè inferebant Patres Carmelitani non spectare ad Hispanos condere Articulos *Fidei*, sed iuxta datos ab Ecclesiâ Romanâ iudicare: cùm igitur in toto illo libro (hc dicebant) nihil esset, quod in articulos fidei impingeret, non esse cur illum Hispani condemnarent, nisi innocentem vellent; quod de illis præsumendum non erat.

CCCXIV. An purus Theologus habere in Inquisitione possit Qualificatoris officium?

Secunda, *Censores fuisse puros Theologos, paruæ aut nullius eruditionis, & qui non poterant de Historia iudicare*. Et, vt rem ego fatear, cognosco nonnullos Censores doctissimos, cognosco & alios: paucos tamen & raros: & video humana omnia in mundo tractari humanitùs, & multa non posse aliter fieri; nam supremi Principes debent credere ministris suis, qui homines sunt, & possunt vt tales errare. Cæterùm hominem purum Theologum omnia posse, crediturus non sum. Habent cancellos suos *Facultates*, & qui in *Philosophiâ* excellit, solet esse rudis in iure; & qui inter Medicos eminet, solet esse incapax vt Theologica tractet: nec mirùm si Historica aut Politica nesciat, qui solùm Theologica didicit. Hanc ego veritatem experimento didici anno M. DC. XLVII. & M. DC. IL. & sæpè alibi. Nam, cùm anno 1647. tractaretur seriò de vniuersali pace, quàm multa à Politicis contra veram Theologiam audiui! & quàm multa à Theologis contrà veram Politicam! & quàm pauca, quæ Politicam Christianam saperet! edidi de hâc materiâ specialem Tractatum (qui tamen impugnatoribus non caruit; nam dùm omnia *Ecclesiastici*, omnia sæculares desiderant, reprobant aliqui veritatem virtutemque, quæ medium tenet) & ideò non est cur plura addamus. Demus aliud exemplum: Anno 1649. Viennensis Vniuersitas ad maiorem Diuæ honorem sententiam piam iuramento firmauit: quâ Theologa vnanimi singulorum consensu: quâ Iuridica non sine difficultate, superabili tamen: sed quantis turbinibus, quâ Medica! Conuenerunt me aliqui, conueni aliquos, & discere volebam, quæ esset remora, quæ illos detineret fluctuantes. Dabo multorum exceptiones, quarum vi se excusabant. DICEBANT PRIMO, *Iuramentum illud non peti, sed extorqueri à Cæsare: nec liberè procedere Vniuersitatem*. SECVNDO, *Cæsarem non procedere liberè, sed ab alijs induci*. TERTIO, *hunc strepitum totum in odium D. Thomæ & Patrum Dominicanorum excitari*. QVARTO, *Vniuersitatem non esse doctiorem Ecclesia nec debere definire, quod nondum Ecclesia fuit ausa*. QVINTO, *se non posse iurare Virginem conceptam fuisse sine culpa; est enim res ignota & incerta, & talia nequeunt iuramento firmari*. SEXTO, *Eos omnes qui eiusmodi iuramentum emittunt, se exponere periculo, vt craftina die declarentur Hæretici & periuri si Ecclesia definiat pro Dominicanis*. Hæc illi; qui tardè sedati & instructi, non sine magna Magnifici D. Ioannis Guilielmi Mannagettæ, etiam Doctoris & Professoris Medici, (sed qui non est purus Medicus, sed in omni scientiâ versatissimus) diligentiâ & labore sequuti Theologos, tandem aliquâdò sententiam benignam & piam iuramento firmarunt. Constat igitur errare frequenter sutorem, si vltra crepidam iudicet; Medicum si vltra morbos & pharmaca.

D. Mannagetta, iterùm iterumque Rector Viennensis Vniuersitatis, laudatur.

CCCXV. CONquerebantur Patres Carmelitani: quos auditos fuisse scio, exauditos audio: Ab eorundem causâ supersedeo, non enim eam proposui, vt illos defenderem, aut impugnarem; alterutrùm enim vellem, maiori indigerem notitiâ, quam habeo; *Sed*, vt sciret meus Lector, quo illi modo suæ Historiæ doctrinam (quam putabant probabilem) tuebantur. Ad rem venio, & qui Patrum Carmelitanorum opinionem proposui, propriam addo. *Pronuncio igitur.*

Aliud interdicere & aliud condemnare est.

PRIMO. *Aliud est interdicere & Aliud doctrinam aliquam condemnare*. Patet ex dictis superiùs.

An possint interdici veræ;

SECVNDO. *Doctrina, non probabilis solùm, sed vera potest interdici*. Patet: quia & Biblia sacra ad linguas vulgares translata, sunt interdicta, & tamen continent doctrinam de fide.

Cur Biblia sacra interdicantur?

Sed rogas, cur doctrina probabilis aut etiam vera interdicatur? *Respondeo* homines etiam rebus bonis abuti. Abutuntur cibis, abutuntur vestibus, abutuntur elementis, abutuntur cœlo: & quod miserabilius est, etiam Dei misericordiâ abutuntur. *Ergo* quia fœminæ, & viri illiterati abuti solent Biblijs sacris ad linguas vulgares translatis, illa meritò sunt interdicta nimirùm, non quia mala, sed quia mali illis abuti solent. Ergo, si doceat experientia, aliquam opinionem (aut probabilem, aut etiam certam) esse pernitiosam Reipublicæ eâdem obligatione, quâ Superiores tenentur Rempublicam tueri, tenentur illam opinionem interdicere & inhibere.

Rebus omnibus homines abutuntur.

Non semper sunt contradictoriæ, quæ videntur.

TERTIO. *Hæ duæ propositiones, videlicet*, Opinio probalis condemnari potest, &

Opinio

Opinio probabilis condemnari non potest, *licèt videantur contradictoriæ, veræ sunt.*

CCCXVI. Probabilitas duplex: practica, & speculatiua. An quæ cõceduntur speculatiuè, debeant cõcedi practicè? An in re venereà detur materia parua?

Porrò prima vera est: nam quotidiè videmus Opiniones verè probabiles condemnari: Ergo primam ita admitto, vt existimem opiniones verè probabiles speculatiuè, condemnari practicè: nam possibile est opinionem probabilem speculatiuè habere practicè aliquam circumstantiam adnexam, quæ probabiliter excusari non possit. Hoc sensu aliqui dicunt hanc propositionem, *In re venerea datur materiæ paruitas*, esse speculatiuè probabilem, at practicè improbabilem, & in multis Communitatibus condemnatam, & ab *Ecclesiâ* aliquando non obstante suâ speculatiuâ probabilitate, practicè cõdemnandam, aut minimùm interdicendam: nam speculatiuè præscindit à circumstantia periculi, à quâ practicè præscindere nequit: vnde à parte rei ratione periculi neganda est materiæ paruitas.

Et quid, si speculatiuè non præscindatur à periculo? quid, si consideretur actio illa, quæ leuis diceretur, affecta periculo concomitante? Aio in tali casu esse mortaliter peccaminosam, etiam speculatiuè; quia periculum adnexum mortalem malitiam importat.

CCCXVII. Porrò secunda etiam est vera: cùm quia opinio probabilis practicè condemnari nõ solet. Quid, si condemnaretur? Darent Deo rationem Condemnantes: cæterùm, semel condemnata, non esset ampliùs probabilis practicè, quoùsque censura tolleretur. Hanc veritatẽ exẽplo clarissimo expono. Aio duplicẽ esse honestatẽ, alteram speculatiuã alterã practicã (illa ad forũ internũ pertinet, hæc ad externũ) *Est* honestus quoad se & in foro interno, qui nullũ crimen commisit: & qui commisit, occultè tamen, est inhonestus in foro interiori, at in exteriori & quoad nos est honestus. Siquis autem per sententiam Iudicis declaratur infamis, & fit innocens, speculatiuè, hoc est, quoad se, quoad Deum, permanebit honestus: at practicè, hoc est, quoad homines, erit infamis, quoùsque sententia illa prior secundâ sententiâ dãnetur. Idem dicito de Propositionum probabilitate: quæ enim damnantur iustè aut iniustè, dicuntur verè damnatæ, & hac ignominiâ carere non poterunt, quousque condemnatio tollatur.

Honestas duplex; speculatiua, & practica.

Nota hoc.

XXI.

De Magistro Sacri Palatii; de eius Socio: de Censoribus Romanis: & Indicibus expurgatoriis, ad quorum leges corrigunt suos libros Hispani.

CCCXVIII. Magistri S. Palatii quales?

HAbuit semper & habet Sacrum Palatium, viros pientissimos & eruditissimos, nec vnquam fuit Magistri dignitas Theologo mediocriter docto collata. In hac nunc qualitate Sanctissimo Domino seruit, Reuerendissimus Pater Raymundus Capiluccus, vir doctissimus & humanissimus; quem, si meritis fortuna faueat, promoueri ad altiora videbis. Eius in officio & dignitate Socius R. P. Georgius Raynoldi, Vir est præclarus. Theologi, qui à Censuris seruiunt, sunt Eximij, & omni genere literarum ornati. Horum authoritas, quia à Sede Apostolicâ immediatiùs procedit, latiùs patet: nam practica Indicis expurgatorij Hispanæ Inquisitionis authoritas (quidquid de speculatiuâ sit; est enim liber ille à doctissimis Viris compositus, & doctorũ authoritas respicit totum orbem terrarum extra Hispanæ Regionis limites non potest iuridicè obligare. Et eodem modo philosophandũ est de aliquarum Propositionum condẽnatione, olim factâ Parisijs, ab Archiepiscopo & Doctoribus illius Academiæ, *quæ*, vt in prouerbio est, *non transit Sequanam.*

Qualis eiusdem Socius.

Quales censores?

De indice expurgatorio S. Inquisitionis Hispanæ.

Quanti facienda sit censura vnius Vniuersitatis?

CCCXIX. Quanti Cẽsura Magistri S. Palatij?

Quanti autem debet fieri Magistri Sacri Palatij benigna aut seuera Censura? Quidam Iunior: [S. Palatij Magistri & Romani Censores, licèt doctissimi, sunt homines, & quia infallibilitatem speculatiuam, quæ Petro & eius Successoribus concessa, non habent, non semper in Censura consentiunt; vidimus enim vnam & eandem Propositionem ab vno S. Palatij Magistro tolerari: deleri ab alio: eandem ab his Cẽsoribus transire permitti, ab illis reijci: nam apud homines, etiam magnos, declarationes humanæ fiunt humanitùs, quousque accedente definitione Ecclesiæ certitudinem & infallibilitatem diuinitùs indipiscantur.] Sic ille: quam resolutionem ego ita complector, vt vel hinc maximè prudentiam Dominorum Magistrorum dilaudem. Opiniones, quas vnus Magister reiecit, alter interdum approbat: quas ille permittit, iste nonnunquam reijcit: & cur? an quia dissentiunt inter se? an quia non sunt satis docti, vt lepram à leprâ distinguant? Minimè: sunt enim omnes, vt dixi, Viri doctissimi, & eruditissimi? Cur ergo?

An diuersi Magistri inter se consentiant?

Persistere in eadem opinione mutatis circumstantiis interdum imprudentia est.

CCCXX. N.B. Veritas duplex: ſpeculatiua, & practica. illa ſempereſt eadem: hæc potiùs vocatur probabilitas, & circumſtantiis locorum & temporũ accommodatur.

go? Mutãtur tẽpora, occaſiones pericula, et quę vno æuo tolerari poſsũt alio nõ poſsũt. Oriuntur quotidiè nouæ hæreſes, et quæ heri ſano ſenſu dicebantur et accipiebantur, hodiè torqueri in malum et abſonum poſſent, niſi ponerentur clariùs et explicantiùs; certum eſt enim Reſolutiones practicas in hoc ab ſpeculatiuis differre, quòd iſtæ ſint æternæ veritatis, & mutari non poſſint: illæ ſoleant, & debeant; quæ enim hoc tempore & hoc loco prudẽter inhibẽtur, in illo aut illo permittuntur prudenter: quam ob rem prudentia & Doctrina Cenſorum in ipsâ varietate relucent; quoniam mutatis circumſtantiis practica iudicia mutantur.

Duæ conſequentiæ valde conſideranda.

Interim hic adnotare oportet has duas conſequentias, videlicet. I. *Opinio N. eſt impreſſa Romæ cum licentia Magiſtri S. Palatij ergo eſt probabilis. II. Opinio N. deleta eſt Romę autoritate Magiſtri S. Palatij: ergo eſt improbabilis.* non videri æquè fortes, nec æquè ſecuras: aliter enim proceditur cùm liber imprimitur, aliter cum corrigitur. Vt imprimatur, Cenſori ordinario committitur, qui interdum nimium Authori differens, aut non legit totum aut non attentè: & Magiſter S. Palatij visâ Cenſoris approbatione, illum edi permittit. At verò vt liber corrigatur aut interdicatur aliter omninò proceditur: res conſideratur maturè: conſuluntur Doctores; cauſa proponitur Sanctiſſimo Domino noſtro; ſi author replicet etiam auditur: & tandem Pontificis conſcientiâ & conſenſu ad inhibitionem aut etiã correctionem venitur.

Romæ aliter approbãtur & aliter reprobantur libri.

XXII.

An Abbates poſſint in ſuis Monaſterijs libros probabilem doctrinam continentes interdicere? an etiam ſi velint, damnare.

CCCXXII Cardinales & Abbates collati?

PVtaret aliquis tantam, quoad hoc eſſe Abbatis authoritatem intra limites ſui monaſterii quanta DD. Cardinalium eſt in totâ Eccleſiâ; ſed fallitur: nam Eminentiſſimi Domini habent authoritatem delegatam à ſummo Pontifice, quæ ſumma eſt, & cum Abbatiali comparari non debet. Interim, quia Abbatialis quâ Regularis, et qua Oeconomica, magna eſt, oportebit expendere, quid poſsint aut non poſsint abbates.

Poſſunt libri conſiderari & interdici ut res.

Aſſertio I. *Poteſt Prælatus libros aliquos interdicere vt res.* Patet, quia voto paupertatis obſtringitur Monachus nullam rẽ habere ſine licentiâ Abbatis, qui ſicut poteſt interdicere tertiam tunicam (vnicã concedit Apoſtolis ſuis Chriſtus: duas Prælati ſuis Monachis; & tertia videtur ſuperflua) poterit interdicere tertium librum, ſi indicet primum aut ſecundum ſufficere. Sanè quando interdictio reſpicit librum quàrem, non afficit ipſam doctrinam, ſed valorem ſolummodo.

Libri ſuperflui.

An omnes habeant libros ut libros?

Scio multos hodiè Religioſos habere libros vt res, et bibliothecas vt theſauros: multi enim habent libros benè compactos et curiosè diſpoſitos, quos nunquam legunt. At experientia docet raro hoc modo libros interdici à Prælatis. Fãteor tamen hoc modo interdici aliquando prætioſam compacturam; videtur enim tolerabile, vt Religioſus puer habeat multos & qui magno prętio ſint comperati libros: at verò, quod illos, auro, argento ſerico aut coreo peregrino compingat paupertas ſincera non tolerat.

Compactura ſuperba & indecẽs.

CCCXXII. Poſſunt libri boni interdici.

Aſſertio II. *Poteſt Prælatus interdicere libros bonos, & ab Authoribus claſsicis ſcriptos, ſi videat non eſſe ad captum ſuorum Religioſorum, & poſſe relaxare aut turbare ſuam communitatem: at eorundem librorum probabilem & bonam doctrinam condemnare non poterit.*

His poſitis vt aliquo exemplo particulari doctrinam præmiſſam confirmem; propria enarro. Prodiit meus commentarius in Regulam D. Benedicti, & quidam pius, indoctus tamen Abbas; vt Syntheſes legit, excanduit, & illas improbabiles eſſe, verbo & calamo fuit proteſtatus. Moneor à D. Franciſco Penneman, & illi reſcripſi aſſerens librum ab eo interdici poſſe, condemnari non poſſe: opinio enim quam multi ſubſcriptione honorant, aut certa aut probabilis eſt: & commentarius Syntheſes Illuſtrium Virorum multas habet.

Hæc Epiſtola dabitur inter alias ſub huius libri finem.

XXIII.

An Epiſcopi libros & propoſitiones poſſint interdicere, cenſurare, damnare?

CCCXXIV

QVidam Epiſcopus in Belgio interdixit Antonini Dianæ Reſolutiones iuſsitque vt nemo venderet, emeret, legeret, aut haberet: & Bibliopolæ ſolicite interrogabant, *poſſet-ne liber ille interdici?*

Reſpondi illis, & reſponſionem meam in Baſi Theologiæ Regularis edidi. Non habeo penes me librum illum, & ideo ſententiam reponam, ſi non verba.

Aliud eſt interdicere librum, & aliudeiuſdem doctrinam condemnare?

Inter interdicere libros, & illos condemnare, vt ſæpè diſtinxi, diſtinguo. libri enim ſunt merces, ſunt nociui, ſunt

Libri optimi solent & debent aliquando interdici.

mali. Interdicuntur libri optimi vt merces, vt nostris Typographis, Bibliopolis consulatur. Cùm Plantino vt imprimat Ecclesiasticos libros conceditur, interdicuntur omnes apud quemcumque alium impressi, non quia mali, sed quia impressi cum iniuriâ Plantini, cuius indemnitati & utilitati Publico priuilegio consulitur. Interdicuntur etiam libri optimi, vt nociui, quandò experientiâ constat esse aliquos qui eis abutuntur. Sic videmus Biblia sacra interdici; nec permitti in aliquâ linguâ vulgari; nam docet experientia fœminas & ignorantes quosuis homines arreptâ occasione ex malè intellectis periodis solere contra Deum & Fidem delirare: nec aliâ posse viâ Fidei conseruari vnitatem, quam si eiusmodi Libri à manibus imperitorum arceantur.

Solent ignorantes sanctissimis libris abuti.

CCCXXV. Nota id bene.

Ridebat hanc totam doctrinam in Belgio quæpiam Princeps, & dicebat non nisi tyrannicè fœminas arceri à Diuinâ Scripturâ; quæ est bona, & interdicitur ac si esset mala. Erat in loco puellus, Principis filius; & Titius, qui sic illam discurrentem audiuit, euaginat pugionem & puello tradit. Occlamat illa, & Titius pugionem in manibus puelli tutatur. Cur deberet iste Angelus, ait spoliari pugione, pulchro, æui, mundo, acuto, et omnibus hominibus bono? an non quia vti non scit, & abuti illo poterit; & eo abutendo se ferire aut occidere? Ita est Princeps excellentissima: Sacræ Literæ Ecclesiæ sunt arma, fortia, potentia, & efficacia; quibus si malè vtatur aliquis, sibi mortem conscisceet, non ergo concedendæ personis, quæ absurdæ credantur.

Solent libri interdici vt merces.

Porro si Diabæ libros Episcopus ille interdixit vt merces, viderint Consules & Reipublicæ Patres, ad quem pertineat interdicere merces; nam in Belgio (de hoc enim agebatur) mercium interdictio aut admissio, ad Regem & non ad Episcopos pertinet: si eosdem interdixit, vt nociuos per accidens, nullam iniuriam Dianæ intulit, & suo fuit vsus iure: nemo enim domi suæ tenetur tolerare librum, etiam bonum, qui suis sit pernitiosius per accidens.

XXIV.

De librorum Politicorum inhibitione. An omnes & singuli sint interdicti?

CCCXXVI. DEcipitur frequenter vulgus cùm audit librum interdici cùm audit à lectore comburi; & existimat incurrere Authores infamiam. Sanè de libris, sicut de ipsis hominibus est discurrendum. Quando Patrum cruci suffixum audio, quæro cur, vbi, & à quibus fuerit condemnatus; sicut enim aliquibus æternæ est ignominiæ, sic aliis etiã æternæ famæ fuit patibulum. Omitto Martyres, qui à Tyrannis propter fidem damnati, eorum enim gloria & opinio supra honores omnes Politicos à Domino posita est: venio ad nostra. Didacus Quiroga, Patrum Capucinorum decus; gloriabatur interdum, quod adolescens; dum esset Vexillifer, ab Henrico IV. Galliæ Rege fuisset damnatus laqueo quod secreta, sibi nomine Regis nostri commissa, non proderet. Mansit constans; ductus ad patibulum fuit, imò gradus nonnullos scandit: sed tandem ob impressionem, quam nostri fecerunt, fuit subductus, & tandem à manibus hostium liberatus. Erat Bruxellis adolescens nobilis Lusitanus, cuius Vlyssiponæ pater, quod esset à Rege Catholico, in patibulo publico periit, & statim filius fuit S. Iacobi Cruce, opulentâ commendâ & cohorte peditum à nostro Monarcha honoratus. Ergo patibulum, ignis, & Carnificis manus infamiam inferunt reo, qui ob scelera à suis condemnatur: at eadem gloriam adquirunt homini, qui ob fidelitatem erga patriam, ab hostibus fuerit damnatus. Idem igitur de libris dicito: clarent enim per flammas ab hostibus succensas libri scripti ad honorem & defensionem patriæ. Et quidem vix est inuidè Politicus, qui non se exponat huic periculo. Politican Hispanorum reprobant Galli, Gallorum Hispani; Secularium Ecclesiastici, et Ecclesiasticorum Sæculares. Et Antoninus Diana, qui omnia Ecclesiasticis concedit displicuit omnibus Sæcularibus, Hispanis, Germanis, Gallis, Belgis etc. et ita Venetis, vt vix illum voluerint tolerare: tandem admiserunt, grauissimâ et acerrimâ censurâ præfixâ, *ne putet Lector, per concessionem imprimendi illius operis, in eo tentia aut pro veris admitti aut ad praxin approbari. sed tantùmodò rationibus impressorũ seu mercaturæ cõsul.* [Interim hæc eadẽ cẽsura multa habet ad laudẽ mei Dianæ. Vide Hierarchiã meã Ecclesiasticã in Prœmio n. 16.] Author ille qui reges in tẽporalibus subesse Pontifici scripsit anno 1626. asserente Gramondo, à Sorbonâ, à Clero Gallicano, à Sæculari statu; imò licèt Iesuita à Iesuitis in Galliâ habitantibus reprobatus est: eiusque liber iussus comburi à publico Iustitiæ Ministro: et tamen idem liber etiam hodiè Romæ commendatur. Concludendum est ergo in materiâ politicâ tot esse sententias, quot Rerũpubl. capita; nec omninò damnandum P. Cotonem, qui ad æsit communi Gallorum sen-

An patibulum inferat ignominiã?

An possit aliquis mori potiùs vi, quam secretum detegere?

Non est ignominiosum Authori, si eius òpera interdicantur, est, si damnentur.

Aliorum Parisiis condemnantur.

ten-

An ſentiendum cum multis ?

tentiæ, et rogatus; *Quid ſi eſſetis Romæ?* Reſpondit, *Mutaretur cum aura animus, ſentiremus ut Romæ.* Vide Gramond. ad annum 1626. Pag. 654. Ergo in materiâ Politicâ, hæc poterit poni

Vnuſquiſq; tenetur ſtare à Patria.

Scriptoribus Regula videlicet, *Modo nec Fidem, nec in Catholicam totoque orbe receptam morum doctrinam, impingat, in materia Politica, quidquid exteri Eccleſiaſtici aut Sæculares, ſentiant dicantve vnuſquiſque tenetur defendere iura ſuæ Patriæ.* Hanc Regulam intellige excipiendo ſummum Pontificem, qui cùm ſit omnium Pater, et Chriſti Domini Vicarius debet vniuerſis præferri. Regulam ſic explicatam et limitatam hoc exemplo dilucido. Anno 1635. eramus in naui Antuerpienſi Reuerendiſſimus D. Opouius Ducisſyluius Epiſcopus, multi nobiles, &

Gallus trâſfuga ab Epiſcopo Syluę Ducis ridetur.

inter ipſos Comes quidâ ex Galliâ profugus, qui multa ſupra fidem, fortè & ſupra veritatem, ſe egiſſe pro Catholico Rege gloriabatur. Habebat penes ſe decem mille florenos, quos in præmium à Rege ſuſcepèrat: & hoc animatus fauore, maiora adhuc pollicebatur. Cùm perorauiſſet omnia Gallus, exceptus fuit à fideliſſimo Epiſcopo (fideliſſimo inquam; quia ſæpè expoſuerat vitam ſuam propter Regem Catholicum, & ſemel apud Hollandos captus & condemnatus laqueo, liberatus fuerat non ſine ſuſpicione miraculi:) hoc reſponſo, *Quam omnia iſta eſſent glorioſa, ſi facta non eſſent a Gallo!* Erubuit Comes, riſimus omnes: quicumque enim Gallus fauet aut ſeruit Regi Hiſpano cõtra ſuam Patriam eſt infamis. & ego ſicut de gladio, ſic etiam de calamo philoſophor. Multa pro meis principibus ſcripſi; & illa omnia vt Hiſpanus, qui eſſem infamis meâ opinione, ſi calamum mouerem contra Patriam. Iam nulla ampliùs in hac intrinſecâ materiâ me ſcripturum decreui, quia ſicut non omnes militare tenentur, ſic nec omnes ſcribere; præcipuè ſi dẽtur rationes politicæ, quæ tollant calamũ: nã experientiâ didici aliquas opiniones meas diſplicuiſſe & poſitiones ab Eccleſiâ proſcriptas auſu temerario non reuocat, illis quod putent me augere authoritatem Regiam plus quàm debeam; iſtis, quod putent me eandem infra verum deprimere, debuiſſeque ſcripſiſſe generoſiùs & altiùs.

Author à Politicis ſe ſubtrahit.

Eius doctrina æquè Romanis diſplicet ac Hiſpanis.

FVNDAMENTVM VI.

De definitionibus Academiarum.

CCCXXVII. Reſolutiones vnius Vniuerſitatis ſunt probabiles; An cuiuſcunque & quęcumque.

VNiuerſitas per modum Corporis congregata, ſi ſit ex claris, quamdiu maneat ſub obedientia Summi Pontificis, (peregrinis & noſtris) nil omninò reſoluet, quod non ſit probabile. Patet. Qui Poſitio, aliàs improbabilis, modò ab vna Vniuertate admittatur & defendatur, redditur hoc ipſo probabilis.

Quantæ authoritatis ſint Theſes, quæ in aliqua Vniuerſitate propugnatæ

An-ne Theſibus tanta debebitur authoritas, quanta Theologici Senatus-Conſultis? Puto Theſibus, quæ ſine obloquutione in aliqua illuſtri Academia propugnantur, magnam reuerentiam deberi: minorem tamen, quam Vniuetſitatis. Conſultis: ſi in aliqua Vniuerſitate moris ſit Theſes defendendas recognoſci & approbari a tota Facultate Theologica, tunc Theſes ſingulæ erunt ſingula Vniuerſitatis. Conſulta, & hoc ipſo valdè probabiles.

CCCXXVII Communitas diſtinguitur à ſingulis particularibus.

COnſideranda ſunt verba ſingula. Ago de vniuerſitate per modum corporis congregatâ, vt illam à ſingulis doctoribus diſtinguam, de quibus infra. Ago de clarâ & notâ; ſunt enim hodiè multæ in Europâ ignobiles, quæ vix nomine cognitæ; ad quas confugiunt imperiti; vt qui inter doctos locum habere non potuerunt, ſaltem ibi præcellant, vbi nulli ſunt docti. Ago de Catholicâ: nam quæcumque ſchiſ-

Non omnes hodie Vniuerſitates ſunt claræ.

Imò nec Catholicæ. Vna Vniuersitas sufficit ad faciendam opinionem probabilem

marica aut hæretica fide caret: quæ enim non credit quæ debet, & cui debet, indigna est cui Christiani credamus Me igitur iudice Decisio vnius Vniuersitatis tãti est ponderis, vt repugnet vnam & eamdem Positionem ab vnâ classicâ Vniuersitate approbari, & tamen improbabilem esse.

CC CXX VIII. Quante sint authoritatis Conclusiones, quæ in aliqua clara Vniuersitate impressæ & propugnatæ.

THESIBVS minorem authoritatem concedimus, quâm Theologici Senatus Consultis, maiori enim examine Consulta, minori Theses euulgantur. Solent hæ à nullo recognosci; solent à solo præside; solent à Decano: varij sunt Academiarum mores, at Viennæ Theses à totâ Facultate approbantur. Rem ediſſero. Anno 1649. Mense Augusto pro suprema Theologiæ Laureâ consequendâ R. P. Guilielmus GlôcKer, Sacri ordinis Cisterciensis in Cãpo-liliorum supprior; Præside R.P. Georgio TurKonich Societatis Iesu Doctore Theologo, & Professore ordinario, inter alias hanc Thesin discutiendam proposuit, nimirùm, *Non improbabile videtur posse moribundum sensibus destitutum sub conditione absolui, qui neque confessionem petijt, neque ullum pœnitentiæ signum dedit, modo Catholicè & piè vixerit.* Sic etiam multi sentiunt; & vt magis eluceret huius Propositionis probabilitas, iussus argumentari, hic aio [Lego in titulo *Theses ex vniuersa Theologia, quas authoritate et consensu Reuerendissimorum, admodum Reuerendorum, Magnificorum, Nobilium, & Clarissimorum Virorum, Spectabilis Domini Decani, cæterorumque Dominorum Doctorum Inclytæ Facultatis Theologicæ in antiquissima & celeberrima Vniuersitate Viennensi, pro suprema Theologiæ Laurea consequenda publicè discutiendas proponit R. P. Guilhelmus GlocKer*: etc. et quia omnibus eiusmodi præfigitur titulus, inquiro, an hæc periodus sit formulâ veritate vacuâ, an has Theses singulatim legerit et approbauerit Facultas Theologica?] Responderunt Doctores vnanimi voce [Quod sic] Tunc Ego [Frustra igitur intendam probare *Thesin* hanc, quam mihi impugnandam assumo ab extrinseco non esse probabilem; sufficit enim ab hac celeberrimmâ Vniuersitate approbari, vt securissimè possit teneri. *Intendam* igitur illam à ratione impugnare, examinareque, an ratione efficaci tendetur, etc.] Hæc sunt breuiter dicta, vt sciant omnes, quantæ authoritatis sint *Theses* Viennensis Vniuersitatis: vt et sciant, qui in alijs Vniuersitatibus habitant, habitâ proportione discurrere.

An moribundus, qui nullum signum dedit, possit absolui?

Positiones quæ Viennæ defenduntur, à tota Facultate approbantur.

Ergo ab extrinseco singulæ sunt probabiles.

FVNDAMENTVM VII.

De authoritate Doctorum & doctorum.

An vnius Doctoris opinio sit probabilis?

AEpè vnius viri, in nulla Vniuersitate promoti opinio multorum Doctorum placitis anteponenda est: non enim semper & vbique eadẽ est Doctorum, quæ doctorũ An-ne contemni Laurea debet: aut aliquis Theologus aut Iurisperitus (vt nihil de Medicis dicam) propter Lauream? Errat, qui vniuersaliter negat aut asserit; est enim res plena periculo, in qua sit non à Definitione, sed à Diuisione exordiendum: Hanc ob rem priùs quàm Doctores à Doctoribus distinguam, nil definio. Pronuncio igitur Lauream, aut etiam Licentiam ad ipsam, imò etiam Lauri Baccas, quibus in celeberrimis Academijs Literæ coronantur, fore maximi habendas; & per consequens illos, qui eiusmodi honoribus condecorati. Addo adquisitos in ignobilibus Vniuersitatibus honores, esse indicia ignorantiæ, & contra promotorum authoritatem militare, quoniam Bonifacij VIII. Regulis salutaribus moniti & Canonica institutione formati, *In ambiguis incertisque,*

CCCXXIX. An omnes Doctores sint docti?

An, quando & quibus Academici tituli sint dedecori?

Regula Iuris VIII.

que, iuxta ea, quæ plerumque accidunt, philoſophamur. Cùm igitur vix, aut ne vix quidem alij ad ignobiles Vniueſitates confugiant, quam qui propriæ impetitiæ conſcij, in nobilibus adſpirare non audent, manet hanc eſſe probabiliſſimam (ne dicam moraliter certam) conſequutionem, *Eſt in tenui & ignobili Schola promotus, ergo pecunia doctrinæ defectum compenſauit*. Vnde non male à multis dicitur, in eiuſmodi Vniuerſitatibus vænalia eſſe certiſſimæ inſufficientiæ teſtimonia, & pecunia numerata concedi, vt qui priuatim decipiebant publicè apud ſe ſuperbeſcere, & apud cæteros cognoſci, & publicè contemni poſſint.

CCCXXX. HAEc omnia Ego, quia inter Doctores doctoſque ſummam differentiam reperio. Sententiam meam expreſſi ſine argumentorum apparatu, at quia contra inſurgis, audiendus et iuuandus es.

Obiectio pro honore pauperum Vniuerſitatum.

Lauream, vbicunque et qualitercumque habitam magni debere fieri, vel inde probas; quod omnes Academiæ quotquot hodiè in toto orbe Chriſtiano, ſint approbatæ ab Eccleſiâ; à Republicâ, dotatæ à Regibus, Principibuſque; et calumnia videtur, Eccleſiam arguere de malitiâ aut errore, et Principes de prodigalitate. Ergo quæcumque Vniuerſitas, etiam tenuis et decrepita, magni eſt tacienda, nec poteſt ſine iniuriâ contemni. Semel honore pauperum Vniuerſitatum propugnato, earundem Doctores defenduntur. Doctus enim ideò Diſcretus. (Hiſp. *Diſcreto*) vocatur, quòd ab indoctis diſcretus ſit; et qui Doctor, ab indiſcretis (hoc eſt, indoctis) eſt publico teſtimonio diſcretus, et ideò anteponendus cuicumque alij, quem ego et tu priuata authoritate, doctrinæ gloriâ decoremus. Porrò hæc ratio potentiſſima eſſet, ſi ſoli promouerentur docti ad Lauream: At ſunt hodie in Europâ Academiæ nonnullæ, quæ quoſcunque obuios promouent, vt vel ſic frequententur; quas omnes delere expediret, ne mundus falſo doctrinæ nomine deciperetur. Video in adagium tranſiuiſſe, *Maneat eius argentum apud nos, asinuſque Laureatus reuertatur ad patriam*, et quia id ipſum ſæpè, nomini Doctoris diffido. An diſtinguam Vniuerſitatem ab Vniuerſitate? Non ſcio. Etiam in nobiliſſimis nonnunquam à me monſtra et prodigia viſa. Vidi in vnâ ex primis, quas cognoſcit Europa, Viros academicos opprimi ſæculari proteruiâ: &, quia Deus dat niuem ſicut lanam & nebulas, ſicut cineres ſpargit, eoſdem vnius religioſi potentiâ (erat. n. generoſus & nobiliſſimos cognatos habens) eripi, defendi, ſalnari. Et quid vlterius? hunc eundem Religioſum Laureâ condecorari, tametſi Syntaxin neſciret, & cur? Quia Vniuerſitas ingrata ſuo ſaluatori eſſe noluit, nec aliud grandius potuit, quàm eundem ad Doctoratum promouere. Sed hoc ipſum non omninò condemno, fuit enim illâ rerum tempeſtate iſte Monachus optimè de Vniuerſitate meritus, & debuit à defensâ honorari: at alios etiam vidi nullis omninò meritis iuſſe promotos. *Salio* celeberrimam Vniuerſitatem, quæ inter doctiſſimos viros duos *Theologiæ* tolerat Licentiatos, qui non audierunt Philoſophiam, & tamen vocantur profeſſores, & conſuluntur ſæpè, & caſus graues intrepidè dextrorſum ſiniſtrorum reſoluunt. Sed iſti pauci ſunt, nec qui poſſint Regulam generalem inducere, & hanc ob rem putarem *Doctores Salmanticenſes, Complutenſes. Sorbonicos, Louanienſes, Duacenſes, Colonienſes, Ingolſtadienſes Moguntinos, Herbipolenſes, Viennenſes, Pragenſes, modò opiniones ab Eccleſia damnatas auſu temerario non reuocent, poſſe addere probabilitatem.*

Fortè dantur in Mundo aliæ etiam Academiæ hic nominatis ſuppares, non enim meliores eſſe admittam, illas non vidi, & ideò non ennmero: eas enumeret ille qui ſciat. *Taceo* igitur, qui quæro fundamenta certa, nec patiar certis incerta permiſceri.

Docti, cur diſcreti dicantur?

An aliquę Vniuerſitates eſſent delendę?

CCCXXXI. An interdũ indocti in doctiſſimis Vniuerſitatibus promoueãtur?

An aliquando hæc miracula liceant; an & expediant?

Academiæ notiores & nobiliores.

Quo debeãt modo Vniuerſitates in ſuis Reſolutionibus procedere?

FVNDAMENTVM VIII.

De Iuniore, etiamnum viuentium, opinionibus.

Vtri digniores fide, iuniores-ne an veteres? viui-ne, an mortui? libri-ne, an consultatio ne speciales?



CCCXXXII

IN materia morum, probitate doctrina & omnibus cæteris paribus, interdum maioris faciendæ sunt Iuniorum opiniones, quàm veterum: maioris omninò Responsiones, quas dant Theologi Conscientiæ-consulti, quàm quæ in libris ponuntur: maioris viuentium Hominum Consultationes, quàm defunctorum. Sic sentio; & quia omnis comparatio est odiosa, istam explico, & probò. *Explico* quidem asserens, me Ecclesiæ Patres nolle cum vulgo hominum (Veterum aut Iuniorum) componere: videtur enim Deus in illis prouidentia speciali dotes naturales & supernaturales elimasse. *Probo*, supponens primò Recentiores, Veterum scripta legisse illorumque opiniones nouis inuentis promouisse: secundò maiori cura solere examinari quæstionem, quæ vrgente occasione proponitur, quam quæ ad nullius petitionem scribitur: tertiò, me posse melius assequi viuentium mentes; illos enim in dubijs valeo conuenire & audire: non autem mortuos; cùm tamen illos certum sit, loqui interdum obscurè, & pro vtraque opinione citari.

INgenia Veterum gigantæa fuisse, pygmea Iuniorum, sibi ipsis inuidi propugnant *Recentiores* nonnulli, existimãtes hoc Mineruali venerabili vetustati deberi. *Scripsi olim* contrà Epistolam, inscripsi Cæsari, & præfixi *sublimium ingeniorum Cruci*, quam iterum iterumque Louanij edidi. Volunt illi Naturam, rerum Matrem, esse similem Fabro ferrario Sueuo, qui dicitur quotidiano labore & exercitio Artem suam obliuioni mandasse Effectricem. Naturam Ego non aliam cognosco, quàm Deum, sibi similem semper, æquè sapientem, æquè potentem, æquè bonum: qui dicendus distribuisse per ætates ingenia, & singulis dedisse sæculis tot & tantos Doctores, vt non sit cur alterum condoleat aut inuideat alteri. Sic me expedio ab hac difficultate, & licèt Iunioribus Veteres præponi non patior, quamdiù Veteribus Iuniores non præpono, audior patienter aut libenter, etiam ab illis, qui opinione contrariâ præoccupati. At duo occurrunt, propter quæ stare à Iunioribus possem. Videntur Corpus & animus conflictu perpetuo dissentire, quod probant naturalia & moralia; & tunc animum fortiorem & liberiorem reddi, cùm corpus maceratur & debilitatur. Cùm igitur non possimus negare *V*eteres maiores mole, & viribus robustiores fuisse, [repetimus enim & colimus hodiè eximia Sanctorum multorum cadauera, habemus in thesauris hastas, enses, & alia Principium antiquorum arma, quæ nobis essent impedimenta] dicturi sumus necessariò Iuniores subtilioribus ingenijs præditos, & Socratibus, Platonibus, Aristotelibus fuisse acutiores et oculatiores Thomas, Scotos, Molinas, Suarios, Vasquios. Cur et non istis viuentes aliquos anteponere posset sinceritas, nisi obligaretur reuerentia et cautelâ, ne dicatur excellentissimorum hominum inuidere cinctibus, et solis coætaneis adùlari. Semel concesso fuisse Veteres nostri sæculi hominibus æquales

ingeniosiores veteribus persuadent.

CCCXXXIII Faber Sueuus.

Natura agens est Deus.

Veterum corpora nostris maiora fuisse.

Distribuit prouidè Viros doctos per sæcula. Rationes, quæ iuniores esse in-

aut

Iuniorum multò maior doctrina.

aut maiores ingenio, non ideò ſequitur fuiſſe æquales aut maiores doctrinâ; facile enim eſt inuentis addere & ipſi perrexerunt glaciem, & ſummo labore paulatim ſcientias promouerunt: at nos hodiè viris magnis ſuccedimus ſumuſque conceptuum ſelectiſſimorum hæredes, & dum omnes legimus & audimus, &ſi eſſemus ingenio ſuppares, doctiores dici deberemus.

CCCXXX

Hæc ſatis in materiâ tam certâ: lege citatam à me EPiſtolam videbiſque quanta hodiè doctiſſima hæc ætas poſſideat, quibus antiqua caruit. Progrediamur vlteriùs, & examinemus etiam cætera aſſerui *Maioris eſſe habenda priuata Theologorum Conſilia, quam Concluſiones, quæ in libris eorundem impreſſæ*. Et conſto Reſolutioni meæ; oculatiùs enim & liberiùs Theologi priuatim ſcribunt quam publicè. Sanè oculatiùs; quia cum libros eduntrerum multitudine & mole obruti, non ita penſiculare poſſunt ſingula, vt lectores vellemus. At quando de vnâ aut alterâ Propoſitione conſuluntur, inconuenientia ceſſant; nec poſſunt dici inaduertenter reſpondiſſe, qui tantâ aduertentiâ rogantur. Sanè liberiùs, quia multi hodiè docti aliter conſulũt, & aliter õnino ſcribũt; imòaliter ſcribũt priuatim, aliter publicè; & vt fic debeãt, cogũtur lectorũ ignorãtiâ, & inuidiâ Qui priuatim reſpondet, ſcit cui, & ſe accommodat capacitati conſulentis; at qui publicè ſcribit, tenetur doctos & indoctos timere. Legitur à multis qui rem intelligere nequeunt & à multis, qui nolunt; & inter malitiam & ignorantiam Cenſorum fluctuans, interdum alteram, vel vtramque tenetur incurrere. Sunt mihi communicata Patris Franciſci Suarii, nunquàm ſatis laudati conſilia, quæ libris impreſſis non cohærent. *H*abeo inter alios amicos Patrem N Theologiæ Doctorem ac Profeſſorem, qui, apud me vires ingenii ſui ſubtiliùs & liberiùs effundens, ſe ſupra vulgus Academicum ſapere oſtendit, nec tamen prætereat vulgatas, & receptiſſimas ſententias quidpiam docet, & ait, *Non ſibi tanti eſſe quatuor aut quinque ſubtilium ingeniorum applauſum, vt propterea velit ſe exponere millenorum indoctorum cenſuræ*.

CCCXXXV.

Porrò liberiùs reſpondet Doctores conſulti Priuatim; liberiùs peregrini & abſentes; liberiùs in libris loquuntur defuncti, quam viui maximè ſi cogantur adeſſe & loqui publicè. At viuentium præſentiumque ſecuriùs & certiùs ſenſum inueſtigamus. *H*inc ego ſæpè malim opiniones firmare viuentium Theologorum cenſurâ, quam mortuorum. Rationem dedi in Prologo Syntheſibus] Moralibus præfixo, vbi ſic aio [Cum magnos viros vt abſentes, aut Mortuos Iunior aliquis ſcriptor allegat, non ſtatim teneris adquieſcere præcipuè ſi præuentus: Poſſes enim credere aut ſuſpicari à te illos eſſe, & contra te ingenioſâ eloquutione retorqueri. Inter Catholicos et Hæreticos, et inter diuerſas horum Claſſes et ſectas cõtinuà irretiuntur diſſidia de mente Auguſtini innuenda. Ne verbum quidem vnum ſine Auguſtino loqui, Martinus gloriatur Lutherus, cum tamen ne vnam quidem Auguſtini periodum bene explicet. Omnia ſenſa nouæ *H*æreſeos à ſe cuſæ Caluinus Auguſtini teſtimoniis onerat, non enim ſubſtruit aut roborat: qui tamen non ſolum opponitur nobis, ſed & Luthero. Igitur Auguſtini authoritas nulla; ſi malè citati aut expoſiti: Ergo nulla etiam aliorum Authorum, quorum ſuffragiis Iuniorum ſententiæ roborari dicũtur et videntur, ſi vel ſine veracitate citentur, vel ſine veritate exponantur. Sed quid remedij habere poterimus in re incertâ et ambiguâ? Dabo, ſi à mortuis Auguſtinus reſurgeret, et ſcriptis diuerſorum recognitis, ſe à tali bene allegari et benè exponi declaret; et à tali non item; ille vnicus, quem approbaret Auguſtinus, triumpharet procul dubio vniuerſos alios Expoſitores. Igitur et noſtri Scriptores Authorum aliorum mentes adſequuti dicendi eſſent, ſi illi, quorum mentem exponunt, ad mortales reverſi declarent ſe benè citari et exponi. Sed quia hoc ſtando communi rerum ordini impoſſibile eſt, volui citare, adlegare, et explicare viuentium Theologorum ſententias, vt et ipſimet ſe in meis libris legentes viderent, an in meas torquerentur inuiti, an verò in illas ipſi voluntarij et ſpontanei conſpirarent. Ipſis ſunt noſtræ Theſes ſingulatim propoſitæ; ſingulæ ab ipſis lectæ, ſingulæ examinatæ: ipſi noſtris Aſſertis ſeſe conſentire teſtantur? nomina ſua ſubſcribunt voluntque coram Deo et hominibus de eorundem probabilitate reſpondere. Ergò præter eximios et Illuſtres Theologos, quos propriis locis cito, et me intelligere voluiſſe ſcio, potuiſſe puto, habes hic ſapientiſſimorum ſuffragia harum Syntheſium probabilitatem propugnantium, etc.] *H*æc ibi dixi; quæ videntur ſufficere, ne plura aliunde congeramus.

***

cõſtare poterit, quod bene vel male allegentur?

Maioris ſiendæ ſunt Reſolutiones manuſcriptæ vnius Doctoris; quàm eiuſdem Cõcluſiones in Libris editæ.

An ſemper bene allegẽtur Authores? Vnde

FVNDAMENTVM IX.

De Dœmonis authoritate.

An credendum Dœmoni in corporibus obſeſſis blateranti?

SI conſtaret Diabolum ſemper mentiri nullum ille deciperet; at ideò ſemper ſua comit ille multis veris teſtimoniis mendacia, vt homines decipere poſsit. Eius igitur teſtimonium, cum graui veracitate careat, ne quidem debet recipi, vt minùs probabile. Et hinc mirari incipiam, Dœmoni in circumſeſsis corporibus loquenti, fidem interdum præberi, etiam à viris doctis. Multi enim ſunt impoſtores, qui obſeſsi dicuntur à Diabolo: multi ægroti, & non à Dœmone, ſed à melancholico humore ſuppreſsi: pauci à Dœmone obſeſsi; & tamen omnes ſecreta audent detegere, & futura libera vaticinari. Indigerent medicina Reſpublica, & quæ homines huiuſmodi non punit, deberet grauiori ſententiâ condemnari.

CCCXXX VI. An Dœmon ſemper mẽtiatur? Quid ſi ſẽper mentiretur?

CCCXXX VII. A Diabolo Martinus Lutherus doctrinam euchariſticam didicit. Diaboli infallibilitas & veracitas, quãta? Qualis eiuſdem Logica?

HAnc fundamentalem Poſitionem adiungo propter diſcipulos Martini Lutheri, qui ex vno admittunt capite totam Euchariſtiæ doctrinã, quam ille contra Eccleſiæ Articulos & fidem Orthodoxam mentitur fuiſſe traditam ab ipſo Diabolo: & tamen ex alio veram eſſe delirant recurrentes frigidiſſimè & ineptiſſimè ad Poëtam dicentem, *Ras ſit ab hoſte doceri.* Qui miſerorum hominum error me impreſentiarum moratetur, ſi non eſſet à me alibi vberius impugnatus. Legi poterit *Dæmonis Logica*, quam in Curſu meo Philoſophico edo, in quâ oſtendo omnia quæ Diaboli nomine dialecticatur Lutherus eſſe talia, quæ Dæmone videatur indigna, quia ut minimum hoc deberet cõcedere Lutherus vel ſtupidiſſimo Dæmoni, vt ſciret exactè Dialecticam; nam in prima Principia Artis, quicumque illa ratiocinia compoſuit, euidenter impingit. De Magiſterio Dœmonis egi etiam alibi; ideò non ſum multa ſcripturus: ſed ſolum illam probaturus Propoſitionem, *Si conſtaret Diabolum ſemper mentiri, nullum ille deciperet*: quam aſſumpſi.

CCCXXX VIII. Aliud errare aliud mentiri eſt.

Dico igitur me, ab eo qui ſemper mentiretur, adhuc decipi poſſe. *Primò* ſi mihi eum ſemper mentiri non conſtaret: illo enim audito hærerem incertus & anceps, & poſſem in errorem induci. *Secundò*, quia aliud eſt falli, & aliud mentiri, & qui falli poteſt, mentiendo verum verum dicere. Rem exemplis dilucido. Cæſar eſt Francofurti; & Antonius putans eum eſſe Viennæ, dicit Petro, *Cæſar eſt Francofurti*: Paulo verò *Cæſar non eſt Francofurti*, & pronuncio Antonium dicendo veritatem mentiri; & eſſe dicendo falſitatem veracem. Propoſitio dicta Petro vera eſt, & tamen mendax eſt; & dicta Paulo falſa eſt & tamen verax eſt; & ratio eſt clariſſima & notiſſima, nam mendacium non opponitur veritati, ſed veracitati; & illa propoſitio dicitur vera, quæ enuntiat rem prout ipſa res eſt; & illa verax, quæ animi reſpondet ſententiæ & rem enunciat ſecundum proferentis dictamen. His poſitis diſcurro ſic. Si ſemper mentiretur Diabolus, & tamen falli poſſet, ſcirem ego omnes ab eo prolatas Propoſitiones mendaces eſſe, hoc eſt, dictamini proferentis oppoſitas, at neſcirem, vtrum eſſent veræ vel falſæ. Cæterum, qui ſcio Diabolum non errare apprehenſione (habet enim rerum intuitiuam notitiam, & cognoſcit res vt ſunt in ſe) ſi ſcirem Diabolum ſemper mentiri, ſemper illi decrederem, contradictorias Poſitiones aſſumerem, & hoc modo non poſſem in errorem prolabi.

Mendax non tam dicitur propoſitio, quàm qui illam profert: at poteſt appellari mendax ſumpta denominatione à ſuo authore.

Mendacium quid? an veritati, an potius Veracitati oppoſitum Quæ ſit propoſitio vera? quæ verax?

FVNDAMENTVM X.

De ſenſibilium experimentorũ certitudine.

CCCXXIX. Plus deferendũ eſt propriæ experientiæ quam humano aliorum teſtimonio,



IN rebus, quæ ab experientia pendent, fruſtra conſulantur Doctores; & ſi ipſi fortaſsis conſulti definiant aliter quam experientia manifeſta confirmat, credendum eſt oculis & experientiæ, non Doctoribus ſcriptum eſt enim, *Captiuantes intellectum in obſequium Fidei*, non autem (& pace Iuniorum id dixero) *Captiuantes aures, & oculos in obſequium hominum inexpertorum*.

CCCXL. Mira Iuniorum in veritatis affirmatione diffidentia.

HAec nimis certa ſunt, & tamen cognoſco Homines eruditos, qui nõ audebunt dicere ſolem eſſe lucidum, niuẽ albam, picem nigram, ignem calidum, niſi alicuius veteris Philoſophi teſtimonio iuuentur. Tranſierunt iſti errores ad mores, & rerum practicarum certitudo, quæ poſſet deberetquè ab experimentis deſumi, magnâ veritatis iacturâ à libris & à placitis Authorum ſuppetitur. Audio & lego frequenter ſuperſtitioſam multorum diffidentiam, & audire videor Phyllida, comœdam Hiſpanam ab experientiâ ad rationes & verba prouocantem, & Andreſiridi marito ſuo eodem obloquentem idiomate, quo nobis Recentiores nonnulli: Dabo eiuſdẽ hiſtoriam, ſeria enim & grauia nonnunquam Hiſtoriæ floridâ leuitate iuuantur, [Madriti igitur Phyllis, pulchra, eloquens cum plauſu agebat Regias perſonas in theatro, & domi laudabatur inuiſebatur, amabatur. Erat quidem venalis anima: imò & venale corpus, & nulli minus vxor quàm coniugi. Zelo æſtuat iſte; ſcelus obijcit & negat illa. Se audiuiſſe addit, & adhuc *Phyllis* negat. Loquitur ille clariùs & vehementiùs. Obijcit rotundè, ſe vidiſſe. Quid hic Phyllis? Hæreret alia, ſed ipſa ſibi præſens ſic inquit;

Phyllis Madritenſis Comœda.

Nunquam crede tuis oculis, ne forte ſubeges:
Sed verbis potiùs crede marite meis]

et vt videõ Lectores hodiè velimus, nolimus eſſe debemus Andreſirides. Videmus interdum vera propriis oculis, & nihilominùs quia libuit ſcriptoribº contrariũ dicere, decredere debemus noſtris ſenſibus, vt verbis alienis credamus. In nos igitur tyrannidem exercent Doctores, ſi ſciunt quod poſtulant tyrannidem etiàm ſi neſciunt: eſt enim arrogantia tyrannica vel. le nos tanto niſu illud ipſum dedocere, quod ſcimus; illud ipſum edocere, quod neſciunt. Quod legerunt excribunt; quod audiuerunt, repetunt; vellent loqui cœcis, vt potiùs aſſeclas quàm contradictores haberent. An aperimus oculos, & quia benigna eſt veritas, & ingenio non præuento adluceſcit, illam intuiri impatienter clamamus. *Opiniones nonnullas, tametſi dicantur communes, certiſſimos errores eſſe.* Se reponunt Authores, & dicunt.

Scholaſtica noſtræ ætatis tyrannis.

Sic libuit ſentire. Stetit pro mente voluntas;
Munus erit veſtrum dogmata noſtra ſequi.
Nulla fides veſtrum oculis eſt debita: plena
Verbis ſed noſtris eſt adhibenda fides.

Adquieſcunt huic præcepto plurimi, quibus condoleo; rapiuntur à torrente veterum, & torrente ipſi ſuo iuniores rapiunt: at Ego cauti Marpeſiæ ſimilis ſto nec me abripi aut amoueri à visâ veritate permitto. Inundat torrens, & dum illi me aduocant, nereus dicar, & aduocato indigeam, ſic inquam.

Vos fuerint alij rapti torrente ſequuti;
Dicant, quæ conſtet Dicta fuiſſe priùs
Veſtra ſuis oculis præponant verba periti:
Singula Scriptores quæ noua falſa putent.
Iam non ſum ſapiens. Oculatis auribus vtor;
Nec Mihi priſca placent, nec noua: vera ſequor.

Quilibet inſipiens proprio ſi themate gaudet,
Hoc mihi thema placet; hoc mihi thema licet:
Nimirùm proprijs oculis qui credit, ab vllo,
Damnare erroris Iudice iure nequit.

QVÆSTIO.

De Horologijs.

An illis neceſſariò ſtandum? An ex hypotheſi quòd bene fluant, præcepta Eccleſiæ intelligi debeant de momento ad momentum?

CCCXLI. Multæ communes opiniones evidenter ſunt falſæ

Acturo de opinionibus communibus, quæ vulgò iudicantur probabiles, quæ tamen merâ indoctorum ignorantiâ ſubſiſtunt, primò ſuccurrit illa, quæ Horologia tuetur, quâ nulla falſior eſt & indignior.

PRIMA SENTENTIA.

An primo horologio credendum

INcipiam ab illâ ſententiâ (ſi hoc nomine honoranda eſt aſſertio, quæ eſt clarus & manifeſtus error) Ab illâ inquam quæ docet, primò horologio neceſſariò eſſe ſtandum. Illam habuit Emanuel Rodriguez *in noua editione ſuæ Summæ tom. 1. c* 105. *n.6.* vbi ait [*El que oyendo la media noche eſtà comiendo y bebiendo, no puede comulgar & dia ſiguiente, pues el precepto de no comulgar auiendo comido; obliga aunque eſte en duda ſi es media noche, porque otros reloxes ſonaron deſpues, Eſta Concluſiones contra Tomas Sanchez* &c. ægrè ferunt Lectores peregrini, cum vident citari *Hiſpanos* & Italos, quos non intelligunt; & ideò in eorum gratiam Emanueli iubebo, ut hanc eamdem periodum latinè repetat: inquiet enim [*Qui audiens horam 12. media nocte, adhuc edit aut bibit, non poteſt communicare die ſequenti; quia præceptum non communicandi poſt cibum ſumptum obligat, etiam cum quis dubitat, vtrùm ſit media nox, ſumpta dubitandi occaſione ex eo, quod alia horologia poſt cibi ſumptionem ſonuerunt. Hæc concluſio eſt contra Thomam Sanchez* &c.] Subſcripſit Emanuel Rodriguez Ioanni Salas *in S 2. tr. 8. diſp. unica. ſect. 25. n.264.* at ego contra Rodriguez & Salas.

In Dubio an ſit media nox, quid faciendum?

Oporteret, ut Omnia Hiſpana teſtimonia quæ Diana allegat, curaret binis linguis poni, utetiã Germani, illa intelligant

N.B. Hora duodecima apud Hiſpanos Galloſque eſt media nox.

Dico primò, *Nullum rotarum horologiũ eſt infallibile, hoc eſt, mathematica temporis momenta diſtinguens; adeoquè nulli neceſſariò eſt ſtandum Id* demonſtrat ipſamet experientia: eſt enim ita difficile horam exactè adſequi, præcipuè noctu, Vt Tycho Brahæus, Coriphæus Aſtronomiæ, ceſſerit ſatis, antequam modum inueniret quo horas nocturnas metiretur exactè. Nec rotis nec chalybi, nec tritæ arenæ, nec calcinato plumbo, nec mercurio extillato pepercit, & interim intentum non obtinuit. Lege Progymnaſmatum lib. 1. cap. 2. §. *Quem & ego* pag. 149. & miraberis ſummam diſcernendi nocturni temporis difficultatem.

Quàm ſit difficile horam noctu cognoſcere?

Dico ſecundò. *Horologia, quæ negligenter diriguntur, aut imperfecta ſunt, non habent vim opinionis probabilis.* Patet, non enim fide digni ſunt teſtes, quos ſæpius mentiri videmus.

Ita villalobos ſumm. tom. 1. tr. 1. diff. 21. n. 27.

Dico tertiò, *Horologia bona, quæ diligenter diriguntur, habent vim opinionis probabilis.* Hinc patet neminem ſequi debere vnum potiùs, quàm aliud; quoniam in merè probabilibus eſt licita alterutra pars. Subſcribo Dianæ *part 3 tract. 4 reſol. 36. & part. 4. tract. 3 reſol. 19.* Sanchez *de matrim. tom 1. cap. 105. n.6.* Fagundez *de præceptis Eccl. præc. 4 libr. 1. cap. 10. num. 3.* Sancio *in ſelectis diſp. 42. num 18.* Villalobos *in ſumma to. 1. tract. 1. diff. 21. num. 7.* Pharaonio *de Sacram. pœnit. in append ſeſſ. 3. cap. 14.* Vegæ *in ſumma tom. 1. cap. 14 caſ 12.*

Ab horologiis non poſſumus haurire notitiã ſecuriorem probabili.

CCCXLIII. Dianæ ſententia.

Dianæ verba ſunt hæc *Dico, quod ſi diuerſa ſunt Horologia, & aliquorum ſonuerit hora duodecima, & aliquorum non ſonuerit, poteſt qui tunc ſoluit ieiunium naturale, communicare die ſequenti; & ſiue illa dies, ſiue ſequens ſola ſit ieiunij, poterit dubitans cœnare & edere carnes, perinde ac ſieſſent duæ opiniones probabiles, quarum vtramque licet ſequi & amplecti.*

CCCXLIV. Villalobos.

Villalobos ſic inquit [*Si ay diuerſos reloxes, ſe a de juzgar como ſe vbieſe dos opiniones probabiles, que puede elegir la que quiſiere, ſaluo ſi vno de ellos fueſſe tal que de ordinario no anduuieſe ben concertado.* hoc eſt, [*Si ſint horologia diuerſa, procedendum eſt ac ſi eſſet duæ opiniones probabiles; poteſt enim homo eligere quam velit: quæ doctrina claudicat caſu, quo aliquod ex eis communiter male dirigatur.* Conſonat Ioannes Sancius *in ſelectis diſp. 53. num. 3.* vbi ait, [*Si horologia diuerſa ſint ad pulſationem primi poterit refectio fieri; ſicut enim in odioſis ad vltimum poteſt appellari, ita poſſunt comedentes poſt horam duodecimam noctis ab vno horologio deſignatam craſtino Euchariſtiam ſumere, ſi aliud horologium ſonuiſſe conſtet eſu expleto*] Ita ille ſubſcribens Thomæ Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. diſp. 41. num. 40.*

CCCXLV Qualis ſit Emanuelis Rodriguez Dialectica?

Argumenta Emanuelis Rodriguez non vrgent; nam in ipſis aſſumitur, quod quæritur; aut circulus manifeſtus committitur; aut in prima moralis Philoſophiæ fun-

fundamenta peccatur, Singula diſcutiamus. Erat.

Primum. Si Audito primo horologio comedas bibas-ve, etſi poſteà ſonent alia horologia, non poteris communicare die ſequenti. Sed cur? quia præceptum non communicãdi poſt cibum ſumptum obligat, etiam quando quis dubitat, vtrum comederit poſt mediam noctem.

CCCXLVI. In dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione.

Nego, nego, Quia in dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione, quæ præceſſit; ergo in dubio, an ſit dies craſtina? ſtandum eſt pro hodiernâ, quæ præcedit; & in dubio, an ſit violatum naturale ieiunium, ſtandum eſt pro ieiunio certo quod dubiam violationem præcedit. At neſcio, cur ad dubia nos trahat Rodriguez; non enim de dubio, ſed de probabilitate diſputamus.

Dies hodierna eſt priùs in poſſeſſione, quàm craſtina.

Secundum. Vt præcepti rigorem vrgeat inquit, [Reſpondeo, que en eſte præcepto de celebrar en ayunas, no nos auemos de atar à probabilidades. *hoc eſt*. Reſpondeo, quod in hoc præcepto, quo indicitur vt celebremus ieiuni, non debemus probabilitatibus alligari.] Ergo.

Hic Author dubiũ cum probabilitate cõfundit.

Sed peto. Quid eſt probabilitatibus alligari? Qui probabiliter philoſophatur, neutri parti ſe alligat, neutri ſe obligat, ſed manet liber, ad vtramque paratus. Eſt igitur implicatio in adiecto vinculum componere cum probabilitate. Quod ſi hac phraſi voluerit dicere, hoc præceptum tanto fore rigore obſeruandum; vt ita illius vinculo irretiri & ligari, aut non poſſemus probabilitatibus ſolui aut abſolui, *ligari & abſolui*; oppoſita verba confundit: & tenebitur nobis exponere, vndè ſciat hinc excludendam fore omnem opinionem probabilem: Ego enim, hanc propoſitionem, *In hoc præcepto non habent locum opiniones probabiles*, non iam probabiliter falſam, ſed erroneam & abſurdam pronuncio: quidquid enim de hoc præcepto probabiliter dicitur, prudenter dicitur, & poteſt ad praxin reduci.

Sunt tamẽ res toto cœlo diuerſæ. An in præceptis habeat locum probabilitas

An poſſit aliquis ſe probabilitatem alligare?

CCCXLVII. Argumenta Merollæ.

Opinionem Emanuelis Rodriguez amplexus eſt nouiſſime Merolla *tom. 1. diſp. 3. cap. 3. coroll. 11. nn. 139.* vbi ſic ait [*Falſum eſt quod ſubdunt aliqui* (id eſt Sanchez & alij) *quod ſcilicet, ſi diuerſa ſint Horologia, & vnum ſonuerit horam mediæ noctis, aliud vero non, poteſt qui tunc ſoluit ieiunium naturale, communicare ſequenti die, quia eſt veluti ſi eſſent duæ rationes, vel opiniones probabiles; liceret enim alterutram illarum amplecti. Hoc enim falſum eſt, quia in cauſa melior eſt conditio præcepti poſſidentis: & opiniones probabiles ſunt tantum ſpeculatiuæ, & ideo homo tunc debet ſe gerere, ac quando factum eſt dubium.*] Subſcribit Merollæ Salas 1. 2. *tom. 2. tract. 8. diſp. vnica ſect. 25. num. 264.* Et Diana *par. 4. tract. 3. de conſcientia dubia Reſol. 19.* poſtquam citauerat Merollam & Salas ſubiungit: [*Vnde vtraque opinio eſt probabilis.*] Nota illud *vnde*, non vult Diana hanc Merollæ & Salas opinionẽ eſſe probabilem ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco propter Authores, qui eam defendunt. Et Ego, quia neminẽ contemnere volo, tametſi videantur Rodriquez, Merolla, & Salas non adſequi difficultatem, an eorundem opinio ab extrinſeco probabilis ſit? non vrgebo, ſed tamen confidenter pronunciabo eandem ab intrinſeco eſſe omnino improbabilem, & rationes à Merollâ adductas, aut nihil aut contrarium probare.

Mirabilis argumentatio.

Prima erat In pari causâ melior eſt cõditio præcepti præcedentis.] Sed cuius præcepti poſſidentis? non datur præceptũ ante duodecimam: & ratio quæ probet nondum eſſe duodecimam, eadem probabit nondum eſſe præceptum

Secunda. Opiniones probabiles ſunt tantùm ſpeculatiuæ.] Sed quid hoc? Agitne de omnibus, an de illis tantùm, quæ ieiunium naturale concernunt? Si de illis, ſi de iſtis, errat: nam omnia quæ de ieiunio dicuntur, poſſunt accidere prout dicuntur: ergo iſtæ opiniones ſunt practicæ: illæ enim ſunt ſpeculatiuæ, quæ proponunt caſus, qui non poſſunt accidere. Accedit, quòd multi doceant omnes opiniones probabiles ſpeculatiuè, eſſe probabiles practicè, quorum ſententia, ſi benè intelligatur, vera eſt. Vide Dianam *part. 2. tract. 13. reſol. 12.*

Quam ſit certa & ſecura noſtra opinio? An oppoſita ſaltem ab extrinſeco ſit probabilis?

Poſſeſſio nõ eſt pro præcepto: ſed pro die priore.

CCCXLVIII. Opiniones de ieiunio ſunt practicæ.

Tertia: Homo tunc debet ſe ita gerere, ac quando eſt dubium.] Sed hoc nec verum, nec pro Rodrigueſij & Merollæ ſententiâ. Non verum; quia in tali caſu non debet ſe homo gerere vt dubitans; ſed vt habens opinionem probabilem: nec bene argumentatur Merolla ſupponens, quod deberet probare. Vt condonemus tali caſu dubium eſſe & non opinionem probabilem; quid inde pro Merollæ ſententiâ? Nihil: nihil. In dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione, Sed quis eſt in poſſeſſione? præceptum? Minimè, quia illud afficit craſtinum diem, nec incipit antequam dies incipiat. Anne dies craſtinus? Minimè. Sed dies hodiernus. Ergo qui dubitat, an dies Iouis efluxerit, & inceperit dies Veneris, debebit ſic diſcurrere. [Dies Iouis die Veneris prior eſt: ergo eſt in poſſeſſione dies Iouis, ergo nec tenebor credere eſſe diem Veneris, quouſque detur ratio tam clara, quæ diei Iouis poſſeſſionem elidat. At rationes dubiæ non poſſunt poſſeſſionem elidere Ergo.] Hæc nimis clara ſunt, nec tot verbis digna, niſi velimus totam Theologiam atietare & inuertere.

An omnia, quæ ſunt ſpeculatiuè probabilia, ſint etiam practicè.

Male dubiũ cum probabilitate cõfunditur.

CCCL. In dubio ſtandu pro poſſeſſione diei antecedentis.

Quomodo in dubio de eas argumentari?

SENTENTIA Eminentiſſimi D. Cardinalis de Lugo.

CCCL. Lugo laudatur.

EST ſummæ eruditionis Vir, & dignus, qui libenter audiatur. Ex eo vnam aut alteram lineam exſcripſit Diana *par. 6. reſol 34.* Et ego quia illum ſuſpicio, volo eiuſdem ſententiam vberiùs proponere & examinare: libro enim de Sacram. Euchariſtiæ *diſp. 15 ſect 2 num. 27.* ſic inquit.

CCCLI.

[Addit Thomas Sanchez *lib. 2 de Matrimonio diſput. 41 num. 40.* non poſſe cõmunicare eum, qui quando cœpit ſonare duodecima quæ eſt extra Italiam ſignum mediæ noctis, aliquid bibit, licèt quando ſonat vltimus pulſus horæ duodecimæ, deſiſtet iam bibere, quia cùm incipit ſonare primus pulſus horæ, iam eſt hora cõpleta, & incipit tempus horæ ſequentis; eſt autem per accidens, quod plures pulſus audiantur, eo quod non poſſit vnico pulſu hora duodecima indicari; quod quidem in rigore verum exiſtimo, non ſolùm de pulſu quo horæ deſignantur, ſed etiam de illo, quo priùs deſignantur quadrantes horæ; ſolent enim, antequam detur ſignũ horarum, ſonare pulſus minores pro quadrãtibus; ita vt antè ſex, vel duodecim pulſus, pro horis ſonent quatuor, pulſus leuiores ad deſignandũ, iã eſſe finitos quatuor horæ quadrantes, & poſteà maiori ſono deſignantur duodecim horæ. Conſequenter ergò fatendum eſt, horam eſſe finitam, & mediam noctis deſignari, vbi primum cœpit ſonare primus pulſus pro quatuor quadrantibus, quia ex illo puncto incipit tempus horæ ſequentis. Quod facilè conſtabit conſideranti motum rotæ illius, quæ in horologio continuè mouetur, & quæ diuiſa eſt ad modum crucis in quatuor partes æquales ſecundum ſpatia quatuor quadrantium: cùm enim quatuor illa ſpatia ſint omninò æqualia, fatendum eſt, quod vbi primum pertranſitur illud quartum ſpatium rotæ finitus eſt vltimus quadrans horæ; illud autem ſpatium finitur, quando ſonat primus pulſus pro quatuor quadrantibus ante pulſum horarum, ergo tunc eſt finita tota hora, nam tempus ſequens, quo ſonant tres alij pulſus pro quadrantibus & duodecim pro horis, pertinet iam ad primum quadrantem horæ ſequentis; rota enim non quieſcit, ſed eodem modo mouetur, ita vt dum ſonant alij pulſus, pertranſeatur aliquod ſpatium ſequentis quadrantis, vt ad oculum conſtat. Aduerte tamen aliud eſſe, quando nõ eſt dubium negatiuum, ſed poſitiuum, eo quod ſunt rationes pro vtraque parte; quia vnum horologium v. g. dederat ſignum mediæ noctis & alterum nondum dederat. In quò caſu *Emanuel Rodriquez in noua editione ſummæ tom. 1. cap. 105. num. 6.* & *Salas 1. tom. in 1, 2, tract 8. diſp. vnica ſect. 25. num 264.* negant poſſe nos computare tempus iuxta vltimum horologium, ab eoque puncto ſeruare ieiuniũ ad communicandum. Sed nullam afferunt rationem ſuæ ſententiæ: quare non videtur negandum poſſe fieri, dum non conſtat de errore in vltimo horologio; vt fatetur Thomas Sanchez *loco citato*, *Fagundez præcepto quarto lib. 1. cap. 10 nu. 3* Ioannes Sancius *in ſelectis diſp. 42. num. 18*: Villalobos *in Summa tom 1. tract difficult. 21. nu. 7.* Diana *tom. 2. tract. 4. reſol 36* & alij. Singula enim horologia, quamdiù de errore non conſtat, faciunt probabilem opinionem, quam vnuſquiſque poteſt licitè ſequi in ſuis operationibus.] Hæc *Eminentiſſimus* Lugo, quæ partim coincidunt cũ præcedentibus; & vbi noſtræ doctrinæ cõſonant, iam ſunt ſuperiùs confirmata; & vbi diſſonant, examinata & impugnata.

An horas diſtinguat primus ictus?

Horologia diſtinguunt horas probabiliter tãtum.

Et hoc non ſolum ſpeculatiuè; ſed etiam practicè.

SENTENTIA ALIA.

CCCLII. An ſtandũ ſit vltimo ictui? An tẽpus quod à primo ad vltimum fluit, ſit commune moraliter?

VOluntaliqui ſtare primo horologio, aut etiam vnico, non tamen itarigidè, vt primi ictus ſed potiùs vltimi habeatur ratio. Curioſè in hac controuerſiâ diſcurrit *Pater* Martinus Breſſerus S. I. *de conſcient. libr 4. cap 11. num. 107.* vbi ait [Probabile videtur horam duodecimam durare moraliter vſque ad vltimum ſonum: adeoque interim bibentem & comedentem non violare ieiunium, vel naturale vel eccleſiaſticum ſequentis diei.] Conſonat Trullench *in Decl. tom. 1 lib. 3. cap. 2. dub. 4. num. 8.* Vtriuſque Diana *par. 6. tract. 6. reſol 34* Si illius ſunt illa verba: [Ideo aliquis in tali caſu poſſet dicere non eſſe à communione abſtinendum:] quibus clauditur illa Reſolutio. Standoigitur huic opinioni dicendum eſſet. *Primò*, dari horas morales & mathematicas: has diſtingui momento indiuiſibili, illas morali. *Secundo*, A primo ictu ad vltimum eſſe copulam duarum horarum, & ad vtramque pertinere, ad priorem vt momentum morale terminatiuum, ad poſteriorem vt initiatiuum. *Tertio*, In Belgio vbi homines minùs feſtini & cholerici ſunt quàm in Hiſpaniâ, præludium quod ante ſonum horæ præcinitur, & ictus qui audiuntur in priore campanâ, vſque ad vltimum ictum ſecundæ, ad momentum morale copulatiuum pertinere, & eſſe tempus phyſicè, at moraliter inſtans, quod priorem claudat, & horam poſteriorem aperiat.

Horarum Moralium, & Mathematicarum diſtinctio. Inſtans morale, terminatiuum, & initiatiuum.

At his Authoribus multò eſt ſcrupuloſior Ioannes Præpoſitus *in 1. 2. D Thomæ quæſt. 19. art. 6. dub 5. num. 8.* vbi ſic ait. [Si eſſet vnum horologium, & vbi cœpit ſonare duodecimam, aliquis biberet, licèt quando foret vltimus pulſus deſiſteret bibere, non poſſet die ſequenti communi-

CCCLIII.

care

Quam omnia hæc aliena ab artis terminis, & ſcripta manu, quæ calamos verſare doctiſſimè ſolita, non limas.

Male hic dubium poſitiuum confundit cum probabilitate Vir magnus.

An primus ictus distinguat horas?

care : quia cum primus pulſus horæ ſonat iam hora eſt expleta, & horologium tantùm eſt teſtis id indicans; etſi diuerſi pulſus ſint, id euenit, quia nequit vno pulſu duodecima indicari, ſicut indicatur prima hora vno pulſu; quod omninò videtur verum, & videtur intelligi reſpectu locorum, in quibus non eſt vſus præludiorum in horologijs. Verùm vbi eſt talis vſus; dubium eſſe poteſt, quando ſit ſignum elapſæ horæ, an initio præludij, an poſtquam incepit primus pulſus horæ. Ad quod videtur dicendum: quod per ſe loquendo hora ſit expleta, quando inchoatur præludium. *Ita* mihi retulerunt varij horologiorum directores a me ſuper hac re conſulti. Ex quo ſequitur, quod per ſe loquendo ſi quis in talibus locis biberet in initio præludij horæ duodecimæ, ſequenti die non poſſet communicare: quia ab initio præludij incipit ſequens dies, & per conſequens eo die non eſset ieiunus, ieiunio naturali.] Hæc omnia ille, cui vel ex parte videtur conſentire Sanchez *lib. 2. de Matrimon. diſp. 41 num* 40. apud Dianam *part. 6 tract. 6. reſol.* 34. & Lugonem *de Sacram. Euchariſt diſp. 15 ſect. 2 num. 37*

An illas diſtinguat primus ictus præludij?

CCCLIV. Nota hoc bene.

Antequam Præpoſito velim reſpondere, recognoſco illa verba, *Ita mihi retulerunt varij horologium directores à me ſuper hac re conſulti* & quia mihi ſummopere placent, Magnifico meo Domino & amico Ioanni Marco ſubtiliſſimo Matheſeos cultori communico, & reſpondet. [*Se omninò demirari Præpoſitum, aliàs magnum Theologum, in re boraria & horologiariâ fuiſſe tam rudem*] Ita mihi acutiſſimus Ioannes Marcus, ita alij Mathematici ſuper conſultatione Patris Præpoſiti facta horologiorum directoribus (hoc eſt, Sacriſtis & turrium Cuſtodibus, hominibus ineptiſſimis & ignorantiſſimis) Stat igitur horologia, quæ benè gubernata dicuntur, habere vim probabilium opinionum, vt poſſis vnum ſequi vel alterum. Hinc conſtat neminem debere ſequi hoc potiùs, quam aliud. Ex hac reſolutione ſequitur poſſe carnes comedi die Iouis vſque ad noctis duodecimam, ſequendo tardius horologium: poſſe comedi a media nocte, quæ Sabbatho & dominicæ interest, ſequendo velocius: Interſtitium temporis, quod ab horologio primo ad vltimum interijcitur, commune eſſe; quia probabiliter ad antecedentem, & probabiliter ſequentem diem reduci poteſt. Nec Recentiores ſunt primi qui horologia Philoſophorum probabilibus ſententijs adſcribant. Lego in Claudij Cæſaris Apocolocyntoſi, quæ nomine L. Annæi Senecæ circumfertur, (nu. 31.) *Horam non poſſum tibi certam dicere, facilius inter Philoſophos, quàm inter horologia conuenit:* vnde non poſſum ſine admiratione legere Iu-

Horologiorum directores, qui, & quales?

Automata recipi debẽt tanquam opiniones probabiles.

Quod etiã Ethnici ſẽſerunt, & dixerunt.

niorum aliquot Reſolutiones, qui Horologijs fidem neceſsariò adhibendam ſupponunt. Nec vrget Rhenanus in commentario huius libelli; qui vt exaggeraret Philoſophorum diſcordiam, quaſi argumentum ſumeret ab impoſſibili, ne diceret,

Nam priùs incipient turres vitare columbæ.
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas.

Hoc enim videretur poeticum & alienum à Critici ſeueritate, enumeratis varijs, iſque repugnantibus Philoſophorum opinionibus ſubiunxit; *Proinde neutiquam abſurdum erit ſi locum Senecæ vertimus, vt dicamus, Facilius inter horologia conuenire, quàm inter Philoſophos.* ſupponebat igitur Rhenanus eſſe humanitùs impoſſibile ad vniformem concordiam horologia reducere.

CCCLV. An poſſint conuenire horologia?

Porrò, *Horologia accurata horæ quadrante à veritate ſæpiùs deuiant*. Hanc Theſin in Commentario meo poſui *num.* 1228. & dum actualiter illam ſcripſeram in Dunenſi Monaſterio, ſito intra mœnia Ciuitatis Brugenſis, expertus ſui tribus quadrantibus aliquot horologia, quæ bene regulata dicuntur, ab alijs diſſidere; & dum hæc recognoſco Romæ experior, ciſtiberina à tranſtiberinis horologijs plurimum interdum diſtare. Ergo temerarius non erit, qui cenſuerit Horologia, quæ à ſtolidis ſæpiùs diriguntur, integro quadrante horæ antequàm ſonet duodecima, incipit dies ſequens probabiliter, & æquè probabiliter antecedens dies finitur quadrante poſtquam ſonuerit hora. *Qui in pago aut in eremo fuerit, vbi ſolum eſt vnum horologium bene regulatum, probabiliter poteſt credere illud plus quam horæ quadrante a veritate exorbitare.*

CCCLVI. Horologia diſtinguunt horas moraliter, ſed quid eſt illas diſtinguere moraliter?

Quid dici debeat, vbi vnicum horologium ſit?

Hæc dixi tunc de horâ phyſicâ prout communiter cognoſci poteſt; cuius exactus computus vix viro in aſtronomiâ doctiſſimo ſolet contingere. Quid, ſi Petrus haberet horologium exquiſitiſſimum mediæ noctis tempus præcisè indicens? Reſpondeo, adhuc in tali caſu tempus non debere mathematicè & methaphyſicè, ſed ciuiliter & moraliter, hoc eſt, iuxta mores Eccleſiæ accipi; vt ſtatim videbimus.

CCCLVIII.

Hæc vltima concluſio, quæ nunc diligentiſsimo & eruditiſſimo Dianæ par. 7. tract. 11. Reſol. 15. *etiam olim meo Bandtio, tametſi magno amico diſplicuit; cauſam Horologiorum animoſiùs ſuſcepit, ſed & feruorem ipſius ego ſequentibus litteris remiſi.*

CCCLVIII. Ingeniũ offendandi modus.

MOris eſt apud Iuriſperitos, vt ſi ingenium doctrinamque velint oſtendere, cauſæ periclitanti, & tantùm non iniuſtæ faueant; aurâ enim ſecundâ & ſedato oceano vel imperitus nauta pinum dirigit,

dirigit, ſed qui confligentibus ventis & procelloſis fluctibus tumultuantibus poteſt, non niſi expertiſſimus eſt; adeòque iuſtam cauſam & notam defendere ille poteſt, qui Iuſtiniani volumina viderit, licèt non aperuerit, at ignotam & iniuſtæ ſimillimam, deducere, explanare, probare, & tãdem reddere victricem nullus, niſi doctiſſimus. Dolenti capiti opem remedium què ferat quælibet anus; at laboranti ardore ſanguinis & febri pertinaci, ille ſolus qui altè calleat regulas & fundamenta Medicinæ. Ergo & Tu, mi *Leander*, ab ingenio laudaberis, quod cauſæ *Horologiorum* deſperatæ, imò perditæ, volueris tanto conatu & niſu opitulari, & iam iam mandandam obliuioni defendere. Bene gubernata horologia dixi horæ quadrante exorbitare, & captioſus in verbis, ingenioſus in circulis, me obſides, tetorques, me exerces. *Si bene gubernata*, inquis, *qui exorbitant? & ſi exorbitant, qui bene gubernata dicuntur?* Et Reſpondeo, me benè gubernari illa dicere, quæ minùs malè: quod ſi omnia malè gubernari aſſeras, conſentiam illicò, & ceſſabit diſſenſionis occaſio. At vt video, plus campanis in clauſtro, quàm in vniuerſitate defertur. Verùm illis quid debes? An illarum ideò patronum agis, quod ſub mediam noctem ſomnum tuum frangant, lecto amoueant, & choro ſiſtant? an quod totâ die tua interrumpant ſtudia, & à litteris abſtrahant? ſanè tibi illæ doctrinam inuident, nec dignæ, quæ tuâ doctrinâ protegantur. Sed non acquieſcis; detraxi illis honorem, & vt reſtituam cogis. O diligens *Horologiorum* aduocate! timeo, ne honoris illa prætenſa reſtitutio, futura ſit maioris cõfuſionis occaſio. Campanas igitur, tam clientes tuas, conſoleris, ne ægrè ferant argui de quadrantis horæ exorbitantiâ ſuadeas; ne in cauſâ ſit ipſa vexatio, vt ille quadrans creſcat, & mediam horam pertingat aut excedat. Sed video; actor es nimis pertinax, & reſpondere omninò debeo, & meæ ſententiæ rationes & momẽta producere. *Suppono igitur primo*, Horologia Tychonica fuiſſe optima, quæ habuere potuerũt. Vir fuit mechanicę Aſtronomiæ deditiſſimus, qui nullis vnquam pepercit expẽſis, vt inſtrumenta perfectiſſima haberet; & quidem automata cenſeri debere inter Inſtrumenta præcipua, manifeſtum eſt. *Suppono ſecundo*, Ioannẽ Kepplerum, Trium Cæſarum mathematicum, & Tychonis pro tempore alumnum & amicum, in horarum doctrinâ doctiorem vniuerſis illis Eccleſiarum cuſtodibus, qui in turribus habitant, & ciuica horologia regunt.

Quæ ſint illa horologia, quæ bene gubernata vocantur.

Horologia Tychonica.

Ioannes Keplerus.

CCCLIX. Has duas ego poſitiones aut negari aut in dubium verti non patiar; ſunt enim nimis claræ & conſpicuæ. Sed arguam ſic. [Tychonica horologia fuerunt præſtantiora omnibus ciuicis: Ioannes Kepplerus omnibus Sacriſtis & Cuſtodibus doctior & diligentior: atqui horologia Tychonica recta à Ioanne Kepplero, ciuica ab eo correcta, plus quàm horæ quadrante ſæpè, imò & aliquando tribus aut circiter exorbitant. Ergo ſine campanarum iniuriâ dici poteſt, *Horologia*, quæ bene gubernata dicuntur, intra quadrantis horæ terminos excedendo deficiendo luxari:] Probaturus minorem aliquas eiuſdem I. *Keppleri* obſeruationes producam, in quibus ipſe horologia cum Cœlis, Campanas cum ſtellis camparauit.

Demonſtratio à fortiore. Et quidẽ ſi iſta non eſt demonſtratio, nulla eſt in mũdo demonſtratio.

Anno 1598. die 21. Februarij Stylo nouo, mane contigit Eccliplſis lunæ, quam obſeruauit Kepplerus Gratij, & deſcribit his verbis (opticæ pag 368.) Quo tempore tintinabulum vrbis ſonabat horam tertiam, diſtabat ſpica à vertice grad. 56 40. quadrante ligneo ſpithamali. *Hæc* ſpicæ altitudo adderet horę vrbis minuta 24. (attende benè. Horæ quadrans 15. minutis conficitur, & hic horologium propter inſtantem ecclipſin, vt ſolet, accuratiùs directum, 24 minut. hoc eſt quaſi media hora exorbitat) Hora ergo vrbis 4 30. (hoc eſt Cœleſti 4. 54:) nondum internoſcere potui defectum: ſed potuit fieri propter nubes, vt tunc inceperit. Nam minùs duobus quadrantibus poſt, Luna nondum ex dimidio obſcurata, planè erecta ſtetit. Paulò poſt quintam (vrbicam, hoc eſt cœleſtem 5. 24) dimidia diametrus defecit, Lunâ iam inclinatâ. Paulò ante ſextam (vrbicam, hoc eſt renera cœleſt. 6. 20.) tenuiſſimo cum lumine ſe poſt nubes ſubduxit, adeò vt videtur adhuc decreſcere & lumen omne perditura. Caderet ergo initium paulò ante quintam; vltima phaſis certiter 20 minutis poſt ſextam. Et fuit ad circa medium. Nam VVandesburgi (vbi tum agebat Tycho) obſeruata eſt non penitus deficere. Referunt autem Tychonici medium huius Ecclipſeos (Principis obſeruatione adinuante calculos: nam finis ſub tertia fuit) ad horam 6 5. Huennæ.

CCCLX. OBSERVATIONES. Prima.

Horologiũ ergo fluebat tardiùs min. 24. Obſeruatio ſecunda.

Anno 1601. die 9. Decembris veſpere obſeruauit I. Kepplerus aliam Lunæ Ecclipſin, & vtebamur (inquit horologio Tychonico. Initium curſûs fortuitum erat, adhibuimus & quadrantes magnos, notandis appulſibus ſiderum ad meridiem: Locus ſolis fuit in 17. 48. Sagittarii. Ergo cùm horologium illud induceret horam 5. 51. erant in meridiano Marchab, & Sceath, Pegaſi; vnde horam eruitur 38. diſcrimine ab Automate quaſi minutorum 13. Rurſum cum idem horologium indicaret horam 8. 51. erat in meridiano lucida Arietis, quæ horam veram dedit 8. 38. rurſum ecce minutis 13. diſcre-

CCCLXI. Sed quomodo hic appulſus obſeruatur quadrantibus magnis.

Errat horologium min. 13.

Iterum min. 13.

crepantibus: ita Automati momenta componit cum Cœlo. [Annon horæ quadrante hic à Cœlo Tychonicum Horologium deuiat? sanè 13, minut. à 15. minut. distinguas nimis exactus es; & illud nimis omninò exorbitans, & si Tychonicum, & à doctissimo Astronomo directum] Igitur hora Automatis 5.35. hoc est Cœlesti 5.22. notatur metum initium. Automate 6.56. hoc est re verâ, 6.3. circulus per centra vergebat in cornu Tauri & Capellam. Aberat ergo adhuc à medio quasi minutis 10. horarijs. (Iterum Cœli & Horologii est. 13. minut. discrimen.) Automate 7.7. hoc est, hora 6,53. vt ipsemet Kepplerus exprimit (ecce iam 14. minut. differentiam; an multum iam distat à quadrante siue minutis 15? Incedebat circulus hic medio loco inter humeros Erichthonij versus polarem. Ergo medium circiter. Rectè: iam enim medium, vel peragebatur, vel certè peractum erat.

Iterum mi. 13.

Iam errat min 14,

Pragæ idem Ioannes Kepplerus anno 1602. die 4 Iunij vespere obseruauit finem Ecclipseos in hunc modum. [Horologium (inquit) Tychonicum ad manus erat minuta & secunda indicans. (*Frustra quidem secunda superstitiosè quæruntur, quando in primis error tã notabilis patet*) Illud vtcumque rursus capto, accommodatam ad solis occidentis altitudinem gradum 4.40. Erat ergo vera hora 7.24. Horam 7.58. reponit Gotefridus Wendelinus ex calculo. Vbi videris in horâ etiam solari non conuenire Astronomos esseque inter Kepplerum VVendelinumq; viros doctissimos differentiam minut. 34. quæ videtur intolarabilis omninò sed addit: Luna orta est in crassis nubibus. Hora 8.43. primo visum luminis Lunæ vestigium, Hora 8.54. de rotundâ circumferentiâ Lunæ sextans aberat hora 9 0. Nõ dum omnis desierat. Hora 9 2. visa circumferentia, sed pallida, desierat sanè vno, minuto post; Horâ scil 9. 3. calculus Tychonicus exhibuit finem hora 9.19. idquè per horarium, Aequationem temporis, semidiametros lunæ, & vmbræ diferentiam meridianorum Pragæ & Huennę à Tychone constitutũ: quæ mutari possunt, salua Hypothesi, ipsos articulos oppositionum ante repræsent. [Hæc ille, oratione, vt apparet, desperationis plenissimâ: quod hiatu tam immani, videat discrepare Tychonis calculum à Cœlo.

CCCLXII. Obseruatio tertia. An debeat Astronomus tẽporis secunda curare?

In hora ex solis altitudine sũpta differentia min. 34.

Pragæ Kepplerus Horologio Tychonico rursus est vsus anno 1603. die 24. Maij. vesp. quod cùm indicaret horam 9.12.30. Arcturus erat in meridiano; vnde vera hora colligitur 9 54 ferè: ita Tychonicis momentis addit identidem minuta 42. *hoc est quasi tres horæ quadrantes* (*Audis bene? tres quadrantes non nisi 45. min. complectuntur*) Sic enim & automate 10.42. ex culminatione capitis serpentis horam assignat 11.24 iterum differentia min. 24) & quoniam stellæ istæ satis altæ attolluntur in verticem: audeo illis fidere. Igitur automate 10.10. hoc est hora 10. 52. *addit iterum 42. min.*) vibratio lunæ (inquit ipse Kepplerus) in meis oculis, perspicillis remotis frangebatur. Si ergo tunc frangebatur Luna protectò id fuit initium Confirmaturque ex eo, quod automate 10, 42 culminante capite serpentis, hoc est hora cœlesti 11.24. iam deerant quinque digiti (*ecce iterum examinata & reperta eadem 42. min differentia*:) cœperat ergo deliquium saltem ante min 30. vt minimum: omninò ex horâ 10.54. Rursum automate 10, 51 h. e (*addendo illa 42*) hora 11.33. deficiebat dimidium circumferentiæ: digiti nempè, supra 7. 15 de abfuturis totis octo: Nam & pag. 217, optîcorum paralipomenon clarè affirmat visam marginem partis obscuratæ, quamuis plus tertiâ parte restaret, id est plus quam digiti 4. adhuc lucerent. Dixerunt ergo spectatores obscuræ partis circulum angustiorem:] plane sit relatum in horam 10.52. vel 54. & medium ad horam 12. 17. vel 18. pertineat: sic docentibus calculis, sic dictantibus circa id momentum Phasibus.

bus nam min. 42.

Posteà min 24.

Posteà min. 24.

Posteà min. 42.

Et iterum min 42.

Sed et anno 1503. die 18. Nouembris vesp. Ioan. Kepplerus scribit cœpisse eclipsin pragæ 10. min. postquam culminasset dexter humerus Aquarii: cùm iam ante mediam horam lumen pallescens in illâ parte notaretur; cumque sol fuerit in gr. 25 55 Scorpii, hora arguitur 6.21. recognouit hanc ipsam Keppleri obseruationem VVendelinus, & ait, Reuerâ fuit 6. si Dinienſis obseruatio mea fuit legitima: est Kepplero solemne anticipare initia; aut certe in stellâ peccatum est, quę alia fuerit (ergo Kepplerus VVendelinusquè in hora, quam ab ipsomet hauserunt cœlo; differunt 9 min. hoc horæ mediò quadrante.)

CCCLXIV. Obseruatio quinta.

Differentia min. 9. etiam in hora ipsa cœlesti.

Anno etiam 1617. die Augusti 16. sub vesperum Lincii Ioan. Kepplerus inuenit plus dodrante in vmbrâ, cùm iam per vrbem sonuisset septima, hoc est (correcto horologio per Azimutum & altitudinem Lunæ) esset horæ cœlestis 7,14. (vbi noto illud *Iam sonuisset*. Ergo iam ante. da vel vnum minutum si plura non velis, & à 14. auffèr & habebis 13. sed illud iam apud VVendelinum tria minuta complecti. tur ait enim.) Quoniam ergo iam modico ante sonuerat septima, fuerit sanè momentum vrbicum. 7.3 ita horisonio addenda fuerint minuta 11. vel (prout ipsemet Kepplerus concipit) 10 circiter vt pro in dodrans ipsissimus defecerit horâ râ vrbicâ. 9. 0. cùm recepisset quadrantem lucis, hoc est hora cœlesti 9. 10. me-

Obseruatio sexta.

Error min. 13.

Error minutorum 11.

diu m

CCCLXIII. Obseruatio quarta.

Errat Horologium tychonicum fere tribus quadranti-

Error minimo.

dium ergo fuit hora vrbica 8. ò. quæ fuit cœleſtis 8.10. ad ſummum. Iam verò horiſonio 9.15 (id eſt 9.25.) lucebat dimidium circuli, minus dimidio diametri. Horiſonio 9.30) (hoc eſt horâ cœleſti 9.40. lucebat dodrans, denique autem horiſonio. 9.45. (hoc eſt 9.55.) erat adhuc quadrans digiti in vmbrâ: ac paulò poſt viſa eſt integrâ horâ cœleſti 9. 56. Apparet hinc Herciũ inter et *Lincium* media eſſe minuta horaria 39 ad ſummum: quod planè cum ſuperiori obſeruatione congruit, quæ Leodiũ Lincio dedit occidentalius minutis 37. Eſt enim Hercium occidentalis Leodio minutis 2. 15. ſatis accurate definitis (*Ecce perpetua eſt* 10. *min. differentia inter horologium & Cœlum.*)

Hercii Lincii diſtantia. Leodii & Lincii.

CCCLXV. Colligamus igitur temporum exorbitantias, Eruditiſſimè Leander, et videamus bonâ fide, quanto labore et curâ I. *Kepplerus* errores oſtenderit Horologiorum Igitur digneris attendere: An. 1598 exorbitantia Horologii vrbici 24 minutorum fuit; Anno 1601. Horologii Tychonici error minutorum 13. imo etiam 14, Anno 1602. differentia inter *Kepplerum* VVendelinumque ad 34. min. excurrit: et anno 1603. ad 9. Anno 1603. inter *Horologium* Tychonicum et cœlum erat diſcrimen. 42. minutorum et tandem Anno 1617. ciuitatis horologia 11. min. defecerunt. Minimus error 9. minutorum fuit, maximus 4. differentia 33. eius dimidium 16. 30. quæ ſi addas minori extremo habebis 25. Igitur ex hac obſeruationum diſcutione colligitur Horologia præſtantiſſima, ſi à viris mathematicis regantur ſolere exorbitare per 25. minuta, vel plura. Ergo ciuicis horologiis, quæ decrepita, aëri et cœli inclementiis expoſita, et à ſtupidis recta: nemo erit injurius, ſi maiores exorbitantias tribuat. An iam illis errorem Luxationemque 30. minutorum adfingeres? Sic puto: Sed nec deſidero, vel extorqueo: maneant 15. ſaltem, et vera mea illa concluſio, quam voluiſti impugnare, ſupponaturque Ciuitatum publica Horologia, tametſi accurata et bene gubernata credantur, luxari hinc inde horæ quadrante: nec ſolere horas diſtinguere perfectiùs. Maneas etiam et Tu; vt tuis doctiſſimis ſcrupulis occaſionem præbeas veritatem aptiùs examinandi, et tuo angelico ingenio Ordinem et Patriam illuſtres; et valetudine fortiore quàm nunc, fruatis, quod opto, multis annis. *Louanij* 3. Non. *Ianuarii* 1643.

Errores extremi.

Error medius mi. 25.

Maneant igitur min. 25.

Hæc ego ſub illud tempus meo Leandro Bãditio, Philoſopho curioſiſſimo & diligentiſſimo.

NOTA.

CCCLXVI. MVlta poſſem ſubiungere, quæ argumentum Epiſtolæ præcedentis firmarent, ſi Pragæ eſſem, & mea aduerſaria recognoſcere poſſem, in quibus ſcripſi quæ in variis libris notaui et obſeruaui. Dum autem illis careo, ne nihil addidiſſe dicar, Iſmaelis Bullialdi Aſtronomiam (Opus nouum et eruditum) aperio in eoque vertigines terræ condemno (illam enim duplici motu; annuo et diurno; conuoluit) & obſeruationes dilaudo. Aliquas, quæ huc reſpiciunt ſubſcribo.

Erronea eſt & Sacræ Scripturæ contraria, Bullialdi de motu telluris ſententia.

CCCLXVII. Iſmael Bulliadus lib. 2. cap. 8i

Alcairi in Aegypto P. Agathangelus Capucinus, vnà cum ſocio Ioanne Molino Interprete (vulgo Dragomanno) Veneto: obſeruauit Eclipſim Lunarem anno 1635. aitquè initium fuiſſe, Lunâ altâ ad occaſum gr. 27. quare poſitâ altitudine poli gr. 29.50 colligitur hora 15.14 30 Supputauit ille ex Aſtrolabio horam 15. 11. Ergo poſt omnem diligentiam & curam tribus aut quatuor ſcrupulis primis errauit. Infert Bullialdus. [Ergo inter meridianos Alexandriæ & Lutetiæ Pariſiorũ ſunt horæ 2. 7. quia tempus incidentiæ hic arctius eſt, 2. Min, diſtantiam ſine errore determinabimus hor. 2 9. de qua ſi auferatur differentia meridianorum Lutetiæ Pariſiorum & Vraniburgi, 48. min erit Alexandria orientalior Vraniburgo, hora 1.21 quam differentiam *Longomontanus* cum aliis facit hor. 1.35. iuſto maiorem 14. min.]

Differentia longitudinum inter Pariſios & Alexandriã:

Progreditur idem Author ad obſeruationem eiuſdem Eclipſeos, factam alepi à P. Michaele Angelo Capucino, & P. Cœleſtino a S. Liduinâ Carmelita excalceato. [Cùm horologia horam 4. matutinam indicarent, & altitudo Lunæ eſſet graduum 19. iam ſexta pars diametri Lunaris, ſeu digiti duo merſi erant in vmbrâ. Suppoſitâ ergo poli Alepi altitudine grad. 37.20 vſurpatoque Lunæ centro, atque altitudine graduum 19. dabitur hora 15.37 min. (meridie) adeò vt horologia anticiparint 22. min.] Non ergo horologiis credendum.

Quanta ſit altitudo Poli Pariſ. Alepi?

Error 22. ſcrupulorũ, in horologiis.

Subiungit paulo poſt [Immerſio totalis colligitur hora 16. min. 52. vel 53. iuxta horologia; de quibus, ſi demantur 22. pro dictâ anticipatione, cadet totalis immerſio in horam 16. min. 30.

CCCXV III. Et ſtatim inclareſcente die. & Lunâ ſubeunte vapores, & altâ gr 5. & 30 min. exquâ altitudine colligitur hora 16. & 56. horologia dabant horam 17. & 30. vnde anticipatio auctior 34. min. Tunc debuit Sol oriri iuxta horologia: qui adhuc infra ad gr. 5. demerſus erat.

Error 34. ſcrupulorũ, in horologiis.

Multa poſſem addere ex eodem Iſmaele, quæ breuitatis causâ omitto moneo ta-

Monitum Mathematicum.

tamen iterum iterumque horologia ſummâ diligentiâ gubernata, non ſolùm exorbitare, ſed in exorbitantiâ nec proportionem nec æqualitatem ſeruare. In teſtimonium multas obſeruationes poſſem Virorum illuſtrium adducere; ſed quia lectorem fatigare non volo, per orationem iſtam finio.

Hæc poſſunt omnino ſufficere, ſi a doctis accuratè legantur: attamen tanta eſt vnius præiudicii potentia, vt nec ſic quieſcant aliqui puri Theologi, qui neſcire volunt quanta ſit automatum incertitudo. Hanc ego ob cauſam, vt meam opinionem firmarem, doctos conſului, ſi fortè illis crederent, qui ſuis propris oculis & auribus ſemper decredunt: Et quia in re Mathematica, ſicut in aliis etiam omnibus, Magnificus, & Clariſsimus Dominus Doctor Ioannes Marcus Pragæ excellit illum conſului; & maioris eruditionis gratia vtramque epiſtolam ſupponam vt ſincerus & ingenioſus Lector videat, quid illi propoſuerim? & quid ipſe reſponderit? Mea ad ip. ſum Epiſtola fuit hæc.

Quid Viriin arte docti ſentiant de Horologiorum certitudine:

CCCLXIX. Mirabiliter exorbitant qui rudes ignotas facultates examinat.

MAgnifice & Clariſſime domine *Natura de ventis, de bubus narra Arator; Enumerat Miles vulnera, Paſtor oues* & per conſequens temporum momenta ſupputat, non Theologus, non Canoniſta, non Medicus, ſed Mathematicus. Non debet audere extra crepidam ſutor, nec de crepidâ Pictor diſputare. Purus grammaticus Eraſmus fuit; & cùm Theologica ſcripſit, delirauit: & legimus nonnullos Theologos tam lepida de numeris lineis, & proportionibus interſerentes, vt cùm euoluimus eorundem libros; non deſideramus Aeſopos, Terentios, aut Plautos. Sunt qui ob defectum notitiæ: horologiis rotariis, qui in turribus, ſummam adhibeant fidem, nec eoſdem argui de mendacio patiantur; te aduoco, vt inuaſa defendatur veracitas quæ ſemper exulat ab automatibus. Rem aſtronomicam exactè intelligis, temporis metiendi difficultatem non ignoras eorum qui inhabitant & cuſtodiũt turres, inſcitiam & negligentiam vides, quo communiter modo campanæ Cœlo correſpondeant experiris, & vt dicas, quid certitudinis ab eiuſmodi horologiis poſſimus prudenter ſperare, aduocaris: & cùm rem tractem Aſtronomicè, ſic eam propono. Lego in Muñoſio, *Anno 1567. Die nona Aprilis incepit ſolare deliquium cùm vndecima in turre ciuitatis inſonuit*: & inquiro, ſtando huic ſoli teſtimonio, quantum errare poſſimus in determinatione temporis huius eclipſis? ſententiam tuam paucis cõplectere & vt faciliùs poſſis, aliorum opiniones produco. Sit.

Eraſmus Grammaticus.

Quàm ignari interdum rerum Mathematicarũ ſunt Philoſophi;

CCCLXX. An horologia luxentur hinc inde, integra hora?

Prima: *Cùm auditur vndecima, nec eſt minus quam decima, nec plus quam duodecima.*

An medias? An quadrate;

Secunda: *Cum auditur vndecima, nec eſt minus quam medium vndecimæ, nec plus quam medium duodecimæ.*

Tertia. *Cùm auditur vndecima, nec eſt minus quam 10. hor. 45. nec plus quam 11. hor. 15.*

An min. 4;

Quarta. *Cùm auditur vndecima, eſt hora vndecima quatuor minutis tantummodo plus minus.*

Quinta: *cum auditur vndecima, eſt vndecima, hora præcisè.*

An nulla ſit luxatio tẽporis?

Et interrogo, in quanto certitudinis gradu ſingulas has poſitiones collocare poſſimus? hoc eſt; quænam ex illis ſit certa moraliter? quænam probabilis? quænam dubia? & tandem, quænam ſit falſa? Reſpondeo breuiter, Doctiſſime et Clariſſime Vir, et ne aliorum opinionem ignores, quid iudicent alii præſcribo.

CCCLXXI P. Moretus

Amas P. Moretum, quem etiam ego colo; et omnes bonarum literarum cultores venerantur. Eundem heſternâ die Reuerendiſſimus Abbas Eufferthallenſis et Ego viſitauimus, oſtenditque nobis Horologiũ quadratum, vix pede longum, ſolo Indice ſed Horarum, Minutorum et etiam Secundorum præditum, non Campana, ſi inuentionem et delineationem conſideres ingenioſiſſimi P. Kircheri opus; ſi elimationem, abſolutiſſimam magni artificis curam, cui data ab Archiduce Carolo; piæ memoriæ octingentia ducata; opus inquam, quod haberi debeat inter automata loco miraculi; et nihilominùs rota eiuſdem laus in hoc ſita, quod dimidiâ horâ à cœlo deuiet ſpatio totius diei, hoc eſt, viginti quatuor horarum. Si ſic peccat hoc artis excellentis prodigium, quid ab Horologiis turrium rudi limâ ab ignorante fabro ferrario factis & à ſacriſtâ ſtupido aut ebrioſo directis ſperare poſſimus, Tu conſidera.

Archiducis Caroli horologium.

Quantum à cælo deuiet?

Propoſui eidem. P. Moreto Poſitiones has quinque. Primam admiſit tanquam certam moraliter. In ſecundâ hæſit voluitque horologia cognoſcere, nam noluit eſſe fidei prodigus, nec conſideret, ſi neſciret, cui Quartam valde veroſimilem cenſuit: et vt minimum quadrantis horarii luxationem admitti poſſe iudicauit, concludens Horologia eſſe horarum indices, non quidem mathematicos, ſed morales. Quintam riſu excepit, et me in meâ ipſe opinione magno ſuffragio confirmauit.

P. Moreti, de prioribus ſẽtentiis iudicium.

Tuam ſententiam expecto, et oro vt ſinceritate illâ, quam profiteris, digneris mihi reſpondere; et præbere occaſiõnem, in quâ poſſim ſeruire. Vale. Pragæ: ex Muſæo noſtro, die 28. Martii 1650.

Reſpondit doctiſſimus Vir; & quia ærit eiuſdem literas conſiderare: illas adiungo.

CCCLXXII.

An maior alienis verbis & minor propriis oculis adhibenda sit fides?

Positio moraliter certa quæ sit:

Resoluitur pro tertia sententia.

Ecce hic tribus horæ quadrantibus differūt automata.

CCCLXXIII. Qualia sint horologia turrium.

Ecce horologia Cinica de errore min. 30. appellat.

Ecce nec sibi nec aliis maiorem securitatem pollicetur, quàm mediæ horæ plus minus.

CCCLXXIV.

Videtur Marchio de Neucastell amare Philosophiam localem: dubia aliqua proposuit meo Rhaitæ: hic respōdit doctissimè: at quia nihil illi repositum fuit, & aliqua adhuc videbantur secūda responsione indigere ideo scripsi, quæ Marchio posset vel deberet. Quæstio proponitur.

REuerendissime Domine. Cum propriis oculis videas, et propriis etiam auribus Horologiorum quotidianos errores, scire omninò debebis quid certitudinis ab eiusmodi rotariis Instrumentis prudenter sperare possimus. Me consulis, & cur hoc ipsum facias, non percipio. Pone me pro Horologiis stare; an-ne maiorem meis verbis fidem præbebis, quàm tuis oculis? Non credo. Cæterum, quia sic iubes. illas quinque propositiones recognosco, & affirmo Primam admitti posse, non quidem vt moraliter certam; sed vt probabiliorem et si velis, probabilissimam, Illam non esse moraliter certam dico, Propositiones enim moraliter certæ dicuntur, quæ standō hominum moribus, et communi rerum cursui esse falsæ nō possunt humanitus; quales sunt istæ, *America est regio vltra marina*, *Mediterraneum in oceanum exonerat*. Quarum neutra mihi a sensu aut ratione probatur, et tamen sine formidine erroris admittitur. Et tamen illa prima, quam censurari vis, his duabus minorem certitudinem habet: nec omnem excludit formidinem: potest enim et solet esse falsa, tametsi rarò. De secundâ inciperem omninò dubitare; nam hic Præ horologia inter se mediâ horâ frequentissimè differunt et tribus quadrantibus interdum. Quintam puto esse falsam certò moraliter! nescimus enim vel semel primum campanæ ictum cælesti temporis momento respondisse. Quartam dicam valde esse falsæ similem, non tamen euidenter falsam. Tertiamque debere vt probabilem admitti: et vix posse certitudinis terminos strictius cōtahi. Hæc de Horologiorum certitudine et incertitudine dico. Respondeo, vt Mathematicus non vt Theologus: quæ hinc in Politicis aut Ecclesiasticis sequātur Corollaria, tu videris; puto enim omnia debere admitti, quæ ex doctrinâ certâ euidēter sequantur: Sic sentio; et hæc iussus scripsi, vt tuo imperio obedirem; fortè ridebūt alii, si me videant de re manifestâ iudicare; Sed ipsis respondebo, meum esse tibi in claris, et obscuris seruire. Vale. Scripsi in Musæo nostrò; & subscripsi Anno M. DC L. die 25. Aprilis quadrante horæ post vigesimam primâ secundum præcurrentia Horologia, et secundum tardiora hora vigesimâ secundâ.

Hęc Clarissimus & Magnificus Dominus de turrium horologiis, quæ communiter antiqua & exesa, & a stupidis hominibus recta, Sed quid de domesticis, quæ Viri Mathematici apparant, & dirigunt? In libello de longitudine seu differentia inter duos Meridianos, vna cum motu vero Lunæ inueniendo ad tempus datæ obseruationis propositione XII. Problem VII. sic inquit [Cum ad exactam huius notitiam, non solum hora, quâ obseruatio facta, sed etiam minutat constare debeant: frustra in hunc vsum (NB.) horologia mechanica adhibētur, quæ non solum pluribus minutis sed etiā quandoque tota semi esse aberrant? Verum idem motus Cœli, qui omnes reliquos metitur, hoc temporis momentum nobis definiet: motus inquam stellarū, quatenus per hunc ab horizonte certo absunt interuallo.] Subiicit obseruationem Eclipseos Lunaris à se habitam Pragæ die 14. Aprilis, Anno 1642 et p. st pauculas paginas sic ait: [dubitabis, cùm per verum locum solis definiamus illud momentum, hic vero in singulas horas mutetur, vnde nam, locus verus solis constabit? Respondeo ad hoc sufficere horologium aliquod Mechanicum, aut sciothericum Lunare, in quibus difficile non est errorem vnius horæ, aut etiam dimidiæ præcauere.] *Vide quantum fidēdum sit doctissimi Viri sententia horologiis etiam domesticis, & diligentia maiori, gubernatis.*

Nec multum abest à Magnifico Doctore Ioanne Marco Marci P. Antonius Rheita, qui etiam nouam reperit rationem dubitandi; dignam, quæ legatur attentè: eiusdem litteras quâ nostra referunt, in gratiam Lectorum subscribo.

REuerendissime &c. Præsul ac Domine, Quod me tuis gratissimis literis, tuisque doctissimis quæstionib⁹ ac obiectionibus meum ingeniolum exercere, siue potius erudire voluetis, Vir doctissime, & tuæ humanitati gratias debeo, & mihimet congratulor, quod me adhuc inter eos recenseri à te videam, quos non tam tuus calamus honorat, quàm tua rara doctrina decorat.

Multas quidem mihi moues quæstiones siue potiùs difficultates, circa ea quæ olim à me Excellentissimi Domini Marchionis de Neucastell Angli, *Epistolæ Aenigmaticæ* per transsennam solùm (cum iam dictum Epistolium, vix quatriduo antequam imprimeretur, & libro meo insereretur, mihi cōtēplari licuerit, & Tu modò post integrū lustrum contemplationis, velut Atlas quæstionibus nodisque suis grauatus, siue innodatus, contra me prodis, an vt meam ignorantiam prodas an vt Mundo veritatē pandas ignoro) responsa sunt; & licet modò tempus prolixius respondendi non suppetat, Dicam tamen quid sentiam de Casu illo mihi a te proposito.

Alta hieme, inquis, noctu audiuimus horologium vnicum, & numerauimus horam vndecimam, eramus simul 5. amici. Primus dixit, erit modò horam 10. vel 12. siquidem horologium vndecimam sonuit. Secundus erit medium vndecimæ, vel medium duodecimæ. Tertius, erit 10. hora 45. vel 11. hor. 15 Quartus aiebat, erit modo vndecima hora 4. plus minùs.

Quin-

Quintus erit modò vndecima præcisè. Interrogas, ſiquidem hi omnes quinque non habuerint alia fundamenta indicandi præter horologium oppidi, quod audierãt, mediocris perfectionis, quis horum quinq; loquutus fuerit certùm, quis probabile, quis euidenter verum; quis euidenter falſum. Nam conſideratâ imperfectione & luxatione horologiorum, hæc propoſitio. *Modò ſonuit vndecimam, ergo eſt præcisè vndecima*, alicui videretur falſiſſima. Ad HAEC vt reſpondeam, dico, duo eſſe quàm maximè premittenda & conſideranda, *Primum* eſt, An tempore illo hyemali, quo horam vndecimam pariter illi quinque audierunt, aër inter audientes & campanam ſonantem, fuerit nebuloſus, an purus, ſerenus, defœcatus, & vaporibus intermedijs purgatus? *Secundum*, an audientes illi quinque omnes fuerint pariter & præcisè ſub linea meridiana campanæ; an potiùs, quidam vno aut altero pede ſaltem fuerint magis orientales, quidam verò magis occidentales reſpectu campanæ ſonantis horam vndecimam. Si enim ſonus horologij præcisè conuenit cum curſu ſolari, ideſt, ſi tempore tintinij campanæ, eo inſtanti quo malleus primum ictum & ſonum edidit, ſol præcisè à meridiano campanæ hæmiſphærij inferioris 15. gradibus elongatus fuit, & dicto inſtanti etiam quintus in ordine, horam vndecimam pronunciauit, ſub campanæ meridiano exiſtens, aio hunc quintum non euidenter verum, ſed veriſimiliter & proximè verum pronunciaſſe, reliquos verò omnes extra meridianum campanæ ſuppoſitos, apertè falſum. Dixi quintum non euidenter, ſed veriſimiliter & proximè tantum verum dixiſſe, tum quia antequam ſonus ad eius aures delatus eſſet, neceſſariò aliqua temporis mora, puto aliquod minutum vel plura intercedere, & interea ſol tot minutis meridiano, & duodecimæ magis appropinquare debuit, tum quia aeris intermedij impuritas & denſitas ſonum campanæ vbique nonnihil remoratæ ſunt (ſed quid, obſecro, accidiſſet, ſi ſpatium illud intermedium, campanam inter & audientes interiectum omnino vacuum fuiſſet?) quò minus eo inſtanti ad aures audientis delatus fuerit: Nullus igitur mathematicè euidenter verum dixit, ſuppoſitis diuerſis meridianis, velociſſimo ſolis aut telluris motu, nec non aëris intermedij impuritate & craſſitie; nam ſi primus fuit vno pede, vel paſſu, magis orientalis vel occidentalis ſecundo, ſecundus tertio & quarto, quartus quinto, quintus primo 2. 3. 4. euidenter omnes quatuor falſum pronunciarunt: & ſi quintus maximè à meridiano campanæ, & plus quam alij quatuor remotus, ſonum audiuit, & horologium vnâ horâ vltroneè à vero motu ſolis aberrauit, & ipſe euidẽter falſum dixit. Et ita conſequenter ſuppoſitis ſupponendis, de alijs iudicato. DICERE VOLO, *forſan rariſſimè à terricolis, verum, & præciſum tempus poſſe determinari*, cùm motus ſit in continuo fluxu, & nemo dicere poſſit; hoc inſtanti ſol tenet, v.g. præcisè meridianum Pragenſem aut talem gradum aut minutum Ecliptiæ, quia dum dicit, & loquitur, interim ſol vltra lapſus, iudicium loquentis inſigniſſimè fallit. Reliqua tibi inde eruenda, & concludenda relinquo.

Premittuntur aliqua prævognoſcenda.

CCCLXXV.

Hoc ipſum eſt, quod quærimus.

Nota hic aliam causã erroris, quã nondum tetigi; & eſt conſideratione digna.

Proponitur ſecunda & curioſa adhuc quæſtio.

Rhaitæ Concluſio meæ Conſultationi reſpondens.

Dianæ ſententia.

CCCLXXVI Diana Caramuelis ſententiã proponit.

DIxerat Caramuel *in Regul.* D *Benedicti num* 1328. [Qui in pago aut eremo fuerit, vbi ſolum eſt vnum horologium benè regulatum, probabiliter poteſt credere illud plùs quàm horæ quadrante à veritate deuiare] & Diana *par.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 15. Hæc opinio, ait, videtur communiter reprobata à Doctoribus, dum loquuntur de præcepto Horarum Canonicarum, de præcepto Ieiunij, Feſtorum obſeruatione, & ſimilibus: ex illâ enim ſequeretur, quod quis ſtatim poſt horam duodecimam noctis poſſet completorium dicere, & ſatisfacere præcepto Horarum Canonicarum; vel poſſet comedere carnes, & obſeruare ieiunium; imò manè communionem ſumere & ſatisfacere præcepto ieiunij naturalis pro ſumptione Euchariſtiæ: & tamen Doctores controuertunt, vt alibi viſum eſt, ſi etiam dato primo *(ictu)* horæ duodecimæ, media nox dicenda ſit elapſa, ita vt præcepta præteriti diei vel futuri dicantur elapſa, uel incœpta: & omnes concordant, quod finito vltimo pulſu *(ictu)* horæ duodecimæ conſpirent & incipiant præcepta adfixa diebus.] Ita ille. Et *part* 3 *tract* 4 *reſol.* 36. [Si tantum ſit vnum horologium, vbi cœpit ſonare duodecima, aliquis biberet, licèt quando ſonaret vltimus pulſus deſijſſet bibere, non poterit die ſequenti communicare, &c. ex quibus infert Sancius *in ſelectis diſp* 42 *num.* 20. quod qui buccellam habet maſticans, & audit primum pulſum horæ duodecimæ noctis, tenetur in continenti de ore eijcere buccellam, ſi die ſequenti Sacramentum Euchariſtiæ velit ſumere vel miſſam celebrare. Poſtquam verò buccellã eiecerit, non tenebitur eſſe nimis anxius ad abluendum os. Si tamen maſticat buccellam de materiâ carnis, & dies ſequens ſit ieiunij, non tenetur illam eijcere, etiam ſub veniali; non enim cum tanto rigore illud præceptum poſitiuum obligat ſemoto contemptu.] Ecce quàm ſeuerè Authores de horologijs loquuntur!

Vtrum conſequentiæ iſtæ ſint bonæ, inferiùs examinabimus: ait Diana eſſe legitimas, cogetur velit nolit admittere antecedens: ergo, ſi legitimæ sũt multa illæ abſurda admittere neceſſario cogetur.

Et impugnat

An cum ſonat horologium ſtandum ſit primo ictui?

CCCLXXVII. Caramuel non indiget Paſquiligo, habet enim pro ſe experimentum clarum & ocularẽ.

Sed quid hic Caramuel dicet facietuè vniuerſis oppoſitus? An recantabit palinodiam, ne vnus opponi vniuerſis dicatur? An ſe tuebitur nomine Paſquiligi, Viri doctiſſimi, qui *deciſ.* 338 *num.* 6. *& ſeqq.* ſuam ſen-

Caramuel non indiget Pasquiligo, habet enim pro se experimentum clarum & oculare.

tentiam propugnat? Minimè; Sed suam dicet tam certam, tam claram, & tam demonstratam, vt nec Pasquiligi nec alterius authoritate indigeat, si sinceritas adsit. Sed singularis est Caramuelis sententia ais; siquidem teste Dianâ vniuersis opposita. Sed quid inde; non dicit Caramuel eam non esse singularem, sed esse euidenter veram, & futuram communem & vnicam in scholis, si eius fundamenta legantur. Sic discurrit.

CCCLXXVIII. Sonat horologium vrbis duodecimam, & dicit Petrus, *Nunc in hoc instanti A est duodecima. Hoc instans A est finis præcedẽtis diei, & sequentis initium.* Et peto a Dianâ, vtrum hæc Propositio sit per se nota? Vtrùm sit demonstrabilis? Vtrùm sit probabiliter vera? Vtrum sit falsa? vel tandem in quo ipsa gradu certitudinis aut incertidudinis ponenda sit? Et quia meus doctissimus Diana multum distat, expecturus quid illi respondere placeat, meam mentem expendo & respondeo.

CCCLXXIX. Dico primò. Hæc Positio *Nunc est hora duodecima*, quæ censuræ subijcitur, non est per se nota, vel vt alij loquuntur veritatis æternæ, non enim est necessaria, sed contingens, quæ potest aliter se habere ac forsitan aliter se habet. Sed neque est demonstrabilis, nec demonstranda; qui enim Dialecticus syllogismum formauerit in formâ legitimâ, qui ex per se notis inferat istam positionem, erit mihi magnus Apollo. Ergo, vel erit falsa, vel solùm probabiliter vera. Sanè certò falsa non est: ergo merè probabilis, si illud *nunc* sumatur pro instanti aliquo morali & laxo, (puta pro integro primo minuto) quia si sumatur pro instanti mathematico (imò, si sumatur pro secundo temporis) erit falsa certò moraliter: quod sic ostendo. [Illa propositio est certò moraliter falsa, quæ vix semel spacio centum annorum fuit vera; sed vix semel contigit centum annorum spacio, quod horologium vrbis, cum duodecimam sonuit, intra scrupulum secundum correspondaret cœlo: Ergo hæc posito de quâ agimus, est certò moraliter falsa.] Si quis dubitet, det obsecro diem demonstrationemque, quâ probet horologium aliquod cœlo horâ duodecimâ inter scrupulum secundum respondisse: & dignetur legere Epistolam inscriptam Banditio, quam in secunda Commentarij editione num. 1328. pag. 318. a. exhibui: & hic iterum dedi.

Instans est duplex: morale & mathematicũ.

Quæ sit Propositio falsa certò moraliter?

CCCLXXX. Ageometræ à Platonis Schola exesse iussi. Dicebat audituris se Plato, *Nemo huc ingrediatur ignarus Geometriæ*; & hæc ego lecturis, *Nemo de horologijs iudicet, quin obseruarit sydera, & sciat quanto labore & erroris periculo horæ nocturnæ inuestigantur.* Legat Tychonem aliosque; &, si ille tametsi in arte suâ excellentissimus, rarò à syderibus, nunquam ab horologio secundâ obtinere potuit, quis in mundo erit tam stupidus, qui id postulet ab horologio tur-

ris? *Peccat illud primo*, antiquitate; quia pleraque sunt exesa & corrosa, & pulueribus plena; si purgentur nestinant, & semper fluxu & velocitate deformi. Auræ vicissitudines sentiunt; nam in æstate currunt, in hyeme reptant; & cum rigidius cœlum est, si non hærent, vix moueri dignantur. *Peccat secundo*, directione: quoniam à negligentibus, & ab ignorantibus semper omnia reguntur: qui enim aliquid scit, non solet horologio seruire. Etiam cum diriguntur ab Astronomis, sunt machinæ ingratæ Magistro; sæpè enim quó maior diligentia adhibetur, magis exhorbitant & à vero declinant. Hæc sunt certa: & si aliquis in mundo sit qui habeat horologium exactum, quod intra secundum cœlo & veritati respondeat, dignetur illud mihi communicare: quia tametsi non sum Tycho, qui in organis eiusmodi velim centum aureorum millia impendere, saltem plurimos libentissimè dabo, vt mea possim faciliùs Astronomica studia promouere.

Horologiorum peccata. Primum, Secundum.

Nullum datur Horologium in Mundo quod intra secundum horæ cœlesti correspondeat.

CCCLXXXI. Dediscant igitur præscriptum suum errorem quotquot Authomatis nimiùm confidunt, et in Astronomicâ materiâ, quam non examinarunt, Astronomorum oculis et demonstrationibus tandem aliquando subscribant: & quando sonat noctu duodecima dicant nobiscum, *Nunc est media nox aliquibus minutis plus minus.*

Quanta sit luxatio & incertitudo horologiorum?

Sed quot minutis claudi hæc ipsa incertitudo debet? Si horologia sint mala & negligenter recta, mu tis; paucioribus si bona, & a doctis diligenter directa. Optima erant horologia Tychonica, optimus Astronomus Keplerus, qui ea regebat: summa fuit adhibita diligentia vt benè regerentur cùm Eclipses fuerunt obseruandæ; & tamen vt constat ex iocis, quæ in Epistola ad Banditium allego, sæpè ipsa vltra mediam horam deuiarunt. Ponamus igitur vnum horæ quadrantem hinc & inde pro luxationis terminis, non quod distantiores limites non possimus, sed quod nolimus, & tantâ simus varietate contenti.

Assignatur probabiliter quadrans.

CCCLXXXII. Probabilitas nostræ doctrinæ demonstratur. Posse maiorem distantiam interponi, demonstro clarè. Audio horam duodecimam, & inquiro à Dianâ, quæ sit hora? Duodecimam esse respondet. Et peto iterum ab illo vnde id sciat? An audebit id quod dicit, iuramento firmare. Et siquidem id non audebit, certum est, suam responsionem esse incertam, certò enim vera firmari iuramento possunt. Eodem instanti ego dico, *est duodecima quindecim minutis plus minus, hoc est, nec temporius est hora 11.45 nec tardius 12.15.* Quid mihi ipse? Me errare. Et audebitne iurare me decipi? Non puto. Ergo omnia sunt incerta, debentque aut ad dubium, aut ad probabilitatem reduci. Non ad dubium; quia horologium bene gubernatum grauis authoritatis est, tametsi non sit infallibilis: ergo manere debemus in notitiâ

titiâ probabili: dicendumque oppositam opinationem fulciri experientiæ defectu.

CCCLXXXIII. Remedium valicum ad pertinaces recurandos.

Volebam hic calamum ponere, sed quia dantur ingenia mirabilia, quæ neque suis, neque alienis oculis credere volunt, sed malunt errores antiquos tueri, quàm notam fateri veritatem, non grauabor historiolam subiungere, quâ mathematicus rigor leuetur. Dùm puellus Philosophiæ studerem Compluti, eramus in Collegio nonnulli, qui supra cæteros haberi volebamus, & de quâcumque re ageretur, altercatione plurimâ eramus Prorectori molesti. Cautus senex multa remedia adhibuit, sed frustra, semper enim voluntates dissymbolæ impediebant opinionum concordiam. Tandem recurauit nos omnes statuendo, vt qui eandem rem tertiò diceret, censeretur concertare de pretio, deberetque aut rem conuincere, aut aureum soluere. O quàm citò recurarentur omnes, qui contra somniant, si lege simili constringerentur! vel, si adhuc non adquiescas, concertationem institue: nam erunt milleni Mathematici, qui audebunt contrà. Honestus ludus est, qui inueniendæ veritati institutus, & ordinatur ad resti tuendum animum, qui continuo labore est attritus. Omnis cõcertatio ludus est; & quia ludus si nihil periculo exponitur est melancholicus, aliquid exponamus. Sunto leges, *Elige Ciuitatis campanam, quam volueris; & horologium solare quod volueris (possumne liberaliùs procedere?) & quoties campana vmbræ respondeat centum scuta dabo, & quoties non respondeat da decem.* O quàm citò me ditares, si hac lege decertare velles. Sed quia diuitias parui pendo, sufficiat hæc pauca notasse; ex quibus deducam certissimam hanc conclusionem, *Semper esse præcise horam, quæ auditur, certo & euidenter falsum est.*

Rarò aut nunquam Campanæ, sciatericorũ vmbris correspondent, sed & nota etiam hoc. Vmbræ ipsæ sciatericorum rarò aut nunquã exactè correspondent cœlo.

Positiones Mechanicæ de horologiorum varietate & falsitate.

CCCLXXXIV.

OStendi non esse horologijs fidendum; sed quia Theologia multum est à Mathesi seiuncta, & magni hodiè Theologi nec Geometriam, nec Astronomiam didicerunt, volo aliqua subiungere, non vt Matheseos imperiti illa examinent, sed vt credant. Et quia Sole hodiè gubernantur automata, à Sole incipio.

Notantur aliqua, scitu digna, circa horologiorum solarium certitudinem.

THEOREMA I. *Horologia Solaria ferè omnia concepta sunt in originali peccato.* II. *Quæ in peccato concepta, actualia necessaria committunt.* III. *Facilius antiquum deleas, & nouum delinees, quam corrigas.* Demonstro omnia.

Primò quia multi murarij & architecti scientiam delineandi horologia arrogant, & tamen artis fundamenta non sciunt.

Secundò, quia ipsi Astronomi debitam diligentiam non adhibent in re tantillâ, sæpè declinationem muri, inclinationemque, imò & altitudinem Poli, malunt supponere, quàm examinare.

Tertiò, quia parallaxeon & refractionum in sciatericis nunquam habetur ratio; vt haberetur vtraque est valde incerta, & hucusque non cognita.

In illo libro, quem solis & artis adulteria inscribo, parallaxes & refractiones caueo.

Dices refractiones & parallaxes consultò omitti, sunt enim tam tenues & paruæ, vt sine errore possint negligi.

An in horologijs solaribus possã sint negligi parallaxes?

Respondeo me non multum curare parallaxes, quia si maxima sit trium minutorum, erit fere insensibilis Sole altiùs ab horizonte elato. Si autem maxima sit 15. secundorum, exit in ipsomet horizonte insensibilis. Ad refractiones venio, & negligi non posse persuadeo. *H*orizontalem refractionem Tycho Brahæus progymn. fol. 29. & Ioannes Keplerus in *V*itellionem pag. 121 constituit 34. min. ex Thesibus; quas Mæstlinus edidit anno 1596. num. 55. constat horizontalem solis refractionem esse maiorem vno gradu: [Vide Ioann. *K*eplerum ibidem. pag. 136.] Ergo, si ponatur vnius gradûs, in sphærâ rectâ, erit 4. min. in altitudine poli 48. gr. & 11 min. erit sex minutorum, & in altitudine 60. graduum, erit 8. minutorum. Cùm igitur Horologia Italica & Bohemica incipiant ab occasu Solis, necessarium est, vt 5. vel 6. minutis tardiùs hora insinuent, quàm deberent. Cùm autem ab ortu Norinbergensia exordium sumant, indicare debebunt horas citiùs minutis iterum 5 vel 6.

An refractiones eiiam.

Quanta sit Solis maxima refractio?

Quartò errant Horologia solaria, quia totum Solis in corpus est luminosum & vmbræ necessariò abbreuiantur.

Quantum errare possint Automata ad Solem recta?

Quintò, quia longiores styli inflecti ventis solent, & ipsimet muri aliquandò inclinari.

Horæ ab occasu.

Sexto, quia hæc solaria horologia, si horizontalia sunt, à meridianæ lineæ cognitione dependent, quæ difficulter inuenitur.

Horæ ab ortu.

Et *Septimò*, quia eadem, si portatilia sunt, magneticâ vi diriguntur, quæ nondum est bene explorata, & singulis diebus in lapide & in acu remittitur.

Imò Alexãder Caligno nus, volebat Meridianas lineas, & Poli altitudines mutari. Vide meum libellum de perpendiculorum inconstantia. Ad sciatericã delineandã prima Regula.

E quibus capitibus resultat, vt non malè Intantesius in suâ Astronomiâ mechanicâ hanc statuerit legem, *In muro, ex quo aliud horologium solare aspici possit, nouum ne delineato.* Sed cur? Ne errores tabulæ, & artificis inscitiam (aut saltem ignauiam) prodat & publicet vmbræ varietas. Cui obviam cautiores eunt, formando stylum crassum, lineas crassas, ita vt multorum secundorum aut etiam minutorum error absorbeatur. Si dicas de vno in murali sciatericõ digito nõ disputari; dices quod omnes vulgò dicunt; & interam in eisdem non de momento ad momentum, sed intra vnum alterum minu-

Eorundem securitas quanta?

tum

tum plerumquè horam veram repreſentari.

CCCLXXXV. An terra occupet cētrum præcisè? an tēpus verum, & apparens coincidant?

Omitto alias ſubtilitates, quas non poſſit intelligere Ageometra: nolo enim ingredi quæſtionem, quæ interrogat, *An terra ſit motui rapto concentrica? an tempus verum differat ab apparenti?* nolo ſimiles alias, in quibus multa dici poſſent, quæ fidem Sciatericis vniuerſis adimerent: remitto tamen omnes viros curioſos ad D Ioannem Heuelium Dantiſcanum, qui excellentiſſimus eſt Aſtronomus, in Mathematicis accuratiſſimus, & vtitur ſciaterico tanto, quod ſecunda minuta repreſentat, & nihilominùs, motum raptum Primi Mobilis non eſſe vniformem obſeruat, ſed iam velociùs, tardiùs iam, ſolare corpus promoueri. Legatur Epiſtola inſcripta D. Laurentio Eichſtadio, in quâ eclipſin Solis, quæ contigit anno 1649. die 4. Nouembr. deſcribit, confertque oſcillationes penduli cum Primo-Mobili, ſeu vmbrâ ſciaterici.

An cœli motus ſit æqualis?

De horologio Lunari.

THEOREMA IV. *Horologia Lunaria maioribus erroribus obnoxia ſunt.* Et oſtenditur: quia in ijs habent locum, quæ contra ſolaria ſunt dicta, quæ omnia ignotiſſimo Lunæ motu intricantur: & incertiſſimis parallaxibus & refractionibus obſcuriora reddūtur.

De polari.

THEOREMA V. *Septentrionale illud horologium, quo noctu horas metimur, Vrſæ minoris Sydera conſiderando, fallax eſt.* Supponit enim primò locum ſolis, ſecundò ſyderis aſcenſionem rectam; cum tamen in vtroque authores differant, & veritas nondum inuenta ſit.

CCCLXXXVI.

Hæc de Cœlo. Hæc de horologio illo quod Deus condidit: quod tametſi perfectiſſimum ſit, tam male à nobis eſt cognitum, vt non poſſit pertingere præciſionem, quæ quæritur. SED DICES hos errores leues omninò eſſe: id non nego, ſi de horis diurnis agamus: at admiſſis erroribus, leuibus puta vnius aut alterius minuti, tollitur præciſio, quam, qui neſciunt Aſtronomiam, protrudunt. At in horis nocturnis, errores iſti non ſunt leues; nam VVendelinum à *K*eplero 34. minutis differre vidimus: cum tamen vterque horam hauriat ex cœlo. Sed hæc maneant ſic; alibi vberius decutientur: Venio ad Automata.

Obiectio.

An horologiorum errores ſint leues?

An ex eodem cœlo eandem horam homines diuerſi deducant?

An poſſibilia ſint duo Horologia ſimilia?

THEOREMA VI. *Nullus artifex fecit aut facere poteſt* (ago de impotentiâ morali; imo etiam, ſi bene intelligar, de phyſicâ) *duo Automata, quæ ita campanas regant, vt ictus ictui correſpondeat.* Ergo horologium exactum ab illis ſperari non poteſt; nam veritas eſt vna, & exacta deberent ſaltem in primo ictu correſpondere.

Horæ mechanicæ inæquales.

THEOREMA VII. *Horæ Automatum non ſunt æquales*, nam ſiue pondere, ſiue inflexo chalybe animentur ſemper ſolet reperiri varietas; nam chorda & plumbum ponderoſiora ſunt plumbo ſolo, & violentia chalybis eſt fortior & maior in initio; & cautelæ, quæ adhibentur, fallaces & incertæ ſunt. Addam aliquid quod mirabilius, me obſeruaſſe intra eandem horam inæquales quadrantes in horologijs turrium, quæ à perfectione & ſecuritate laudantur.

Etiam quadrantes ſingularum.

Hinc patet non eſſe bonam conſequentiam, *Heri horologium correctum fuit ad ſolem meridianum, hodiè meridie ipſo horam 11 & 40. minut repræſentat*: Ergo *cum horam duodecimam ſub mediam noctem ſonuit, erat cœlitùs hora 11. & 50. min.* Et oſtenditur. Quoniam, vt bona eſſet, deberent horæ cœleſtes, quibus vtimur, æquales eſſe, quod nondum ſcimus: Vt vt ſint, deberent *H*orologia diuidere tempus in partes æquales, quod non faciunt. Et præcipuè ſi ponderibus careant; quæ enim promouentur ponderibus, minori errori obnoxia ſunt

CCCLXXXVII.

An Horæ cœleſtes æquales?

THEOREMA VIII. *In horologijs ex intentione Artificis primus ictus campanæ horam præcedentem a ſequenti diſtinguit; ac cæteri adduntur, vt qui indicem reſpicere nequit, horam diſcat.* Hoc certum eſt; nec ab homine qui artem nouerit, reuocatur in dubium. Non tamen grauabor exſcribere verba Dianæ, qui *par. 3. tract. 4. reſol. 36.* ſic ait [Notandum eſt verò hîc, quod quando primus horæ pulſus auditur, iam eſt hora expleta, & horologium eſt tantum teſtis id indicans. Et licet diuerſi ſint pulſus, id euenit, quia nequit vno pulſu hora duodecima indicari, ſicut vno pulſu hora prima indicatur.]

Horas primus ictus diſtinguit.

Addo me poſſe formare horologia, in quibus ictus vltimus horas diſtinguat: ſed agebatur nō de factilibus, ſed de iam factis.

CCCLXXXVIII. Poſſet vltimus, ſi noua horologia elimarentur.

Hinc eſt, nos ſi haberemus aliquod bonum horologium (puta factum & directum ab Angelo) ſi & illud elimatum fuiſſet ad formatorum regulas, habituros fuiſſe rationem primi ictus. Sed quia tale habituri non ſumus, erit purè ſpeculatiua hæc aſſertio.

Poſitiones Theologicæ de Horologiorum varietate & falſitate.

CCCLXXXIX. Horæ Eccleſiaſticæ.

POſitâ præcedente doctrinâ; quàm à puris Theologis credi volo, impugnari non patiar; iterum ad Theologica redeo, & has poſitiones ſubijcio.

PRIMA. *Poteſt Eccleſia præcipere vt horarum diſcretio, & mediæ noctis determinatio, quidquid cœlitus fiat, humanitùs & Eccleſiaſticè ſit iuxta primum horologium vrbis.* Oſtenditur, quia de facto diſtinguimus æquinoctia cœleſtia ab Eccleſiaſticis, item Nouilunia & Plœniluniā cœleſtia ab Eccleſiaſticis, cur non annos?

annos? cur non dies? cur non horas? Porrò æquinoctium Ecclesiasticum diei vigesimæ primæ Martii, sic Gregorio XIII. iubente est adfixum, tametsi in Cœlo aliter accidat: nam si sequamur Tychonicos numeros, et sumamus Francofurtum ad Viadrum (hic enim profitebatur Origanus) reperiemus vernum æquinoctium accidisse tempore nimirum apparenti:

Aequinoctia Ecclesiastica.

Ann.	Martij die	Hor.	I	II
1630.	20.	1.	5.	39.
1631.	20.	6.	54.	36.
1632.	19.	12.	43.	5.
1633.	19.	18.	31.	53
1634.	20.	0.	20.	46
1635.	20.	6	9.	45

Et tamen Ecclesiasticè æquinoctium adfigitur diei XXI Pro ordinum interstitiis annos Ecclesiasticos seruamus, non ciuiles; & si à Pascate numeremus ad paschæ, anni Ecclesiastici valdè sunt inæquales, & multum à ciuilibus deuiant. Nouilunia aut etiam Plenilunia Ecclesiastica sequuntur aureum numerum Epactamque, hoc est, cœlum plùs minùs; nam Anno M.DC.L. sic in Ecclesiâ, sic in Cœlo solis et lunæ copulæ et oppositiones numerantur.

Anni Ecclesiastici.

Nouilunia & menses Ecclesiast.

☉☽ ☉☌	In Cœlo.	In Ecclesia.
Nouil.	2. Ian.	4. Ian.
Plenil.	17. Ian.	
Nouil.	1. Febr.	3. Feb.
Plenil.	16. Febr.	
Nouil.	2. Mart.	4. Mart.
Plenil.	18. Mart.	
Nouil.	1. April.	3. April.
Plenil	16 April.	
Nouil,	30. April.	2. Maij
Plenil.	15. Maij.	
Nouil.	30. Maij.	1. Iunij.
Plenil.	14. Iunij.	
Nouil.	28 Iunij.	30. Iunij
Plenil.	13. Iul.	
Nouil.	28 Iul.	30 Iunij
Plenil.	11. Aug.	
Nouil.	27. Aug.	28. Aug.
Plenil	10. Sept.	
Nouil.	15 Sept.	27 Sept.
Plenil.	9. Oct.	
Nouil	25. Oct.	26. Oct.
Plenil.	8. Nou.	
Nouil.	23. Nou.	25 Nou.
Plenil.	8 Dec.	
Nouil.	23. Dec.	14. Dec.

CCCXC. Ecce Nouiluniorum Cœlestium & Ecclesiasticorum discrimen. Illa dederunt Ephemerides, ista Calendarium Breuarii; & tamen perpetuam differentiam reperio. Ad dies transeo. Natiuitatis nocte Missam ante duodecimam audire solet Pontifex, quod tametsi fieri possit dispensando, vt Eminentissimus Dominus Cardinalis, celebret non ieiunus, multorum tamen opinione diem sequentem creditur anticipare vt non iam ab duodecimâ, sed ab vndecimâ vel aliâ noctis horâ dies Natiuitatis Romæ incipiat. Igitur si Pontifex Romanus præciperet vt dies crastinus inciperet Ecclesiasticè à primi vrbis horologii pulsu, huic standum esset dispositioni Pontificiæ, & audito primo ictu horæ duodecimæ iuxta Theor. VIII. nemo posset facere, quæ die sequenti interdicantur. Dices, nec Pontificem dispensare, vt Cardinalis illâ die celebret non ieiunus, nec diem crastinum anticipare: & hanc ob rem exemplum positum non admittis. Respondeo, me ad mentem *Eminentissimi* D. Cardinalis Lugonis illud posuisse, sed quia hîc Romæ aliter instruor, illud exemplum non vrgebo, Non dicam igitur, Pontificem anticipare diem crastinum, sed posse: & hoc mihi sufficere. Pono calamum, quia iterum acturus sum de hac ipsissimâ dierum anticipatione interiùs, vbi fusius veritatem expendam.

Dies Ecclesiastici.

Diei crastinæ anticipatio Ecclesiastica.

CCCXCI. Sed occurrit hic casus. Cùm equis citis curreremus, sub mediam noctem die sabbathi venimus ad oppidum N. monuimus custodem vt die alterâ sub horam quartam aperiret Ecclesiam, vt aliquis è nobis celebraret. Adfuit statim & rogatus quota esset hora? respondit, *Non poterit esse duodecima quousque Parochus legerit horas suas, tractauit enim hospites, & iussit detineri horologium, quousquè absoluat*; Risimus tunc Ethicam Parochi, non enim hodiè dierum discretio ab horologio malè directo pendet. At in casu, quem hæc prima Positio præbet, posset dubitare nonnullus: *An dies Ecclesiasticus finiri posset ante auditam campanam, etsi industria horologij fluxus impediretur?* Essent, quæ adduci possent pro negligentiâ Parochi, sed nihilominùs putarem in tali casu postulare prudẽtiâ vt horologiis benè gubernatis subiiceremur; non verò casu aut industriam directorum exorbitantibus: aliàs enim tota ciuitas ab vnius Sacristæ negligentia aut etiam malitiâ dependeret. Sed & hoc ipsum non caret suis inconuenientibus; quis enim Petro viro horologiariæ rei imperito diceret, vtrum hoc aut illud horologium diligenter regatur, an potiùs malitiâ directoris præcurrat?

CCCXCI. Proponitur casus curiosus. Consultò nonnullas circũstantias alterone per. sonæ noscantur.

Idem casus attemperatur nostræ hypothesi. soluitur.

Secunda. *Hodiè, cùm Ecclesia diem à die distinguit, cœlum respicit.* Sed quomodo Dico meridiem esse cùm centrum solis meridia-

CCCXCII. Ecclesia cœlum respicit

ridianam lineam apud nos tenet; mediamquè noctem, cùm eamdem lineam sol apud antipodes. Sed quis cognoscet mediam noctem exactè? Hodiè nemo. Quoniam horologia claudicant, & ex syderibus quæ soli Astronomi cognoscunt, nihil certi erui potest, quamdiu solis locus & syderum ascensio non cognoscitur certius.

CCCXCIII. Quas & quomodo horas obseruare debeamus.

Sed obijcis, ex hac doctrinâ sequi non dari horas Ecclesiasticas, quibus regamur: nam cœlestes nescimus, & horologia non curamus. *& respondeo* illatam negando cõsequentiam; quia Ecclesiæ præcepta debẽt captui hominum attemperari. Ergo Mathematicus, qui Solis & Astrorum cursus & loca intelligit, cœlum, si voluerit, respiciat; cæteri horologiis, quæ sint bene gubernata, regantur. Vbi est vnicum? *Stat pro illa consuetudo, & possessio obedientiæ; & illi standum erit, quamdiu non constet illud exorbitare.* Et vbi plura? (nimirùm benè gubernata: nam de malè gubernatis nulla est habenda ratio) *dicemus diem hodiernam finiri, cùm sonat primum: crastinam incipere, cum sonat ultimum: & intermedium tempus ad alterutram probabiliter referri posse.*

An medium noctis possit exactè & præcisè obseruari?

Tertia. *Hodiè, qui mediam noctem methaphysicè obseruari iuberet, impossibile obseruare iuberet.* Sed quid, si non esset impossibile? quid si mediam noctem cognoscere possem exactè? Ecclesiæ exactè obedire deberem. At modo res se habet aliter: Patet quia exacta horæ cognitio limites humani ingenii excedit. Nam de illo puncto Theologi iudicare non possunt; & vix Geometræ & Astronomi possunt. Corollarium. *Ergo hodiè præcipitur obseruari moraliter*, hoc est, quantum humanitùs concessum est, nimirùm tantâ præcisione, quantâ ab Automatis turrium possit prudenter sperari. Illis enim gubernari debebimus, vt dixi; quamdiu eadem erroris non possint conuinci. Sic tenet fidelium consuetudo, quæ est Ecclesiastici præcepti integerrima interpres.

Medium nostris morale.

Diem priorem à sequenti distingui moraliter, non methaphisicè, non mathematicè, docuit Caramuel docetque: & hoc tanto nisu defendit, vt cæcos, aut præiudicio præoccupatos iudicet, qui sententiam contrariam, quæ falsa euidenter, defendunt. Singularitatis eum Diana incusat, eiusque opinionem asserit communiter reprobatam à Doctoribus; & quia Dianæ censuram magnifacit Caramuel, hanc modò Positionem subscribit. Igitur sit Positio.

Contumacia iuniorum.

Hodie dierum distinctio est moralis.

CCCXCIV. Diana nobis tandem alienando subscribit.

Quarta. *Caramuelis opinionem tenet Diana, tametsi contrariam se defendere dicat, putetque.* Et hoc clarissimè suadere potero. Sunt Authores, qui primo ictui horæ duodecimæ dierum discretionem adsignant, sunt qui vltimo. Sunt Authores, qui primo horologio aut etiam vltimo tanquam probabili testi subscribunt. [*part. 2. tract 4. resol. 36.*] Ergo siue agamus de primo & vltimo horologio, siue de primo & vltimo ictu eiusdem horologii, omnes isti Doctores in hoc conuenire possunt, vt ante primum non sit dies crastina, & post vltimum non sit hesterna. Ergo stando huic doctrinæ dierum diuisio nec Methaphysica, nec Mathematica, sed solum modò moralis est. Erit igitur tempus illud quod interest ambiguũ, incertum, Probabile, quod ad præcedentẽ aut etiam ad consequentem diem reduci possit. Sed quantum illud; Brugis scripsi illam disp. 101. in quâ de Horologiis tractaui, & ideò nemini mirum erit si etiam hõrologia Brugensia recognoscam. Quod in Ciuitatis turri est, præludium habet, & duas campanas maximas, quæ tardissimo maleo feriuntur: Ergo præludium tẽpore indiget vt suum versum armonicè expediat, & viginti quatuor ictus (duodecim in maiori campanâ, duodecim in minori) tardissimo motu succedentes aliquot temporis minuta requirunt; sed quanto? Pone sex, pone quatuor (non enim audiui in alio horologio ictus tardiores) pone plura pauciora-ue semper stabit momentũ illud quod sensibiliter diem a die diuidit, non esse indiuisibile, sed morale, ad quatuor vel ad sex minuta extensum. Vbi sunt plura horologia maior est latitudo; nam in magnis viribus interdum primum ab vltimo multis distat scrupulis.

Tempus ambiguum & probabile.

Horologiũ Brugense.

Dices quatuor minutorũ luxationem admitti posse, at minutorum 15. hinc, 15. inde hoc est 30. minutorum non Posse Tibi ego. Te mihi iam in substantiâ subscribere, & in quantitate differre. At quia Tu omni ratione et experientiâ carens, negas, quia negasti, ne errorem quem oculis claris percipis, retractare cogaris; Ego rationes demonstratas, experientias quotidianas adduco, & affero, quod ex omnibus, quæ hucusque dicta, hæc debeat inferri.

CCCXCV. Obiectio dissoluta.

Conclusio. *Aliud est quærere horam cœlestem & Mathematicam & aliud Ecclesiasticam moralemque, iuxta quam debemus gubernari in praxi. Cùm agitur de Mathematica horologiorum veracitate, stãdum experientiæ est. Si quis haberet horologium, quod quoties cum Cœlo collatum, exactè respondere deprehenderetur, eidem stare deberet, & dies distinguere non duodecimæ vltimo sed primo ictu. Si verò haberet, quoad intra horam cœlo correspondere, esset temerarius, si illud exactè horas representare crederet. Cùm igitur turrium horologia nec sint tam exacta quàm primum, nec tam exorbitantia, quàm secundum, merebuntur inter mediam fidem minorem primo, & maiorem secundo.* Sed *quantam? Quantam experientia docuerit.* Hucusque hæc positionum Conclusio pro-

CCCXCVI. Sumitur ab experientia resolutio.

ce-

cedit ſpeculatiuè & ſecurè; nec ab aliquo impugnari poterit. Sed progrederis, inquiriſquè, *Quantam experientia ipſa doceat?* Iam tranſimus ad quæſtionem de facto. Ex *Kepleri* optimi Mathematici Tychonicis Automatis vtentis experientia, ad quadrãtem hinc indè terminos Luxationis reduxi Si verò habites Romæ, Madriti, Pariſijs &c. & Eccleſiarum apud te cuſtodes, qui horologia dirigunt, ſunt *Kepleri* doctiores; & ipſę machinæ exactiores Tychonicis, contrahere hos terminos poteris (ſed nec illi vllibi ſunt doctiores & eruditiores *Kepleri*; nec iſtæ nobiliores Tychonicis) non quantum Diana aut Theologi iuſſerint, ſed quantum experientia docuerit.

Quanta ſit horologiorum bene dirrectorũ luxatio.

Quid dicendum ſit de hora Eccleſiaſtica: & quid vbi vnicum eſt horologium.

CONCLVSIO II. *Cùm agitur de hora practica* (hoc eſt, morali aut Eccleſiaſticâ: iuxta quam actiones noſtras gubernare tenemur) *reſpicere poterimus primum, vltimum, aut quodcumquè horologium benè directum*: ſingula enim habent vim opinionis probabilis. *Si vnicum ſit, illi erit ſtandum, quamdiu non conſtet eius error*: quia illud admittit conſuetudo Eccleſiaſtica tanquam arbitrum iudicemque vt horas ab horis diſtinguat.

Iuniorum aliquorum ſententiæ, quæ res Eccleſiaſticas ad momenta reducunt.

CCCXCVII Temporis ſecunda exactè non poſſunt numerari.

EX diſcuſſis manifeſtè colligitur caruiſſe notitiâ Aſtronomiæ Theologos, qui Eccleſiaſtica præcepta ad momenta temporis reduxerunt; Ego enim poſt multos annos ſtudij & laboris Herculei vellem videre vnicum momentum deſignandum, ſcertò enim ſcio à cœlo illos aberraturos toto cœlo. Hinc eſt, quod multis caſibus aliter reſpondendum ſit, quàm exiſtimant puri Theologi. Propono aliquos.

An ſeptennium computetur de momẽto ad momẽtum?

PRIMVS. *An paruulis ante expletum ſeptennium liceat miniſtrari carnes diebus ieiunij?*

Contra Syluium affirmatiuam ſententiam tenet Diana *part.* 1. *tract.* 9 *reſolut.* 43. & citat pro ſe Tannerum, Villalobos, Azorium, Gomez, Emanuelem Sà, Sanchez, qui docent pueros ante ſeptimum annum non ligari legibus Eccleſiaſticis, tametſi doli capaces ſint. Sed quomodo debet determinari annus ſeptimus? annè computandus eſt de momento ad momentum? *Reſpondeo negatiuè*. Primò, quia ignoratur natiuitatis momentum. Secundò, quia ſi illud Deus reuelaret, adhuc ignoraretur eiuſdem momenti reuolutio: Ergo ſeptimus annus moraliter accipiendus eſt. ſed quanta luxatio eſſe debet, in iſto tempore morali? Conſtabit ex caſu ſequenti.

SECVNDVS. *An pro obligatione ieiunij vigeſimus-primus annus ſit computandus de momento ad momentum?* CCCXCVIII. De anno vigeſimo primo.

Reſpondet affirmatiuè Sanchez & Portel; iuxta quorum ſententiam, qui natus eſt in profeſto Sanctorum Petri & Pauli horâ decimâ min. 20. ſecund. 5. &c. antè meridiem, redeunte eadem die anno vigeſimo-primo poteſt ientaculum ſumere ante hoc momentum, at non ſequentibus. Et quidem, ſi hæc opinio admitteretur, poſſet ſubtiliùs adhuc quæri, An qui in ipſo temporis ſcrupulo illo quinto magnam panis partem tranſglutiret, violaret ieiunium Eccleſiæ? & momenta hæc reducerentur ad inſtantia, & deberemus ſupra omnem Mathematicorum ſubtilitatem in moralibus controuerſijs aſcendere. An temporis momenta à pueris & hominũ vulgo cognoſcantur?

Subrideo cùm ſimilia lego, exſcriboquè; & quia tempus, quo obligat lex debet eſſe cognoſcibile, & momentum à pueris non eſt cognoſcibile; ideò concludo tempus hoc non debere numerari de momento ad momentum.

Poſito igitur quod tempus moraliter accipi debeat, inquiris: *Quando incipiet obligatio ieiunandi?* Reſpondet Sancius *in ſelectis diſp.* 54. *numer.* 4. die quâ complet quis annum Vigeſimum-primum non teneri ieiunio: Et ſi conſequenter dicere poſſet die, quo aliquis complet annum ſeptimum, non teneri præceptis Eccleſiæ. An diſtingueret inter præceptum ieiunandi, & præceptum abſtinendi à carnibus? Tu conſidera, Et ſi diſtingueret, quâ puer horâ incipiet non poſſe comedere carnes, qui poterat ante ſeptimum ætatis annum? CCCIC. Quæſtio ſuccurrens. Corollariũ. Quæſtio altera.

TERTIVS. *An, vt lex per non vſum careat authoritate, requiratur certum tempus præſcriptioque?* CD. De tempore ad præſcriptionem requiſito.

Azorius *part.* 1 *lib.* 5. *cap.* 4 *quæſt.* 4. & alij, decem annos debere tranſire putarunt. Et ſtatim interrogas *An ſtando eorundem opinioni hoc decennium debeat a momento ad momentum computari?* Reſpondeo negatiuè; quia annorum momenta ſubtiliora ſunt, quàm vt poſſint à plebe computari.

QVARTVS. *An Pontificiæ Leges non ſtatim poſt promulgationem ſed elapſis duobus menſibus Chriſtianos obligent?* CDI. De legibus De obligationis tempore.

Hoc vltimum probabile exiſtimat Diana *part.* 1. *tract.* 10. *reſol.* 9. qui citat Becanum, Sylueſtrum, Panormitanum, Ioannem Andream, Valentiam, Nauarrum, Emanuelem Sà, Reginaldum, Tabienam, Azorium, &c. Et inquiris, *An iſti duo menſes debent de momento ad momentum computari?* Et Ego eodem modo, quo ſuperiùs, reſpondeo.

QVINTVS. *An beneficiarius non recitans primis ſex menſibus teneatur ad*

aliquam reſtitutionem ? et ſi non teneatur, *An hi ſex menſes debeant de momento ad momentum computari?*

Reſpondeo ad primum, vtrumquè eſſe probabile, vt benè notat Diana *pae 2. traſt. 12. reſol 25.* Et ad ſecundum vt ſupra, non agi de momentis in moralibus diſputationibus.

CDII. De Profeſſione Monaſtica.

SEXTVS. *An anni ſedecim qui requiruntur, vt profeſſio ſit valida, ſint à momento ad momentum numerandi?*

Aſſerit Diana *par. 4 tract 2. reſol. 57.* qui citat Villalobos *in Summa tom. 2 tract. 35. diff. 20 num. 4.* aſſerentem Salmanticæ pronunciatum fuiſſe à viris doctis inualidam fuiſſe profeſſionem cuiuſdam, qui vota emiſerat ſex horis antequam legitimam ætatem compleret. At poſſet hæc profeſſio eſſe inualida, nec computari de momento ad momentum; quoniam poſſet quis dicere ſex horas eſſe tempus notabile.

CDIII. De anno probationis.

SEPTIMVS. *An annus nouitiatus, vt ſit integer, debeat de momento in momentum computari?*

Ad tollendos ſcrupulos in Congregatione SS. Victoris et Hydulphi annus et dies requiritur: in alijs iubetur, vt qui decimâ Ianuarij, verbi gratiâ, veſtitus eſt, non profiteatur anno ſequenti decimâ, ſed vndecimâ aut deinceps. Alii volunt rem Mathematicè tractare, ac ſi momenta temporis ab Abbatibus & Monachis cognoſcerentur. Vide Commentarij mei in *Regulam D. Benedicti num 468.* & Dianam *part. 3 tract. 2. reſol. 57.*

CDIV. De ætate requiſita ad ordines.

OCTAVVS. *Ad primam tonſuram & minores ordines requiruntur ſeptem anni completi: ad ſubdiaconatum viginti duo inchoati: ad Diaconatum viginti tres inchoati: ad Presbiteratum viginti quinque inchoati. Sed quo modo computandi ſunt? Annè de momento ad momentum?* Vno aut altero die antè tempus mathematicum poſſe licitè & validè aliquem ordinari probabile iudicat Villalobos *in Summ. tom 1. tract. 11 dub. 11. num. 2.* qui probabilius iudicat eum, qui hodiè veſpere complet ætatem, poſſe mane ordinari: quod etiam docuit Ledeſma & alij, non ergo illuſtrium Theologorum ſententiâ, anni de momento ad momentum enumerantur.

Horologia ſunt animalia artificialia: & hæc ſunt Horologia naturalia.

Ex authomatis venio ad Authomata. Quid enim aliud Horologia, quàm quædam viuentia artificialia? & Animantes ipſæ, quid ſunt aliud; quam quædam naturalia Automata? Demonſtraturus ſum etiam hic præſcripſiſſe opiniones antiquas, nec poſſe experimentis oppoſitis obliterari.

QVAESTIO.

DE BRVTIS.

An Leo Gallum fugiat? An Elephas genu flectere poſſit? An Equa concipiant ex aëre? An Chamæleontes edant, bibantue? An imbuere candidum colorem non poſſint?

CDV. De Gallo, & Leone.

GAllum ſub nobiliore natum ſydere veteres deliraruntque; voluerunt eundem Leonibus prædominari. Hinc fabula, quæ oratoribus & Poetis multos concepti efformandi appoſitam occaſionem dedit. Leonem dicunt voce Galli terreri, & fugere; Gallumque ingenitæ excellentiæ conſciam, conſtantem in perterritumque Leonem fugare; fugato occidere, et ſe vanè-gloriosè iactare. Hæc ſententia apud vulgus obtinuit, et in multis Philoſophorum libris reperta ab omnibus creditur & ſupponitur; erſi quotidiana experientia demonſtret euidenter contrarium. Leones vidi Madriti, Villaſoleti, Gandaui, Pragæ; Gallos dedi; nec ipſi diſtinguunt Gallinam ab anſere aut à Gallo. Eodem terrentur modo, ac ſi partem carnis vitullinæ viderẽt. Et interim noſtri Philoſophi, malunt credere veterum verbis, quam proprijs oculis, nec vnquam volunt errorem hunc communem dediſcere.

CDVI. De Elephante.

GRura Elephantis ſolida, carent articulis, ſi ſcriptoribus creditur; Si ſemel cadat, ſubrigere ſe ſolus non poteſt. Hinc lepidiſſima venandi has beſtias ratio inventa; nam cùm ipſi accumbant arboribus quietis aut ſomni gratiâ, (ſic dicunt) hæ arbores exciduntur, exſerrantur, aut ita implantantur vt oneri ſubcumbant, et corruant; et illis deiectis Beſtiæ etiam cadant, quæ cum ſemel lapſæ nequeant ſurgere, in prædam veniunt. At omnia hæc, quæ tanquam primò vera afferuntur, ſunt primò falſa. Vidi ſæpè Elephantes; & dum hæc ſcribo hîc Pragæ eſt vnus, qui non ſolùm flectere genua poteſt, ſoletque; ſed plures etiam motus ad numeros & artem variare. An-ne etiam hîc debebimus non oculis, ſed libris credere?

CDVII. De coloribus & cibo Camæleontis.

DE Camæleonte, quàm multa, & quàm vana ſunt dicta! Quàm multa in libris Philoſophicis! quàm multa etiam in aliis, qui accuratiore ſcribi calamo, & attentioribus oculis legi deberent! Nicolaus Cauſinus de eloquentiâ

libr.

Tertullianus libr. de Pallio.

libr. 2. descript. 79. ex Tertulliano [Hebes fessus vix se à terrâ suspendit. molitur incessum stupens, & promouet; gradum magis demonstrat, quam explicat, ieiunus scilicet semper, & indefessus, oscitans vescitur, follicans ruminat de vento cibus. Tamen & Chamæleon mutari totus, nec aliud valet. Nam cum illi coloris Proprietas una sit, quod accessit inde suffunditur. Hoc soli Chamæleonti datum, quod vulgò dictum est, *de corio suo ludere*.]

An aëre viuat Camæleon? Prouerbium Decorio suo ludere: desumitur a Camæleonte.

CDVIII.

Vberiùs ibidem huius mirabilis bestiolæ proprietates prosequitur idem Causinus ex Solino, inquit enim: [Per omnem Asiam Chameleon plurimus, animal quadrupes, facie quâ lacertæ, nisi crura recta & longiora ventri iungerētur, prolixâ cauda & eadē ad vertiginem tortâ; hamâti unges, subtili aduncitate; incessus piger, et ferè idem qui testudinum motus: corpus asperum, cutē, qualem in crocodilis, deprehendimus: subducti oculi, quos nunquam nictatione obnubit. Visum denique non circumlatis pupillis, sed obtutu rigidi orbis intentat. Hiatus eius æternus, ac sine vllius vsus ministerio, quippè cùm neque cibum capiat, neque potu alatur, nec alimento alio quàm hausta aëris viuat: color varius, et in momento mutabilis: ita ut cuicumque rei se coniunxerit, concolor ei fiat: colores duo sunt, quos fingere non valet, ruber et candidus, cæteros facilè mentitur. Corpus penè sine carne; vitalia sine liene, nec nisi in corculo pauxillum sanguinis est. Latet hyeme: producitur vere: impetibilis est coraci, è quo cùm interfectus est, victorem suum perimit interumptus: nam si vel modicum ales ex eo comederit illico moritur] His similia in aliis Authoribꝰ lego; at pleraque, quæ prodigiosa, falsa.

Camæleontis figura.

An natura aliquid condiderit frustra.

An aëre viuat Camæleon.

An in rubrū & candidum transire possit?

Camæleon viuus vincitur, & mortuus suum vincit victorem.

Audiueram olim à militibus qui in Africâ et Asiâ seruiuerant, Camæleontes comedere, parum tamen: in omnes colores transire: et nihilominùs hærebam anxiùs pondere communis opinionis pressus. interim à tot audio communem sententiam falsam esse, vt debeam omninò assentiri.

CDIX.

Athanasius Kircher laudatus.

R. P. Athanasius Kircher in Arte magnâ lucis et vmbræ. *libr. 1. part. 3. cap. 7. pag. 86.* ob oculos ponit Camæleontem, quam Romæ vidit; et suis oculis potiùs confidēs, quàm Philosophorum coniecturis aut fabulis, Physicam promouet, et instruit amantes veritatem his verbis. [Anno [M. DC. XXXIX appulit huc Romam ex Palestinâ Religiosus quidam ex familiâ D. Francisci, qui inter alia rara, secum quoquè portabat Chamæleontem viuum, quem curiosis naturæ rimatoribus conspiciendū præbebat. Hanc ocasionem nactus singulari studio dicti animalisculi naturales affectiones indagandas duxi. Varii de eo varia tradunt, multa quoque reperi animali falsò affictâ. Quod verò in eo circa colorum mutationem obseruaui, hic breuiter Lectori communicandum duxi. Figura animalis hæc est ad viuum. Si caput primò meditemur, à medio capite retrorsum ossea pars triquetro eminet, reliqua pars antrorsum colligitur cauâ, & quasi cuniculata eminentibus vtrinque osseis marginibus asperis & leuiter serratis. Oculi in cauo recessu prægrandes, & corpori concolores conduntur, cuius pupilla non mouetur, sed animal totiùs oculi motu circūspicit, ore semper hiante. Linguam habet longam, & terrestri lumbrico similem, in cuius extremitate spongiosus quidam, & glutinosus nodus existit, quo muscas, culices, cynipheſque quibus viuit, veluti visco quodam inescatas ad se trahit. Cuius experimentum ego ipse sumpsi, porrectā enim muscam palmari linguâ apprehensam mox sine vllo labiorum motu in ventrem submisit; vt proinde mirum in modum ij, qui hoc animal solo aëre, aut rore victitare asserunt, hallucinentur: ad quid enim natura illi ventrem, & linguam tribuisset, si manducandi facultate fuisset priuatum; Pedes anteriores vàlde erant à posterioribus discrepantes; primi ternos digitos intra, binos extra: postremi ternos extra, binos intra habebant. Animal temperamenti frigidi, quemadmodum ex pigro quem subit motu colligitur. Figura igitur descripta iam restat, vt in quos colores se vertat, videamus. Plerique Authores in omnes præter candidum & rubrū se vertere tradunt. Verùm aliter me docuit experientia. Nam hic Chamæleon viridi panno impositus ita virescebat vt vix à subiecto panno; strophiolo verò candidissimo inuolutus ita candescebat, vt ne quidē ab ipso strophiolo dignosci potuerit: imò quidā etiam dvm animal in albedinem panni transformatum vix dignoscerent, id se perdidisse putarint: ita

Protinus assimilat tetigit quoscumque colores.]

Camæleontis figura.

An muscas edat? An aere viuat saltem rore?

Eius tēperamentum

In quos se conuertat colores.

Hinc progreditur vt causas examinet physicas, & adducit rationes, quibus vtar omninò in Philosophicis: at modò Ethica tracto, & earum viribus non indigeo: mihi enim in præsentiarum sufficit, ostendisse clarissimè opinionem vulgarem de Camæleonte falsam esse: et si verum sit omnes dixisse illum aëre vesci, & non posse cādore aut purpurisso tingi: errasse omnes omninò: et erraturos olim quoties plus deferre auribus placeat, quàm oculis: plus Authoribus, quàm experientiæ.

Plus ne oculis, an auribus sit deferendum: Plus-ne authoritati an experientiæ?

CDX.

De æquarū Hispanarum concertu.

OMitto Equas Hispanas, quæ concipiunt ab aëre; et alias multas nugas, quæ in Aristotele, Plinio et aliis lectæ hodiè assensum extorquent; et hoc tantâ tyrannide, vt qui oculis credat, et Aristoteli decredat, audax et indoctus dicatur. *Qui-*

De Camæleonte multa falsa scribuntur.

bus non obſtantibus, Ego nulli me homini aut antiquo aut iuniori contra oculares experientias obloquenti, fore crediturum pronuncio. Et cur crederem? oculos mihi, vt videam, dedit Deus: vt audiam, aures.

QVAESTIO.

DE HONORE.

An-ne dicendus ſit perdere honorem, qui tantùm apud viles & improbos? & hac occaſione. *Quid & quotuplex Duellum ſit? & Vtrùm aliquando ob honoris defenſionem ſit licitum.*

CDXI. De duello.

VT titulum quæſtionis intelligas, caſum propono. Prouocauit Antonius ad duellum Fridericum, virum nobilem & ſibi ſimilem; & quia iſte timoratæ conſcientiæ eſt, inquirit, *An-ne poſſit ſe Antonio iſtere; an potiùs debeat aut manere domi, aut ire alio?* Putat Fridericus ſe in loco comparere debere, nam aliàs erit honoris prodigus, habebiturque ignauus & infamis.

An acceptari poſſit?

Porrò duellum acceptari non poſſe ob metum infamiæ negant omnes antiqui cõmuniter. Ita Abulenſis, Salonius, Caietanus, Armilla; quos ſequuntur Sotus, Azeuedus, Nauarra, Bannezuaſentia, Ledeſma, Emanuel, Thomas Sanchez, apud Caraſam *de duello tract. 4. Sect 6. Reſp 8. num 33. pag.* 353. & ſi petatur ratio omnes in hanc, quã adducit Sanchez *in Decalog. to. 1. lib. 2 c. 39. n. 9.* cõſpirant [Dicendum eſt, inquit, hanc non eſſe iuſtam acceptandi duelli cauſam, ſed eſſe culpam mortalem acceptare. Ducor, quia etſi apud vulgares id ignominiæ tribuatur, tamen apud ſapientes & probos id honori adſcribetur, quando gratia diuinæ legis ſeruandæ, duellum oblatum reſpuitur, quod falſæ vulgi opinioni præponderat. Quare non eſt ſimile de fugâ, dum aliquis inuadit: ea enim militiam profitenti reputatur ignominioſa, etiam apud probos & ſapientes.] Ita Sanchez, & ita plurimi ante illum & poſt illum.

Et cur non poſſit?

De fuga.

Duellum poſſe acceptari probabile eſt. Sed ex hac probabilitate multa mala ſequuntur.

Nolo examinare, *An egredi ad duellum liceat aut non liceat?* fateor enim contrariam ſententiam, quam Carafa alijque probabilem iudicant, etiam poſitis omnibus limitationibus quæ ſolent debentue eſſe periculoſam, & nociuam Reipublicæ, & præcipuè apud Gallos, qui nimirùm generoſi & feruentes ſe hoc æuo prouocant ex leuiſſimis cauſis. Nolo examinare An circulus committatur apertè? nam, qui non egreditur ad duellum, nediuinam legem violet, ſupponit hanc obligare in illo caſu, cùm potiùs id ipſum quæratur, quàm ponatur. Nolo etiam diſcutere, *An qui prouocatus duellum acceptare recuſat, perdat honorem apud probos?* Nolo *An Sanchez ſororem ſuam in coniugem daturus eſſet illi, qui duellum noluit acceptare?* hoc enim ipſum deberem prius videre, quam credere. Sed examinabo tantummodò, *An nihil ſit perdere honorem apud vulgares & improbos?* hoc enim fere omnes ſupponunt, & euidenter falſum eſt. Sic diſcurro,

Circulus logicus.

An qui duellum non acceptat honorem perdat apud improbos?

Eſſe infamem apud vulgares & improbos, vel eſt aliquid Petro grauiter malum, vel non. Si eſt malum grauiter, corruit tota Sanchezij & aliorum omnium argumentatio, qui docent non eſſe curandam aut vitandam honoris iacturam, quando ille tantum apud vulgares & improbos homines perditur. Si non eſt malum grauiter, non peccabit mortaliter Antonius [N.B.] ſi eundem Petrum innocentem traduxerit, & falſa teſtimonia imponendo apud vulgares & improbos infamem reddiderit, ſi apud Sapientes & doctos laudauerit. Et quidem hoc, vt puto, neceſſario ſequitur ex Sanchezij doctrinâ, quod euidenter falſum eſt. Stat igitur grauem iniuriam fieri Petro, cùm apud vulgares, etiam improbos, infamis redditur. Quod ſi aliquis ſit oculatior me, & voluerit conſequentiam negare, dignetur me docere obſecro, cur in priori caſu carere apud improbos honore, non ſit grauiter malum, & in poſteriori grauiter malum ſit.

An ſit malum eſſe infamem apud improbos?

An calumniæ & detractiones ſemper ſint peccata?

Porro iſtam conſequentiam, quam certiſſimam & clariſſimam iudico, exemplo clariſſimo illuſtro. Pone aurum cuprum què diſtingui ſpecie, quod ſcholæ nos docent; Pone dari artem chymicam mutandi metallorum colores illæsâ ſpecie, quam pollicentur multi: Pone Petrum habere aureos mille: Pone Antonium hos eoſdem Petro inſcio aut inuito tranſcoloraſſe, exhauſtoque antiquo pallore, rubedine cypriâ tinxiſſe. Quales erunt igitur illi nummi? vulgi opinione cuprei, at ſapientum; qui rem Chymicam norunt, & à conſtantiâ eſſentias metallorum diſtinguunt, erunt aurei. Et quid illis nummis Petrus habere poterit? nihil; nihil. Si panem velit emere, ſi vinum, ſi carnem, reijcietur, non enim Politici & Mercatores volunt nummos qui reuera boni ſint, & adulterini vulgò habeantur, Sed nummos qui apud omnes (doctos, indoctos; Chymicos, Achymicos; nobiles, ignobiles; magnos, paruos) ſint boni. Peto An-ne in tali caſu Petrus nihil perdiderit? Anne illi Antonius nullam prorſus iniuriam intulerit? An-ne cogi poſſit aut debeat ad reſtitutionem? Cœcus ſim, ſi in re tam clarâ velim vel verbum addere. Ergo de honore eodem modo Philoſophabor,

De furto.

An damnũ inferret, qui auri colorem ſeruata ſubſtantia mutaret?

Honor

Honoris & auri comparatio.

Honor ille, qui apud vulgares perditur, & apud probos manet, est aureus; & tamen cupreus vulgò apparet; qui illum habeat, vulgò malè audiet, vulgò contemnetur, vulgò erit infamis; carebit dignitatibus & promotionibus, quæ pendeant actiuè vel passiuè à vulgo: nam, si voces actiuæ a vulgaribus hominibus pendeant, omnes ei negabuntur; si sit imperaturus vulgo, non admittetur; non enim viri honesti volent gubernari ab infami. Ergo stat esse grauiter malum carere honore apud vulgares. Ergo qui Petrum honore, quem apud vulgares habebat, spoliat, magnam iniuriam illi facit: Ergo siquidem dicitur Petrus posse suum honorem defendere, hæc veritas, habebit locum, non solùm cum apud probos, sed etiam, quando ille alias apud vulgares perderetur.

Resolutio.

CDXII. Cur tractẽ hanc Quæstionem, vberiùs?

POssem me breuiùs expedire, nec plus examinare, quàm proposita difficultas inquirit: at, quia multis annis inter milites egi, & multarum nationum mores præiudicijs bellicis depravatos obseruaui, & quà licuit correxi, multa potero dicere, quæ Viri doctissimi ignorant: in ijs enim, quæ à placitis militum pendent, ingenium inexpertum cespitat. Volo igitur examinare breuiter, quid in duelli materiâ sentiant & afferant milites & nobiles: & vtrùm bene? sit igitur.

Quid sit duellum, & quotuplex?

Conclusio I. *Duellum est duorum bellum (& hinc nomen deducitur) institutum priuata authoritate*: (De hoc enim agimus: non autem de eo, quod authoritate publicâ permitteretur:) *et iuxta militum nobiliumque opinationem triplex: Decretorium, Propugnatorium, Defensorium.* Voces expono.

Duellum decretoriũ.

Duello decretorio confligunt, qui in viuis simul superesse non volunt: qui arma mouent hac lege, vt cessare non debeant, quousque alter occidatur. Interdum temeritatem istam, aut infamiam veriùs, humanitate apparenti & adulterinâ deligurant, nam ad conflictûs locum suas alteruter pecunias & gemmas importat, vt superstes habeat vnde sibi possit consulere, si debeat ad regionem peregrinam abire. Propugnatorio duello ille arma miscet, qui inuaditur; qui ad campum egreditur animo non quidem occidendi aduersarium, sed conseruandi suum honorem: putans mortem aduersarij euenturam per accidens, & non sibi, sed prouocatori imputandam: nam ipse paratus est à duello desistere, si alter à prouocatione desistat. Satisfactorium illum respicit, qui graui iniuriâ affectus, in Martis tribunali postulat iustitiam & satisfactionem; paratus à prouocatione desistere, cùm primùm alter velit congruam dare satisfactionem. *Has* duellorum species multi viri, etiam docti, confundunt; quæ debent necessariò secerni: *Vt* igitur ad sententiam & Theologicam censuram deueniamus, sit.

Propugnatorium.

Satisfactorium.

Vide Conclusionẽ nonam inferiùs.

Conclusio II. *Non est possibilis casus in quo (siue de prouocatione, siue de accepeatione agamus) Duellum decretorium sit licitum.* Patet, quia nascitur ex odio personæ, & & non pendet ab vllâ satisfactione, nec aliter terminari potest, quàm morte alterius.

Obiectio.

Dices, posse Petrum licitè acceptare duellum decretorium, si habeat animum non occedendi prouocantem, sed potiùs ponendi arma, si fortè ille qui ad decretoriam arenam prouocat, mutet animum, & ad honestas conditiones descendat.

An detur duellum mixtũ: hinc decretoriũ, & inde propugnatoriũ aut satisfactorium.

Respondeo, te in hac obiectione multa inuoluere: fateor enim idem duellum posse ex alterâ parte esse decretorium, & ex alterâ propugnatorium aut satisfactorium: fateor illud, quod sub initium fuit decretorium, posse (vt humana omnia) mutari, & in speciem minùs malam transire: cæterùm, vi huius transitûs reddi licitum admissurus non sum, nisi multa alia accedant, de quibus paulatim disputabimus.

De loco ex lege, & personis ex legibus.

Conclusio III. *Stando Iuri naturæ & præscindendo ab omni lege humana, homo qui habitaret in insula nulli Principi subdita & nullis legibus Politicis obnoxia, fortè posset duello satisfactorio sibi prospicere, si diuitias aut honorem perdidisset iniustè: at hodiè non potest, quia ratio ob quam id tentare in illa posset insula, cessat in benè gubernatis prouincijs, in quibus iniustè læso authoritate Regia, Cæsarea, &c. succurritur.* Vt conclusionem hanc exponam, casum pono.

Casus proponitur, & iuxta legem naturalem discutitur, dissoluiturque.

Sumus in insulâ diuersi homines, nulli mortali subditi. Fridericum Casimirus exspoliat, & Hortensium Albericus criminum falsa impositione maculat & infamat. Aio iniustè læsos in tali casu posse se tueri, & res iniustè raptas recuperare. At non possunt authoritate publicâ, vt supponitur; sunt enim in loco, vbi non est Ius ciuile: ergo potuerunt sibi prospicere priuatâ authoritate. Possunt igitur armis se indemnes reddere. Poterit igitur Casimirum armis Fridericus urgere, quousquè pecunias furto ablatas restituat: & cùm primùm eas recipiat, debebit à violentiâ cessare. Ergo similiter Hortensius gladio poterit Albericum cogere, vt honorem iniustè detractum restituat, quo semel restituto, non poterit, vlteriùs progredi, nec ampliùs detractori nocere.

Id fortè in illâ insulâ licuit Friderico et Hortensio: at non liceret in Europâ non etiam in Africâ aut Asiâ non in Indiis; non in vllâ regione, quæ publicâ potestate regatur. Iubent leges, ut nemo sibi ius dicat, nemo proximum grauet priuatâ authoritate hæ leges iustæ sunt; iam acceptatæ ab vniuersis multorum annorum possessione præscriptæ; potentesque innocẽtes iuuare. Deberent igitur Fridericus Hortensiusque, Casimi-

simirum furti, Albericum calumniæ apud publica tribunalia accusare & indè sperare iustitiam: & si omissis mediis à Republicâ positis ad arma & violentiam confugerent peccarent. Hinc oritur.

An liceat prouocare?

Conclusio III. *Nullus est possibilis casus in quo liceat ad duellum prouocare.* Sanè mihi nullus occurrit: illos enim, quos aliqui Recentiores ponunt, aut illicitos dico, aut non esse prouocationes credo; sæpe enim videtur prouocans, qui reuerâ dicendus esset prouocatus, qui enim duellum nondum prouocatus acceptat, prudentum opinione prouocat.

Prouocatio virtualis.

Manet igitur vt expendamus Duellum propugnatorium, in quo homo non prouocat, sed prouocatur. *An semper potero licitè acceptare necessitatem confligendi, & venire ad designatum locum tempore designato?*

An liceat Duellum acceptare?

Opinionum humanarum varietas.

Multa solent adduci, omnia obscura, omnia difficilia & implexa. Varii sunt sẽsus hominum; & plerique omnes præiudiciis & affectibus læsi. Nobilibus non consentiunt ignobiles: nec militibus ciues. Philosophi sagum, & togam miscent: & Theologi, si quando generales dant regulas, benignæ aut seueræ illæ sunt, deuiant à veritate. Mutantur circumstantiæ interdũ & his mutatis etiam resolutiones alterantur. Sit igitur.

Sæpè sufficiunt uerba: si hæc sufficiant ad arma venire, nemo debet

Conclusio V. *Quoniam sufficiunt verba ad tuendum proprium honorem non tenetur acceptare duellum prouocatus.* Sed quæ verba sufficerent? Posset dicere *Ego non teneor nec possum acceptare duellum, quod leges Diuinæ, Canonicæ & Ciuiles inhibent: at sciam me defendere vbicumquè me inuadas.* Et hæc verba inter ciues sunt sufficentia; & sufficiunt inter nobiles militesque, quos obtinere debet pietas & sinceritas. Quod si ita improbi homines sint, vt his verbis non se possit prouocatus tueri, debebit tranquillo & moderato animo considerare Assertiones sequentes. Interim nihil curare existimationem improborum.

An fœmine teneãtur cõfligere?

Conclusio VI *Qui est in eorum statu, qui non vtuntur armis, non tenetur ad duellum egredi prouocatus: quinimò egrediendo non conseruabit suum honorem, sed perdet.* Primò Fœminæ, nec prouocant, nec prouocantur: & anno M. DC. XLII. risu Bruxellis excepimus generositatem aut temeritatem cuiusdam Principis Gallæ, quæ Hispanam prouocaret ad sclopos & gladios. Sed si Deus non iuuisset, risus iste fuisset versus in lachrymas ob multorum vesaniã, qui hinc indè stantes volebant ad arma venire. Secundo, Ecclesiastici, & Religiosi præcipuè, non solùm non profitentur arma sed profitentur carere armis: vnde, qui Ecclesiasticum prouocaret ad duellum, censeretur delirus: & Ecclesiasticus prouocatus, nisi suam vellet opinionem & authoritatem prodigere, teneretur in tali casu difficultatem bonis verbis componere, & Prouocationem ridere.

An Ecclesiastici.

An Medici & Iurisperiti?

Ecclesiasticis adscribendi sunt Iurisperiti & Medici: & quia ista pendent ab experientiâ, aio me vidisse carpi ab amicis Nobilem, qui Medicinæ Doctorem prouocarat: laudari Medicum a pietate & prudentiâ, quod bonis verbis difficultatem composuisset.

Alii arma gerunt ad vsum alii ad ornatum

Conclusio VII. *Non omnes, qui gerunt arma, illa gerunt ad vsum: nam plurimi ferunt ad ornatum & isti egredi non tenentur ad duellum.* Patet Conclusio. Sæpè enim videmus Famulos & inferioris fortunæ homines, ensis deponere & pugnis controuersias dirimere. quod censeant se non teneri militum & nobilium imprudentibus legibus; sed gerere enses vt ornamẽta, non vt arma.

Inter superiorem & inferiorem nõ permittitur duellum.

Concclusio VIII. *Inter ipsosmet milites non censetur debere ad duellum egredi, qui à Superiore aut Inferiore prouocatur.* Nomine *Superioris* intelligo, non illum, qui in dignitate altiori positus, sed Prælatum: quidquid enim sit de milite prouocato à Colonello, cui non subest: ille ipse, si prouocetur à suo Cẽturione, aut à suo Chyliarchâ, duellum acceptare non debet: sicut nec vllus militiæ Princeps (Centurio, Chyliarcha, &c.) si prouocetur ab aliquo milite quantumuis nobilissimo & magno, si est sibi subditus. Superior ab inferiore (sibi subdito (prouocatus, solet dicere, *Superiores, proprijs punire manibus irreuerentes subditos non solemus; habemus enim huius rei causa lictores, carnifices, & alios*) & in expeditionibus benè gubernatis eiusmodi prouocationes luuntur capite & Antuerpiæ quemdam signiferum Hispanum vidi vltimâ condemnari sententiâ, quòd contra Centurionem suum ensem strinxerit. Quid autem, si subditum prouocet Superior? Referam historiam, quæ in Belgio accidit sub annum M. DC. XL.

Tesserarius bispanicè sargento mayor

Militare dilemma.

Neoporti, quidam militiæ Princeps, occœpit Tesserarium suum fastidire; & vt se expediret citò, eum ad duellum prouocat; hoc, vt videbatur, bimembri ratiocinio abutens. [Aut se sistet aut non. Si primũ, damnabitur rebellionis et temeritatis: si secundum damnabitur pusillanimitatis] ergo Superior subditum in præcipitium protrudebat. At iste irarum patiens, sedato animo; perfido superiori sic inquit.

Solutio.

An sim strenuus miles, sciunt Hollandi meo ingenio & brachio interdum cæsi. Sciunt commilitones mei, qui meorum laborum & generositatis sunt testes. Scit Rex, qui me honorauit & ad hanc dignitatem promouit. Scit Dominatio Vestra; & fateretur, nisi esset irritatus. Habeo gladium, quo meos Superiores defendam; vitam, quam ad illorum

ſum imperia exponam: non autem arma, quæ contra illos ſtringam. Sit quæſo V. Dominatio iſta reſponſione contenta: ſin minus, promoueatur ad maiora, & habeat dignitatem aliam, ratione cuius non ſit meus Superior, & tunc experiri poterit, an qui dignitatem veneror, perſonam morer. Hinc à fortiori ſequitur, non teneri iuxta militiæ leges ad duellum egredi, qui vel prouocatur à Patre, Patruo, Auunculo, Auo etc. vel à Filio, Nepote, etc. maior enim eſt ſubordinatio naturalis, quàm quæ legibus eſt introducta,

Perſonæ Regiæ cum nobilibus ſecundi ordinis non tenẽtur pugnare.

Concluſio IX. *Regiæ Perſonæ, quales ſunt vbique Regum filij, & in Gallia illi omnes, qui nominantur Pares, cæteris Nobilibus quodammodo præſidere creduntur, nec debere duelli aleam acceptare.* Gabriel Bartholomæus Gramondus, Senator Regius & Toloſani parlamenti præſes, in Galliæ hiſtoriâ ad ann. 1612. §. eo anno: paginâ mihi 31. *Luxius duplici vulnere confoſſus cadit. Fuere, qui ex improuiſo à Guiſio cæſum, dum ferrum ſtringit, obſtreperent. Rem in ambiguo poſitam in peius explicat Luxij filij veſanus dolor. Certè diu prohibuit reuerentia, quin Principi ſingulare certamen indiceret: vicit ira arduum opus erat à disparitate natalium: neque enim uſu recepta in hanc diem ſingularia certamina Virorum Principum cum ſecundi Nobilibus ordinis.*

Biro Luxius occidi tur,

Se non poſſe Guiſium ad arenam vocare nouit Luxius, cuius literas, quia pulchræ, et Lectoribus vtiles, placet eruditionis causâ adiicere.

Eius filius Guiſium, licet Galliæ Parem prouocat.

CDIXII. Prouocatoriæ literæ Baronis Luxii, ſecundi ordinis nobilis ad principem Guiſiũ Franciæ Parem.

NEmini apertiùs innoteſit cauſa doloris mei, ut legitimus eſt, quàm tibi Domine, eoque veniam debes, qui iuſtus es ignoſce ſi filium a patris nece, ira vecordem agit Singulari tecum certamine, dum experiar, ſi congreſſum non dedignaberis, quod ſpero, cum Principe experiri mihi honori vertet; tibi gloriæ, & decori, quam pro natalibus detrectare pugnæ aleam potes, ultro ſubeunti. Paterni ſanguinis ultorem habes, a quo prouocaris aut vna cæſum. Hæc me iuſta opinio, qua ſum virtutis tuæ legitimus æſtimator, ſperare iubet renuntiaturum te tãguinis priuilegio, quo Princeps es. Qui tibi à me hos codicillos reddit idem dux erit in arenam, quam teneo vltionis impatiens, aut mortis: vnus mihi equus, duo enſes quorum erit electio penes te; hic ſi parum probabitur locus, ſequar quo indixeris.

Proderit etiam Duelli ſucceſſum et circumſtantias omnes breuiter recenſere, vt poſſint neſcire Theologi, quo Principes et Milites modò in hac controuerſiâ diſcurrunt. Sequentes ergo lineas ex eodem Bartholomæo Gramondo ſumo.

An detur inter hoſtes vrbanitas.

Scriptum ex fide retuli; eo tempore magni habitum, ex modeſta prouocantis audacia, molliebat inuidiam iuſtus dolor, parumque uſurpata inter inimicos vrbanitas; quod in adoleſcente vix annos XX. nato mirabile. Acceptum habet generoſus eques duellum, Griniautioque ſenſim dilabi iuſſo, Rioleto it comes donec in arenam veniret. Datur delectus enſium; & quanquam gelu rigebat ſolum, exuitur thorax, nudantur ferro pectora: primo tranſitu, Guiſij brachium leuiter mucrone perſtingitur; ubi ſanguinem videt, Patris, *inquit* manibus Luxi factum ſatis eo ſaguine! *Luxius ira vecors,* Decretoria, *inquit*, pugna eſt, ſociabitur morte filius Patri, aut hoſtis hoſti. *Redintegratur pugna; altero tranſitu lethaliter confoditur Luxius, neque cadit: acto in gyrum equo, redit in hoſtem integris adhuc viribus prætergreſſumque in veſtigia ſequitur. Lateri mucro imminebat, cùm Guiſius ægrè reducto equo (æſtuabat ferocitate ignitus fræno impare) iterum obiicit enſem, currentis equi impetu, in latus capulo tenus abditum. Non in momento cadit, bis lethaliter ictus: ſinuantur denuò in gyrum equi: inſtat mutuò in latera ferrum donec Luxium penitus deſtituerent vires; excutitur equo exanimis: viguit animus donec vixit.*

Duelland modus apud Gallos:

Vel minima gutta ſanguinis honos recuperatur. Duellum decretorium quale ſit.

Luxius miſe ſerè occiditur.

Hic, erudite Lector, multa inuenies in paucis. *Primò*, Quid ſit duellum? *Secundò*, Quo Decretorium modo, à Satisfactorio diſtinguatur? *Tertiò*, Poſſe Decretorium in ſatisfactorium tranſire, ſi armaconſerentibus placeat. *Quartò*, Perſonas regias, non teneri ad duellum egredi, ſi à ſecundi Ordinis Nobilibus prouocentur. *Quintò*, Vulneratum poſſe ſine honoris iacturâ deſiſtere, & in tali caſu alterum etiã deſiſtere debere, ſi enim de honore agitur, parti læſæ ſuccurritur alteriùs vtrius fuſo ſanguine. *Sextò*, Guiſium fuiſſe vrbaniſſimum & humaniſſimum, Luxium adoleſcentem præcipitem et temerarium. Hæc ego corollaria ad leges et opinationes militares deduxi: modò progredior vt Theologus; et has periodos addo.

Quæ veniãt in hoc duello à nobilibus & militibus obſeruanda?

Analterius ſanguine, quæcumque macula abluatur.

Quæ ſint à Theologo in hoc duello notãnda.

Dico primò Luxium Veſanum iuuenem prouocatione iſtâ peccauiſſe mortaliter. Patet ex concluſ IV. ſunt enim duella iure naturæ prohibita et in Galliâ inhibita legibus Pontificiis et Regiis; et adſunt tribunalia, in quibus etiam Principes iudicantur et condemnantur. *Dico ſecundo*. Guiſium etiam, duelli acceptando conditionem peccauiſſe mortaliter: tum ob rationes generales, tum ob ſpecialem, quam hæc Concl. IX. præ ſe fert; acceptauit enim duellum ſpontè, quod, vt ex literis prouocatoriis conſtat, poterat honore illæſo recuſare. *Dico tertio*, debuiſſe Luxium petente Guiſio à prouocatione deſiſtere, et eſſe contentus brachii ſanguine; nec enim egebat Guiſij vitâ, vt honorem perditum recuperaret. *Dico quarto*, miſerrimè periiſſe Luxium, et quantum humana ratio aſ-

ſe-

sequitur,& corpus perdidisse & animam.

Multi uolũt & multi nolunt in libris nominari.

Conclusio X. *Senex prouocatus à iuuene, & Iuuenis prouocatus à Sene, non tenetur acceptare duellum*. Occurrunt multa exempla & historiæ, ex quibus constet & probetur Assertio. Et quidem optarem in hoc articulo posse nominare personas, sed quia varij sunt hominum sensus, & aliqui se libenter legunt,et alii non,abstinebo à nominibus,et casus proponam tantummodò. Vidi Madriti nobilem adolescentem, qui prouocarat senem,ab amicis confundi,et cogi a prouocatione desisteret, et veniam petere iuuenilis audaciæ. Audiui Principem Alberstadium (alias fortissimum et temerariũ militem) in hoc saltem à prudentiâ laudari, quòd cùm apud Hagam-Comitis (Hollandorum est Regio) à quodam Principe sene prouocaretur, responderit vrbanissimè et sedatissimè, *se venerari canos, nec habere gladium irreuerentem, qui in personam auderet, quam deberet tutari.*

Alberstadius laudatus.

CDXIV. Egredi ad pugnam, qui ab ingrato prouocatur, nó debet.

Conclusione XI. *Qui vitam concessit alicui, si ab eo prouocetur, non tenetur ad arenã venire*. Probat hanc Assertionem ratio, et communis hominum militarium opinio. Ratio:quia Pater prouocatus à Filio iuxta Concl. VIII. non tenetur acceptare duellum; et est genitori simillimus, qui è morte eripit,aut vitam clementer indulget. *Hinc* oritur à *Seruo* non posse prouocari Dominũ: nec possessorem à captiuo. *Hinc* patet interfuisse aliquas circumstantias laude dignas in Ioannis Nossorici, Hipparchi apud Regem nostrum, captiuitate. Ab vndis et ventis victus, et in arenam vectus, et ab Hollandis captus,et Principi Auriaco traditus,summâ patientiâ pertulit Principis Victoris ineptias. Soluit lythrum,recepit libertatem; et ex captiuo hospes, aut hostis veriùs,ad duellum prouocauit Auriacum. et statuS *Hollandiæ*, licèt authoritate inhibuerint conflictum, tamen Principis Ioannis,dum esset captiuus, patientiam; dum esset liber,et hostis publicus(erat inter *Hispanos* et Hollandos sub illud tempus bellum)generosam audaciam dilaudarunt.

Seruus Dominum prouocare non potest.

Ioannes Nassouicus laudatus.

Sed inquiris,an Ioannes Nassouius in hac prouocatione peccauerit?et fortè videretur quod non: quia dum bellum publicum, est declaratum, licet hostes spoliare et occidere. *Respondeo* hominem debere bona facere,et bene: nimirùm, quod iubet *Respublica*, et eo modo quo iubet Respublica. Rem exemplo dilucido.Iudex condemnat vltimâ sententiâ Fridericum, et Carnifici tradit: potest iste aut etiam tenetur, reum occidere:sed quo modo?quo Iudex præcipit: non enim potest Carnifex laqueo interimere, quem Iudices damnarunt pœna gladii: nec contrà: imó, si Carnifex esset damnati hostis,et explendi odij causâ eum occideret, etiam peccaret. Ergo de milite eodem modo philosophare. Potest hostem occidere; non quemcumque sed eum quem iubetur occidere: licèt enim habeant Hispani bellum cum Gallis nemini permitteretur quod occideret Regem Galliæ non qualitercumquè, sed eo modo quo iubetur. Ergo miles qui eum hostem occidit, quem Respublica vult non occidi; vel quem vult occidi Respublica, occidit modo quo non vult Respublica: peccat mortaliter. Cùm igitur Hispaniã non velit Principes inimicos occidi, sed reduci & subigi; nec iusserit Ioanni vt Principem Auriacum occideret manu propriâ, sed exercitu suo debellaret, excusari non poterit à mortali.

An cuicumque hosti liceat occidere hostem qualemcũque,quando bellum publicum est daclaratum inter nationes duas?

Debemus non solùm facere bona, sed bene.

An Carnifex possit in sententiæ exsecutione peccare?

Conclusionem hanc milites ad casus similes extendunt; & quia prodesse poterit, historiam sequentem subscribo. Dum Frãcandaliæ,essemus, Galli circumsedebant;& quia sunt generosi frequenter occasionem aut necessitatem etiam arma conferendi indulgebant. Interim quadam die Titius equitum Dux, dum aduerso marte cum Gallis signa conferremus à tribus captus hostibus deducebatur. In eum incidit nobilissimus Dominus Petrus, equitum Commissarius Generalis; occidit vnũ hostem, duos fugat, Titiumque libertati restituit: & ad ciuitatem reducit post paucos ille dies ex causâ leui & eâ potiùs quesitâ quam inuentâ, Petrum prouocat. Cui Petrus. *Vita, quam viuis, mea est. Non auferam,quam semel dedi. Sciunt omnes me non esse timidum: scis etiamtu; qui à me tuo bono illos vinci vidisti, quibus arma tradideras. Si meam generositatem & fortitudinem experiri adhuc placeat, tres hostes nomine tuo substitue, sum enim paratus cum eis confligere, & spero illos vincere, sicut tres illos vici: qui te vicerant, spoliarant, & ceperant.* Laudauit vulgus militare responsum: punivit Titium Comes de Rebolledo, Heros fortissimus & prudentissimus, & Petri prudentiam commendauit.

An liceat Reges hostes occidere?

Francandalia circumsessa à Gallis

D. Petrus de Zabala laudatus.

Conclusio XII. *Nemo tenetur se illi sistere; à quo nomine alterius prouocatur* Quid si prouocator sit absens, & alium suo loco substituat? *Nec tunc duellum acceptare tenetur*. Casus in terminis accidit etiam Francandaliæ. Illum recenseo.

An liceat per vicariũ pugnare?

Franciscus(ponam nomina quæ personas distinguant: tametsi ex causâ nolim nunc exponere verâ) discessurus Bruxellas,commisit Friderico, vt suo nomine Anselmum prouocaret. Erant omnes tres Centuriones & in hoc genere ad superstitionẽ audaces. Iubetur supremâ authoritate Anselmo, ne se Friderico sistat: Friderico, vt à prouocatione desistat: duella enim sunt personales causæ, quæ expediri non possunt per Vicarios. *Hec* ideo dixi vt indicarem aliquos esse casus in quibus etiam apud homines vulgares nullam sui honoris & famæ iacturam patitur ille qui duellum acceptare

Re-

recuſat. Quanti verò æſtimanda ſit iactura huius apud improbos & vulgares homines ſequẽtibus cõcluſionibus manifeſto

Concluſio XIII. *Qui non acceptat duellum, non perdit honorem apud Viros probos & doctos; ſed ſolùm apud viles improbos & imperitos. Eſſe in pretio apud iſtos, aut non eſſe, perindè eſt. Cæterùm ſi horum ſit dignitates conſeruare aut conferre, poſſet quis acceptare duellum, ſi aliter debeat aut priuari officio, aut ad munia ſibi aliàs debita non promoueri.* Stat igitur acceptare duellum nullo modo eſſe licitum, niſi ad ſummum eo caſu, quo ex non acceptatione prouocatus incurreret damnum graue diſtinctum à leſione honoris apud improbos; aut certè periculum probabile damni notabilis; qui caſus rarò aut nunquam continget. Ergo concludimus, *honoris conſeruandi cauſa apud improbos, nec licere ad duellum prouocare, nec acceptare duellum.*

An poſſint interdici omnia duella?

Concluſio XIV. *Si Reſpublica (Eccleſiaſtica, Politica-ue) etiam cum omnibus iſtis limitationibus duelli acceptationem inhiberet, qui his viuerent legibus, cederent iure ſuo, ſi quod habebant, aliter procedendi, & non poſſent duellum acceptare.* In Bohemiâ ſub pœnâ publicationis bonorum omnium duella de facto interdicuntur, nec admittitur vlla excuſatio. Puto, ſimiles leges eſſe in alijs prouintijs: quæ, ſi non ſunt in viridi obſeruantiâ, ferri omninò deberent, vt militarium apprehenſionum ineptiæ & violentiæ ceſſarent. Quid, ſi tunc non acceptantes duellum deberent dignitatem & diuitias amittere? aut aliud graue damnum ſubire leſione honoris diſtinctum. Reſpondeat Carthuſianus. Cedit iure comedendi carnes in morbo. Quem ſi roges quid eſſet facturus, ſi non comedendo carnes, deberet mori? dicet, [Bonum publicum debere anteponi priuato, & ne inobedientiâ ſuâ maiora damna ingruant ceſſionem iuris naturalis fuiſſe legitimam; & poſitâ ceſſione ſeu legis acceptatione, eſſe obedientiam obligatoriam; eumque qui nolet obedire, peccaturum mortaliter.] & tu alteratâ materiâ, ſicut de carnium eſu Carthuſianus, ſic de acceptatione duelli aliàs liciti, poteris philoſophari: ſi enim illud etiam in caſu, in quo à lege naturali ob moderamen tutelæ inculpatæ conceditur, lex legitimè lata & acceptata (Eccleſiaſtica, aut ſæcularis ſit) inhibeat, debebimus obtemperare potiùs, quàm diſputare.

An Carthuſianus poſſit carnibus in morbo veſci?

Rationibus dubitandi ſatisfit.

CDXV. Cur vberius egerim de Duello?

VOlui hanc Controuerſiam vno aut altero Verbo expedire; at communis neceſſitas, vt nihil omitterem, quod neceſſarium eſſet, poſtulauit. Supereſt vt dubitandi motiuis ſub initium poſitis ſatisfaciamus.

Petebatur §. *eſſe infamem*, vtrùm eſſe in pretio apud vulgares & improbos ſit bonum: & carere apud eoſdem honore & authoritate ſit malum; & reſpondit Concluſio XIII. præcindẽdo à cæteris circumſtantijs perindè eſse: Cæterùm, ſi penes illos ſit dignitates conferre, et manutenere collatas, non eſse perindè, ſed grauem iniuriam fieri homini, ſi reddatur infamis apud improbos.

Cur detractio & calumnia ſint malæ?

Hinc patet detractorem et columniatorem reos eſse: tùm, quia malo procedunt animo, et nocere deſiderant: cùm reuerâ nocent. Quæ enim ſparſa in vulgus, paulatim ſerpunt, et die ſequenti in palatijs Principum narrantur, et nocent innocenti grauiſſimè.

Ratio illa chymica à nobis ſtat: peccaret enim ille, qui aurum Petri decoloraret; quia noceret Petro. Cæterùm, ſi Antoninus ſine damno Petri aureos illos decoloraſſet, nemo eſſet, qui eum culpæ argueret. Ergo eodem modo de honore philoſophandum eſt. Relege Concluſionem XIII. in quâ multum doctrinæ expreſsum paucis verbis reperies.

QVÆSTIO.

An qui tenetur in aliqua Eccleſia celebrare cum ſola præſentia, poſſit aliud ſtipendium pro illa Miſſa accipere, & alteri amico applicare?

CDXVI. Multi res clariſſimas & certiſſimas in dubium vertunt.

VT dignè hanc quæſtionem diluci-dem, incipiam vtendo verbis Dianæ, *par. 4. tract. 4. reſol. 5* quæ huic controuerſiæ ſunt aptiſſima. *Angor*, inquam, *in rebus tam claris tempus terere*; mihi enim tam clara et euidens affirmatiua ſententia videtur, vt negatiua credatur euidenter falſa, et nullâ probabili ratione fulta: quod ipſum, vt demonſtrare poſſim, alium ſimilem caſum produco.

CDXVII. Hæc quæſtio alia ſimili diluci-datur.

Philippus Prudens ingenioſiſſimus Hiſpaniæ Rex, delectabatur artefactis, et in Palatio ſuo excellentiſſimos Artifices magno ſtipendio tolerauit, vt quando à negotijs publicis vacabat, eruditam recreationem haberet. Onus Artificibus impoſitum erat, vt tenerentur habitare in Palatio, non egredi Madrito ſine expreſsâ licentiâ, nullum aliud. Et Philippus III. non regni ſolius ſed virtutum Paternarum hæres conduxit Georgium Norimbergium amicum meum, cui dedit, *caſa de aposento en Palacio, docientos ducados de*

Hiſpaniæ Reges artiũ ſnnt fautores et promotores.

Salario, y ſus obras pagadas, hoc eſt, *commodum locum in Aula*, *ducenta ducata pro ſalario, & ſoluit artefacta ſingula*. Et interrogo. *Si* dabatur Georgio ſtipendium cur ſingula artefacta ſoluebantur? & ſi ſoluenda erant ſingula, quâ ille conſcientiâ poterat ſtipendium accipere?

CDXVIII. In vna et eadem re multæ circumſtantiæ pretio æſtimabiles eſſe poſſunt.

Reſpondeo dari tria aut quatuor pretio æſtimabilia, quæ potuerunt à Georgio Philippo III. & ab alijs Philippo II. venundari. Erat enim ipſummet artefactum, quod vbicumquè factum fuiſſet, vendi poſſet. Erat obligatio habitandi in Palatio, & laborandi quoquo tempore Rex intereſſe vellet, quæ grauis erat, & gratis non deberet admitti: quam ſequebatur vinculum, quo ille Madriti neceſſariò detineretur, & hos compedes nemo teneretur admittere, niſi daretur noua vtilitas.

CDXIX. Nouo illuſtratur exẽplo hæc dubitatio.

Hinc patet quid debeat reſponderi alii caſui, quem propono. Fridericus, vt artem pictoriam addiſceret, orauit Antuerpiæ Rubenium, vt aduenire domum ſuam, & ibi aliquam tabulam pingeret, quam aliàs eſſet picturus domi. Interim Rubenius Chriſtum patientem, quem iuſſu Gottiſchalmi inceperat, curat in Domum Friderici adſportari, & debitis horis ibi compleuit opus, & à Gottiſchalmo tandem pro tabulâ quingentos aureos, & à Friderico quod ſe præſente in domo eius illam pinxerit, ducentos florenos accepit. An nè tutâ conſcientiâ? Tutâ: non enim tenebatur Rubenius ſubire nouam illam incommoditatem ſine nouo ſtipendio.

Rubenius fuit excellentiſſimus Pictor Antuerpiæ.

CDXX. Venitur ad primam controuerſiam.

Iam doctior venio ad templum, et pronuncio, aliud eſſe, debere miſſam celebrare, aliud in tali templo, aliud in tali altari, & aliud tali horâ præcisè. Sunt incommoditates diuerſæ, et vendi pretio poſſunt, aut commutari pro eleemoſynâ, ſicut ipſamet miſſæ lectio. Vndè *liquet primò*: Antonium poſſe ſtipendium à Friderico accipere pro celebratione miſſæ, vi huius generalis contractûs non obligari ad locum nec ad tempus, ſed poſſe vbi et quando voluerit celebrare. *Liquet ſecundò*, poſſe Parochum prudenter eidem Antonio dicere, [*Debet V. R aliàs cras pro Friderico celebrare, nimirum vbicumquè voluerit; ergo dignetur in mei gratiam in noſtra Eccleſia celebrare, vt poſſim interim tale negotium expedire.*] Poteſt Antonius adnuere Parocho: poteſt renuere, et grauamen quod non tenetur ſubire, poteſt gratis acceptare, vel pretio. *Liquet tertiò*, poſſe Franciſcum prudenter ſe inſinuare eidem Antonio, et dicere; [*Cras debet V. R. celebrare miſſam pro Friderico, & in tali Eccleſia ad petitionem Parochi; at quia quacumquè hora poteſt, oro vt dignetur me expectare, ſum enim grauia expediturus, & ante decimam intereſſe non potero*. Et quidem non teneri Antonium obedire Franciſco ſupponens, poſſe hoc grauamen liberè acceptare, et aliquid etiam recipere eſt meridie ipſo clarius. Eodem modo de Altari, eodem de quocunquè alio grauamine Philoſophandum eſt.

Quàm certum eſt hãc ipſam doctrinam eſſe veram, tàm eſt certum poſſe et ſolere aliquos eadem imprudenter abuti. Ergo ſtandum eſt prudentiæ, et omnia agere aut etiam taxare moderatè.

Semel benè perſpectâ veritate, facile erit Authores diuerſos conciliare. Meam ſententiã tenere debent omnes, qui volunt rẽ intelligere: aliquorũ teſtimonia producam.

CDXXI. Explicantur Authores.

Alphonſus de Leon *in tract. de Iubilæo part. 3 quæſt. 20. numer. 27.* ſic inquit. [Quando datur ſtipendium, non pro applicatione ſacrificij, ſed pro cultu Eccleſiæ, vel commoditate: tunc poteſt ſacerdos alienam Eleemoſynam accipere pro applicatione Sacrificij, abſque peccato, et obligatione reſtitutionis. In dubio autem non præſumitur datum, vel relictum pro cultu Eccleſiæ, ſed pro applicatione Sacrificij, niſi aliud conſtet ex claris verbis teſtatoris. Vnde cum fratres in Oratorio, ſeu eorum Eccleſiâ faciunt celebrare feſtis diebus, vel ob commoditatem ipſorum, vt Miſſam audiant, et ibi cõmunicent, aut ob commoditatem gentis vicinæ abſque aliâ expreſſione: non intelliguntur Sacrificij applicationem velle, vt in praxi vidi multoties conſultum, et practicatum à viris timoratis et doctis.] Cõſonat Alphonſus alijs multis, et inter eos Fraxinello *de obligatione Sacerd Sect. 4. concl. 4. §. 2.* et in editione nouiſſimâ *Sect. 4 concl. 6.* Hominibono de Bonis *de Exam. Eccl par. 1. tract. 4. c. 13. qu. 121.* et Turriano, qui tam mordicùs hanc ſententiam tuetur, vt *in ſelect. par. 2. diſp. 31 dub. 16.* contrariam improbabilem dicat: qui me iudice improbabiliter loqueretur, ſi illam non appellaret improbabilem.

Quid in dubio dicendum?

Quàm certa ſit noſtra sẽtentia?

CDXXII.

At Gauantus *in comment. in Rubricas Miſſalis to. 1. par. 3. tit. 12. nu. 5.* ſic inquit. [Qui tenetur alicubi celebrare abſquè applicatione ſacrificij ad diuinum cultũ tantùm; ita debet ibi celebrare, vt nullo modo accipiat ſtipendium ab illo, vt illi applicet Sacrificiũ ſibi liberũ, quod expreſsè vetuit Sacra Conc. Trid Congregatio in Declarationibus Decreti de celebratione Miſſę ſub Vrbano VIII. emanati.] Ita Gauãt. At quia non ſufficit dicere hoc interdictũ ab Eminentiſſimis Dominis, verba citatæ Deciſionis videamus. Cardinales ſic inquiunt. [Ad quartum reſpõdetur. Sacerdotes quibus diebus tenentur miſſas celebrare, ratione Beneficij, ſeu Cappellæ, legati, aut ſalarij: ſi eleemoſynas prò alijs, etiã Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eâdẽ Miſsâ vtriq; obligationi ſatisfacere.] Quę verba recognoſcis et relegis, et in ipſis, vt putas, Sacra Congregatio abſolutè, ſine vllâ diſtinctione videtur prohibere Sacer-

Sed cur?

Cardinalis Deciſio.

cerdotibus, ne pro vnâ missâ duplicatum stipendium accipiant. Ratio horum omnium esse potest, quia stipendium non datur pro Sacrificio ipso, & fructu spirituali; nam hoc esset simonia: Sed exhibetur pro labore extrinseco, qui est pretio æstimabilis. Vnde Episcopus, his omnibus consideratis, statuit quantitatem iusti stipendii Ergo vna Missa non meretur, nisi vnicum stipendium iuxta Episcopi taxationem, nisi occurrerent aliæ circumstantiæ, quas supponis in casu præsenti non accidere.

CDXXIII. At ego in Dominorum Cardinaliũ Resolutione ne verbum quidem lego, quod possit fauere Gauanto: sed neque Bartholomeus â S. Fausto aliquid pro Gauanto obseruauit, sed non obstantibus decretis VIII. à nobis stat, *& tract. de Iubileo libr. 1. quæst.* 8. ait [Quando Sacerdoti datur stipendiũ non pro applicatione Sacrificii sed pro cultu Dei, vel commoditate populi, potest tutâ conscientiâ aliud stipendium accipere pro applicatione Sarificii. Hinc confratres qui faciũt in Oratorio celebrare diebus festiuis, vel ob commoditatem ipsorum vt missam audiant aut ob commoditatem vicinæ gentis absque aliâ expressione, non intelliguntur sacrificii applicationem velle] Ita Bartholomeus: cui consonat Ludouicus à Cruce *in Expositione Bullæ cruciatæ disput. 3. dub. 19. num 21* vbi ait [nec dictis obest declaratio sacræ Congregationis sub anno 2626. dum ait, Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missâ vtrique oneri satisfacere. Respondetur [enim id intelligi, dum Sacerdotes prædicti celebrare tenentur pro peculiari alicuius intentione.] Ecce quàm clarè & in propriis terminis impugnat sententiam Gauanti. Et tandem hanc sententiam non obstante decreto Vrbani VIII. nouissimè docet etiam Homobonus de Bonis *in consultat. cas. conscient volum. 2. part. 5. respons. 63* His omnib' benè consideratis, infert Diana coruere argumentum quod Gauantus pro suâ adducebat sententiâ, nempè Cardinales concilii sic determinasse; nam eorum responsio non intelligitur in casu nostro, quando Sacerdos non habet obligationem peculiarem applicandi valorem pro alicuius intentione.

CDXXIX. Obiectio. AT DICES Gauantum immerito hanc sententiam docuisse, sed nihilominùs eam esse veram, si non propter declarationem, quam adducit, sed propter aliam, quæ prodiit 1. Septemb. 1629. quâ vtitur Augustinus Barbosa, qui *in tract. de offic. Parochi cap. 11. num. 11.* eidem opinioni subscribit, quam etiam probabilem esse tenet Diana *part. 4. tract. 4. resol. 16. § verum, his.* At ego vtramque Decissionem eodẽ modo intelligi debere dico, His positis totam Quæstionem hanc ad has positiones duco.

CDXXV. Resolutiones. PRIMA. *Præscindendo ab omni decreto Pontificio & Eminentissimorum Dominorum declaratione, sententia affirmatiua est euidenter vera: & negatiua, euidenter falsa.* Turriano & aliis quàm multis subscribo,

SECVNDA. *Non potest Pontifex nec Cardinales declarare sententiam affirmatiuam esse falsam.* Ratio est, quia non datur in mundo authoritas, vt nigra meritò dicantur alba.

TERTIA. *Posset Pontifex, si darentur rationes graues interdicere, vt qui ob præsentiam stipendium recipit, aliud ob applicationem recipiat.* Eodem modo philosophor de Cardinalibus si Pontificis vices gerere in hoc casu dicantur. At posito tali præcepto, sententia affirmatiua non esset falsa, sed esset interdicta, quod est toto cœlo diuersum: vndè qui illâ vteretur non esset, fur, vel simoniacus, sed inobediens adeoque recipiendo tales pecunias peccaret quidem contra præceptum, sed ad nullam teneretur restitutionẽ: iniret enim cõtractũ validũ, sed illicitè. Cõfirmatur à simili, nam in multis oppidis sunt merces interdictæ, quas qui vendit punitur, & tamẽ non tenetur emptori restituere pretium. *Si tamen Ecclesia contractum hunc non solum interdiceret, sed dirimeret, esset nullus; & qui vi illius aliquid acciperet teneretur ad restitutionem.* Hoc non negabit, qui Ecclesiæ potestatem cognoscat.

Aliud est sẽtentiam esse falsam: & aliud esse interdictam.

Nota hoc bene.

CDXXVI. QVARTA. *Vsum opinionis affirmatiuæ esse à Cardinalibus interdictum docuerunt Barbosa & Gauantus, sed hoc ipsum probare deberent.* Hæc vltima verba olim in Boemiâ existens, consultò addidi: semper enim videbatur difficile, quod asserebant Barbosa, & Gauantus, & putabam non emanasse eiusmodi Declarationem, sed hos potiùs Theologos hallucinatione aliquâ aut æquiuocatione laborare. At quia modò venit ad manus meas amœnissimus & doctissimus liber qui inscribitur *Notitia de vocaboli Ecclesiastici; de riti sacri* à Reuerẽdissimo & eximio Domino Dominico Magro compositus volo aliquid de libris dicere, & posteà ex isto aliquas subscribere periodos, quę mea interfint.

Notitia vocabulorum Ecclesiasticorũ & rituum sacrorum, qualis liber?

Agens de vocibus dicebat olim Plato, *nomina esse breues rerum definitiones*; & quidam Poëta ex illo, *Conueniunt rebus nomina sæpè suis*: sæpè non semper; exorbitant enim nonnulla: quæ vel ab antithesi vel aliundè translata. Tertullianus libr. de pallio. *Camæleontem, qui audieris haud antè gnarus, iam timebis aliquid amplius cum Leone, at cùm offenderis apud vineam ferme sub pampino totum, ridebis illico audaciam & gratiam nominis.* At si agamus

An nomina conueniant libris?

Camæleon, magnũ nomen, & paruus res.

An nomina conueniant rebus.

de inſcriptione librorum, dicemus, *Conueniunt libris nomina pauca ſuis*: præ ſe ferunt enim multa Iunioram opera ſpetioſa vocabula & qui illa legimus videmur Camæleontem audire haud antè gnari, librum auidè, capimus, & aliquid Leone generoſius expectare iubemur: & cum perlegimus, videmus nihil eſſe in libro præter folia; fructumque omnem, aut etiam omnes flores (nam & iſti multarum plantarũ ſunt fructus) claudi potuiſſe pampino, audaciã nominis aut etiam inſolentiam ridemus. Non id accidit Theologis, qui Magrum legunt. Superba & grandia nomina non affectat: *Notitiam vocabulorum* librum dixit: & cùm fortè aliquis in Etymologicum aut Criticũ Opus ſe incidiſſe crediderit, theſauros veteris lectionis, & ingenioſæ ſpeculationis flauiſſas exuberantes reperit. Liber eſt me iudice Theologicus, variæ & ſolidæ doctrinæ plenus, & vt liberè loquar hæc ipſa *Vocabulorum Notitia* digna eſt notiori, etiam ſublimiori vocabulo, vt in vniuerſorum manus veniat.

Aperio igitur hunc doctiſſimum librum, vt demonſtrem mefuiſſe meritò ſuſpicatum Barboſam & Gauantum non intellexiſſe Declarationem Cardinalium. Magrus, ergo ſic inquit.

Beneficium.

Auuertaſi però che nel Gauanto ſtampato vltimamente u'e un decreto della ſteſſa Congregatione in fauor de Cappellani cõil quale dichiara, che il Sacerdote, il quale ſolamẽte è tenuto celebrar hauẽdo liberaintẽtione, potrà pigliar la limoſina per l'applicatione del ſagrifitio, ãcorche il Diana tẽtiſſe il cõtrario per nõ hauer hauuto notitia di queſto mà ſolo del primo dato ſotto li 13. di Lug. 1630. il qual. decreto parla di coloro, che ſono obbligati a celebrare per titolo di benefitio, cappellania, ſalario, ò legato, quando nella fondatione non vi ſono parole, expreſſe, le quall manifeſtino la volontà del teſtatore eſſer ſtata di laſciar libera l'intentione al celebrante; ma ſe il fondatore haueſſe chiaramente manifeſtato di voler la ſola preſenza, laſciando libera l'intentione, allora il Sacerdote potrà pigliar vn'altra limoſina per l'applicatione del ſagrifitio e coſi s'accordano li due decreti della Congregatione all' apparenza contrarij

Barbosa & Gauantus Cardinalium declaratio-nem ma-le intelligũt.

Ecce: Barboſa & Gauantus mirabiliter hallucinantur. Declarant Domini Cardinales *eos, qui propter beneficium, cappellaniam, ſalarium aut legatum, tenentur in aliqua Eccleſia celebrare, non poſſe recipere ſecundum ſtipendium pro applicatione ſacrificij*. Et cur non poterunt? Quia non poteſt inquiunt Barboſa & Gauantus, qui tenetur in aliquâ Eccleſiâ celebrare cum ſolâ præſentiâ, aliud ſtipendium pro miſſæ applicatione recipere. Sed hoc non dicunt Cardinales, Quid igitur Cardinales declarant? Beneficia. Cappellanias, Salaria, & Legata ex ſuâ inſtitutione non ſolùm poſtulare præſentiam, ſed etiam applicationẽ miſſæ, niſi oppoſitum verbis expreſſis exponatur: in dubio enim, qui tales miſſas dici iubet, cenſendus eſt miſſæ fructum ſibi applicari velle. *Ergo, licèt Sacerdos, qui tenetur in aliqua Eccleſia celebrare cum ſola præſentia, poſſit aliud ſtipendium pro illa miſſa recipere, & alteri amico aplicare, & hoc iuxta Declarationem poſteriorem: qui tenetur ex beneficio, cappellania, ſalario aut legato in tali loco celebrare, niſi contrarium expreſſum ſit in inſtitutione aut teſtamento, tenebitur miſſam offerre pro illo, qui illam dici procurat; & hanc ob rem (nempe, quia illam tenetur applicare iſti) non poterit alij applicare. & hoc iuxta priorem Declarationem Cardinalium.* & ideò contrà Barboſam, Gauantum, Dianam, alioſque, qui eodem præiudicio laborant, præter Dominicum Magrum citatum, noſtram ſententiam tenet Eminentiſſimus Dominus Cardinalis de Lugo *tract. de Euchariſtia diſp. 21. ſect. 1. num. 21.*

Reſolutio.

Harum declarationũ prima fuit 28. April. 1629. in vna Arietina, vt teſtatur Barboſſa in Collectaneis. Et ſecunda 13. Iulii 1630. vt teſtatur D Dominicus Magrus citatus

Nota hîc obiter, aliud eſſe poſſe Sacerdotem pro ſingulis circumſtantijs oneroſis, (præſentiæ, loci, horæ, altaris) ſingula prætia recipere, aliud ſingula ſtipendia, nam nomine *ſtipendii* taxa Miſſæ intelligitur, & ſtipendijs multiplicatis Miſſa tot circumſtantijs onerata ad multos florenos aſcenderet. Puto quidem aliud poſſe recipi pro ſingulis grauaminibus, quæ ſint extra lectionem Miſſæ, non tamen tantum quantum pro ſingulis Miſſis. Et ne nihil determinare dicar; eum, qui iuxta mores Germaniæ pro lectione Miſſæ decem groſſos acciperet, & pro ſingulis acceſſorijs grauaminibus (puta, loci, horæ, altaris, &c.) binos, ſi non interſit violentia aut extorſio, aut etiam ſordida aliqua licitatio (nam & hæc caueri in ſtipẽdio Miſſæ debent, ne ſacra mercari dicamur) ſed vltrò à ſæcularibus dentur, exceſſiſſe limites prudentiæ non putabo. ſanè qui conſuetudini & moribus communibus ſtet, non erit temerè condemnandus: in Bauariâ enim ſub annum M.DC.XL. non permittebat Sereniſſimus Dux Maximilianus, vt grauarentur Sacerdotes nouis oneribus (puta, loci, temporis, &c.) niſi daretur præter taxam communem aliquid pro ſuperaddito grauamine. Et in eruditiſſimis cuiuſdam Viri Magni literis, datis Viterbij 14. Martij 1656. ſub finem hanc periodum lego. *Venetijs inter Nobiles viget conſuetudo offerendi plures eleemoſynas Sacerdoti celebraturo pro ſolis collectis addendis in miſſa; vt teſtatus eſt mihi Sacerdos, qui nouem eleemoſynas pro totidem collectis lucratus eſt vnico ſacrificio.* Et ſanè, ſi illi Nobiles ſcientes & volentes nouem eleemoſynas pro vnâ miſsâ dederunt, eorum liberalitati habeat Sacerdos gratias: at poſſe Sacerdotem plures reci-

Pretij & ſtipendii diſcrimen.

[Quinam mores obtineãt apud Bauaros?

Quid apud Venetos?

An pro vna poſſint miſſa plures eleemoſynæ recipi?

recipere eleemoſynas ab his qui neſciunt, quomodo ſit illis ſatisfacturus, non approbat ſinceritas Sacerdotalis.

QVÆSTIO.

An pecunia præſens valeat plus quam futura?

CDXXVII. VOlui hanc Quæſtionem præcedenti adgiungere: Quoniam, aut neſcio Logicam, aut ſummam dictis dabunt lucem & perſpicuitatem dicenda.

Vtrumque à multis iudicatur probabile.

Reſpondet Diana *par.1. tract 8. reſol.49.* partem benignam & affirmatiuam ſibi videri probabilem; nam & probabilis etiam viſa eſt Azorio *par.3. lib.8. cap 10. quæſt.5.* Maldero *in 2. 2. tract.5. cap.1. dub.5* & Philiarcho *de offic. Sacerd. par 2. lib.5. cap.13.* aſſerentibus Chirographa, Iura in res, & Actiones poſſe minoris emi, ſi detur numerata pecunia: *nam pecunia præſens magis æſtimatur, quam futura.* Et probatur; quia plus eſt habere ius in re, quam ius in rem *l. minus. ff. de regul Iuris.* & qui habet pecuniam præſentem habet Ius in re; & qui futuram, ius in rem. Hanc eandem opinionem ſequuntur Caietanus *verb. vſura*, ſub finem. Armilla *eod. verb. num 50* Emanuel Sâ *verb. Debitum num.20.* Nauarrus *cap. 17. num. 331.* Faber *de reſtitut in 4. ſentent. diſt.15. quæſt 2. diſput,47 cap. 4. num.113.* eandem publicè docuit Louanij Cardinalis Bellarminus, vt notat Leſſius *lib.2. cap.21. dub.8. num.66.* [qui citat Panormitanum, & Innocentium *cap. In ciuitate de vſuris;*] eandem habet Petrus de Ledeſma *in ſumm tom. 2. cap.33. tract 8. col 2.* Vide Fernandez *in examine Theol. par.1 cap.15. §.2 num.10.* & Toletum *lib.5. cap.31. num.4.*

An chirographa & debita emi minoris poſſint?

CDXXVIII. Opinio ſeuera.

Hanc doctrinam nonnulli Authores deteſtantur, & tenent hac viâ aperiri latiſſimũ oſtium vſuris, & ſtatuendam omninò eſſe opinionem contrariam; ac propterea non poſſe chirographa ſeu debita immatura extingui minori pecuniâ; ac per conſequens, qui debet ſoluere mille aureos poſt annum, non poſſe ſatisfacere ſi hodiè ſoluat nongentos-quinquaginta. Ita Reginaldus *in praxi tom.2. lib.23. cap.18. num.312.* Leſſius *lib.2. cap.21. dub.8. num.71* Turrianus *in 22. tom.2. diſp.57. dub 9. num 3.* Azorius *par.3. lib.8. cap.10 qu.5.* Rebellius *lib.9. quæſt. 13. p 2.* Valentia *tom.3 diſp.5. quæſt.20. punct 2.* Salas *tract. de Empt. dub. 39. & tract. de vſur. dub. 37.* Sotus *de Inſt. libr. 6. quæſt.4: art 1.* Antoninus *part 2 tit.1. cap.8. §.3. & 4.* Angelus *verb vſura § 63.* Sylueſter *verb. vſura 2. quæſt.14.* Gabriel *in 4. diſtin. 15. quæſt: 11. dub. 4.* quorum ſententiam probabiliorem putat Diana *part.1. tract.8. reſol.49. §. At licet.*

Multæ ſunt rationes quas congerunt, ſed omnes vno notabili præiudicio fundatæ, inferunt enim loco abſurdi, quod contrariæ ſententiæ defenſores tanquam certum et indubitatum ſupponunt. [Omnes illos Ego vnicâ, eâque fortiſſimâ eneruo. Sic arguo [ſi tanti valet numerata pecunia, quàm numeranda, cùm hæc ſit veritas practica et ab experientia pendens, tantum emere in foro potero numeratâ pecuniâ, quantum numerandâ, At euidentiſſimum eſt, hoc eſſe falſum: Ergo euidentiſſimum numeratam pecuniam eſſe meliorem et maioris valoris] Si adhuc negas, vis te et omnes eſſe cœcos, et erras defectu ſolius experientiæ. Vade obſecro ad nundinas cum tuâ pecuniâ futurâ, et videbis, An eodem pretio ſis habiturus ſingula, quo habent, qui præſentem exponunt?

CDXXIX. Opinio benigna demonſtratur.

CDXXX. Si hæc doctrina ſit certa, O quantæ conſequentiæ inferuntur! et ſi falſa, O quam cœci ſumus, qui tam clarè illam eſſe veram percipimus, vt audeamus illam iuramento firmare! Certa eſt hæc doctrina; et qui dubites, vade prius ad nundinas, et experiaris quid habere poſſis pecuniâ præſenti, quid futurâ; et cum habeas experientiam reſponde.

CDXXXI. Sed quid inde ſequetur? Multa ſubſequi dixi, vnum dabo. Sic diſcurro. [Numerata pecuniâ plus valet numerandâ poſt annum, quantum ergò? Centum aureos præſentes tanti valere, quanti centum quinque poſt annum numerandos ponamus. Ergo, ſi petis à Petro aureos mille, et tantundem te poſt annum ſoluturum promittas, dare debebis mille et quinquaginta: nam ſi ſolueres mille, recepiſſes plus, ſolueres minus.] Quid ad hoc tu? An præſcindendo ab omni grauamine pro mero mutuo poteſt aliquid ſupra ſortem recipi? Quid ſi diceret Petrus, ſe nihil ſupra ſortem recipere, quia 1000. aurei numerati æquipollent 1050. numerandis.

Conſideretur iſta ratio, nobis enim videtur demonſtratiua & euidens.

Præterea, Debet tibi Franciſcus mille aureos, numerandos anno ſequenti, & tu illos vendis Ioanni numerata pecunia & recipis nongentos quinquaginta: ſi hic ſeruatur æquitas & æqualitas: ſicut tu recipis à Ioanne nunc 950. et aſſignas 1000. recipiendos à Franciſco poſt annum: cur non poteris recipere ab eodem Ioanne eoſdem 950. et aſſignare 1000. recipiendos à te ipſo poſt annum. Et ſi in primo contractu Ioannes vſurarius non fuit, nullo ipſe modo vſuram in ſecundo committet.

Quid ad hæc tu? Paritatem admittere debebis omninò: et ſi hanc conſequentiam, aliqua in mutui materiâ dicere, quæ paucis placeant: quibus tamen illi pauci reſpondere debebunt, et bene fortaſſis non poterunt.

Lege hæc attentè, & ſingula bene ponderà.

Re-

Resolutio.

CDXXXI. Ratio fundamentalis.

Difficilia sunt hæc, quæ præmisi, & tamen eadem recogitanti succurrit adæquata solutio, quæ proponet ob oculos, rationem formalem & fundamentalem, ob quam pecunia præsens plus dicatur valere quàm futura. Nam in pecuniâ, anno sequenti numerandâ, frequenter relucet maius aut minus perdendi capitalis periculum, & cùm emergat damnum, istud (nunc probabile, nunc minùs aut magis probabile) ob damnum emergens minùs valituram pecuniam futuram certum est. Accedit & lucri cessantis circumstantia; nam mercatores, qui haberent pecuniam numeratam, aliquid emerent, quod non emunt pecuniarum defectu: ergo propter lucrum cessans iterum numerata pecunia est futurâ & numerandâ melior. Cæterùm in eo casu, quo cessarent damni emergentis & lucri cessantis circumstantiæ; & etiam in eo casu, quo licèt non cessarent, non venirent in pactum hæc pericula; pretium & valor pecuniæ nnmeratæ & numerandæ idem esset. Ergo cognitâ ratione fundamentali differentiæ, cessant pericula & illationes temerariæ: quoniam ob lucrum cessans, aut damnum emergens me posse aliquid vltra sortem recipere vniuersi hodiè Viri docti fatentur

Damnum emergens.

Lucrum cessans.

Debent venire in pactum hæ circumstantiæ.

Obiectionibus satisfit.

CDXXXII. Posueram calamum, nec putabam rationes in contrarium positæ nouâ solutione indigere; illas enim eneruat Resolutio. Cæterùm, quia sapientibus & insipientibus debitor sum, has pauculas lineas subscribo.

Ad obiectionem quæ ponitur *num.* 431. §. *Sed quid?* respondeo distinguendo illam primam propositionem *Numerata pecunia*, ais, *plus valet, quàm quæ numerabitur post annum.* & ego distinguo Si non detur damnum emergens, nec lucrum cessans, nego: si detur concedo. *Sed quantum plus?* inquiris. Respondeo, valorem à consideratione periculi maioris vel minoris pendere. Infers, *Ergo præscindendo ab omni grauamine pro mutuo aliquid potero supra sortem recipere.* Et ego consequentiam nego: hoc enim, quod supra sortem recipis, non illud recipis pro mutuo, sed pro grauaminibus concomitantibus, quæ sunt extra naturam & quiditatem mutui: ni mirùm, pro periculo perdendi capitale; pro damno quod potest emergere, aut lucrõ, quod debet cessare. Et tunc procedes tutâ cõsciẽtiâ, cùm æstimatio periculi fiat à viro prudenti (nam possunt & solent mercatores in excessu peccare) & ita ducantur omnia in contractum, vt non possit proximus conqueri, quod fuerit deceptus aut falsus.

Cur numerata pecunia maioris fiat, quàm nnmeranda?

An possit in mutuo aliquid recipi supra sortẽ?

Notandum pro securitate conscientiæ.

Ad Paritatem, quæ §. *Præterea* ponitur, ex dictis respondeo clarissimè; nam vel adsunt grauamina & pericula sortis perdendæ, &c. vel non adsunt. Si adsunt, vtrumque potest fieri: sed neutrum, si non adsunt.

Stat ergo nihil posse recipi pro puro mutuo; & omnia, quæ supra sortem recipiuntur, aut esse illicitas vsuras, aut ob lucrum cessans, aut damnum emergens, & sinceritatem contractûs (ille enim, in quo istæ circumstantiæ sufficienter non exponuntur, & in pactum ducuntur, non est sincerus) excusari.

CDXXXIV. Conclusio.

FVNDAMENTVM XI.

De Opinionum probabilitate.

CDXXXV. Opinio cuius nec veritas nec falsitas demonstratur, si sit valdè veræ-similis, nominatur probabilis, & quidem probabilitas nascitur ex graui motiuo, quo quis ad assentiendum inducitur. Et est duplex: Rationalis, authenticaquè: illa consistit in ratione, hæc in authorum numero. Siue dicatur altera propositio, alterâ verior, siue non; in probabilitate admittere gradus debemus, & asserere alias propositiones esse probabiliores alias æquè probabiles, & alias minùs probabiles. Omnes opiniones probabiles secundum se sunt æquè tutæ nimirùm, si agatur de formali peccato: nam aliàs esse alias alijs magis

Probabilis opinio; quæ? quid? quotuplex.

Inprobabilitate sunt gradus.

Tutior quæ? vide nu. 3.

gis tutas certum eſt: benigniores, etiamſi minùs probabiles, per accidens ſunt ſecuriores. Si probabilior ſententia eſt eligenda, ſufficit minus probabilis. Et hoc inferiùs demonſtrabitur.

An liceat ſemper ſequi quamcumque opinionem probabilem?

CDXXXVI. De Voto Iuramento, et Præcepto.

Libertatem hanc ſequendi alterutram opinionem probabilem, prædeterminare interdum & limitare ſolet, Votum, Iuramentum, Præceptum Humanum: & à fortiori Diuinum, nimirùm Charitatis, & Iuſtitiæ. Omnia breuiter dilucidabo.

In multis ordinibus aliquæ ſunt opiniones indictæ, et aliæ interdictæ; non obſtante earundē probabilitate.

Licèt doctrina D. Thomæ & Scoti ſit probabilis, ſi Petrus voto aut iuramento ſe D. Thomæ addixit, non poterit doctrinam D. Thomæ relinquere, & ſubſcribere ſubtilium Scholæ. Si Superior legitimus, legitimè iubeat, vt aliquam opinionem probabilem doceas, aliquam etiam probabilem non doceas, præcepti vi cares libertate ſequendi opinionem alterutram: debes enim Superiori legitimè imperanti obedire.

Nota illud legitimè.

CHARITATIS PRÆCEPTVM videtur ſubſiſtere hoc lemmate: *Quotieſcumque poſſum ſine damno meo & meorum abſtinere à damno proximi, cauere debeo.* Ergo, ſi ſit opinio probabilis, ſecundum quam ſine damno (nempè, meo, aut meorum) poſſum abſtinere à dammo proximi, illam tenebor ſequi. Iuſtitia ſtrictiùs obligat, quam Charitas. Ergo quando debitum eſt certum, non habet locum opinio, quæ probabiles circumſtantias inducat, vi quarum debitum negetur.

CDXXXVII. Charitatis præceptum quale? rarò obligat cū proprio dāno.

An dentur præcepta diſiunctiua? An etiam diſiunctiui contractus.

Hic ego opportunè pronuncio multas leges & contractus eſſe diſiunctiuos, & licèt ad nullum determinatum tempus obligent, obligant tamen te, vt eligas aliquod in quo obedientiæ aut etiam iuſtitiæ ſatisfacias. Rem exemplo dilucido. Iubet Eccleſia, vt audias miſſam die Dominica: pono tres tantùm legi, vt citiùs ratiocinium expediam. *Non teneor*, ais, *audire primam: non teneor audire ſecundam: non audire tertiam: ergo nullam audire teneor.* Non valet conſequentia, quia non ſunt veræ abſolutè præmiſſæ: primam enim miſſam non teneris audire ex ſuppoſitione, quod auditurus ſis ſecundam aut tertiam; nam ex hypotheſi, quod ſecundam aut tertiam audire nequeas, nolis-ue, teneberis audire primam. Hæc doctrina eſt ſummè vera & vtilis, vt obligationes, quæ indulgent latitudinem temporis, intelligamus: ſunt enim aliqui, qui ad Ethicam tranſtulerunt ſophiſmata: Exempla hæc conſiderationi ſubijcio. *Certum eſt in miſſa non requiri vinum album: certum eſt non requiri rubrum: non datur viuum præter rubrum & album: ergo certum eſt vinum non requiri. Probabile eſt materiam non exiſtere exiſtentia propria; probabile eſt non exiſtere aliena: præter propriam alienamque nulla datur: ergo materia non exiſtit. Probabile eſt Chriſtum non habuiſſe matrem peccato originali obnoxiam: probabile eſt non habuiſſe liberam. præter obnoxiam & liberam non datur mater: ergo non habuit matrem.* Et ego nego omnes conſequentias; nam præmiſſæ diſiunctiuè ſunt veræ: non autem ſimul & copulatiuè; qui enim admittat primam, negabit neceſſariò ſecundam: & nemo vtramque ſimul admittere aut componere poterit.

Conſideretur iſte modus argumentandi.

Non omnia quæ diſiunctiuè ſunt certa, ſunt concerta: nec diſiunctiuè probabilia, ſunt comprobabilia.

Et hic obiter moneo in probabilibus propoſitionibus eſſe ſolere multas circūſtantias nec sēper ab omnibus cognoſci, quam reſpiciat probabilitas

Solent esse æquiuocationes in materiæ probabilis intelligentia.

bilitas aut certitudo. Considera periodos sequentes, *Probabile est Deiparam cum macula fuisse conceptam: non tamen est probabile te posse licitè dicere eam cum macula fuisse conceptam. Probabile est Petrum in secretò tale aut tale scelus commisisse: non tamen est probabile te posse illud euulgare. Probabile est, quod in tali materia datur peccandi periculum; non tamen est probabile, quòd te possis exponere periculo peccandi probabili.* Ergo quando agitur de probabilitate, est necessarium benè singulas circumstantias considerare, & distinguere certas à probabilibus: quoniam in materia periculi (de hoc ante paucas lineas agebamus) aliud est dicere, *Probabile est esse periculum:* & aliud, *Certum est subesse periculum, sed infortunij probabilis.*

Solet vna circumstantia esse certa, & alia probabilis.

Probabilitas à ratione.

Tandem vt Probabilitatis conceptum melius calleas, adnotato illam duplicem esse (rationalem, authenticam) & quid requiritur vt opinio dicatur à ratione probabilis? Requiritur, vt non sit euidenter falsa, & nihilominus sit graui fundamento suffulta, quam possit vir doctus defendere, cui oppositam idem possit aciter impugnare. Illam enim quam video non posse, sine contradictione, defendi tametsi centum Authorum sit, liberè vocabo improbabilem.

* Videntur istæ conditionales cõtradictione laborare: & nihilominus omnes sunt veræ.

CDXXXVIII. Probabilitas ab authoritate.

Et quid, vt sit probabilis ab authoritate? vt defendatur à probis doctisque, sed à quot? Si dicantur requiri sedecim, hęc Positio, *sedecim ad probabilitatem requiruntur*, non est probabilis. Si requirantur sedecim, non requiruntur sedecim, si sufficiunt sedecim, sufficiunt quatuor. Si sufficiunt sedecim, sufficit vnus. [Cæterum tametsi hæc in rigore subsistant, stando communi Doctorum sententiæ ad probabilitatem authenticam sufficiunt quatuor.]

Vt vna opinio sit probabilis & secura in conscientia, alterutra probabilitas suficit: quæ neutram probabilitatem habet, dicitur improbabilis. Cùm alterius partis certitudo aut euidentia accedit, omnes cessant probabilitates.

CDXXXIX. EGi de probabilitate sæpius, et eiusdem naturam et ingenium exposui: nunc dictorum et illatorum Principia et fundamenta recognosco, et quæ in contextu hoc fundamentali dicta, eadem nunc confirmo. et ne æquiuocationi locus sit, te remitto ad prologum, vbi nomina hæc *Dubium, scrupulus, Probabilitas,* accuratius expono, et hîc dicendis viam aperio.

I.

An vna veritas sit maior altera?

VTrùm vna propositio sit aliâ verior, aliâ falsior quærunt Philosophi, cum Aristotelis libros de Animâ illustrant; nec conueniunt. Volunt aliqui veritatem in indiuisibili consistere, et propositionem omnem, quæ illud non tangit, falsam esse, veram quæ tangit: vndè in veritate nullam admittunt latitudinem, quia punctum indiuisibile illâ caret, de falsitate pariformiter philosopantur: quia si falsitas sit idem illud indiuisibile non tangere, omnes propositiones falsæ vniuocè et æqualiter in istâ negatione conuenient, nec dari Propositio poterit falsior alterâ. Sunt etiam qui aliter philosophentur dicantquè hanc propositionem, *Deus est*, veriorem istâ, *Mundus est*: et hanc, *Petrus est lapis* falsiorem istâ, *Petrus est elephas*. Sed ipsi necessitatem propositionis, cum ratione formali veritatis, et rationem formalem falsitatis cum materiâ falsitatis confundunt; et nisi aliter suam stabiliant sententiam, pingui mineruâ et calamo philosophantur. *Hanc* ego controuersiam non tango: consistat in indiuisibili intrinseca veritas, aut non: detur in hoc genere vna propositio verior alterâ; aut, si mauis, non detur; hinc ad veritatem extrinsecam non potest argumentum deduci; dari enim maiorem et minorem veritatem extrinsecam manifestum est.

CDXL. Veritas duplex est: intrinseca & extrinseca.

Vt rem meliùs intelligas expono terminos. *Veritas intrinseca* propositionis, quę et dicitur *Veritas primaria*, est rei ipsius significatæ et propositionis significantis concordia

dia; nam si Propositio significet rem, vt est in se, dicitur vera; si aliter, falsa; & hoc indepẽdenter ab omni opinione & notitiâ; nam quando pronuncio hanc, *Turca sedet*, tametsi ego nesciam, an sit vera vel falsa, ipsa habet suam primariam veritatem aut falsitatem, si mihi ignotam, notam Deo, & etiã fortè notam alijs. *Veritas secundaria* est apparens; & talem habere dicitur Propositio, quæ vera videtur, vera sit aut non sit, & hæc veritas est denominatio, sumpta à carentia fundamenti euidentis, & positione fundamenti fortis & grauis: vbi enim intrinseca veritas euidenter cognoscitur, extrinseca locum non habet. Hæc solet vocari *Probabilitas*, & hæc recipit magis & minus; idem enim est dicere: *sententiam hanc esse veriorem, & illam minùs veram*, ac dicere, *sententiam hanc esse probabiliorem & illam minùs probabilem.*

vide num. 338.

Opinio verior, quæ?

II.

CDXLI. An sit vna opinio tutior altera.

SOlent aliqui angi scrupulis & suadere, solent etiam præcipere viam tutiorem in materia probabili. At ipsi videbantur mihi non percallere probabilitatis essentiam, & ideò *in Commentario meo in Regulam Diui Benedicti Disp. 6. de Opinione probabili, num. 58 & 61.* duas Theses posui; Prima erat, *Omnes opiniones probabiles sunt per se æquè tutæ & securæ*. Secunda, *Benigniores, & si aliquando sint minùs probabiles, per accidens sunt semper vtiliores & securiores.* Ante probationem aio securitatem esse triplicem, Scholasticam, Materialem, Formalem, quam vltimam vocamus Practicam. Nomina in Prologo, num. 2. exposui; & modò moneo, me non de duabus primis, sed de Formali & Practicâ disputare. Vt conclusiones has probarem ego alibi rationem dedi; & quia est solidissima, nec formam, nec materiam mutabo. *Primam ergo sic probo.* Illa opinio est tuta et secura in conscientia quæ, si iuxta illam exactè opereris, te liberabit a mortali et veniali: at hoc æquè præstabit quæcunque probabilis opinio: Ergo quæcunque est æquè tuta et secura. *Secundam sic.* Inter duas opiniones, aliàs æquè tutas et securas, si exactè operaris, illa tutior et securior dicenda adhuc erit, iuxta quam certiùs præscire poteris te operaturum exactè: Atqui hoc habent sententiæ benigniores, cognita enim humana fragilitas, nos in suspicionem ac diffidentiam nescio quam inducit, cùm proponuntur res arduæ et difficiles, quæ abest aut cessat, cum proponuntur faciles. Rem exemplo dilucido. Debeo legere officium Diuinum, et quia duæ dantur opiniones; altera, quæ internam attentionem requirit, altera quę non requirit; supponamus eruditionis gratiâ vtramque esse opinionem probabilem, quod multi dicunt. Supponamus, inquam, quia habeo rationes contra, quæ me in contrarium pellunt. Et supponamus etiam uberioris doctrinæ gratiâ, internam attentionem probabiliùs requiri. Sed quam tunc opinionem habebo? Tutiorem ais. Adquiesco; at interrogo, vtra sit tutior? Porrò si exactè iuxta seueriorem operaturus sum, vtraque est æquè tuta; & si attentionem internam habuero, seu priorem, seu posteriorem sequar, non peccabo. Sed quis me securum & tutum reddet de attentione? quis spondebit mihi, me sine distractione Horas Canonicas recitaturum? Ergo præuideo periculum, non ortum ab opinione seueriore, sed à propria fragilitate; periculum tamen quod seueriorẽ opinionẽ comitatur, & adesse benigniori nõ potest. Ergo benignior, etsi supponatur esse minùs probabilis, est securior & tutior. Rem eandem illustro aut exemplo altero, aut priori vlteriùs nonnihil promoto. Sic discurro. Habes opinionem seueram. Bene est. Prouolueris ad pedes meos, & statim fateberis distractiones in oratione & Officio venialiter vt minimum peccamicosas. Propones scrupulos, et te non rarò relegisse aliquas horas dices, quia debitam attentionem habuisse nõ putabas. Audio patienter singula, & interrogo; an vel vnicâ die legeris officiũ Canonicũ sine distractione veniali? aut certò aut probabiliùs negas. dicesq; vix id esse possibile viro ingenioso & multis negotiis implicato. Finem imponis confessioni, & absolueris. Surgis, & oro, vt me Sacramentaliter audies. Adquiescis, & meas ego culpas (heu nimis multas!) quâ possum contritione confiteor & de officio diuino ne quidem verbum ago. Petis an non peccauerim in horarum lectione? & respondeo, Me totâ hebdomade, (toto mense, toto anno &c.) legisse sine culpâ veniali: & me non peccauisse venialiter, tam certo scire, vt possim iuramento firmare. An non miraberis? an non piâ quâdam deuotione inuidebis? Omninò. Sed vnde ego hanc immunitatem obtinui? Respondeo. Homo sum temetipso fragilior, præditus acri & igneo ingenio: vno momento cœlos verso, altero ad subterranea transeo. Nulla in oratorio mouetur musca, quæ mihi non sit impedimento. Attendere lectioni desidero, & quoad possum attendo, sed distractiones nõ euito; involontarias, millies, interdum etiã volũtarias & nihilo minus nullo crucior scrupulo; nullo dubio angor, quia prudenter suppono, me ad actionem internam non teneri; eam habere bonum esse, & ea carere nequidem esse leuem culpã; me ad lectionem tantùm, & attentionem externam obligari. Me legisse totum quod Rubricæ iubent, certò scio ita certò vt possim iurare; ergo me ne venialiter quidem peccauisse in hac materiâ certo scio; & ita certò vt possim iurare. *Habeo igitur immu-*

CDXLII.

Securitas est triplex Scholastica, materialis formalis.

An requiratur attentio interna in lectione officij Diuini.

Liberum eſt cuicumque mutare opinionem probabilem.

nitatē ſe curitatē & tranquillitatē, quib⁹cares, & quas habere poteris, cùm volueris: eſt enim tibi liberum deſerere opinionem probabilem quam habes, & contrariam opinionem amplecti.

CCLXIX. Teſtamentum Optimi Magiſtri moralis.

Hæc certa sũt & valdè notãda pro Praxi, progrediamur vlteriùs hâc lege ſpiritualib⁹ filiis relictâ videlicet, *Actiones veſtras ad ſeueras, dictamen verò ad benignas ſententias elimate*: non enim video, cur non poſſim omnia illa facere, quæ opinio ſeuerior præſcribit, & nihilominus tenere cum benignâ ſententiâ me ad paucìora obligari. Hæc poſita ſit contra nonullos Ordinis Benedictini Religioſos, qui vt primum audierunt hoc aut illud in Regulâ, nec quidem ſub veniali obligare *Debere non fieri* intulerũt, & obſeruãtiã peſsum ire putarunt. Porrò ſi nihil faciẽdũ in Mũdo, niſi quod moraliter obligat, multarum etiam Religionum Obſeruantiæ ceſſabunt: contemnentur Patriarcharum multorum Regulæ & conſtitutiones, quæ non obligant ſub peccato. Imò contradictoria fient; nam ſi iſte ſyllogyſmus eſt bonus: *Quidquid ad peccatum non obligat, debet non fieri: Pſalmorum pœnitentialium, priuata lectio non obligat ad peccatum: ergo debet omitti.* Etiam iſte erit, bonus. *Quidquid ad peccatum non obligat debet non fieri: at eorundem Pſalmorum priuatæ lectionis omiſſio non obligat ad peccatum: debent igitur illi Pſalmi non omitti.* Vnde naſcetur illa communis conſequentia: *ergo debebunt omitti, & non omitti* Sed cur hoc ſcribo? illi qui illud prius abſurdum transglutiunt, huius conſequentiæ impoſſibilitatem non percipient, nec percipere poterunt. Oremus Deum, vt libros noſtros docti legant: & ad ſubtiliora tranſeamus.

Mirabilis aliquorum illatio: Non teneor facere: Ergo teneor nõ facere.

Authoris votum.

III

CDXLIII. A Controuerſia, illa quæ inquirit, *An eligẽda ſit probabilior ſententia*? facili me expedio negotio: vtor enim hoc cornuto dilemmate: cui nemo, quem audìui, ſatisfacere potuit. Sic diſcurro: [Aut ſufficit ſequi opinionem minùs probabilem, aut debemus neceſsariò ſequi probabiliorem: ſi primum, ſi ſecundum dicas, cogẽris dicere, ſufficere ſequi minùs probabilẽ. *Ergo*. Minorem probo, aut potiùs euidenter demonſtro. Nam ſi primum dicas habeo intentum; id enim quod intendo cõcedis. Si dicas ſecundum, ſic arguo. Sequi teneor probabiliorem opinionem: ergo ex duabus opinionibus, quarum altera docet, *ſufficere ſequi minùs probabilem*, & altera *hoc non ſufficere ſed debere nos ſequi probabiliorem*; tenebor ſequi probabiliorem; at illa quæ docet *ſufficere ſequi minùs probabilem* (ſi non eſt moraliter euidens & certa, quod puto) eſt certior, probabilior, (& non ſolùm communior, ſed vnica ab omnibus Theologis hodie recepta) Tenemur igitur illam ſequi; nec ſequi contrariam poterimus.

Dialemma euidens.

IV.

CDXLIV. A Vdiui olim Angelum Manrique ſic dicentem: *Ab annis triginta doceo, & habeo mei ingenij experientiam publico teſtimonio firmatam; & tamen hanc opinionem non intelligo* (erat illa quæ docet Logicam, Phyſicam, & quamcunque aliam ſcientiam eſse ſimplicem qualitatem) *ergo ſiue ſit D. Thomæ ſiue alterius, mihi ab intrinſeco eſt improbabilis*. Etam iuuenis, & altè inhæſerunt hæc verba; & à magno Viro didici illâ die, quid eſset interna probabilitas. Eius igitur veſtigiis inſiſtens.

Quid intrinſeca propoſitionũ probabilitas.

Dico primò. *Viro indocto aut etiam non ſatis in aliqua facultate erudito, nulla illius facultatis opinio eſt ab intrinſeco probabilis, aut improbabilis*. Et ratio eſt; quia, qui ingenio & doctrinâ caret, non eſt capax qui de probabilitatibus iudicet; probabilitas enim eſt quidam apparens Propoſitionum color; & vir indoctus cæcus, qui de coloribus iudicare non poteſt. Sed dices, Probabilitas, & Improbabilitas ſunt termini contrarij: ergo non poteſt uterque abeſse ſimul; ergo qui non iudicat unam propoſitionem probabilem, debet iudicare improbabilem; & contrà.

Obiectio.

Reſpondeo Veritatem & Falſitatem contradictoriè opponi; nec tamen ideò qui non iudicat vnam propoſitionem eſse verã, illam iudicat falſam. nam hanc *Turca ſedet* nec iudico veram nec judico falſam, quia neutrum ſcio, nec habeo fundamentum, vnde judicem vnum vel aliud: Sanè hæ propoſitiones, *Ego non judico hanc ſententiam probabilem*, *Ego non judicio hanc eandem improbabilem*, non ſunt contradictoriæ, ſunt enim negatiuæ; & vbi non reperitur affirmatio & negatio eiuſdem de eodem, contradictio non poteſt inueniri: nam priori contradicit hæc, *ego iudico hanc opinionem probabilem* poſteriori autem hæc: *ego judico hanc eandam improbabilem* Et ſicut aliud eſt, *Neſcire rem eſſe veram*, & aliud, *ſcire eſſe non veram*; ſic etiam aliud eſt *ſententiam non iudicare probabilem*, & aliud, *Illã iudicare non probabilem*

Soluitur.

CDXLV. Certitudo intrinſeca.

Dico ſecundò. *Ille qui ex duabus contradictorijs alteram ſcit defendere, & alterã neſcit, ſi ſit vir bene doctus, poterit dicere illam, quam ſcit defendere, ſibi eſſe moraliter certam, & illam, quam neſcit defendere, improbabilem*. Patet omninò ex dictis.

Dico

intrinſecam ſeu certitudinem, ſeu probabilitatem pauci habent.

Dico tertiò. *Ille iudicat opinionem aliquã ab intrinſeco probabilem, qui putat ſe ita alterutram partem poſſe defendere, vt non demonſtretur contraria; ita impugnare alterutram, vt non demonſtretur reſponſio.* Colligitur etiam ex dictis. Hinc infero, paucos eſſe, qui habeant ſententias, quæ ab intrinſeco ſint probabiles aut improbabiles.

CDXLVI. An eadem opinio ſit ſimul probabilis & improbabilis?

Dico quartò. *Eadem opinio poteſt Petro eſſe probabilis, Ioanni improbabilis, & Friderico neutrum.* Quod ipſum clariſſimè oſtendo. Cæſarem Pragæ Ioannes viderit, Petrus audiuerit a fide dignis Pragæ non eſſe: & Fridericus nihil viderit, vel audiuerit, nil ſciuerit de hoc. His ſic ſuppoſitis propono hanc aſſertionem: *Cæſar non eſt Pragæ*, & reſpondebit ſtatim Petrus; mihi eſt valdè probabilis; audiui enim hoc à viris grauibus, qui mentiri non ſolent, à viris aulicis qui in re eiuſmodi falli non poſſunt. Et tamen Ioannes dicet; eadem aſſertio mihi eſt improbabilis & euidenter falſa, quoniam proprijs oculis vidi contrarium. Et Fridericus; neutrum ſcio, neutrum audiui, neutrum vidi: careo omni iudicandi motiuo, ac ideò mihi videtur nec probabilis neç improbabilis.

CDXLVII. Mutatur quotidiè probabilitas propoſitionum.

Dico quintò. *Propoſitio, quæ hodie nec eſt probabilis, nec improbabilis, cras eſſe poterit probabilis, & perendie aut euidenter vera aut euidenter falſa.* Pono exemplum. Hæc Propoſitio: *Dantur Antipodes*, Auguſtini & aliorum veterum Doctorum ætuo non fuit poſitiuè probabilis: non enim dabantur rationes, quæ illos eſse, aut non eſſe probarent. Inceperunt Geometræ rem meditari, & congruentias nonnullas inuenire (non enim rationes graues dixero, quæ ante Chriſtophorum Columbum datæ) Terras aliquas vltramarinas eſse ab eo Columbus didicit, qui illuc procellâ abactus, eas luſtrarat; credidit probabiliter graui teſtimonio fundatus. Venit ad Principes, venit ad Reges; & quia erant contrariâ præoccupati ignorantiâ, aut ſententiâ, fuit irriſus: tandem Iſabellæ Hiſpaniæ Reginç ſuam ſententiam perſuaſit: Iuit, vidit, redijt: nouos homines, aues & animantes attulit; & res negata ab omnibus tranſiuit in certam, quæ hodie à nullo ignoratur.

De Antipodibus.

De alijs ſententijs.

Similiter agitur in Theologiâ Morali: multæ ſunt hodie opiniones probabiles, quæ heri tales non viſæ, & multæ heri iudicatæ probabiles, quæ, re hodie meliùs examinatâ, tranſiuerunt in certas; videlicet aut certò falſas, aut certò veras.

VI.

CDXLVIII. Quot Au-

COmmunis Theologorum ſententia poſtulat quatuor Authores in re, quæ à multis tractata: in hoc enim ſaltem omnes conueniunt, quòd opinio quatuor Authorum ſit probabilis. Sed contra ego hanc rationem efformo, quæ ſolutione hucuſque caruit [*Quidquid teſtantur quatuor authores eſt probabile: ſed ad probabilitatem non requiri quatuor authores, ſed vnum omninò ſufficere, quatuor teſtantur authores (imò viginti, aut plures) Ergo opinio vnius Authoris eſt probabilis.* Hâc ratione ſum vſus in Commentario in Regulam D. Benedicti *diſp. 6. num. 53*]

thores ad probabilitatem requirantur.

An vnius Authoris opinio ſit probabilis.

Interim quidquid de iſta ſubtilitate ſit, tu illam ſententiam ſequere, quæ docet, *quatuor Authorum opinionem eſſe ſatis probabilem.*

CDL. An indocti melioris ſint conditionis quàm docti?

Hîc vir indoctus ſolet eſſe fœlicior: quia poteſt clauſis oculis quatuor Scriptoribus credere: at doctus debet eſſe oculatior; ſunt enim Authores, qui numerum non addunt, vel quod exſcribunt potiùs, quàm ſcribunt & cum cæteris ſaltant, quod non raro contingit: vel iuſſi hanc vel illam opinionem tuentur: & tunc conſideranda eſt iubentis doctrina & authoritas, vt de probabilitate ſententiæ iudicemus.

Aliqui Authores non addunt numerum & cur?

CDL. Quomodo procedere, debeanc indocti.

Iterum vir indoctus ſolet eſſe fœlicior; quia doctus in dubijs rationes & fundamenta debebit examinare, indoctus verò non debebit: laicus enim, qui ſuum Confeſſarium, aut aliquem Virum probum & doctum conſulit & interrogat, an hæc vel illa ſit opinio ſecura? poteſt illi credere, & iuxta eius directionem gubernari.

VII.

CDLI. Omnia probabilia ſunt licita.

QVid eſt demonſtrare rem eſſe licitam? Reſpondeo [Demonſtrare rem eſſe licitam, eſt oſtendere illam eſſe ſaltem probabilem. Patet: quia omnia purè probabilia ſunt licita. Quòd ſi aliquando in materia probabili detur obligatio certa, hæc non à probabilitate, ſed ab aliqua lege concomitante, quæ euidenter eſt certa, ſuboritur. Quamobrem definimus [*Omnem omninò actum humanum eſſe licitum, qui non impingit euidenter in aliquam legem obligatoriam euidenter*] euidenter, inquam, phiſicè vel moraliter.

CDLII. Poteſt ſe homo obligare ad alteram opinionem probabilem. De Conceptione immaculata.

Porrò in materia probabili poſſe ſe hominem ad alteram contradictionis partẽ obligare, certum eſt: & tum liberâ & voluntaria nouæ obligationis acceptatione libertas cœlitus conceſſa limitabitur. Si de Immaculata B. V. Conceptione agamus, vtraque pars eſt probabilis; at hodie omnes præcepto, aliqui iuramento obſtringimur, piam ſententiam defendere: Ergo, acceptando legem, aut emittendo iuramentum, nos ad alteram contradictionis partem determinauimus. Si detur in Republica lex acceptata, vi cuius debeat Iudex

ſecundùm probabiliorem ſententiam iudicare, iam ille vti ſuâ libertate non poterit, nec ius dicere iuxta minùs probabilem. Dixi alibi [Si libertas non ſit voluntariâ aliquâ obligatione obſtricta, ſtabo liberè pro libertate: quoniam ſi primæ Hypotheſeos omnia ad vnum puncta, aut aliquod ſaltem ſecundæ non ſit certum, ſed merè probabile, manebit politicos Principes (Eccleſiaſticos Sæculares) optionis locus, poteritque vel iniri vel non iniri ille contractus Princeps, qui iurauerit promiſerit-ue ſe defenſurum Eccleſiam pro poſſe, è duabus probabilibus ſententijs, quarum altera Eccleſiæ conſeruandæ eſſet vtilis, nociua altera, priorem amplecti tenebitur iuramenti vi, quoniam illam amplecti poteſt, & ponitur debere facere pro defenſione Eccleſiæ quidquid poſſit. Ergo ſi Eccleſiæ hoſtes aliquod Iuramentum poſtulent, quod poſſit emitti probabiliter, nec aliter velint ab inuaſione deſiſtere, Princeps idem, ſi non poſſit vi illos retundere, ratione prioris Iuramenti tenebitur emittere hoc ſecundum; quia ratione Prioris tenetur præſtare pro Eccleſiâ quod poteſt, & hoc poſterius Iuramentum præſtare poteſt]

De iuramento probabili. An quis obligari poſſit vt illud emittat.

VIII.

CDLIII. *Quid requiratur, vt res aliqua dicatur illicita?*

ET quid eſt demonſtrare rem eſſe illicitam? Demonſtrâre eamdem non eſſe probabilem. Olim, dum de hac materiâ diſputaram, ſic dixi [Qui rem aſſerit eſſe illicitam, ad multa tenetur. *Primò* enim debet oſtendere rationes, quæ malitiam probant, eſſe demonſtratiuas (ſcilicet realiter vel moraliter) adeòque tales, quibus ſecundùm prudentiam moralem probabilis reſponſio dari nequeat. *Secundò* debet etiam oſtendere, rationes, quę bonitatem ſuadent, ſecundùm moralem prudentiam conſideratas nequidem probabiles eſſe. Et id oſtendet, ſi omnibus ad vnam, dederit ſolutionem, quæ euidenter ſit vera: euidenter, inquam, realiter aut moraliter. *Tertiò* etiam debebit euidenter (nimirùm eodem ſenſu: realiter vel moraliter) oſtendere, partem illam, quæ bonitatem adſtruit, non habere ſufficientes Authores, vt dicatur probabilis. *Hæc omnia tria* ſimul oſtendere ille debet: caſurus causâ etſi duo ex illis demonſtratiuè oſtendat, modò vnum non oſtendat]

CDLIV. *Quid ſit improbabilitas poſitiua, an tollat omnem extrinſecam probabilitatem.*

Si dicat aliquis, improbabilitatem poſitiuam & intrinſecam (quando nimirùm aliqua opinio eſſe falſa demonſtratiuo ratiocinio probatur) deſtruere extrinſecam probabilitatem, quoniam contra rationem euidentem ſuffragia Scriptorum non obtinent: me expediam facilè, euidentis & demonſtratiuæ rationis nomine intelligendo realem aut moralem, iuxta ea quæ paulò ante ſtatuebantur: & hanc eamdem aſſertionem reſpectu diuerſorum concedendo & negando: ceſſat enim extrinſeca probabilitas in eo, qui demonſtrationis vires percipit; non autẽ in illo, qui rationem eſſe ſortem iudicat, at eamdem eſſe certam, euidentem; & indubitatam non iudicat. Quamobrem ſi Petrus contra Ioannem argumentetur probaturus Ioannis eſſe ſententiam improbabilem, tenebitur dare rationes euidentes & demonſtratiuas. Et quid, ſi illas Petrus euidentes affirmet, Ioannes autem graues quidem et fortes, non autem euidentes aſſerat? debebit Petrus ad Authores recurrere, & oſtendere Ioannis ſententiam non fulciri Virorum illuſtrium ſuffragijs.

Non omnes percipiunt vires demonſtrationum.

QVAESTIO.

An, & quando liceat homini mutare dictamen probabile?

CDLV. *Proponitur & diuiditur quæſtio.*

HAnc Quæſtionem in ſeptem Articulos diuidam; *in primo* contra Eminentiſſimum meum Dominum Cardinalem de Lugo à ratione diſcurram, & argumenta illius eneruare conabor, vt intra ſpeculationis terminos viderint docti, quàm ſit certa, aut incerta, quæ à Viro doctiſſimo poſita: *in ſecundo* proponam opinionem oppoſitam, quæ in praxi Viro Magno conſentit, & in ſpeculatione non multùm ab illo ſe remouet: *in tertio*, veram doctrinam ponam, illamque proprijs & certis fundamentis firmabo: *in quarto*, addam nonnulla ante argumentorum diſſolutionem neceſſaria: *in quinto*, nonnulla ratiocinia diſſoluam: *in ſexto*, argumenta eneruabo: *in ſeptimo*, reſoluam dubium obſcurum, & difficile, quod num. 456. ponitur.

ARTICVLVS I.

Proponitur primus modus dicendi, inferiùs num. 480. *diluci-dandus, aut etiam limitandus.*

CDLVI. *Arguitur contra Cardinalem de Lugo.*

SVmo ergo calamum tanquam qui vincere nolo, & vt probem eſſe homini liberum mutare ſententiam probabilem (illã videlicet, quam potuit amplecti) *ſic diſcurro*, Diſtinguo, inquam, Votum aut Iuramentum à Propoſito; Voto aut Iuramento tolli poſ-

Nemo propoſito poteſt obſtingi ad alterã probabilitatis partem, iuramento aut voto poteſt: fortè etiam aliquando præcepto. An officio diuino ſatisfaciat, qui vtitur Diurnali, & Breuiario caret?

poſſe & ſolere libertatem probabilitatis dixi & ſuaſi. At probare conabor me, etſi propoſuerim ſequi vnam ſententiam, poſſe liberè mutare dictamen & ſequi alteram.

His Principijs inſiſtens propoſui caſum difficilem in Comm in Regulam S. Benedicti. *Diſp.* 117 *num.* 1446. quem ex dictis poterit quicumque reſoluere. Ille erat [Paulus ingreſſurus nauim melioris commoditatis gratiâ contulit ſecum Diurnale ſubſcribens Theologis affirmantibus, legentem ea, quæ continentur in Diurnali, officio Diuino ſatisfacere. Poſtquam autem ſoluerunt è portu mutauit dictamen, et ſecutus ſententiam Ioannis Sancij, *in Selectis diſp.* 15. *num.* 2. aſſerentis in Diurnali non contineri integrum Officium Diuinum, ac proinde carentem Breuiario, licèt Diurnale habet, teneri legere Officium Diuinum; illud non legit] ſed quomodo reſpondendum hanc difficultatem proponenti?

CDLVII. Proponitur hic caſus Friderico, & ille illud decidit & expedit his verbis [Vt exactè reſpondeam, opus eſt homines circumſtantias expendere; Paulus *primò* ſententiam Virorum illuſtrium ſequebatur, quæ bene intellecta eſt probabilis (ſed quæ debent adiungi, vt bene intelligatur hæc opinio? in ſeriùs ſatisfaciam) Paulus virtute huius dictaminis potuit ſine culpæ grauis ſcrupulo relinquere Breuiarum in terra, & ſolùm conferre Diurnale. *Secundò* aſſeritur, Paulum mutaſſe dictamen & hoc humanum eſt & rationale. Homo non eſt ſuarum opinionum mancipium. Cùm probabile dictamen mutat vtitur ibi cælitùs conceſsâ libertate, & bene facit. Fidei orthodoxæ, Dogmatibus, Demonſtrationibus, ac Principijs per ſe notis, ſubeſt ingenium: probabilibus ſententijs ſupereſt; ideòque quàm liberè, ait, ſententiam alteram approbarit, tã liberè potuit illam dimittere. Potuit igitur Paulus ſine conſcientiæ ſcrupulo mutare dictamen; & valedicens vni Authori, ſequi alterius opinionẽ probabilem *Tertiò* dicitur Paulus noluiſſe vti Diurnali, & defectu Breuiarij multis diebus, quibus in naui fuit, horas non recitaſſe: nec tamen peccauit mortaliter; operabatur enim iuxta conſcientiæ dictamen, quod erat probabile & prudens, ſubnixum authoritate] An-ne Fridericus reſoluit iſtum caſum bene? Numero 495. reſpondebo.

An poſſit ſequi nunc alteram ſententiam probabilem, & eras mutare dictamẽ, & ſequi alteram.

Non peccat qui ſequitur opinionem probabilem.

An aliquis mutare dictamen poſſit circa horologiorum probabilitatem.

Propono alterum caſum [Petrum die Sabbathi, ſub mediam noctem, vt primùm audiuit duodecimam, comedit carnes, & poſtquam ſatur exceſſit è menſa, audiuit aliud horologium ſignificans horam duodecimam. Die ſequenti communicare vult & ſic diſcurrit: *Horologia habent opinionum probabilium virtutem. At ego comederam ante quàm tale horologium ſonuerit; Ergo probabile eſt quòd comedi ante duodecimam Ergo probabile quòd ſim ieiunus; At opinio in probabili conformare conſcientiam poſſum Ergo potero communicare*] & volo ſcire cur cummunicare non poſſit; nam ſtando doctrinæ præcedenti poteſt.

CDLVIII. [Reſolutio Cardinalis de Lugo.

Hunc caſum proponit Eminentiſſimus Dominus Cardinalis de Lugo, *de Sacramento Euchariſtiæ diſputat.* 15 *ſectio*, 2. *num.* 47. & hanc quæſtionem ſoluturus ſic inquit [Si audito primo horologio, & poſt cœnam agnoſcatur error prioris horologij, credo quòd poſſit abſque dubio ſequi ſecundum horologium: & obſeruato ieiunio celebrare, vel communicare die ſequenti: quia verè eſt ieiunus, & carnium eſus per errorem fuit die præcedenti inculpabilis propter ignorantiam] Nota bene obſecro hanc doctrinam; eſt enim veriſſima, & clauis totius difficultatis. Et attende; progreditur enim D. Cardinalis & ait [Si verò non agnoſcatur error in primo horologio, ſed maneat vnicuique ſua probabilitas, aliquis fortaſsè concedet ſequelam, dummodo non habuerit ab initio illum animum, poſteà verò audito ſecundo mutauerit mentem] [Ego tamen, ait Lugo, non facilè concedam] Sed cur [Quia video, inquit, ſequi inconuenientia, quæ in praxi non videntur admittenda.

Si cognoſcatur error.

Si ille non cognoſcatur

CDLIX. Arguit à cõ ſequentibus

Primò. Si aliquis audito primo horologio, celebret (eò quod habeat facultatem celebrandi poſt mediam noctem) & poſtea audiat ſecundum horologium, poterit adhærens poſteriori iterum celebrare; quia iuxta hoc ſecundum non celebrauit hâc die, ſed præcedenti.

Poſſet quis celebrare duas miſſas.

Secundò. In Quadrageſimâ poſſet, audito primo horologio, poſt mediam noctem prandere pro ſequenti die, ſequens opinionem illam, quòd anticipatio comeſtionis non ſit peccatum mortale; poſteà verò, audito ſecundo horologio, poſſet ſe conformare cum illo, & extunc denuò computare diem ieiunij, vt poſſet horâ ſolitâ iterum prandere, vtpotè qui illo die nihil adhuc comediſſet.

Prandere bis in quadrageſima.

Tertiò. Qui nondum dixit Completorium aut Veſperas hodiernas, præuidens parum abeſſe, vt ſonet in hoc horologio hora mediæ noctis, poſſet ſe conformare cum illo primo, atque ideo iudicare ſe liberum ab onere recitandi, eò quod tranſacta iam eſſet dies præcedens, iuxta probabilem opinionem iſtius primi horologij, quam mutato conſilio ſequi iam vellet.

Nunquam legere Veſperas aut Completorium.

CDLX. Concluſio Cardinalis.

HAEC, ET ALIA his ſimilia oſtendunt: *non poſſe illum, qui ſemel eccepit, vnum horologium pro Regula diei Eccleſiaſtici, poſteà pro libito relinquere illud, ſed ſæpè eſſe obligationem retinendi eamdem Regulam, quamdiù non apparet manifeſtus error in primo horologio*] Sic Lugo.

Reſpondeo, ſæpè damna grauia ſequi ex opi-

Quando argumentum ab inconuenienti ſit efficax.

opinione vera: ſed adeòquè aut toleranda, aut ponendum remedium; non enim damna probant antecedens falſum, ſed impoſſibilia ſolummodò. Porrò omnes illos caſus, non obſtantibus inconuenientibus, benignè admittit Lugo, ſi certò conſtet primum horologium exorbitaſſe, & vltimum cœlo correſpondiſſe: & ego ab ipſo deſidero patienter audiri, & audire huius inſtantiæ ſolutionem. Sic arguo [Si appareat certus & manifeſtus error in primo horologio, erit certum & manifeſtum, illos tres caſus benignè reſoluendos eſſe: Ergo ſi appareat probabilis error in primo horologio, erit probabile, eoſdem tres caſus benignè reſoluendos eſſe. Patet; quia ſi eſt certò diſgregatiuum viſûs, quod certò eſt album, erit probabiliter diſgregatiuum quidquid ſit probabiliter album] Ergo quidquid Lugo certò ex certa erroris cognitione deducit, id omne debebit deducere probabiliter ex eiuſdem erroris cognitione probabili. Reijcienda igitur videtur Lugonis ſententia; ſed quia illam vult à priori probare, eumdem attentè audiamus, & hanc prioriſticam probationem ſcrutemur. Sic inquit [Ratio autem à priori & Regula ſimul ad decernendum, quando non poſſimus facere eiuſmodi mutationem, hæc videtur eſſe poſſe; *Quia ſcilicet quamuis liberum ſit vnicuique, regulariter loquendo, amplecti ex duabus ſententijs probabilibus quam voluerit; eam tamen, quam amplectitur, debet retinere, quamdiu de eius improbabilitate non conſtat, quoties libera facultas variandi ſententiam reſultat in præiudiciũ tertij, qui eo modo fraudaretur iure ſuo, quod ius habet non probabile, ſed certum ad aliquid exigendum*]

CDLXI. Ratio Cardinalis potiſſima.

At ego Regulam audio, & Regulæ rationem nec à priori nec à poſteriori dari video. Sed quis, obſecro, hanc legem tulit, quam loco Regulæ Cardinalis proponit? Porrò, me iudice, hic principium petitur ab Eminentiſſimo; quia ſi ipſe dicit, ideò me non poſſe mutare ſententiam, quia alter habet ius certum, dicam, ideò alterum non habere ius certum, quia ego habeo ius mutandi dictamen probabile: et ſic corruit tota poſita Regula. Præterea iterum contra hanc Regulam aſſumo illam rationem, quâ ſuperiùs ſum vſus [Si euidenter cognoſcerem errorem prioris horologij, eſſet euidens me poſſe operari, etiam reclamante illo tertio: quod admittit iterum, & iterum Lugo: Ergo ſi probabiliter cognoſcam & eiuſdem horologij errorem, erit probabile, me poſſe operari etiam reclamante illo tertio] At hoc erit in præiudicium eius dices. Sed ego diſtinguam præiudicium à damno: non enim ſunt præiudicia quæ iuſtè fiunt, licèt maximum inferant damnum.

Diſtinguitur præiudicium a damno.

CDLXII. Num. 480. datur do-

Sed Eminentiſſimus Dominus Regulam dilucidat & probat ſic [Petro, ait, ex iuſtitiâ ſingulis diebus debes nũmũ aureũ, quod ſit pondus diei, ita vt ſi intrà diem non ſoluas, non debeas dare duplum die ſequenti: hoc ſuppoſito, imminente iam ſonitu mediæ noctis exigit Petrus ſuum ius; reſpondes: *Sequor illud alterum horologium, quod poſt mediam horam ſonabit*, & hoc prætextu differs ſolutionem: poſt quam verò primum horologium dat ſignum mediæ noctis, mutatâ ſententiâ, dicis: *Sequor magis hoc primum horologium, atque ideò, tranſacta iam omninò die præterita, nihil debeo*. Hæc certè variatio licita non eſt; alioquin abſque peccato poſſes toto anno nihil ſoluere Petro, mutatâ ſingulis diebus ſententiâ poſt ſonum primi horologij. Fatendum ergo eſt, ſicut Petrus habet ius non probabile, ſed certum quotidie ad nummos illos habendos, ſic habere ius, vt non mutes ſucceſſiuè ſententiam probabilem in eius præiudicum, ſed retineas eamdem; nam ſi ad hoc non habet ius, neque habet ius ad nummos, quos abſque illo alio iure de facto obtinere non poteſt: ius ergo ad nummos obligat te ad retinendam eamdem ſententiam, cuius variatio ſolutionem debiti certi certiſſimè impediret. *Hinc iam ad alias materias extra iuſtitiam eamdem Regulam applicare poſſumus*, ait Lugo: ſit enim duplex ſententia probabilis; altera dicit hodie ieiunandum eſſe, altera non eſſe ieiunandum hodie ſed cras: ego hodie amplector ſecundam ſententiam & non ieiunio, cras amplector primam & dico: *Iam tranſiit dies, qua debebat ieiunari, liber ſum à ieiunio*, eâque viâ, ſtante lege certâ, obligante ad ieiunium, abſque peccato omitterem ieiunium, quod eſt abſurdum: nam ſuperior obligans ad ieiunium reddit etiam illicitam mutationem illam ſententiæ, quæ omninò impedit legis obſeruantiam. *Aliud ſimile exemplum eſſe poteſt in præcepto audiendi ſacrum*. Si verbi gratia die feſto, meridie iam imminente dicas. *Amplector ſententiam dicentem, poſſe fieri ſacrum paulò poſt meridiem*, deinde poſt meridiem mutatâ ſententiâ dicis: *Amplector contrariam ſententiam, quòd non liceat facere ſacrum poſt meridiem, atque ideò liber ſum à faciendo ſacro*. Ecce præceptum erat certum, & debitum certum audiendi ſacrum; quare ſuperior obligans ad ſacrum, obligat ad ſententiam ſemel acceptam, ex cuius mutatione impeditur obſeruatio certi præcepti. *Hoc ergo ipſum dicendum eſt*, quando probabilitas oritur ex diuerſis horologijs, quodlibet poſſumus ſequi ad obſeruanda præcepta, non poſſumus tamen variare in præiudicium præcepti; quia ſicut præceptum obligat certò ad opus iniunctum, ſic obligat ad non mutandam ſententiam, cuius mutandæ libera facultas impediret præcepti obſeruantiam. Præceptum V. G. ieiunii quadrageſimalis obli-

ctrina ſi quæ huic argumento ſatisfaciat.

An poſſit mutari dictamen in materia Iuſtitiæ?

An fortè in materia ieiunij?

An etiam in auditione ſacri.

Eadem exempla, rerum D. Cardinalis reſumit;

obligat certò ad unicam commeſtionem ſingulis dieb⁹, id eſt prohibet ſecundã variandi horologia pro libito, ex quorum variatione, eſſet in biduo triplex commeſtio, quia iam tunc non haberetur opus certò debitum, ſcilicet duplex ſola commeſtio in dubio. Eodem modò præceptum obligans ad recitandum officium ſingulis diebus, obligat conſequenter ad non varianda horologia pro libito, ex quâ variatione ſequatur omiſſio officij alicuius diei, & ſic de alijs. Deniq; veniendo ad caſum obiectionis; ex iiſdem principiis dicendum eſt, non poſſe ſacerdotem amplecti vnum horologium, ad ſoluẽdum ieiunium præcedentis diei, & alterum poſteà ad inchoandum ieiunium naturale, quod requiritur ad celebrandum die ſequẽti, ſed debere ſequi vnum & idem horologium pro vtroque præcepto. Nam licet præcepta ſint diuerſa, & ſingulis præceptis ſeorſim videatur ſatisfieri (in quo videtur eſſe differẽtia aliqua ab exemplis adductis) non ſatis fit tamen toti legi, ſeu vtriq; præcepto ſimul; vnde videntur ſequi eadem inconuenientia. Nam ſtante illo duplici præcepto, ego debeo ex cõplexione vtriuſque præcepti, abſtinentiam à cibo poſt commeſtionem vnicã diei præcedentis, ſeu poſt refectiunculam ſcrotinam vſque ad miſſam, vel communionem diei ſequentis, & ſuperior habet ius ex vi vtriuſque præcepti ad hoc totum: ergo habet ius ad prohibendam variationem horologij, ex qua impediatur obſeruantia, & redditio totius illius debiti, ad quod certum habebat ius: quod enim id debeatur vnico vel duplici præcepto parum refert. Pone enim te ex duplici titulo diuerſo debere Petro de Iuſtitia, duo aliqua etiam diuerſa, v.g. ex vno contractu debes non auferre ab ipſo equum tuum toto hoc anno; rurſus ex alio contractu debes ei centum nummos, ſi anno ſequenti abſtuleris equum, tunc vltimâ die anni poſt mediam noctem iuxta vnum horologium exijs ab illo equum, ſciens te contrahere obligationem ſoluendi centum nummos, in conditione poſitos, auferens equum poſt mediam noctem intra annum ſequentem, accepto equo ſonat ſignum mediæ noctis in ſecundo horologio, tunc mutato conſilio vis ſequi ſecundum hoc horologium & contendis te nihil debere, quia non abſtuliſti equum intra ſecundum, ſed intra primum annum Nemo dicet te liberum, & potuiſſe in præiudicium Petri mutare ſententiam; quia licet ex diuerſis contractibus, verè tamen debebas Petro in conſcientia non auferre equum, niſi ſoluendo centum nummos: Ergo Petrus habebat ius certum, ne auferretur ipſi equus, niſi cum obligatione ſoluendi ipſi centum nummos, in quo tamen iure fraudatur per illam variationem & mutationem ſententiæ iuxta diuerſa horologia. Fatendum ergo eſt licet liberum ſit homini accipere pro regulâ quodlibet horologium, non tamen eſſe liberum recedere ab illo in præiudicium creditoris; quia eò ipſo quod vnum horologium accepit, videtur renunciare omnibus alijs, & ſe habere perinde, ac ſi nullum eſſet aliud, alioquin creditor habet ius permittendi quod vtatur illo horologio, ne hoc modo perdat ius ſuum, quod habet certum ad totum illud complexum. Sic ergo ſuperior ex vi duplicis præcepti habet ius certum, vt poſt commeſtionem hodiernam homo nihil comedat ante communionem craſtinam; quo iure fraudatur, ſi homo iuxta primum horologium, cœnet poſt mediam noctem, & iuxta ſecundum celebret cras, ſed dicendum quod eò ipſo quod vult homo accipere primum horologium pro Regula ad cœnandum, obligat ſe implicitè ad ſuſtinendam illam Regulam, quandiu de eius errore non conſtat, ne ſuperior fraudetur iure ſuo, quod habebat ex cõplexione vtriuſque præcepti, vt homo nihil comederet ante communionem craſtinam poſt prandium, vel refectiunculam hodiernam.

CDLXIII. Proponitur alius ſimilis caſus.

Ex iuſtitia ad obedientiam per rationis paritatem tranſitur.

Hæc omnia argutè, Lugo at ſemper chorda obludit eadem: inconuenientia multiplicat, quæ omnia concedimus, & tamen doctrinam Lugonis eſſe veram negamus. CDLXIV.

Si obiecerimus contrà Dominum Eminentiſſimum ieiunium, à quo aliquis loci mutatione poteſt & ſolet eximi, reſpondet. [Nec ſimile eſt in illo, qui mutando locum liberatur à ieiunio, ſi hodie ſit Romæ, vbi ſit vigilia S. Bartholomæi, & cras ſit in alio loco, vbi hodie facta fuit vigilia; hoc inquam non eſt ſimile, quia ille mutatione loci fit liber à præcepto, quatenus nunquam fuit debitor, eò quod nec Romæ, nec extra inuenerit præceptum; At verò in noſtro caſu, tu debes certum nummum Petro, ſic non potes abſque inobedientiâ non ſoluere ieiunium, cum ſit certa lex ieiunij te obligans, licet non ſit certum tempus pro quo obligat.] Sed ego hâc obiectione non vtor, & tamen dico à Lugone illam non ſolui; quia non ſolùm Petrus Româ egredi poteſt antequam ſit ieiunij debitor; ſed etiam iuxta probabilem ſententiam poteſt quando eſt dies ieiunij Romæ, ſi aditurus eſt alium locum, vbi non obligat illud ieiunium, etiam ſumere ientaculum Romæ, & mane non ſeruare ieiunium. Hoc docet probabiliter Diana *par 1. tract. 9. Reſol. 3.* citans Leſſium, Sanchez, Portel, Naldum, Filliucium, Molieſium, Sancium, &c.

Reſpondet obiectioni Lugo.

Hæc reſpõſio impugnatur.

Recognoſco ergo Regulam ab Eminentiſſimo Domino Lugone poſitam, & quia mihi non placet, has ego Theſes tanquam certas aſſumo. CDLXV. Vera quæſtionis diſſolutio.

PRIMA. Qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc ſequitur alteram, poteſt ſequenti momẽto licitè tenere alteram; dummodo alterutram ſequendo præceptum impleat

pleat. Hanc iudico luce meridianâ clariorem.

CDLXVI. Damni & Præiudicij discrimen.

SECVNDA. *Ex hac libertate nullum præiudicium tertij sequitur, at multa damna tertij consequuntur*. Nullum sequi præiudicium ostendo, quoniam, qui suo vtitur iure, etiam cum damno tertij, nemini præiudicat; est enim præiudicium non qualecunque damnum, sed illatum iniustè. At omnia illa, quæ enumerat Lugo, ex hac doctrina sequi certum est: iustè tamen Ergo, siquidem illa admitti non possunt, & tamen hac viâ excludi non possunt, aliam debebit ille inire.

CDLXVII. Vide num. 460. Manitum, pro morali Dialectica.

TERTIA. *Hæc est mala consequentia*, [*ex hac doctrina magna damna sequuntur; ergo non est probabilis.*] Patet, quia ex certissimis & euidentissimis propositionibus magna damna aliquando sequuntur; & nihilominus sunt veræ.

CDLXVIII. De contractu merè probabili.

QVARTA. *Qui iniuit contractũ merè probabilẽ si suo iure cessit, tenebitur stare cõtractui; aliàs non tenebitur tamen, si subsit fraus, quia fraus nemini debet prodesse* At si mutet dictamen, inquies, procedet in præiudicium tertij. Nego præiudicium, & concedo liberè tertij vel iacturam, vel damnum: quoniam si tertius hoc præuidit, & adhuc iniuit contractum, sibi imputet, qui socium potuit strictius obligare & omisit: si non præuidit hoc damnum, enumeret inter infortunia, quæ ignoranter frequentissimè incurrimus, & solam accuset ignorantiam. Et hinc patet quid de Petro dicendum sit, cui supponebat Lugo, singulis diebus debes dare ex iustitia (ex contractu) nummum aureum; in eo enim casu mutatio dictaminis nasceretur ex fraude, & ideò obligationem, quæ ex iustitiâ est, nec diminueret, nec auferret.

Iura non dormientibus, sed vigilantibus scriptæ sunt

CDLXIX. Proponitur controuersia subtilior.

SEd quid, si Paulus, cùm habuit primum dictamen, etiam habuit simul intentionem illud mutandi?

Negat hanc mutationem posse fieri Cardinalis de Lugo, *de Sacram. Euchar. disp.* 15. *sect.* 2. *num.* 47 vbi cum difficultate vult cõcedere mutandi dictamen libertatem, modò non habuerit ab initio illum animum; nã si illum habuerit, existimat eum non processisse bonâ fide, atque ideò mutare non posse dictamen.

CDLXX. Ego autem vberiùs in Commentario in Regulam D. Benedicti, *disp.* 117. *num* 1447. hanc eandem controuersiam decido. Ibi agens de eo, qui ingressus nauim cum Diurnali, habebat probabilem sententiam, docentem posse sine mortali ex Diurnali Officium Canonicum legi; & simul intentionem mutandi hanc sentẽtiam, cùm primum solueret: Ibi, inquam, sic aio: [Iuxta probabilem sententiam impossibile est habere intentionem mutandi dictamen, quia ipsum velle mutare, quodammodo mutare est: velle enim amare obiectum, aut formaliter est amare obiectum, aut saltem amare interpretatiuè: vnde qui sequi vult aliquam sententiam, aut formaliter, aut saltem interpretatiuè illi subscribit. Propterea eum non crederem perseuerare in priori dictamine qui decreuit habere oppositum: & probo; Idem est velle sequi aliquam sententiam, ac illi formaliter, aut interpretatiuè subscribere; Atqui, ille qui interpretatiuè subscribit illi sententiæ, interpretatiuè & moraliter valedicit contrariæ: Ergo cùm primum quis vult mutare sententiam, moraliter loquendo iam mutat. Ergo Paulus cùm omisit Breuiarium operatus est contrà dictamen prudens in materia graui, & peccauit mortaliter.

CDLXXI. An detur pura omissio?

Hæc dicta sunt in opinione admittentium, actus voluntatis virtuales, & interpretatiuos, quos permulti negant. Quod si partem aliam sequaris, & asseras non dari interpretatiuas volitiones sine mutatione reali & physicâ, si iniquas omnes puras omissiones proscribas, & affirmes physicè mutari voluntatem, quoties cunque operatur liberè, suppositionem debebis admittere: & consequenter asserere, omnia esse illicita. Quoniam potuit Paulus habere primum dictamen, quia hoc nullâ lege interdicitur.

CDLXXII. An semper sit peccatũ nolle præcepto satisfacere.

Dices: quando Paulus ingressus est nauim, voluit mutare dictamen: Ergo voluit non legere. Patet, quia ex mutatione dictaminis inferebatur lectionis omissio. Ergo peccauit grauiter; quia mortiferè peccat, qui vult non legere cùm potest. & Paulus antequam è portu solueret, poterat conferre Breuiarium & legere. *Multa hic confunduntur*, quæ expenderem, nisi timerem censeri nimis prolixus. Respondeo itaque duas succurrere solutiones; alteram planam et peruiam, quam dabo num. 480. et num. 486. alteram non paucis expositam difficultatibus, quam placet nomini Friderici, quem imperfectè, licet acutè, discurrere, iam obseruauimus. Ait ergo Fridericus, Paulum, cùm ingrederetur nauim, voluisse mutare dictamen: et distinguo Consequens. Voluit ergo non legere, hoc est omittere horarum lectionem, quam tũc iudicaturus erat obligatoriam, nego: Illam quam tunc iudicaturus erat non obligatoriam concedo. Ergo peccauit graniter, nego subsumptam consequentiam: vt enim actio non sit peccaminosa, correspondere debet prudenti dictamini, non futuro aut præterito, sed illi quod est præsens, quando illa fit; Omissio autem officij diuini, licet esset contra dictamen prius, erat tamen secundum dictamen, quod habiturus erat Paulus, cùm lectionem erat omissurus.

Respondetur.

CDLXXIII. At quia & possunt purè omissiones negari, & tamen voluntas etiam interpretatiua concedi, dicendum videtur, eum qui vult

mutare

mutare dictamen, nondum mutasse physicè, sed virtualiter, moraliter, aut interpretatiuè, atque adhuc non posse cum tali intentione nauim ingredi sine breuiario.

Dixi videtur eum, qui &c. semper enim remanent dubia, quæ indigent solutione. Quid enim, si dixero Paulum defactò, cùm ingressus fuisset nauim, habuisse intentionem vtendi Diurnali, & opinionem, quæ docet illud sufficere, fuisse secutum, & interim habuisse etiam defactò intentionem mutandi opinionem, & sequendi opinionē contrariam? Quid si hanc firmauero doctrinam, vna Euangelicæ Historiæ periodo, quam cohærere prædictis fortè nullus aduerterit? Narrat Euangelij sui cap. XXIV. D. Lucas, quo Christus modo Emauntinis apparuerit, & tandem fuerit agnitus in fractione panis. Adibant Emauntem, illi cogitabundi & tristes, & Christus sub peregrini specie se illis adiunxit, & cepit cum illis de Passione, Resurrectione, & mundi Redemptione disserere. Cœpit simul & audiri & amari. *Et* (vt verba formalia, quę mea referunt, ponam) *appropinquauerunt Castello, quò ibant: & ipse* (Christus) *finxit se longiùs ire; Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies, & intrauit cum illis, &c.* Recognoscunt interpretes istam Periodum, & quia illud verbum, *finxit*, non potest intelligi grammaticaliter, debere Theologicè dicunt. Sed quomodo?

Luc. 24.

An Christus possit fingere?

CDLXXIV. An dentur restrictiones mentales?

Putant aliqui hoc testimonio restrictiones mentales demonstrari: at certum est illas hoc Sacrę Scripturę testimonio conuinci non posse: sunt autem plerumque pernitiosæ et mendaces, et tollunt octauum Præceptum Decalogi; illis enim admissis vix videntur posse dari mendacia. Vbi notari volo eos, qui Restrictiones mentales non vbique, sed in aliquibus casibus admittunt, easque circumstantijs consignificantibus attemperant, bene sentire, male loqui. Dico enim illos bene sentire; carent enim mendacio omnes illæ Propositiones, quæ excusantur ab ipsis; at non quia à conceptibus mentalibus restringuntur, sed quia à circumstantijs adiacentibus, & consignificantibus. Rem Exemplo dilucido. Petrus occidit vnum hominem, & pœnitentiam sacramentalem subijt, & absolutus fuit, & sequenti anno prouolutus ad pedes confessarij rogatur, an occiderit? & negatiuè respondet. Mentiturne? minimè. Sed est verum, quod occiderit, & tamen negat; quâ ergo viâ aliâ poterit, quàm mentali restrictione excusari? Imò hâc viâ non potest, & alia debet. Dico interrogationem & responsionem debere cohærere: & confessarij verba debere intelligi intra limites eius authoritatis, quę ad cogendum vt peccata bene semel confessa, iterum Petrus confiteatur, non se extendit: Ergo illa verba confessarij, videlicet, *Occidisti ne aliquem?* præscindendo ab omni restrictione mentali, à circumstantijs ipsis (hoc est à sacramenti institutione, confessarij authoritate, & præsumpta voluntate) restringuntur, vt æquipolleant istis, *Habesne aliquod peccatum in genere homicidij, quod nondum sis confessus*: cui interrogationi optimè verè respondet Petrus, *Non.*

Nōnulli bene sentiunt, et nihilominus male loquuntur.

CDLXXV.

Puto tamen ego hinc primò persuaderi posse, dari duas voluntates contrarias simul saltem conditionatas, quod etiam quotidie experimur: non enim video, cur non possit Franciscus visitare Ioannem cum intentione manendi, si instantissimè oretur, & progrediendi vlteriùs, si non urgatur? si talem Christo voluntatem concesseris, sine mendacio aut restrictione mentali potuit dicere. *Volo progredi vlteriùs, nolo manere hic; habeo cur festinem & vlteriùs progrediar.* & postea oratus & rogatus, cessante videlicet causâ, ob quam volebat progredi, potuit dicere, *Ergo siquidem sic desideratis, manebo.*

CDLXXVI.

Accessi ad meum conceptum, at illum nondum exposui, iam ingredior. Sic inquam: Ego fortè possum illas duas voluntates conditionatas habere, qui actiones alienas non præscio: at Christus bene sciebat discipulos se vrsuros esse: Ergo simul habebat voluntatem progrediendi vlteriùs & absolutam voluntatem priorem voluntatem mutandi. Eandem habebit Petrus, cùm Ioannem visitat, cum voluntate absolutè non manendi apud ipsum nisi rogetur, scit tamen certò moraliter se esse rogandum: Igitur non videtur repugnare, quod aliquis defactò velit vnam rem, & nihilominùs habeat concomitans propositum voluntatem mutandi. Igitur in hoc casu erit verum dicere. *Petrus defactò adhæret huic sententiæ probabili. Petrus defactò non adhæret oppositæ. Petrus habet propositum adhærendi post duo temporis minuta oppositæ. Petrus illi, cui nunc non adhæret, post duo minuta adhærebit defactò.*

CDLXXVII Cardinalis Lugonis doctrina est vera quoad substātiam, non autem quoad defendendi modū.

Sic placuit contra me Eminentissimi Cardinalis doctrinam & fundamenta argumentari: nec ideò omninò ab eo discedo; teneo enim rem, non modum: *quàm enim certum est, me posse liberè mutare dictamen probabile, & hoc semper: tam est certum, me alteram sententiam electurum, & iuxta eam media ita dispositurum, vt nec contra Iustitiam, quę ad debita reddenda, nec contra Charitatem, quæ ad non facienda damna hominem obligat, impingatur* Cæterùm, licèt dicta alicui viderentur sufficere, quia illa multis hinc inde dubijs Fridericus implicuit, & maiorem nos claritatem et securitatem desideramus, veniamus ad veram et certissimam Resolutionem.

ARTICVLVS II.

Aliqua ſcitu neceſſaria adnotantur.

CDLXXVIII. SVbtilia ſunt, quæ hinc inde Articulus præcedens poſuit: quorum ſolutio à textu Fundamenti dependet. Ille eſt. *Charitatis præceptum videtur ſubſiſtere hoc lemmate*, Quotieſcumque egenti proximo fauere poſſum ſine proprio damno, etiam debeo. *Ergo, ſi ſine damno proprio (hoc eſt, meo, aut meorum) poſſim ſequi opinionem probabilem, quæ fauet proximo, etiam debeo. Iuſtitia ſtrictiùs obligat, quàm Charitas: ergo, quando debitum eſt certum, non habet locum opinio, quæ probabiles circumſtantias inducat, vi quarum Iuſtitia violetur.* Ergo vnica & ſola tenenda eſt Eminentiſſimi Domini Lugonis ſententia, quoad ſubſtantiam. [Conſultò *quoad ſubſtantiam* dico: quia in praxi nolumus à Lugone diſcedere: & in dialecticandi modo fortè conuenîmus omninò, fortè differimus tantiſper; & hic ipſe diſſenſus (qualis, qualis) lectoribus prodeſſe poterit.]

Obligatio Charitatis qualis?

Iuſtitia ſtrictiùs obligat, quàm Charitas.

CDLXXIX. Sanè, ſi obligatio naſcitur ex præcepto, qui illud imponit, omnia illa indirectè præcipit, quæ ſunt neceſſaria, vt ſeruetur: &, ſi obligatio naſcitur ex contractu, qui illum ineunt, omnia illa ſe facturos indirectè promittunt, ſine quibus ille ſtare non poterit: Ergo eo caſu, quo mutatio opinionis probabilis in causâ eſſet, ne præceptum obſeruaretur, dicendus eſt, qui illud impoſuit, compræcepiſſe ſubdito, ne in fraudem præcepti opinionem mutaret: Ergo eo etiam caſu, quo mutatio opinionis probabilis in causâ eſſet, ne ſatisfaceres contractui, dicendus es, iuri tuo ceſſiſſe, & compromiſiſſe, te non mutaturum dictamen cum iacturâ contractûs.

An præcepto adhæreant compræcepta? An etiam compromiſſiones promiſſionis?

ARTICVLVS III.

Reponitur vera doctrina, & veris fundamentis firmatur.

CDLXXX. RElegi præcedentes Articulos, & in excurſu Eminentiſſimi Lugonis conſequentes ſunt piæ, placent omnes, at nonnullæ conſequentiæ non placent, quoniam ortæ ex infirmis præmiſſis. Sanè maioris eſt moliminis, quàm multi putant, reſoluere propoſitam difficultatem.

Præcedentium cenſura.

Pronuncio primò, *Hominem poſſe mutare dictamen probabile, nec mentem probabilitatibus conuinci.* Sanè mutat homo dictamen, cùm iam alteri, & iam alteri contradictionis parti conſentit. Addo: *eum, qui præcepto, voto, aut iuramento legitimè determinatur ad alteram contradictionis partem, debere obedire Superiori, & ſtare promiſſis* Subiungo: *vota, leges, & iuramenta non ſolere in hac materia reſpicere actus merè internos, ſed externos ſolummodò.* Quando enim præcepto aut iuramento obſtringimur ad defendendam piam in materiâ Conceptionis ſententiam, non manemus obligati ad internos actus, ſed ad externos per ſe, & per accidens ad internos, qui ſint neceſſarij, vt illi externi licitè ponantur de facto. Qui enim mente diceret, *Improbabile eſt Virginem caruiſſe culpa*, & linguâ, *Virgo caruit culpa*, exorbitantias duas committeret: mente alteram, temerè iudicando, linguâ alteram, contra mentem loquendo. Deberet ergo in tali caſu, non linguam, ſed mentem corrigere.

CDLXXXI. An dictamè probabile, mutare liceat?

Probabilitatis latitudo contrahitur voto, iuramento, & præcepto: & quomodo?

De conceptione immaculata.

Pronuncio ſecundò, *non debere propoſitionem ſimplicem cum modali confundi: aliud eſt enim dicere*, Materia prima exiſtit exiſtentiâ formæ: *& aliud toto cœlo diuerſum*, Probabile eſt materiam primam exiſtere exiſtentiâ formæ: *prior enim eſt probabilis, poſterior credens. Et hanc ob rem, qui priorem tenet, liberè poteſt tenere oppoſitam: non autem, qui ſecundam tenet, poterit liberè tenere oppoſitam, videlicet*, Non eſt probabile, materiam primam exiſtere exiſtentia formæ: *hæc enim euidenter eſt falſa.*

CDLXXXII. Diſcrimen inter ſimplicem propoſitionem, & modalem.

Et hîc obiter noto, hanc propoſitionem, *Probabile eſt aſſertionem N eſſe veram.* non ſemper eſſe euidenter certam vel euidenter falſam: datur enim de probabilitate (imò de euidentiâ) probabilitas, quod clariſſimè oſtendo.

CDLXXXIII. An detur probabilitas probabilitatis? NB.

Hæc poſitio, *Probabile eſt dari phyſicas prædeterminationes*: item hæc, *Probabile eſt dari ſcientiam mediam*, ante annos aliquot erat merè probabilis: multi enim negabant primam, multi ſecundam, at iam vtramque certam eſſe ſupponimus, & præcepto Pontificio tenemur neutram ſententiam cenſurare. Demus aliud exemplum, *eſſe probabile quod poſſit moribundus ſub conditione abſolui, ſi catholicè vixerit, licèt nullum ſignum pœnitentiæ ediderit*, docet Vlemenſis Vniuerſitas, negat Pragenſis: Authores ſunt diuiſi hinc inde: Ergo probabile eſt illud eſſe probabile.

De abſolutione moribundi.

Hanc conſequentiam, *Deus eſt intellectiuus, ergo eſt volitiuus*: eſſe demonſtratiuam, Authores illuſtriſſimi affirmant, illuſtriſſimi negant: ergo in illâ datur euidentia probabilis.

An detur euidentia probabilis.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

Adduntur aliqua ante argumentorum diſſolutionem neceſſaria.

CDLXXXIV. De propoſitionibus particularibus indeterminatis quoad ſe, & indeterminatis quoad nos.

SVnt aliquæ Propoſitiones indeterminatæ quoad ſe, aliæ quoad nos. Nam in iſtâ, *Aliquis equus requiritur ad equitandum*, eſt equus indeterminatus quoad ſe: & in iſtâ, *Aliquis homo Petro in Abbatiali dignitate ſuccedet*, eſt deteminata quoad ſe (imò etiam quoad Deum) at eſt indeterminata quoad nos. De hac materiâ vberrimè in Metalogicâ *lib. 7. diſp. 1. art 4. num 816.* differui. De poſitionibus indeterminatis quoad nos, & determinatis quoad ſe multa Philoſophi: de indeterminatis quoad ſe illi non multa. Interim omnes conueniunt in dicendo, eſſe malam argumentationem, *Nec hic equus, nec ille, nec ille, &c. requiritur ad equitandum: ergo nullus equus requireretur ad equitandum.*

CDXXXV. An indeterminatæ quo ad ſe reperiantur in Ethica?

Propoſitiones indeterminatæ quoad ſe tranſiuerunt ad mores, & aliquando ſunt obiectum præceptorum, votorum, & iuramentorum. [Agam de præceptis: quia de votis & iuramentis philoſophandum eſt proportione ſeruatâ.] Conſiderentur hæc exempla.

De confeſſione & cõmunione annua.

Præcipit Eccleſia confeſſionem & communionem annuam: & communiter tempus determinant; hinc palmarum Dominica, inde Dominica in albis. Aliquâ ex his interiacentibus diebus eſt Eccleſiæ obediendum. Sed quâ? nullâ determinatè: vnde eſſet mala iſta argumentatio, *Non teneor prima die, non ſecunda, non tertia: ergo nulla die teneor: ergo non teneor.* Sanè prima conſequentia bona eſt; nulla enim eſt aſſignabilis dies in quâ tenear: & tamen ſecunda eſt mala, quia re uerâ teneor.

Dialectica fallax debet à ſincera diſcerni.

Has ſubtilitates et difficultates præuidit et expoſuit Scotus: et *in 3. diſt. 37. quæſt. §. Tertium*, dicit eſſe fallaciam dictionis ſic arguere: *Deus non eſt colendus hoc determinato tempore, neque hoc, neque illo. ergo nunquam*: quia argumentum non tenet à particularibus indeterminatis quoad ſe (do ſenſum, ſi non verba) ad vniuerſale. Hanc Scoti doctrinam Patres *Hiberni* in editione Lugdunenſi ex Francisco Lycheto et Ioanne Poncio *tom. 7. par 2. diſt. 37 quæſt. vnica num. 214.* dilucidant et exponunt his verbis. [Alteram rationem (erat eadem ipſa, quam impugnat Scotus) dicit Pitigianus eſſe ſophiſticam, et in eâ committi *fallaciam figuræ dictionis*, arguendo à pluribus particularibus determinatis ad vnum vniuerſale indeterminatè: cuius exemplum ipſe ſatis ineptum proponit; ſed commodum poteſt adduci multiplex, vt ſi dicatur, *Hæc penna non eſt neceſſaria determinatè ad ſcribendũ, nec illa, nec vlla alia determinatè: ergo nulla eſt neceſſaria ad ſcribendũ, & ſic poſſet ſcribi ſine vlla penna, quod eſt abſurdum.* Rurſus. *Hic cibus non eſt determinatè neceſſarius ad ſuſtentandam vitam, nec ille, aut ille, aut vllus alius determinatus: ergo nullus cibus eſt neceſſarius ad ſuſtentandam vitam, & ſic poteſt ſuſtentari vita naturaliter ſine cibo, quod etiam eſt abſurdum.* Quemadmodum ergo in his exemplis non valet conſequẽtia, ita nec valere videtur conſequentia prædictæ rationis. Vnde ipſemet Scotus infra dicit eſſe fallaciam figuræ dictionis in illo modo argumentandi, ſicut in alijs multis ſimilibus modis, vt patet ex duobus exemplis iam præmiſſis, & infinitis ſimilibus.] Hæc ibi. Tenetur igitur homo diſiunctiuè; in diſiunctiuâ enim propoſitione vnica pars debet eſſe vera, plures poſſunt; & qui tenetur diſiunctiuo præcepto, debet facere, aut ſaltem ſemel obediat: & pluries poterit, niſi multiplicatio actuum nouo præcepto interdicatur. Debet ergo Chriſtianus, vt ſatisfaciat Eccleſiæ, reddere veram hanc propoſitionem, *Vno ex his ſub diſiunctione determinatis diebus (hoc eſt, vel hoc, vel illo, vel illo, etc.* ſum confeſſus etc. et ipſi erit liberum confiteri hoc vel illo, dummodo illa propoſitio verificetur. Et ipſe, vt ſatisfaciat Deo, *Vno ex his ſub diſiunctione determinatis diebus (hoc eſt, vel hoc, vel illo, vel illo, etc.) actum dilectionis elicui.*

Aliquid indeterminatè ex multis poteſt eſſe neceſſarium licèt nullũ ex ipſis determinatè eſſet neceſſarium.

Quid requiratur vt poſitio diſiunctiua ſit vera?

Quid vt ſatisfaciat diſiunctiuo præcepto?

An eidem præcepto plures obedire poſſimus?

ARTICVLVS V.

Soluuntur nonnulla argumenta, & præcedens doctrina confirmatur.

CDLXXXVI

CAſus et argumenta Articulo 1. ponuntur, quæ ſolui et explicari debent, et ex doctrinâ Articuli præcedentis poſſunt.

De Diurnali et Breuiario.

Poſitâ duarum illarum opinionum probabilitate, quarum *num 278. §. His principijs*, meminimus, aio præceptum legendi officium diuinum quoad ſubſtantiam et integritatem reſpicere ſolum Breuiarium: at verò illud quoad ſubſtantiam et inquantum obligationem ſub lethifero peccato inducit, eſſe diſiunctiuum (attende) nec à mutatione dictaminis poſſe pendere. Illud ad hæc verba reduco. *Vteris aut Breuiario, aut Diurnali.* Paulus igitur, non tenetur vti Breuiario ſub culpâ graui, quia Diurnale ſufficit vt ſatisfaciat quoad ſubſtantiam: ſed neque tenetur vti Diurnali, quia Breuiario poteſt. Inferes. Ergo poterit neutro vti. Et ego ne-

go conſequentiam: quia debet legere, & vti altero, hoc eſt iſto vel illo.

CDLXXXVII. De auditione miſſæ.

Eodem modo ſoluitur iſte caſus. *Die feſto celebrantur duo ſacra: Petrus non tenetur audire primum, non tenetur ſecundum, ergo neutrum: tenetur: ergo miſſam audire non tenetur.* Reſpondeo, præmiſſas eſſe veras, primam conſequentiam dubiam, et ſecundam falſam, quia Præceptum eſt diſiunctiuum, et in tali caſu reſponderet his verbis, *Audies vel primam vel ſecundam miſſam.* Dixi primam conſequentiam eſſe dubiam: quia poteſt reddere diuerſos ſenſus. Si ſenſus ſit, *Non tenetur audire primam, quia poteſt ſecundam: nec tenetur ſecundam, quia poteſt primam.* vera eſt, at verò ſi ſenſus ſit, *Nullam tenetur audire* eſt falſa.

CDXXXVIII. De ætate Chriſti.

Eodem modo huic argumento reſpondetur, quod ex probabilitate in Chriſtianæ fidei primum fundamentum impingit. Attende. De ætate Chriſti ſunt variæ opiniones authores, & minùs nobilibus exeſſe iuſſis, ponamus tres probabiles, et valde receptas. Conſidera literas ſequentes: quarum F. ſignificat annum Natiuitatis Chriſti iuxta communem computum: reliquæ annos præcedentes, et conſequentes.

a. b. c. D. E. F g. h. i.

Multi Authores illuſtres contendunt Chriſtũ eſſe ſeniorem, quam vulgò creditur, duobus aut tribus annis.

Chriſtus, inquit aliquis Heterodoxus, *non eſt natus ante annum* D. *nec poſt annum* F. *At eſt probabile, quod non ſit natus anno* D: *& eſt probabile, quod non ſit natus anno* E: *& eſt probabile, quod non ſit natus.* F. *ergo eſt probabile quod non ſit natus. Non ergo eſt Articulus fidei, quod Chriſtus ſit natus* Reſpondeo, me non teneri ex fide credere quod Chriſtus ſit natus anno D. forte enim eſt natus anno E vel F: idem dico de ſequentibus annis: at teneor credere *Eum fuiſſe natum*; nimirùm diſiunctiuè, anno D. vel E. vel F. vel alio.

CDLXXXIX. De cœna Chriſti.

An fuerit feria quinta? vel ſexta.

Soluitur eodem modo argumentũ, quod Hiſtoriographus quidam contrà Dialecticæ regulas, & Fidei doctrinam contexebat, Arguebat ſic. *Si Chriſtus cœnauit, cœnauit hebdomade qua paſſus eſt. Non anteferiam quartam, non poſt quintam: Ergo quarta vel quinta. At eſt probabile, quod non cœnauit quarta: ſic enim Latini pronunciant. Et eſt probabile, quod nõ cœnauit quinta; id enim tuentur Græci. Ergo eſt probabile, quod non cœnauit.* Reſpondeo, me putare eſſe certam Patrum Latinorum ſententiam et Chriſtum cœnaſſe feriâ quintâ. Sed ex hypotheſi, quod ſententia Græcorum ſit probabilis aio, Catholicos debere credere *Chriſtum cœnaſſe antequam moreretur.* nimirum diſiunctiuè: hoc eſt feria quartâ vel quintâ.

ARTICVLVS VI.

Argumenta Eminentiſſimi D. Lugonis explicantur.

DX. De conlicitis & comprobabilibus. Doctrina valde notanda.

VIderis diſiunctiuarum legum vires & modum indeterminatum obligandi. Hinc infero, non omnes opiniones probabiles eſſe comprobabiles; nec omnes actiones aut omiſſiones licitas eſſe conlicitas: ſed illas interdum probabiles diſiunctiuè, & iſtas licitas diſiunctiuè. Ita vt ſimul nec illis vti, nec iſtas elicere valeam. Ob oculos pono hunc ſyllogiſmum.

An Chriſti corpus ſit cœleſte.

Omne corpus ſublunare habet partes à quantitate.

Corpus Chriſti non habet partes à quantitate: habet enim entitatiuas à ſe.

Ergo corpus Chriſti non eſt ſublunare. Ergo eſt cœleſte, quod veteres nonnulli deliraruntt

ex præmiſſis probabilibus ſequi poteſt conſequentia improbabilis

Maior eſt probabilis, admittitur enim à Thomiſtis: minor eſt probabilis, nam admittitur ab Scotiſtis: ſed tamen non ſunt comprobabiles (eſt enim vna vera vel altera: non copulatiuè, ſed diſiunctiuè) et ideò conſequentia eſt exorbitans.

XDI. Ex præmiſſis licitis ſufferi poteſt conſequentia nõ licita.

Addo hanc argumentationem, & agens de die feſto, in quo duæ tantùm miſſæ celebrantur, ſic inquam.

Licet omittere primam.


Licet omittere ſecundam.

Ergo licet omittere vtramque.

Reſpondeo illas eſſe licitas, non verò conlicitas: ſunt enim licitæ diſiunctiuè, non autem copulatiuè.

XDII. Applicatur doctrina præcedens.

VEnio ergo tandem ad obiectiones illas tres, quæ ex Lugone *Art. 1. num.* 280. ponuntur, et hanc lineam iubeo conſiderari:



Illam ſic explico. A eſt initium diei Lunæ: B eſt hora duodecima primi horologii: C eſt dodecima vltimi (nomine duodecimæ mediam noctem intelligo.) C. D eſt dies Martis. B C. eſt tempus probabile, quod ad priorem aut ad poſteriorem diem ſpectat. Iubet Eccleſia, quod his diebus non niſi duas miſſas celebres, non niſi bis prandiũ, ſi ſit quadrageſima, ſumas: et tamen aio, ſolutionem argumentorum non à mutatione, aut non mutatione dictaminis, ſed aliunde debere, ſi amemus veritatem, deſumi.

Datur tempus probabile.

Soluitur primum argumentum.

Sanè mihi liberũ eſt tẽpus illud BC. accẽſere diei Lunæ, mihi eſt liberũ accẽſere diei Martis: nõ tamẽ copulatiuè ſed diſiũctiuè. Poſſum licitè celebrare, et prandere tempore B C, Ergo eo caſu, quo non daretur lex, quæ tem-

tempus, et horam celebrandi, aut non celebrandi determinaret, et daretur (prout datur etianum') quæ bis eâdem die celebrare inhiberet, sic aliquis posset discurrere. Si celebraue ro' tempore BC. debebo non celebrare die Martis (hoc est in tempore CD.) quia illæ missæ sunt licitæ disiunctiuè; non autem licitæ copulatiuè, hoc est, conlicitæ.

YDIII. Soluitur secundum.

Eodem modo de prandio debeo philosophari. Iubet *Ecclesia*, quod ab A. ad D. hoc est ab initio diei Lunæ ad finem diei Martis non comedam pluries, quàm bis; et vnâ die non pluries quàm semel: seruetur hæc lex, et de tempore BC. mutentur opiniones prout velis. Possum enim illo tempore BC. prandere: possum liberè illud accensere diei præcedenti aut sequenti. [imò possum hunc actum elicere *Hoc tempus ad alterutrum diem probabiliter pertinet*.] Si primum, non debeo prandium sumere tempore AB: si secundum, non possum tempore CD: aliàs enim bis sumerem prãdium eâdẽ die. Posito enim prandeo in, tempore BC. *licitum* est prandium in AB. (quia illud tempus probabile possum reiicere in diem sequentem) licitum in CD. (quia illud ipsum tempus probabile possum præcedẽti diei accensere) Ecce vtrumq; esse licitum nimirùm disiunctiuè, non autem copulatiuè: quia si sumitur prandium in tempore AB. non potest sumi in CD: et si in isto sumitur, non poterit in illo sumi.

XDIV. Soluitur tertium.

Tertium Lugonis argumentum erat hoc. Possum differre completorium vsque ad B. hoc est, primum horologium, et dicere, post B. primum horologium, et ante C. vltimũ recitabo. Quid, si posteà audito primo horologio dicam, tempus BC. pertinet ad diem sequentem, non teneor completorium pro die præcedenti recitare?

Preceptum disiunctiuum.

Respondeo, me habere præceptum recitandi completorium, disiũctiuè me obligãs: nam vel debeo illud recitare ante B. vel post B. possum enim omittere illud ante B. si sim illud lecturus post B. et possum illud omittere post B. si illud legerim ante. At istæ duæ omissiones quæ disiũctiuè et seorsim sunt licitæ; simul et copulatiuè non sunt conlicitæ: nec hoc pendet à mutatione aut retentione opinionis probabilis. Stante enim quod tempus BC. probabiliter pertineat ad diem crastinam, stat illud probabiliter pertinere ad hodiernum: et stat non legisse completorium, et adhuc posse et debere legere: quia præceptum erat disiunctiuum, cui debeo satisfacere ante B. vel post B. [Sed intelligo semper ante C.]

Articulo secundo respondetur.

ISte est verus respondendi modus, non ille qui Art. II. ponitur. Lemma enim vacillare videtur. Dicis *Qui sine damno proprio potest sequi opinionem probabilem quæ impediat damnum proximi, etiam debet*. et fortè responderet Petrus, se iciunare, dare pecunias etc. sine molestiâ et damno non solere. Si adderes. *Quando debitum est certum, non habet locum opinio, quæ probabiles circumstantias inducat, vi quarum debitum non soluatur* fortè Petrus præberet assensum absolutè, et nihilominùs subiungeret', *Quando habet locum opinio probabilis, quæ à solutione excusat, nec violatur iustitia, nec est debitum certum,*

Quomodo cognoscatur periculum?

ID.

(tur i. ne.

ARTICVLVS VII.

Satisfit Dubio de Diurnalis & Breuiarij neteſſitate poſito num. 456.

Vt examinetur opinio, quæ ob authoritatem Thomæ Sanchez diceba tur probabilis: disquiritur, An bene citetur Thomas Sanchez?

QVærit Diana *part. 2. tract. 12. resol. ultima* An qui haberet Diurnum & careret Breuiario, teneatur recitare psalmos sine lectionibus et responsoriis? & respondet his verbis. [Affirmatiuam sententiã docet Sanchez *in Sum. to. 1 lib. 1 c. 19. num. 8.* quia lectiones et responsoria modica reputatur materia quæ sufficiens non est ad moralem integritatem Matutini tollendam. Sed contrarium docet alter Sanchez; nam esto respectu psalmorum lectiones et responsoria sint minor pars (*fortè*, sint parua pars) est tamen maximè principalis et substantialis, ita vt absque illis non adsit officium Canonicum.] Ita Diana. Hanc doctrinam ex illo bonâ fide retuli *in Commentario in Regulam S. Benedicti disp. 117 num. 1446.*

An, & quando omitti possint lectiones & responsoria sine mortali

Recognosco hodie eruditionis gratiâ Thomam Sanchez, nec reperio illum bene citari: non enim vniuersaliter loquitur: sed de Officio Feriali. Quæstio enim quam loco citato tractat Sanchez, est, An, qui non potest implere totum præceptum, teneatur ad partem? et respectu officij Diuini, exempli causa, docet, quod quando pars, quę recitari potest, est sufficiens, vt ea censeatur recitata integrè moraliter præcepto de hora recitanda satisfactum, ita vt voluntaria alterius partis omissio non sit mortalis, tunc recitari debet; secùs, si non sit sufficiens: at proinde eum, qui Breuiario caret, et habet Diurnale, si matutinum esset feriæ, vel *Sancti* simplicis, non excusari à recitatione eorum, quæ pro matutinis sunt in Diurnali, quia omissio trium lectionum et earum responsorium, quæ ad integrum matutinum desiderantur, esset materia parua; ac proinde moralem matutini integritatem non tolleret; secùs si esset matitinum festi duplicis, aut semiduplicis, in quo nouem lectiones, et octo responsoria ommittenda essent; tunc

Thomæ Sãchez sentẽtia.

enim

CDLXXXVII. De auditione miſſæ.

nim, cùm ea ſit pars notabilis, quâ omiſsâ non ſatisfit integrè moraliter præcepto de matutinis recitandis, ideò nullatenùs præceptum de recitanda parte quæ eſt in Diurnali obligat. Et ex hac doctrina, quæ rationabiliſſima eſt, et toto cœlo diuerſa, ſumit Diana anſam ad aſſerendum abſolutè et vniuerſaliter Doctorem iſtum affirmare legentẽ ea, quæ cõtinentur in Diurnali, Officio Diuino ſatisfacere, quasi docuerit recitationem eorum, quę in Diurnali continentur, ſufficere ad adimpletionem iſtius præcepti, eſto adsit Breuiarium; hinc enim inferre liceret, eum, qui die Dominicâ omitteret in Officio Romano nouem lectiones et octo reſponſoria, aut in Benedictino duodecim lectiones et duodecim reſponſoria, nõ peccare mortaliter: quod nunquam docuit Thomas Sanchez.

Reponitur ipſemet caſus.

Hinc patet caſum, qui proponebatur *nu.* 457. Dianę, debuiſſe clariùs et vberiùs proponi. Illum reponam huc, et breuiter dilucidabo Attende. [Paulus, ingreſſurus nauim, maioris commoditatis gratiâ contulit ſecũ Diurnale, ſubſcribens illuſtrium Theologorum ſententiæ, qui numerosâ authoritate affirmant non eſſe peccatum mortale Dominicale, aut ſanctorale Officium cõmutare in feriale: item aliorum opinioni conſideranti Benedictinum Officium feriale ad matutinum frequenter habere vnicam lectionem et vnicum reſponſorium valde paruæ; et Romanum, ſicut etiam Benedictinum, interdum habere tres lectiones et tria reſponſoria tantummodò: et inferenti eum, qui die feriali (adeòque quando legit de feriâ) vteretur Diurnali et non Breuiario, et hanc ob rem omitteret, aut illam lectionem et reſponſorium, aut illas tres lectiones et tria reſponſoria, non peccaturum mortaliter: quod præter alios Thomas Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 1. cap. 19 num. 8.* affirmat. Paulus igitur ingreſſus eſt in nauim dicens primò, legam ſemper de feriâ quouſque veniam ad portum; ſecundò, Mihi (nimirùm lecturo de feria) Diurnale ſufficit, vt ſatisfaciam præcepto quoad ſubſtantiam. Poſtquã autem ſoluerunt è portu, mutauit dictamen; et quia omnes dies, quibus erat nauigaturus, erant de ſancto, ſubſcripſit ei ſententiæ, quæ docet, Officium de Sancto non poſſe ſine mortali mutari in Officium de Feriâ, et hanc ob rẽ huic opinioni inhęrẽs, ſecutus ſentẽtiam Ioannis Sancij *in Selectis diſp. 15. num. 2.* aſſerentis in Diurnali non contineri integrum Officium Diuinum, ac proinde carentem Breuiario, licèt Diurnale habeat, non teneri legere Officium diuinum; illud non legit.] *& quæritur*, Vtrùm peccauerit?

An liceat Officium in officium mutare?

Thomæ & Ioannis Sãchez ſentẽtiæ conciliantur.

Reſpondeo primò, mihi videri Thomam et Ioannem Sancios non differre inter ſe. Quando enim Thomas ait ſufficere Diurnale, agit de Officio Feriali, aut Sancto ſimplici; quando autem Ioannes aſſerit, non ſufficere Diurnale, ſed Breuiarium requiri, agit de Officio duplici; quâ diſtinctione poſitâ, nullus erit virorum illuſtrium diſſenſus.

Reſpondeo ſecundò, Paulum debere ſatisfacere Officio Diuino; debereque talem ſententiam ſequi, quæ non impediat ſatisfactionem præcepti. Non tenetur ſub mortali conferre ſecum in nauim potiùs Breuiariũ quã Diurnale; nec ex duabus opinionibus, quarum altera docet poſſe Officium de Sancto mutari in Officium de feriâ, et altera docet non poſſe, non tenetur alteri potiùs adhærere quàm alteri; ſed debet adhærere alteri. Si enim conferat Diurnale, debebit adhærere illi, quæ docet Officia commutari poſſe: ſi autem Breuiarium conferat, alterutri poterit adhærere. *Vide à num.* 480. vel potiùs, quia præceptum non eſt de habendo hoc libro aut illo, ſed de legendo integrè Officio, alterutrum dictamen habeat, debet ponere media ſufficientia, vt ſatisfaciat Eccleſię Orthodoxæ præcepto. Si igitur iudicet non licere mutare officium Dominicale aut Sanctorale, et intercurrant dies in quibus legendum ſit de Dominicâ aut Sancto, debebit in nauim conferre Breuiarium, et peccabit mortaliter, ſi conferat ſolum Diurnale: cæterum ſi adhæreat opinioni contrariæ, poterit conferre alterutrum, at alterum debebit conferre.

QVAESTIO.

An ſit mortale ſe exponere probabili peccandi periculo?

XDVI. Varij modi dicendi.

TRes dicendi modi eſſe poſſunt: aut enim dicere quis poſſet, *licere homini ſe exponere probabili peccandi periculo, etiãſi nulla ſubſit neceſſitas, & nulla ſuccurrat vtilitas*: aut poſſet quis in oppoſitum ire, et aſſerere, *non licere homini, ſe exponere probabili peccandi periculo, etiamſi cauſæ ſuppetant, & rationes vrgentes*: aut tandem poſſet aliquis inire mediam viam, et aſſererere, *licere quidem, cùm grauis neceſſitas id poſtulat, ſed ſine neceſſitate non licere*. Video primum dicendi modum communiter reijci ab omnibus: ſecundum à Viris ſanctiſſimis, et prudentiſſimis admitti: ergo aſſero primum modum eſſe improbabilem; ſecundum probabiliſſimum et ſecuriſſimum. At Diana par. 7. tract. 11. reſol. 29. quam claudit his verbis. *Hæc omnia docet Caramuel, quæ ex eius mente dicta eſſe volo; Ego enim affirmatiuæ ſententiæ adhæreo*: affirmat, licere ex mente Caramuelis, ſe exponere probabili peccandi periculo. Sed hic ille, ſicut ſæpe alibi hypotheſin cum theſi confundit; ſic enim argumentatur Caramuel.

An Diana bene citet Authores.

Sententia, et argumẽtatio Caramuelis.

muel. [*Tres sunt hic dicendi modi; Laxus Seuerus. Medius. Rationes, quæ pro sententia media formantur, etiam persuadent laxam: & quæ conformantur contra laxam, etiam militant contra mediam. Ergo vel vtraque (Laxa & Media) est probabilis, vel vtraque est improbabilis, vel est assignanda disparitas.*] Hic est modus dialecticandi, quo frequenter vtitur Caramuel: & quia videt disparitatẽ clarã nõ adsignari, modò progreditur in suo discursu, & sic subsumit. [*Atqui sententia Laxa, quæ docet licere homini se exponere probabili peccandi periculo, etiã sine necessitate, prudenter admitti nõ potest: sententia Media eodem laborat præiudicio; excurrere igitur debebimus in aliud extremum, & asserere, non licere, etiamsi causa grauis subsit, se exponere probabili peccandi periculo.*] Vt igitur rem meliùs intelligas, proponam & soluam rationes, quæ pro reiectis à nobis opinionibus formari solent.

Primus modus dicendi proponitur & impugnatur.

XVII. Rationes pro prima sentẽtia ponuntur, dissoluunturque.

SI Metaphisica sola præsideat, & Ethica à tribunali & iudicio excludatur, non videbuntur omninò delirare, qui subtiliter multas opiniones falsas defendunt, quas propter earum falsitatem Theologia Moralis non admittit. Sanè aranearum telæ, tametsi subtiles, sunt inutiles, & etiam fragiles; & hanc ob rem pronuncio, illas omnes rationes, quæ primum modum dicendi affirmare conantur, etsi fortè subtiles sint, esse fragiles, falsum probare, & in Ethicæ foro inutiles, vt intentum persuadeant. Videamus igitur quid opinio ista dicat, & postea, vtrùm bene probetur, discutiemus.

Quid sit graue periculũ:

Quid probabilius: æquè probabile: et minùs probabile:

Assertio prima. *Periculum probabile est, quando graues rationes suadent hominem peccaturum esse, si talem occasionem non euadat. Si dentur vtrimque rationes graues, & fortiores suadeant hominem peccaturum esse, & minùs fortes, eundem non peccaturum esse, dicemus illud periculum esse probabilius; esse verò minùs probabile, quando rationes minùs fortes suadeant hominem peccaturum, & fortiores eundem non peccaturum.* Hæc assertio est certissima, & reperitur in Synthesibus; quas dedi in Commentario in Regulam D. Benedicti, & sæpe alibi: ibi enim scribo: *Periculum proximum dicitur esse, cùm quis imprudenter iudicaret se in tali occasione non peccaturum. Nemo potest se exponere proximo peccandi periculo.* Quam doctrinam admittunt doctissimi & eruditissimi Theologi, quos suo loco reperies.

Resolutio.

XVIII. Thomas Sanchez *de matrim. lib. 9 disp. 45. num. 6.* cuius verba articulo sequenti dabo, admittit casum, in quo liceat se exponero peccandi periculo, in casu videlicet necessitatis; & nomine periculi intelligit, *quãdo quis expertus est in simili occasione fere semper in culpam lethalem labi.* Quod ego sic descriptum periculum, non solùm probabilius dicerem, sed certum moraliter.

Quomodo cognoscatur periculum?

I D.

Dices, Ad cognoscendam periculi probabilitatem aut certitudinem non bene ad numerum lapsuum recurri. *Sed nego*: omnes enim Authores boni nominis quantitatem periculi ab experientiâ (propriâ vel alienâ) metiuntur. Sic videre est in Thomâ Sanchez: Ioanne Sancio: Salas: Emanuele Sâ: Perrantino; & alijs, quos statim dabo, Adde Suarium, *in cuius libro de Charitate disp. 9. sect. 1. num* 8. legimus; *Periculum esse indeterminata materia, in qua aliquis fragilem se expertus est.* Ergo ad mentem istorum Theologorum notitia periculi ab ipsâ experientiâ desumitur; eritque periculũ minùs probabile, æquè probabile, magis probabile, quod experientia minùs grauis, æquè grauis magis grauis, euitãdũ persuadeat: & erit periculum, certum, proximum, & formale, quando quis se exponit circumstantijs, quibus positis, moraliter certum & euidens sit, eum peccaturum: quando consideratâ propria fragilitate, cuius quantitatem longâ experientiâ cognouerit, non sine temeritate diceret: *Non peccabo.*

D. De probabiliori sententia.

Assertio secunda. *Qui dicunt debere hominem sequi probabiliorem opinionem, consequenter debebunt dicere, peccaturum qui se exponat periculo probabiliori: non autem, si se exponat periculo minùs probabili.*

De minùs probabili.

Assertio tertia. *Qui tenent sufficere sequi minùs probabilem, consequenter debebunt dicere, posse hominem licitè se exponere periculo probabiliori.*

Assertio quarta. *Licet homini se exponere probabili peccandi periculo.*

DI.

Si quarta esset vera, etiam secunda & tertia admitti possent; sed quia hæc quarta non est vera, vt inferiùs manifestè probabitur, etiam secunda et tertia debent reiici.

Sed Contrà insurgis, & fortiter argumentaris, supponendo quod à nemine negari potest, esse probabilius, ne certum dicam, posse se hominem tutâ conscientiâ sequi opinionem minùs probabilem, & arguis sic.

Legatur attentè hoc argumentum.

Vbicunque altera opinio est probabilis, etiam opposita est probabilis. Ergo, vbi, cõsideratis omnibus circumstantijs, est probabile quod peccabis, est etiam probabile quod non peccabis: ergo erit tibi liberum iudicare te peccaturum esse, aut iudicare te peccaturum non esse. Ergo quamdiu iudices te peccaturum esse, debebis te subtrahere à periculo peccandi mortaliter: Ergo, si iudices te peccaturum non esse, poteris te periculo exponere.

DII. An et quomodo possit illud dissolui.

Hæc ratio est vnica et sola, quæ pro istâ opinione conformatur. *Sed* clarissimè dissoluetur ab eo, qui duos oculos habeat, alterum ethicum, alterum metaphysicum: quo subtiliora, non veriora videmus; si enim

præ-

præscindamus ab Ethicâ, quomodo quæstiones Ethicas examinabimus? Admitto igitur illam hypothesim, quæ præmittebatur, videlicet, *Non teneri hominem operari secundùm dictamen probabilius; sed satisfacere si operetur iuxta minùs probabile*. [Vide in Theologia meâ Regulari, Commentarium in Reg. D. Benedicti *num.59.* vbi concludo, improbabile esse peccare eum, qui sequitur opinionem minùs probabilem.] etiam antecedens admitto; sicut enim repugnat alteram opinionem esse dubiam, et alteram indubiam; sic etiam repugnat alteram esse probabilem, et alteram esse improbabilem: Iuniores enim qui contrarium affirmât, ludunt vocibus, et *probabilitatis* nomine intelligunt probabilioritatem [Vide quæ superiùs sunt dicta *num.3.*] Concedo consequentiam primam: & consequens subillatum distinguo: admitto enim te posse iudicare esse probabile, te peccaturum non esse: nego tamen te posse iudicare esse certum te peccaturum non esse. Venio ad tertiam & quartam consequentiam, & concessâ illâ, istam distinguo eodem modo. Ergo, si iudices esse certum te peccaturum non esse, poteris te periculo exponere, concedo consequentiâ. Ergo, si iudices esse probabile te peccaturum non esse, poteris te periculo exponere nego consequentiam.

An teneamur iuxta sententiam probabiliorem operari?

An quoties altera opinio est probabilis, opposita sit etiam probabilis?

DIII. Probabilitatis libertas, à voto, præcepto, et prudentia limitatur.

Nec hîc habet aliquid quod obiurget, qui defendat probabilitatis libertatẽ: quæ enim metaphysicè absolutissima est, limitatur moraliter à voto, à præcepto, cùm diuino tum humano, & à prudentiâ. *A voto quidem*, vt si quis iuret aut promittat, se defensurum esse Angelici *Præceptoris* doctrinam, tenebitur vi voti non defendere multas opiniones probabiles, quas Scotistæ, Nominales, & alij Doctores propugnant: *à præcepto humano*; hodie enim in materiâ Conceptionis tenemur alteram opinionem non defendere, tametsi probabilis sit; quoniam sic Summi præcepêre Pontifices, quibus obedire tenemur, a diuino iure enim naturali, ac diuino tenemur fugere pericula damnationis æternæ. *A prudentia*, quoniam probabile grauis mali periculum, omnium prudentum opinione & iudicio, non est solùm probabiliter malum, sed certò malum.

An periculum probabile sit certò malum?

Rem exẽplo demonstro. Habes merces in naui, quam vis ventis committere, & periculum times; quod quidem rarò est æquè probabile, interdum minùs probabile, frequenter leuiter probabile. Adsunt assecuratores in portu: paciscuntur de periculo & pretio, & consideratis procellarum difficultatibus, & pyratarum frequentiâ & potentiâ, reducunt centum ad quinque mille ad quinquaginta, decem millia ad quingenta. Ergo sententia tuâ, siquidem sic paciscaris, melius est perdere quingenta certissimè, quàm te exponere probabili periculo perdendi decem millia. His positis in medium

Periculum nauium, quàm sit probabile?

Assecuratores qui sint?

produco Lutherum, cuius deprauatâ sententiâ cœlum & amicitia Dei videbatur valere aliquot millibus aureis, & cum illo sic ago. Si aliquot millium aureorum pretio facis amicitiam Dei, aliquot centenorum aut etiam millium pretio debes facere periculum perdendi diuinam amicitiam: Ergo, si est grauiter malum perdere gratiam Dei, etiam erit grauiter malum se exponere periculo perdendi illam: nam perdere centenos aut millenos aureos, aut æquiualentis pretij rem, non est solùm graue malum probabile, sed graue malum certum. Admittit consequentiam Lutherus, qui, vt in Colloquijs commensalibus testatur Auxifaber, exclamabat interdum, *Pro decem millibus scutis nollem esse in æternæ damnationis periculo, in quo est Hieronymus*: sentiebat ergo, periculum perdendi gratiam & gloriam Dei esse non solùm probabiliter, sed certò malum. Sic placuit cum hæresiarchâ ludere, sed iste lusus serius est; argumentabor enim à minori ad maius, & si coegi, Lutherum in periculo peccandi probabili malum graue & certum fateri, cogam à fortiori Catholicos, vt isti veritati assentiantur; Nos enim, quos Orthodoxa Ecclesia fouet, non solùm facimus maioris gratiam Dei, quam totum mundum: sed maioris, & omninò maioris, quàm omnes possibiles mundos. Quid enim prodest homini, si totius mundi existentis, aut etiam omnium possibilium opes & thesauros lucretur, animæ verò suę detrimentum aut iacturam patiatur?

Quanti valuerit cœlũ opinione Lutheri?

Quanti ab Orthodoxo fieri debeat?

Proponitur Opinio media.

DIV.

TRes erant in hac Controuersiâ opiniones. Quærebatur, *An liceat homini se exponere probabili peccandi periculo?* Prima sententia asserit: secunda negat: tertia distinguit Prima est laxa, secunda stricta, tertia media. Primam improbabilem esse diximus: superest vt examinemus, an meritò diceretur sub Quæstionis initium, *sententia laxa falsa est, prudenter admitti non potest, & media eodem laborat præiudicio: Vtramq; igitur debemus reijcere, & scueram amplecti?* ergo, vt iudicium ferre possimus, mediam sententiam proponamus.

DV. Ferrantinus laudatus.

Proderunt Romæ ann. 1653 theoreticæ & practicæ Disputationes P. Hieronymi Ferrantini de scandalo & correptione fraternâ, in quibus multa acutè & solidè digesta & expensa reperies. Disputationis primæ quæst.66 num.44. differit de periculo: & discurrit hoc modo.

DVI. Thomæ Sãchez opinio

Quod autem possit aliquis excusari aliquando à mortali, etiamsi exponat se ipsum graui periculo peccandi mortaliter, probatur ex Thomâ, Sanch. *l.9. de matrimonio disp.45. num.6.* Dum enim agit de causâ,

sâ; in quâ præuidetur ſecutura pollutio, ita loquitur: *Niſi probabile conſenſus in pollutionis delectationem periculum ſubſit: tum enim, quamuis cauſa licita ſit, eſt ab ea abſtinendum ſub culpa lethali; quia amans periculum peribit in illo.* Eccl.3. *Tunc autem id periculum contingit, quando quis expertus eſt, ſe in ſimili occaſione ferè ſemper in culpam lethalem labi.* Deinde ſubdit: *Huic autem periculo licitè quis ſe exponet ob cauſam vrgentem, proponens firmiter, ſe non conſenſurum, vt gratia medendi fœminæ, vbi alius deeſt medicus; quia amans periculum minimè dicitur, qui neceſsitate compulſus in illud ſe coniicit, & de diuina miſericordia confidere poterit.*

Periculi cognitio ſumitur ab experientia.

Nota illud, ſer è ſemper

Vt licitè ſe exponat periculo aliquis neceſsitas & oratio requiritur.

DVII. Opinio Salas

Secundò Probatur ex Salas *to.2.tr.13.diſp. 6. Sect.17.n.105.§. Dico Secundò.* Vbi ait: *Si urgeat extrema, aut grauiſſima neceſsitas curandi fœminam, vel audiendi eius Confeſſionem, non eſſe peccatum mortale neque veniale, curare, atque audire illam, etiamſi grauiſſimum periculum conſenſus inde immineat; præſertim, cùm tenearis, & poſſis non obſtante tali periculo, conſenſum vitare, & oratione, vel pœnitentia extenuare periculum.* Similiter, ait, contingere poſſe, vt aliquis domi habeat tam vehementem occaſionem peccandi, vt neganda ſit illi abſolutio, niſi velit domo egredi, aut talem occaſionem excludere, quando commodè poteſt; et nihilominùs, ſi prudenter timeat graue ſcandalum, infamiam, vel iacturam rei familiaris, aut commodæ habitationis, & victus, arbitrio prudentis Cõfeſſarij, computatâ grauitate damni cum periculo, non debet compelli, vt domo exeat vel occaſionem expellat.

Nota, illud grauiſſimũ.

Nota illud tenearis & poſſis, vt pericula ab intrinſeco à periculis ab extrinſeco diſtinguere ſecurè valeas.

Lege ſingula atteatè.

DVIII. Ioãnes Sancius.

Tertiò probatur ex Io: Sancio *in ſelectis diſput.*10. vbi varios affert, ac ſimiles caſus; quos recenſuimus.

Emanuel Sà

Vltimò probatur ex Em: Sà *verbo peccatum num.6.* vbi expreſsè docet, mortale eſſe ſe exponere periculo peccandi mortaliter, niſi cauſa aliqua excuſet, & proximi ſalus, vt neceſsitas aliqua: *Tunc enim*, inquit, *ſufficit, nolle peccare.*

DIX. Cõcluſio.

Et hæc omnia non ſolùm oſtendunt, quid ſit in varijs caſibus dicendum, ſed etiam illud clarè probant, quod anteà dicebamus, nimirùm poſſe aliquem excuſari, ſaltem à peccato mortali, quantumuis periculo graui mortaliter peccandi ſe exponat.

DX. Notetur iſta conſequentia: nam contra illam aliqua ſuccurrere poſſunt.

Ergo ſimiliter poterit excuſari ſi alium in tale periculum inducat per eã occaſionem, quamuis maximè impulſiuam, ad peccandum, ſi habeat cauſam ſufficientem &c.

Ergo copula maritalis, & quoad petitionẽ & quoad redditionem poteſt exerceri etiam coram alijs ſi iuſta cauſa adſit, v.g. mortis &c (ſuppono quod ſecretò haberi non poſſit.)

Ergo non eſt verum, quod ſupra dixit Sanchez: talem concubitum nullâ poſſe neceſſitate excuſari;

Hæc omnia Ferrantinus, *nobilis & eruditus Author: quem non poterit non magni facere, qui ſemel legerit.*

Reſolutio.

DXI. Nota bene illud liberè: ſæpe enim homines in pericula incidunt inuoluntarij.

HIs tamen non obſtantibus; præcipio *vt in re tanti momenti à ſecuritate ſtes, et eum, qui etiam ob magnas cauſas ſe liberè exponit periculo peccandi mortaliter & perdendi diuinam gratiam, imprudentiæ et peccati condemnes.* Dic igitur *eum qui probabili mortaliter peccandi periculo ſe exponit, peccare non iam probabiliter, ſed certò mortaliter.* Et demonſtratur. Quia iacturæ magnæ periculum non eſt prudentum virorum opinione res leuis. Vt hoc ſeriò demonſtrem, pono ob oculos concertationem, ludumque: ideò enim licitè Petrus lucratur decem, quia ſe expoſuit periculo perdendi decem: niſi enim hoc eſſet periculum, licitè lucrari non poſſet. Tranſeo ad mutuum. Petis à Friderico aureos mille ſoluturus poſt annum: petit ille pignus, non habes, ſed vis vt tibi mutuet illos, et ſe exponat periculo perdendi totam ſortem. An tenebitur gratis hoc ſubire periculum?! an volet paruo pretio eiuſmodi inire contractum? ne putes. Ergo malum certò & actualiter graue eſt, ſe exponere probabili rem magnam perdendi periculo. Conſidera igitur concluſiones ſequentes.

Cur concertationes ſint licitæ? cur ludi?

In mutuo, ſi fit perdendi totam ſortẽ periculum, poteris paſciſci de dãno imminenti.

DXII. Vera Concluſio.

Prima ſit. *Non licet homini ſe exponere probabili periculo perdendi gratiam Dei: nec probabili periculo perdendi gloriam.* Patet; quia ſi minus eſt actu & realiter perdere quinque millia, quàm ſe exponere periculo probabili perdendi centum millia: tunc ſe exponere periculo probabili perdendi gratiam aut gloriam erit licitum, quando licebit quinque millia furari. Patet; quia animæ ſalus maioris omnibus millibus aureis facienda eſt.

DXIII. Bene conſideranda limitatio.

Secunda ſit. *Qui poteſt realiter vitare probabile peccandi periculum, etiam debet.* Debet igitur non adire locum, in quo eſt periculum, aut ex illo egredi, qui poteſt. Sed quid dicemus de illo, qui ex loco periculoſo exire, aut ad illum non venire non poteſt: puta, ſi ſit filius familas, aut timeat ſcandalum, aut grauia damna? *Tenebitur periculum vitare moraliter*: videlicet adhibendo media interna, & moralia, qualia ſunt orationes, ieiunia, &c. vt impetret diuinam gratiam, tenebiturque perſeuerare in oratione quouſque hæc propoſitio, *Peccabo*, reddatur improbabilis: & hæc *Non peccabo* cẽſeatur eſſe certa moraliter.

De periculo neceſſario.

DXIV. Vires neceſſitatis.

HÎc meritò poteſt inquiri, *Vtrum ſaltem in caſu neceſſitatis, poſſit ſe exponere aliquis probabili peccandi periculo.* Ra-

tio aſſerendi ſumi poteſt ex authoritate & ratione, quam media ſententia præ ſe fert [vide à num 504.] firmari poterit ex fundamento XLIII. §. 13. vbi dicitur: *Neceſſitas facit licitum, quod iure illicitum eſt* Quo Axiomate vtitur Reginaldus *de prudentia pag* 713. Layman *lib. 4. tra. 7. num. 6.* Ratio negãdi ſumi poteſt ex naturâ peccati: ſicut enim nullâ neceſſitate fieri poteſt, vt licitè blaſphemes aut peiores; ſic etiam nullâ, vt te exponas periculo peccandi mortaliter.

Neceſſitas Abſoluta, Hypotetica Realis,

Pro reſolutione aduertendum eſt, neceſſitatem eſſe duplicem, abſolutam et Hypotheticam; illa ſolet dici Realis, hæc Moralis, quoniam illa naturam rerum reſpicit, hæc moralem aliquam ſuppoſitionem: quapropter ſubdiuiditur in ſupernaturalem & ciuilem; *Realis neceſſitas* inducitur a coactione & violentiâ; quando enim Venerabilis Pater Dominicus de Ieſu-Maria Montis Carmeli decus, et Virginis Matris Thereſiæ perfectiſſima Imago, raptus fuit à ſicarijs, et traditus Pulcherrimæ Principi, quæ eum deperibat, fuit in loco periculi ſine reali & phyſicâ libertate, vt in eius hiſtoriâ luculentiùs oſtendo. *Moralis neceſſitas* quâ acceptione ac voce vtũtur Patres, mitior eſt & cũ libertate naturali componi poteſt. Dixi eſſe duplicem: Theologicam ſeu ſupernaturalem: Philoſophicam, ſeu Ciuilem. Illud eſt *neceſſarium Theologicè & ſupernaturaliter*, quod ſine peccato omitti nequit, illud nimirùm, quod ex hypotheſi quod peccaturus non ſis, facere debes. Vnde Auguſtinus exclamat, *Beata neceſſitas, quæ cogit in melius*: & Benedictus, *Neceſſitas parit coronam*. Hinc Bernardus, *Solennia Religioſorum vota Nouitijs libera Profeſſis eſſe neceſſaria* pronuntiat: Quem loquẽdi modum in alijs materijs, vſurpamus iuxta illud *Inter Viros honeſtos & probos, impoſſibile dicitur, quod ſine peccato fieri nequit*: quia tametſi mendacium homo pius & probus phyſicè et realiter poſſit proferre, ex hypotheſi, quod honeſtè velit procedere, & Deo ſeruire, illud pronunciare non poteſt. *Neceſſitas philoſophica ſeu Ciuilis*, iacturam bonorum terreſtrium conſiderat: & hæc frequenter ad Theologicam reduci ſolet; nemini enim licet eſſe prodigo, nec dilapidare bona aliena: & hanc ob rem pater familias (vt nihil de cognatis aut etiam amicis proferam) tenetur manutenere honorem, diuitias, dignitates, officia, quantùm prudentia poſtulat, & media honeſta & decẽtia permittũt. His poſitis ſit

Moralis.

Theologica. ſuper naturalis;

Philoſophica. Ciuilis.

De honoris & bonorum temporalũ coſeruatione.

Concluſio I. *Nulla neceſſitas, (ſeu Phyſica, ſeu Moralis ſit) poteſt facere vt aliquis licitè ſe exponat probabili peccandi periculo.*

An poſſit homo neceſſariò peccare?

Videtur tibi nimis ſeuera iſta concluſio, & illam impugnas hoc medio. [Nemo peccat in his quæ neceſſariò facit: Ergo ſi in domo tali ſit peccandi periculum, & ad eam Petrus aut neceſſariò ducitur aut inuoluntarius confertur, ſe exponit peccandi periculo, et nihilominùs non peccat. Antecedẽs eſt certum; opponitur enim hæreſi Ianſenianæ, quam Innocentius X. vltimâ ſententiâ condemnauit. Modus diſcurrendi eſt legitimus. Ergo concluſio iſta, quam poſuimus, eſt falſa.]

De hæreſi Ianſeniana.

Reſpondeo, Petrum in tali caſu non ſe exponere peccandi periculo, ſed ab alijs in periculi locum inuitum, & inuoluntarium conterri. Addo, eum teneri non ire realiter, ſi hoc realiter poſſit: teneri egredi realiter, cùm primùm poſſit. Quid igitur facturus eſt, ſi violentia extrinſeca non ſolùm eum in periculum induxerit, ſed etiam in eodem retineat? Reſpondeat.

Aliud eſt in periculum ire & aliud ferri.

Concluſio II. *Qui non poteſt periculum vitare realiter & naturaliter, poteſt ſemper, adeoque ſemper tenetur, illud vitare moraliter & ſupernaturaliter.* Sanè vitatur periculum realiter & naturaliter, cùm non vadimus ad locum periculi; cum perſonæ periculoſæ colloquium, aut preſentiam vitamus. Quando hoc eſt impoſſibile vitatur periculum moraliter, et ſupernaturaliter cùm ieiunijs & mortificationibus maceratur corpus, meditatione, & põderatione firmatur intellectus: oratione, & actibus diuini amoris voluntas eleuatur.

DXV. Duplex vitandi periculum modus: realis moralis.

Concluſio III. *Quando quis opprimitur neceſſitate Morali Theologica (hoc eſt quando ad domum, in qua eſt periculum, ire tenetur ex iuſtitia, nec poteſt ſe ſubtrahere ſine peccato) non tenebitur locũ periculi vitare, ſed tenebitur ipſum vitare periculum.* Sed quomodo ſi non euitat locum, poterit vitare periculum? Moraliter iuxta ea, quæ ſecundâ concluſione dicebamus.

Moraliter vitandum eſt, quando realiter vitari non poteſt.

Qui nam ſo. cum periculi vitare nequeant?

Si interroges, Qui ſint, qui non poſſint non ire ad talem domum ſine peccato? breuiter reſpondebo, filios, ſeruos, mancipia miniſtros, & eos omnes, qui ex officio aut natiuitatis conditione tenentur: & præter iſtos, etiam illi, qui ſine ſcandalo aut infamiâ propriâ vel alienâ non poſſunt ſe ſubitò à tali loco ſubripere: eiuſmodi enim omnes non tenentur, imò nec poſſunt ex abrupto relinquere locum periculi, ſed tenentur ad duo: primò enim (& hoc ſtatim) tenentur vitare periculum moraliter iuxta ea quæ ſecundâ Concluſione ſunt dicta: ſecundò ſi media moralia non ſufficiant (cùm ita loquor humanam fragilitatem reſpicio: ſemper enim iſta ſufficerent, niſi homines illis abuterentur) tenentur ex illâ domo egredi, cùm primùm licitè & cõmodè poſſint, & in hoc, qui ſe ſui Confeſſarij committat diligentiæ et prudentiæ, non peccabit.

Quid autem debeant facere?

Obiectio.

DICES. Ergo iam datur caſus, in quo licitè ſe poſſit exponere aliquis probabili peccandi periculo: *Et Ego reſpondeo* negãdo conſequentiam; ſemper enim homini eſt liberum vitare periculum, nimirùm, realiter vel moraliter: quod ſi in aliquo caſu violentia extrinſeca aut obligatio iuſtitiæ

in

An & quando sit grandi obligatio?

in causâ sint, vt locus periculi non possit vitari realiter; in eodem omninò casu manet arbitrium liberum, manet Deum implorandi facultas, manet in promptu Dei misericordia, vt periculum possit vitari moraliter. Nam si aliquis, qui violenter ad locum periculi comportaretur, Deum non oraret, nec voluntatem mentemque pio affectu & consideratione firmaret, sed se omninò negligeret, à peccato excusari non posset.

DXVI. An naturæ vires potentiores sint viribus gratiæ?

SED OBIICIES, ex hac doctrinâ sequi maioris faciendas esse naturæ vires, minoris gratiæ: priùs recurrendum esse ad media naturalia, ad supernaturalia posteriùs. Sequelam persuadere conaris; quia docemus periculum debere vitari physicè; etsi non possit physicè, saltem moraliter et supernaturaliter, quod est anteponere naturam gratiæ.

Quomodo sint vitanda pericula?

Respondeo primò, me iubere vt vtroque modo vitentur pericula, si vtroque possint: & si vtroque non possint, saltem altero modo vitentur. *Et* quia sæpe vitare peccâdi pericula homo potest moraliter, & non sæpe potest realiter locum periculi; locum à periculo distinguo, & affero, vitandum esse locum, vt vitato loco, etiam vitetur periculum: quod si vitari locus nequeat, ad media moralia & supernaturalia recurrendum esse pronuncio, vt periculum immediatè vitetur.

Non semper maioris fiunt, quæ priùs quæruntur.

Respondeo secundò, quotiescumque pericula vitantur realiter, vitari realiter propter Deum, adeoque realiter & moraliter: & sic tollo difficultatem. *Addo* ex hypothesi alias falsâ puta si quis locum periculi propter causas humanas declinaret à moralibus Theologicisque præscindendo, non vrgere argumentum; respondeo enim, aliud esse priùs recurrere ad naturalia, & posteà ad supernaturalia; & aliud maioris facere naturalia, & minoris supernaturalia: in multis enim casibus naturalia tempore præponuntur: nam, vt cætera omittam, Fides est prima virtus Theologica & supernaturalis, & tamen *Fides est ex auditu* nec Ethnici credent nostræ Fidei mysteria *sine prædicante*. Huc pertinet illud commune Theologorum Axioma. *Quod priùs est in intentione, est posteriùs in exsequutione*. Ergo quæ priùs in exsequutione vsurpantur, sunt quæ minoris fiunt.

De ordine intentionis & exsequutionis.

Vt hæc meliùs intelligas, prodesse poterit aliud commune Patrum veterum, & iuniorum Theologorum Axioma; videlicet; *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*. Dedit homini Deus naturæ vires, & dedit ordinaria auxilia gratiæ, quibus si non vis vti, imprudenter, ne impudenter dicam, fieri à Deo postulas, quæ non vis facere. Es in naui; procellescit oceanus, præuidetur periculum, instat naufragium. Quid facies? permittere vela ventis; gubernaculum vndis, & Deum orare vt te eripiat ab instanti periculo? Non hoc tantùm: sed debes facere quod in te est, vt Deus tibi non deneget gratiam. Debes igitur ad gubernaculum, ad vela, & ad Deum recurrere; quod si illud sit fractum, ista disrupta, sufficit vt Deum implores, & te suæ clementiæ infinitæ committas. Ergo similiter de cæteris periculis philosopheris. *Esse* in tali loco vel Domo periculum peccandi probabile experientiâ propriâ vel aliena sentiscis? Ergo debes facere quod in te sit, et sperare à Deo diuinam gratiam. Debes igitur non adire hunc locum, si hoc possis: si non possis non ire, conducas tecum probum et bonum socium, quæ enim fortè solus auderes, coram illo non audebis tentare. Si neque hoc possis, nec alia media humana suppetant, iam nauis tua perdidit vela, remos, et gubernaculum. Ergo debes recurrere ad solum Deum, et ponere media moralia et supernaturalia; facit enim quod debet, qui facit quod potest. Et quia Deus fidelis est, et neminem patitur supra vires tentari, indulgebit tibi suum fauorem diuinitùs, et quâ minùs cogites, aperiet tibi portam humanitùs, vt te possis à periculo eripere.

Naufragans hanc doctrinam confirmat.

Semper occurrunt media & remedia volenti vitare periculum.

Deus neminem tentari supra vires permittit.

DXVII. An ad mores diuitiæ & honores pertineant?

Conclusio IV. *Quando honorem & bona temporalia aliquis conseruare tenetur, nec potest non ire ad locum periculi, quin illius, vel istorum iacturam faciat, dicendus est premi morali necessitate & iuxta conclusionem tertiam iudicandus*. Puto vix esse casum, in quo honoris aut etiam magnarum diuitiarum iactura non possit reduci ad mores; Pater enim familias sub peccato tenetur procurare eius prolibus honorem, diuitias, et authoritatem suo conuenientem statui. Et homo liber etiam prodigus esset, si sine nobiliore causâ honorem, dignitatem, aut diuitias perderet, quas posset licitè conseruare. Quod si aliquis casus ità proponatur, vt ex vno latere sit peccandi periculum, et ex alio bona purè naturalia, debes potiùs ista omnia perdere, quàm illud subire. Nam vt dicebamus, aut potiùs demonstrabamus, subire probabile peccandi periculum non est malum probabile, et fortè futurum, sed malum certum et actuale; idque tam malum, vt rerum omnium naturalium excedat bonitatem et pretium.

An Pater familias possit prodigere diuitias? an negligere honorem?

SED DICES. Strictiùs teneor mihi, quàm proximo: atqui possum me probabili periculo exponere perdendi diuitias, vitam, gratiam, gloriam, propter bonum proximi: ergo & potero propter

Obiectio.

Charitas incipit à se ipsa.

De eo, qui facit quod in se est, an illi Deus statim faueat?

ter bonum meum, me simili periculo exponere. Maior est certa: quia charitas incipit à semetipsâ: & consequentia bona: quoniam, si nemo mihi memetipso proximior strictiùs obligabor charitatis præcepto, vt faueam mihi in necessitate constituto, quàm vt faueam proximo: quamobrem, si ob bonũ proximi me exponere possum periculo, etiam ob bonum proprium potero. Minorem probo, quia in eâ tota consistit difficultas. Laudantur enim amici, qui exposuerunt suas diuitias, suas vitas &c. pro amicis. Posse exponi periculo diuitias, vitam, gratiam, gloriam bellum suadet: semper enim omnes istæ exponuntur periculo. Vincuntur enim sæpe milites & expoliantur: Ecce diuitiarum periculum. Sæpe occiduntur. Ecce periculum vitæ et salutis. Sunt in militiâ multæ peccandi occasiones, et multi vulnere instantaneo, sine Sacramentorum susceptione occiduntur: Ecce periculum perdendi gratiam gloriamque. Atqui his non obstantibus, licet militare, si vexillum sit iustum: Ergo licet se exponere periculo perdendi diuitias, vitam, gratiam, gloriam.

An amicus possit exponere vitam et diuitias pro amico?

Periclitantur belli diuitiæ,

Vitæ,

Gratia, & gloria.

An militare liceat?

Respondeo media debere esse ignobiliora fine: vnde, qui expendere vellet ducenta, vt adquireret quatuor, prodigus esset et imprudens. Hæc veritas est tam certa et notoria, vt Scotistæ affirment, Aeternum Verbum humanam carnem suisse assumpturum etsi non peccasset Adamus: quia, cùm Incarnatio verbi sit hominis redemptione nobilior, non debuit esse medium redemptionis. Contra quos Thomistæ non dicunt, Deum posuisse medium nobilius fine intento, sed ad alias causas doctissimè et ingeniosissimè recurrunt, vt ostendant, Verbum, si Adamus non peccasset, non suisse carnem humanam assumpturum. *Hinc ad argumentum me confero*, et, si de diuitijs et thesauris agatur, multa esse opibus pretiosiora pronuntio, adeoque illas prudenter periculo exponi, quoties agitur de honore aut vitâ. Vitam pro bono publico exponi periculo licet; plus enim debet fieri communis totius regni tranquillitas, quàm vita vnius aut alterius hominis particularis. Cæterùm si agatur de gratiâ et gloriâ, cùm nihil sit in mundo, quod Deo maioris faciam, illas periculo exponi ob res caducas non permittã. Nec oppositum demonstrat bellum: non enim, qui nomen dat militiæ, se exponit probabili peccandi et pereundi in æternum discrimini: imò videretur ille status postulare contrarium: milites enim perpetuum, patiuntur martyrium, ieiunant frequentissimè, incedunt nudi, dormiunt sub ioue, gerunt mortem ob oculos: et nisi deliri sint, debent seruire Deo. Multos milites colit Ecclesia: et hodie multi sunt, qui sanctè viuunt, et si multi insolenter et sacrilegè viuunt, non est militia in causâ, sed militaris libertatis abusus.

An posint assumi meliora & pretiosiora fine.

An si Adamus non peccasset Verbum æternum humanitate m assumpsisset

Potest exponi periculo Thesaurus.

Potest vita:

Non autem Anima.

An milites sint in probabili peccandi et pereundi in æternum periculo?

Argumenta, quæ pro media sententia militabant, soluuntur.

DXVIII. An necessitas excusat in obligatione Decalogi?

NEc contrà vrgent (aut veriùs nec contrà militant) ea, quæ pro mediâ sententiâ ponebantur. Si enim non licet sine necessitate se exponere peccandi periculo, nec licebit cum necessitate: et ratio est, quia se exponere periculo perdendi diuitias est pretio æstimabile in diuitiarum genere, et ignominiâ se actuali maculat, qui se exponit periculo perdendi honorem: Ergo, se exponere periculo perdendi Dei gratiam in ordine rerum supernaturalium, malum graue et actuale est. Ergo, siquidem non licet peccare ob causas eximias et graues: ob easdem se exponere periculo peccandi non licebit.

Thomas Sanchez exponitur.

Nec contrarium docent Authores, quos Hyeronimus Ferrantinus adducit: nam Thomas Sanchez nostram primam Conclusionem admittit, et illam limitationem, quam subiungit, secundæ nostræ Conclusioni conformat. *Si* enim Petrus sciat se esse fragilem, fœminæ mederi non debet. Quid, si ex officio, hoc est, ex iustitiâ teneatur? mittere poterit et debebit alium medicum aut chirurgum. Et quid, si non sit alius? Tunc iuxta secundam nostram Conclusionẽ non se inducet in periculum, adeoque nec peccabit. (N.B.) Non quod detur casus in quo liceat se exponere probabili peccandi periculo, sed quod ille non se exponit periculo; exponitur enim non à se, sed à necessitate. Et quid ille in tali casu faceret? periculum, quod non potest fugere realiter, debebit fugere moraliter, nimirùm proponendo firmiter se non peccaturum: et Dei fauorem orando, et de eius clementiâ et misericordiâ confidendo. Qui enim inuoluntarius realiter in periculum ferrur, et se oratione munit, non se exponit periculo: non realiter, quia actiones necessariæ non sunt nostræ, quia non sunt in nostrâ potestate: non moraliter, quia orando et petendo diuinam gratiam facit homo quod potest, ac propterea quod debet. Ergo in tali casu hæc Propositio, *Petrus licitè se exposuit probabili peccandi periculo*, non est vera: sed hæc, *Petrus non se exposuit periculo*: si enim necessariò exponitur, non à se et ab intrinseco exponitur, sed ab intrinseco violẽter et inuoluntarius inducitur: et ideò vt in periculo sit sine periculo, Deum tenetur orare.

Peccandi pericula, quæ non possimus fugere phisicè poterimus fugere moraliter: & quomodo?

DXVIII. An filius familias teneatur domo

Ponebatur secundo loco Salas, qui Thomæ Sanchez et nobis assentitur; qui enim domi

egredi, & parentes reliquere, si habeat domi probabile peccandi periculum?

domi habet grauem occasionem peccandi, tenetur hoc periculum fugere physicè et realiter, si possit; et si realiter non possit, illud fugere moraliter, Deum orando, et eiusdem gratiam et fauorem petendo.

Ioannes Sancius et Emanuel Sà eodem sunt modo intelligendi, et exponendi, constant enim Conclusionibus nostris.

Quæstio incidens,

PETIS, *An eodem modo, quo quis se potest periculo peccandi exponere, poterit exponere alium?* hoc est, *An bene discurrat Ferrantinus?*

Resolutio.

Respondeo, Petrum nec se, nec proximũ posse exponere probabili peccandi periculo. Addo Petrum si non possit non ingredi realiter locum, vbi est illud periculum, aut si non possit ex illo egredi, non peccare in iis quæ vitare non potest; at debere tunc periculum fugere moraliter, orando Deum, et eius auxilia implorando: quam ob rem, si detur casus, in quo non possit Petrus non inducere ministrum aut famulum in locum, in quo tale subest periculum, aut inductum non possit educere, non peccabit in his, quæ necessariò facit: at debebit eum à periculo eripere moraliter; videlicet illum monendo, in bonâ voluntate firmando, & orando Deum, vt dignetur cooperari & concurrere Sed iste casus accidet nunquam vel ratò.

Soluitur argumentum difficile, militans pro prima sententia.

DXIX. An liceat sequi quamcumque opinionem probabilem

PLacet reponere ratiocinium, quo prima sententia armabatur. Eius fautores argumentantur sic. [Possum sequi opinionem probabilem, & iuxta illam operari et sentire. Ergo siquidem est probabile materiam primam habere partes à quantitate, potero sentire sine temeritate, et asserere sine mendacio alterutram contradictionis partem. Ergo siquidem est probabile posse sine mortali mutari Officium sãctorale in feriale, et contrà; potero etiam sentire sine temeritate et asserere sine mendacio alterutram contradictionis partem. Ergo pariformiter de peccandi periculo poterimus philosophari. Sit vera hæc propositio: *Probabile est, quod si adiero talem locum peccabo*: Ergo erit etiam vera hæc: *Probabile est quod & si adiero talem locum non peccabo*. Ergo sine temeritate possum mente asserere, et sine mendacio linguâ dicere *Non peccabo*. Atqui stante isto dictamine quod siquidem temerarium non est, est prudens et licitum; potero adire locum illum possum enim licitè locum illum adire, in quo non peccabo. Ergo de primo ad vltimum colligitur, quod possim me exponere probabili peccandi periculo, et hoc licitè et sine peccato.] Qui hoc ratiocinio vtuntur citant pro se Vasquez 1-2. *disp.62. cap.5.* Sanchez *lib.1. Summæ cap.9. num.* 18. dicentes, non esse necessarium, vt iudicium practicum sit certum, sed sufficere si sit probabile.

Retorquetur hæc ratio.

Respondeo tamen tantùm abesse, vt ex opinione, quæ docet, *licere sequi sententiam probabilem*, sequatur licere adire probabile peccandi periculum, vt potiùs ex eâ doctrina conuincatur oppositum; in tantum enim licet sequi opinionem speculatiuè probabilem, et minimè certam, in quantum cum ea incertitudine et probabilitate speculatiua habetur iudicium practicum certum dictans *licere operari cum opinione probabili*, sine quo iudicio practico certo non liceret operari, vt dicunt communiter Theologi: quia ille exponeret se periculo peccandi, si non haberet illam certitudinem practicam. Ergo tantùm abest vt inferatur *licere se exponere periculo probabili peccandi* ex eo, quia licet sequi opinionem probabilem, vt potiùs inferatur oppositum futurum; sequitur enim ex hac certissimâ doctrina, *quod non liceret sequi opinionem probabilem speculatiuè, si eam sequendo subesset periculum probabile peccandi*. Stat ergo in tantum licere sequi opinionem probabilem speculatiuè, in quãtum eam sequendo nullum subest omninò periculum peccandi. Ergo, cùm illa doctrina defendi non possit, nisi quia ab illa abest omne periculum peccandi, consequens est, ex eâ rectè inferri, *posse adire periculum probabile peccandi*, cùm illa doctrina subsistere non possit, si ex eâ sequatur periculum probabile peccandi. Sic igitur in forma arguo. Si sequendo opinionem probabilem speculatiuè, subesset periculum practicum probabile peccandi, non liceret sequi opinionem probabilem speculatiuè, eò quia non licet se exponere periculo probabili peccandi: vt docet communis omnium Theologorum opinio: Ergo vt sit vera hæc doctrina, *quod licet sequi opinionem probabilẽ speculatiuè*, oportet abesse in praxi omne periculum peccandi. Ergo illi doctrinæ repugnat dicere, *quod liceat in praxi operari cum periculo probabili peccandi.*

Cur interdum possim sequi opinionem probabilem

De probabilitate speculatiua, obiectiua, formali, & practica.

His positis redeo ad argumentum, cuius gratia hanc doctrinam posuimus. Erat primum antecedens: *Possum sequi opinionem probabilem, & iuxta illam operari & sentire*. Et assero illud esse obnoxium æquiuocationi; est enim verum speculatiuè et obiectiuè: sed practicè et formaliter falsum. Sanè est verum speculatiuè, quia in materiâ, quæ non concernit mores, potest liberè admitti. Est etiam verum materialiter et obiectiuè; vbi enim agitur de materia præceptâ

tâ; seu de obiecto præcepti, et sunt duæ opiniones probabiles, quarum altera docet hoc a Deo præcipi, altera autem illud ipsũ non præcipi, tunc potest alterutram sequi sententiam, quia neutra probabilitas concernit peccatum formale, quia cum vtraq; componi potest hæc propositio: *Certum est quod non peccabo*. Certum est enim non peccare eum: qui omittit quod tantùm probabiliter præceptum est. Nec exempla, quæ ponuntur in primâ & secundâ consequentia, contrarium probant. Non primum, quia partes materiæ primæ non concernunt mores, et possunt sine peccato quantitati adscribi, aut non adscribi. Non secundum; quia probabilitas illa circa mutationem officij diuini nõ respicit actus formales, sed illorum materiam. Aliud est enim quærere, *Vtrùm Diuini officij taleitas (hoc est, quod sit de feria, vel de Sancto) præcipiatur per se, & vt substantia; an verò præcipiatur vt modus?* Et aliud est inquirere, *An qui mutet officium de feria in Officium de Sancto peccet mortaliter?* Ad primum enim respondemus, vtrunque videri probabile; & ex suppositione quod vtrumque probabile sit, respondemus ad secundum (etiam non solùm materiam et obiectum respicimus, sed ipsos actus) esse certum, & supra omnem probabilioritatis aleam eum, qui mutat officium, non peccare mortaliter. SANE illud ipsum antecedens, *Possum sequi opinionem probabilem, et iuxta illá operari & sentire*; si sumatur practicè et formaliter, hoc est si probabilias non afficiat materiam præcepti, sed honestatis potiùs actus humani, falsum est; tenetur enim homo elicere actus non solùm probabiliter licitos, sed certò licitos. Vnde quotiescunque intercurreret disputatio de formali alicuius actionis bonitate aut malitiâ, debet homo se securum reddere, et non ingredi viam periculosam et probabilem, sed eos actus elicere, qui sint certò boni formaliter:

Hinc patet, tertiam consequentiam esse falsam: infert enim sicut de partibus materiæ primæ, aut de mutatione officij, sic etiã de peccandi periculo esse philosophandum, cùm tamen non solùm non sit vlla similitudo; sed sit potiùs summa dissimilitudo: in duabus enim quæstionibus non agitur de formali peccato: nam prima est purè Philosophica & speculatiua: secunda non agit de peccato, sed de materiâ peccati: et tertia solummodò agit de formali peccato. Quam ob rem, si in duabus prioribus quæstionibus ideò licet alterutrum, quia in ipsis est certum, quòd non committatur peccatũ; ideò in tertiâ nõ licebit alterutrum, sed debebimus sequi partem securam, quia in tertiâ non est certum, quod non committetur peccatum.

Illa consequentia subiuncta: *probabile est, quod si adiero talem locum faciam hoc: Ergo probabile, quod etsi eundem locum adiero, non faciam hoc*, est certa, & euidens: quia sicut repugnat, alteram contradictionis partem esse dubiam et alteram non esse dubiam; sic etiam repugnat alteram esse probabilem, & alteram non esse probabilem.

Illa autem subillata: nimirùm, *Probabile est, quod et si adiero talem locum, non peccabo: Ergo sine temeritate possum mentè asserere, & lingua dicere: Non peccabo*, indiget expositione; Aio me in tali casu posse dicere cum formidine erroris et tanquam rem merè probabilem, *Non peccabo*: nego autem me id posse dicere sine erroris formidine tanquam rem certam.

Subsumptum subintelligebat istam propositionem: *Qui sincerè & sine temeritate potest dicere*, non peccabo si adiero talem locum, *potest illum locum adire*: & eam ego distinguo. Si possit hoc dicere sine formidine, et tanquam rem certam; concedo. Si cũ formidine, et tanquam rem probabilem; nego.

Patet igitur de primo ad vltimum, non bene colligi in ratiocinio illo, cui respõdeo, *me posse licitè exponere periculo peccandi probabili*.

Notanda pro Logica Morali.

DXV. An Conclusio sequatur debiliorem partem?

Hîc obiter notandum est, cum agitur de peccatis materialibus & obiectiuis, esse bonas istas consequentias.

An ex negatiua probabili sequatur affirmatiua probabilis

Est probabile, quod hoc non sit peccatum:

Ergo est probabile, quod hoc sit peccatum.

Est probabile, quod hoc non sit peccatum:

Ergo est certum, quod si illud feceris, non peccabis.

An ex negatiua probabili sequatur certa negatiua?

Est probabile, quod hoc sit peccatum:

Ergò est certum, quod si illud feceris non peccabis.

An ex affirmatiua probabili certa negatiua?

Primæ consequentiæ bonitas nascitur ex naturâ incertitudinis, quando enim altera contradictionis pars est incerta, etiàm altera est incerta.

Secunda autem et tertia ex hoc discursu.

Cùm agitur de peccatis materialibus, & dantur probabiles sententiæ Authorum, poteris alterutram sequi sine peccato.

Ergo in tali casu, si altera sententia dicat hoc esse peccatum, & altera dicat non esse, poteris licitè sequi hanc vltimam, & iuxta eam operando non peccabis.

COETERVM, si agatur de peccatis formalibus istæ consequentiæ erunt bonæ.

Est

An materia prima a quantitate partes habeat;

An liceat Diuinum officium mutare.

NB. Quid sit de præcepti substantia & quid modus.

Considerandum est quid impellet aut afficiat probabilitas?

honestatem

Nota hanc rationem bene;

Vbi vna propositio est probabilis etiam eius contradictoria erit probabilis.

Vide quæ dicentur statim num. 520.

An ex probabili affirmatiua aut negatiua certa affirmatiua inferatur?

Eſt probabile, quod ſi adieris talem locum, occides vnum hominem, ac propterea à peccabis?

Ergo eſt probabile, quod etſi adieris, non occides eundem hominem, ac propterea non peccabis.

Ergo eſt non iam probabile, ſed certum, quod ſi velis illum locum adire, hac ipſa volitione peccabis.

Patet prima conſequentia, quia naſcitur ex eſſentiâ & ingenio incertitudinis & probabilitatis. Patet ſecunda, quia certum eſt, eſſe mortale & actuale peccatum ſe exponere periculo peccandi mortaliter.

An liceat ſequi opinionem probabilem, ſit merè probabile? & ſi non eſt; quid, ſi eſſet?

Sanè hanc Propoſitionem, *Ille, qui cùm agitur de præceptorum materia, ſequitur opinionem probabilem*; puto eſſe improbabilem, & oppoſitam euidentem & certam. Sed quid, ſi eſſet merè probabilis?

An ex probabilitate certitudo inferatur.

Reſpondeo, ſi hæc propoſitio eſſet merè probabilis (puta, probabilior, æquè probabilis, aut minùs probabilis) eſſet certum peccare illum, qui illâ vteretur. Vnde iterum ex probabilitate inferretur certitudo, nec concluſio ſequeretur debiliorem partem. Conſidera diſcurſum ſubſequentem.

Debeo reddere meam conſcientiam ſecuram, nec poſſum me exponere periculo peccandi. Ergo ſi eſt certum, quod poſſum ſequi probabilem alterutram opinionem in eo caſu, in quo id ſit certum, potero liberè alterutram ſequi: ſi autem hoc eſt incertum (& erit incertum, ſi dubium ſit aut probabile) non potero alterutram ſequi, ſed debebo tenere ſecuram. Atqui cùm agitur de peccato materiali, ſeu de materia peccati, certum eſt me poſſe ſequi alterutram contradictionis partem: quando agitur de peccato formali, hoc non eſt certum. Ergo eadem ratio, quæ demonſtrat me poſſe facere illud, quod probabiliter eſt materia peccati, eadem demonſtrat me non poſſe adire periculum peccandi formaliter.

QVÆSTIO.

An ſit peccatum mortale ſe exponere probabili æternæ damnationis periculo?

DXXIs Diana non ſeruat conſequentiam.

SVmmâ in conſequentiâ Diana laborare videtur, cùm dicit *par.3. tract.4. reſol. 98.* poſſe ſe exponere hominem æternæ damnationi probabili: *& par.7. tract.11. reſol.29.* negat poſſe ſe hominem exponere probabili peccandi periculo. Omnes enim rationes, quæ ſecundum impugnant, diruunt primum: & quæ primum ſtabiliunt, firmant etiam ſecundum: quam ob rem oportet, vel vtrumque concedere, vel vtrumque negare. Vt rem meliùs intelligas, illam totam ad tres controuerſias reducam. Quarum prima rogabit, *An confeſſio facta cum ſola attritione iuſtificet?* Secunda, *An, qui cognoſcat ſe non habere contritionem ſed attritionem, poſſit ad pœnitentiæ ſacramentum accedere?* Et tertia, *An in articulo mortis etiam poſt confeſſionem factam, ſi fortè cum attritione cognita, teneamur elicere actum contritionis omnium mortalium, quæ in vita commiſſimus?*

Reſpondeo ad primam aſſertiuè. Addo tamen hanc eandem aſſertionem non excludere omnem formidinem; contraria enim ſententia ab aliquibus dicitur vera, ab alijs probabilis, aut ſeueriſſimè loquendo, tenuiter probabilis; at omninò improbabilem eam eſſe, nemo demonſtraturus eſt.

Reſpondeo ad ſecundam, extra articulum mortis poſſe hominem cum attritione cognitâ ad ſacramentum pœnitentiæ accedere: quia ſequendo dictamen probabile operatur prudenter, nec poteſt argui temeritatis.

Reſpondeo ad tertiam varias eſſe opiniones in re grauiſſima, quæ poſtulant, vt certa ab incertis ſeparemus, & aliquas Concluſiones ponamus.

DXXII. Nota hoc bene.

Prima Concluſio. *Si vera contritio etiam cum ſacramento pœnitentiæ requiritur, qui cum attritione confitetur (ſeu putet ſe habere contritionem, ſeu non) non committit nouum peccatum, ſed antiqua retinet.* Patet primum: non enim peccat, qui ſequitur opinionem probabilem, & attritionem etiã cognitam ſufficere cum ſacramento non iam probabilior, ſed ferè certa aſſerit & defendit opinio. Patet ſecundum; quia ſi contritio eſt de neceſſitate medij ad iuſtificationem conſequendam, illam debebis ponere, aut iuſtificationem non conſequi. Opinio enim rerum virtutes non immutat, nam ſi Petrus ſincerè putet ſtupam in flammis macerandam, & ſequutus dictamen ſuum ſincerum & prudens, eandem in flammas iaciat, temerarius non poterit dici; attamen ſtupa in flammis non macerabitur, ſed comburetur. Et vt rem explicem intra terminos huius diuini tribunalis, ſi ſæcularis aliquis veſte ſacerdotali indutus literis falſis licentiam audiendi confeſſiones obtineat, licitè ad illum accedes, ſi legitimum Confeſſarium eſſe exiſtimas; & tamen à peccatis tuis non abſoluêris; & ſi mortalia habeas, nec aliam confeſſionem feceris, nec contritionẽ habueris, in æternum peribis.

Rerum veritas ab opinione non dependet.

DXXIII. Nota hoc bene.

Secunda Concluſio. *Si aſſereremus ſententiam, quæ contritionem veram cum ſacramento pœnitentiæ requirit, eſſe minùs probabilem; & quæ attritione cum ſacramento cõtenta eſt, eſſe magis probabilem: Moribundus, qui cognoſcit ſe cum attritione abſolutionem à mortalibus recepiſſe, ſi conſcientiam examinet, debet ſic diſcurrere.* [*Probabilius*

eſt,

eſt, quod ſum in gratia; at adhuc probabile eſt, quod ſum in ſtatu peccati mortalis: Ergo probabilius eſt, quod ſi moriar quin eliciam actum contritionis, ſaluabor: at nihilominùs adhuc probabile eſt, quod ſi moriar ſine contritione, æternam damnationem incurram.]

Quæſtio proponitur.

Hæ duæ Concluſiones certæ ſunt: & modò ingreditur illa dubitatio, *An-ne moribundus ille, de quo agimus, poſſit licitè egredi ex hac vita in periculo æternæ damnationis probabili; an verò debeat non eſſe contentus ſpe gloriæ probabilis, ſed reddere ſuam ſalutem certam?*

DXXIV. Opinio Suarij.

Hoc vltimum dicendum eſſe ſentit Suarez *3.part.tom.4.diſp.15.ſect.4.num.17.* Nugnus *in 3. par. tom 2. quæſt 2. art.4. dub 4.* Zambranus *de caſib.occurr.temp.mort.cap 4. dub.1.num 4.* & alij: & probatur *primò*; Quia vnuſquiſque tenetur ex charitate propriâ certam facere ſalutem ſuam omnibus medijs poſſibilibus: at in tali caſu dantur media poſſibilia (poteſt enim contritionem elicere) Ergo tenetur.

Probatio prima.

Secunda.

Secundò; Quia, cùm nec de fide ſit attritionem ſufficere cum ſacramento, nec hoc ipſum demonſtrari aut euidenter probari poſſit, ſemper manet æternæ damnationis periculum: Ergo, qui illud percipit, tenebitur illud vitare, & actum contritionis elicere.

Tertia.

Tertiò. Quoniam tenetur confiteri, aut ſaltem conteri, qui habet peccatum mortale dubium, ne ſic ex hac vita diſcedat: At eadem ratio militat contra eũ, qui habet abſolutionem incertam: Ergo. Probatur minor. Quia, qui habet peccatum dubium (idem dicam de peccato probabili) poteſt prudenter dicere. [Beatus qui poſſidet: ego ſum in innocentiæ poſſeſſione, à quâ excludi non debeo rationibus dubijs aut probabilibus, ſed certis tantùm.] Interim, ſi eſt verum, quod peccauit, erit verum, quod eſt in ſtatu æternæ damnationis, & quod æternùm eſt periturus, niſi debitam pœnitentiam agat. Hæc autem ipſa etiam ſunt vera poſito peccato mortali certo, & pœnitentiâ dubiâ vel probabili: Ergo tantam obligationem habet peccator in vno caſu, quantam in alio. Habet ergo in vtroque ponendi media, quibus reddatur certus, quantum humanitùs poſſit, ſuæ ſalutis.

Nota id bene.

DXXV. Opinio oppoſita.

His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam tuetur Fagundez *de præcept. 2. lib 2. cap 4.num.13.* Becanus *de ſacram. cap. 35.num.3.* Layman *in Theolog. Moral lib 5. tract.6. cap.2. num.6.* Coninch *de Sacram. diſput 3. dub.1. numer. 5.* Faber *de pœn in 4.ſentent.diſt.14.quæſt.2.diſp 8. cap 3.num. 71.* quos citat & ſequitur Diana *par.3.tract. 4.reſol.98.* & alij. Eorundem rationes conſideremus.

An omnis noua opinio ſit falſa?

Prima. Quia Suarius eſt primus Author opinionis contrariæ: Ergo illa non eſt vera. Patet. Incredibile eſt annis integris mille ſexcentis rem tam neceſſariam, ſi eſſet vera, fuiſſe in Eccleſiâ Romanâ ignoratam. Altiùs de Dei miſericordia eſt præſumendum, non enim admittendum eſt ab illo ita totam Eccleſiam deſeri, vt in re tanti momenti ſemper fuerit decepta. Hæc ratio, tametſi moralis ſit, & non metaphyſica, fortis interim eſt, & ſufficiens, vt Suarii opinio reiiciatur.

Modus fortis moraliter argumẽtandi.

Secunda. Nec in Scripturis, nec in Concilijs habetur tale præceptum Charitatis: ſed nos noua præcepta fingere non debemus: Ergo. Sed hæc ratio mihi non placet: quoniam Charitatis præcepta non debent ſingulariter poni, ſicut nec præcepta Iuſtitiæ. Non legimus in Decalogo, *Non furaberis argentum*, non *aurum*, non *gazas*, non *cætera*: Sed quia legimus *Non furaberis*, alia omnia inferimus. Ergo ſi Charitatis præceptum generale eſt, obligabit, etſi non reperiatur, hoc vel illud interdici ſpecialiter.

DXXVI. Vbi reperiantur Charitatis præcepta?

Tertia. Neminem Charitas aut aliud præceptum obligat, vt plus faciat, quàm quod Eccleſia docet eſſe ad ſalutem neceſſarium: Sed Eccleſia per Concilium Tridentinum docet ad gratiam impetrandam à Deo, & ſalutem æternam conſequendam ſufficere attritionem cognitam cum Sacramento pœnitentiæ. Nemo igitur tenetur ad amplius. *Hac ratione* Diana vtitur: hac etiam alij. Sed aduerſarij illam dicent nullius eſſe roboris, aſſerentque minorem eſſe tantùm probabilem, adeoque ſequi, conſequentiam eſſe probabilem. Cùm ex vi huius rationis negari non poſſit eſſe probabile, quod homo ad contritionem teneatur, & ſi hanc non habeat ſua antiqua peccata retenturum, & per conſequens in æternum periturum: Videretur vi huius rationis debere hominem ſub mortali elicere actum contritionis in articulo mortis, ne ſe exponat probabiliſſimo æternæ damnationis periculo. Sanè illam minorem eſſe purè probabilem dicent nonnulli, at alij ſeueriùs eſſe euidenter falſam, aſſerentes quidquid ſit de neceſſitate contritionis & ſufficientiâ attritionis, hanc ſufficere cum pœnitentiâ nuſquàm doceri à Tridentino, cuius verba vbicumque legantur, ita debent intelligi & interpretari, vt Capiti III. Seſſionis XIV. correſpondeant. Agit ſancta ſynodus ex profeſſo de partibus pœnitentiæ in hoc capite, & ait: *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitentis actus; nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio*. Ergo, ſi hæc ſunt verba Concilij, quâ ſinceritate poſſit ſubſumi minor illa, non video,

DXXVII. Probatio.

Huius probationis cenſura.

Ex præmiſſa probabili conſequentia euidens ſequi non poteſt.

Aliud eſt contritionẽ neceſſariam non eſſe, & aliud hoc ipſum doceri à Tridentino.

Quarta. Quia ex hac opinione ſequeretur hanc propoſitionem; *Attritio cum Sacramento ſufficit ad iuſtificationem*, incertam eſſe: Sed hoc dici non poteſt: Ergo fruſtra alia certitudo requiritur. *Et hæc ratio* eſt mirabilis; obijcit enim tanquam abſurdum, quod tanquam fundamentum aſſumit contraria ſententia. Ideò enim illa con-

Petitur principium.

tri-

tritionem requirit, quia existimat certum non esse, quòd attritio sufficiat. Videtur mihi hanc rationem esse similem illi, quâ probarem contra Iesuitas admittendas esse physicas prædeterminationes, quia aliàs concedi deberet in *Deo* scientia media; cùm ideò maximè illas negent Iesuitæ, quia istam admittunt.

DXXIX. Probatio.

Quinta. Quia ex hac etiam sententiâ sequeretur, nunquam licere homini confiteri cùm solâ attritione cognitâ: primò quia semper se exponeret periculo peccãdi mortaliter: Secundò, quia semper se expòneret periculo non conficiendi sacramentum, retinendi antiqua peccata, & non recipiendi gratiam sacramentalem. *Sed hæc ratio* non vrget, negatur enim consequentia; quoniam argui de mortali non potest, qui sequitur opinionem probabilem. Hinc patet, quid ad primam probationem dicendum. Ad secundam fatebor esse probabile (tenuiter & leuiter tamen) se exponere hominem illis periculis, quæ enumerantur. *Sed* quid inde? Est enim etiam probabile (imò fèrè certum) nullum subesse periculum: & homo tutissimè sequitur opinionem probabilem. Præterea ab articulo mortis ad vitam sanam non bene deducitur consequentia; multa enim sano licent, quæ moribundo non licent. Ille enim differre multa potest, quæ iste non potest; caret enim tempore in quod rem differat.

Censurã.

DXXX. Probatio.

Sexta. Quia ex hac doctrina sequeretur, non omnes homines teneri elicere actum contritionis in articulo mortis, sed doctos solùm, qui scirent non sufficere attritionem etiam cum sacramento. Vnde tale præceptum esset tantùm doctis impositum, & non indoctis; & ideò essent in hoc peioris conditionis docti, quàm indocti, Theologi quàm Medici & Iurisconsulti. Sed hoc minimè dicendum videtur: Ergo. *Sed cur minimè?* Annon etiam centena alia sunt, quæ obstringunt doctos, & non indoctos? An non plura & clariùs tenetur credere Theologus, quàm rusticus? An non multi hodie contractus licitè fiunt in pagis, qui in scholâ non possent? Multi quidem: & rusticos inuincibilis ignorantia in casibus multis excusat, in quibus Theologi non excusantur.

Censura. An nóplura tenẽtur docti, quam indocti.

DXXXI. Probatio.

Septima. Quia Suarezij sententia, vt notat Fagundez, quem sequitur & laudat Diana, laqueos iniecit conscientijs in re graui: & in re necessaria ad salutem hominem in dubium æternæ salutis inducit. *Sed me miserum!* quos quæso laqueos, quæ dubia iuducit? Sanè hæc opinio docet esse ferè probabile, hoc est, non esse omninò certum, eum, qui cum attritione & sacramento ex hac vita discesserit, salutem sempiternam consequi: & hoc à nemine negari poterit. Non ergo scrupulos, dubia, & pericula imponit: sed scrupulos, qui subsunt, incertitudinem, quæ re uera est in re summi momenti, & periculum, quod omninò non abest, veraciter & sincerè notificat: & nemini est iniuria, quamdiu veritatem docet. Subesse enim adhuc aliquod periculum, quod à solâ contritione tollatur, ferè probabile est: & qui hoc neget, non vult rem intelligere. At hominem debere hoc qualequale periculum vitare sub peccato mortali, nondum probatum à *Suario* est.

Censura.

DXXXII.

Ego qnidem, vt quæstionem resoluam, iubeo relegi Conclusionem primam & secundam, quam superiùs exposui; quibus addi poterit.

Resolutio totius difficultatis.

Tertia Conclusio. *Si est verè probabilis opinio, quæ contritionem veram cum pœnitentiæ Sacramento requirit, Infirmus non potest licitè cum attritione ex hac vita discedere*: non enim se potest exponere probabili æternæ damnationis periculo.

Quarta Conclusio. *Hæc propositio*: Non sufficit ad iustificationem attritio cum sacramento, *absolutè loquendo non est probabilis*. Sed cur dicitur *tenuiter probabilis*? Quia præ se fert nonnullam probabilitatis vmbram, ad veram autem probabilitatem non adscendit.

Quinta Conclusio. *Infirmus in articulo mortis non tenetur in rigore & ex præcepto elicere actum contritionis; sed sufficit, si confiteatur etiam cum attritione cognita; licèt melius faceret, si actum contritionis eliceret*. Ita Diana *par. 3 tract. 4. resol. 94. §. Cæterar.* qui citat Laymannum & Fabrum Sed duæ sunt obiectiones, quas possent aduersarij protrudere.

Obiectio prima.

Sit prima contra Conclusionem tertiam: Quia semper licet homini sequi opinionem probabilem, vbi non determinatur ad alteram probabilitatis partem voto, iuramento, aut præcepto: at in nostro casu nec nos vouimus aut promisimus Deo contritionem, nec illam Deus præcipit: est enim ferè certum, quòd sit attritione & confessione contentus; nec illam homo præcipere potest, cùm sit actus merè internus: *Ergo*.

DXXXIII. Corollariũ primum.

Sed hæc doctrina non placet: quia inde sequeretur *primò*, posse licitè ex hac vitâ hominem discedere cum absolutione probabili, puta, si ab illo data fuisset, qui vel esset sacerdos probabiliter, aut certò sacerdos, sed probabiliter tantùm absoluendi potestatem haberet. *Secundò*, etiam illum, qui probabiliter putaret se mortale peccatum commisisse: nam iste nec confiteri, nec conteri in articulo mortis teneretur. *Tertiò*, nec illum, qui dubia peccata haberet; minor enim notitia est dubia, quàm probabilis, & si hæc non inducit obligationem confitendi aut conterendi, illa inducere eiusmodi obligationem non potest.

Secundum.

Tertium.

An in articulo mortis cessent opiniones probabiles? CCCXVI.

Sed cur hæc omnia displicent? Quia, vt dixi, in mortis articulo non tolerat prudentia, sinceritas, et charitas ad se vt aliquis se exponat æternæ damnationis periculo.

DXXV. Obiectio secunda.

Sit secunda contra Conclusionem quintam. Præceptum contritionis per se et ex intrinsecâ eius obligatione, saltem in articulo mortis, obstringit, vt docent Authores communiter. Tunc igitur quilibet infirmus tenebitur elicere actum contritionis. Respondeo, non dari præceptum de contritione reali, sed de reali aut virtuali; ita vt alterutram habere sufficiat. Est autem contritio realis verus actus doloris, orti ex amore Dei super omnia: et contritio virtualis est attritionis actus eleuatus à pœnitentiæ sacramento. Ita Fagundex *de præcept. 2. libr. 2. cap 6 num 5.* Diana, & alij: Vnde oritur lux Theologico Axiomati, *Sacramentalis Pœnitentia facit ex attrito contritum.* Quod si intelligas physicè, nihil impossibile intelliges; at incides in grauissimas difficultates. *Si* autem illud intelligas virtualiter, facili negotio te expedies dicens, vi Pœnitentiæ transire attritum in contritum, quoniam coram oculis Domini attritio sacramento coniuncta perfectæ contritioni æquipollet. Vide Ioannem de la Cruz *in Director. par. 1. de Sacrament. Pœnit. quæst. 3. dubitat. 5. concl. 2.*

Motritio cũ sacramento est virtualis contritio.

An Pœnitẽtia reddat ex attrito contritum?

QVÆSTIO:

Quid sit periculum euidens? quid probabile? quid proximum, remotumque?

DXXXV.

ANte vnam vel alteram horam cum quopiam Viro docto & nobili de periculi euidentiâ & probabilitate differui, & quia omnia volebat aliter intelligere, quàm ego capio, eius verba ad hanc formam perstringam *Sic aiebat.*

Argumentum proponitur.

In materiâ tali vel tali, verbi gratia semper datur euidens peccati mortalis periculum: at quando tale & tantum periculum subest, nemo potest se fortunæ committere sine mortali: Ergo. Consequentia est legitima: minor ab omnibus admissa: maiorem probo. Quia, considerata hominum fragilitate, dari consentiendi periculum certum est. Et æquè certum hoc periculum certum & euidens esse de re grauissima; quia est periculum consentiendi in peccatum mortale. Sic ille proposuit suam rationem.

At ego contrà sic discurro. Nauis, consideratâ lignorum & funium fragilitate, aquæ inconstantiâ, & ventorum vehementiâ, locus est certò & euidenter periculosus. Et in hoc periculo non agitur de re parui momenti, sed de vitâ. Ergo in naui est certum & euidens mortis periculum. Ergo omnis homo, qui nauim ingreditur, peccat mortaliter. Consequentia est falsa, & tamen forma discursûs est eadem.

An sit leue?

Oportet igitur distinguere periculum leue à graui seu probabili: intrinsecum ab extrinseco: nam in naui est leue & extrinsecum, et in multis conscientiæ materijs graue intrinsecumque. Pono exemplum in re venereâ, in quâ periculum non dicit rei futuritionem, (non enim est bona consequentia, *Infortunium non accidit, ergo non fuit periculum*) sed dicit inclinationem in rei futuritionem: quam ob rem si inclinatio sit lenis, periculum erit leue; si grauis, graue: si grauissima, certum moraliter, quidquid sit de futuritione. Est igitur periculum certum moraliter, si sit inclinatio grauissima.

Dico igitur dari motiua, quæ euidenter sunt inclinantia, mouentia, et influentia in res graues; nec tamen semper mouent grauiter, sed sæpe leuiter. Sanè in naui est rei certò grauis periculum certum: sed leue. Et cur leue? Quia è centum nauibus, quæ nostra maria sulcant, duæ aut tres ad summum pereunt, vt experientia Hollandorum mercatorum nos docuit. Sunt enim, vt dicebamus supra, in portubus homines, qui *Assecuratores* vocantur, qui erunt Maris, et Æoli fideiussores; et si soluas è centum quinque, se obligabunt omnia soluere, si naufragio nauim perire contingat. Ergo horum hominum opinione ex his duabus propositionibus, *Hæc nauis peribit*, *Hæc nõ peribit*, prima est probabilis vt quinque, (fortè vt duo, vel tria; nam et ipsi Assecuratores lucrantur et ditescunt) et secunda probabilis vt centum est. Non ergo repugnat rei summæ esse certum et euidens periculum vt duo vel tria, vbi certa et euidens securitas vt centum est.

Et vnde sciatur esse leue?

DXXXVI. Assecuratores qui?

Igitur, vt rem paucis expediam, affero in periculo posse et debere duo considerari; existentiam periculi, et quantitatem periculi. Addo, cùm agimus de periculo probabili, non agere nos de existentiâ probabili talis periculi; sed supponere existentiam esse certam, et asserere illud esse tantùm, vt probabiliter inferat malum, quod dicitur imminere probabiliter. Si periculum sit ab extrinseco, colligetur eius quantitas ex circumstantijs; nam perdendi merces in naui periculum erit maius aut minus, prout plures aut pauciores pyratæ aut hostes maria vicina sulcent; prout plures aut pauciores procellæ eadem turbent. Si sit ab intrinseco, considerandæ sunt internæ circumstantiæ: puta, si nauis sit antiqua; si sit nimis onusta; si à nautis imperitis regatur, etc.

DXXXVII. Humanæ naturæ fragilitas.

Hinc ad mores, Quis ita erit amens, vt neget in rebus centenis periculum? nam in omni materiâ graui humana

na natura eſt certò & euidenter fragilis: at hoc ipſum euidens rei euidenter grauis periculum, non ſemper eſt proximum & moraliter efficax.

Modus cognoſcendi & examinandi periculum.

Sed vnde quis ſcire poterit, an periculum proximum ſit? Reſpondeo. Conſideratis omnibus circumſtantiis loci, temporis, & perſonarum, conſulat experientiam & has duas Poſitiones diſcutiat, *Peccabo* & *non peccabo*. Si prima ſit moraliter certa, & ſupra omnem probabilioritatis aleam conſtituta, ſecunda erit falſa certò moraliter: & erit periculum proximum. Si contrà, prima ſit certò moraliter falſa, & ſecunda certò moraliter vera; vt vt ſit aliquod remotũ periculum, nullum proximum erit. [Et hoc quidem iudicium modò efformo circa has propoſitiones, *Ego me occidam*, *Ego me non occidam*; nam omnibus circumſtantiis conſideratis non habeo vel leue fundamentum, vt vel priorem] veram ſuſpicer, vel poſteriorem falſam.] Quod ſi conſiderata & examinatâ experientiâ, vtraque contradictionis pars tibi ſit probabilis, debebis dicere, *Licèt probabile ſit me non commiſſurũ eſſe hoc peccatum, etiam eſt probabile me illud commiſſurum. Atqui eſt illicitũ vt aliquis ſe exponat probabili peccãdi periculo: Ergo debeo hanc occaſionem fugere, vel aliàs certiſſimè ſum peccaturus.* Sed de hoc paulò ante vberiùs.

Semper eſt ad experientiã recurrendum.

DXXXVII. An ne ſemper ad propriam?

Sed poſtulas, quid facturus ſit ille qui experientiâ caret? Reſpondeo, vix talem in mundo eſſe hominem. Vbi enim non ſuppetunt experientiæ propriæ, dantur alienæ; retineo enim in portu nauim meam non quod fim naufragium expertus, ſed quod alienis fio iacturis cautus, & vidi ſubmergi cæteras, quæ præceſſerunt. Ergo eodem modo qui caret experientiâ propriâ debet alienâ duci & regi: nam ſi cæteri fugiunt talem aut talem occaſionem, & ſe impares reſiſtentiæ fatentur, tu homo ſimilis illis temerè victoriam tibi polliceteris, vbi alij omnes aut ferè victi ſunt.

PRobabilitas ſuos gradus habet: et ſic etiam periculum; aliud eſt enim Probabile: aliud minùs, vel magis probabile. Conſidera lineas ſequentes.

An periculum habeat certitudinis gradus: & quos:

Pemponellus	*Ergo erit*
peccauit	*periculum*
nunquam	*nullum.*
ferè nunquam.	*ferè nullum:*
paucioribus vicib.	*minùs probabile.*
media parte vicium.	*æque probabile.*
pluribus vicibus.	*probabilius.*
ferè ſemper.	*ferè certum*
ſemper.	*certum moraliter;*

Debet Theologus prudens gradus ſingulos bene conſiderare. Vide interim Thomam Sanchez *de Matrim libr. 9. diſp.* 45. *num.* 6. Salas *tom. 2. tract.* 17 *diſp.* 6. *ſect* 17. *num.* 105. Ioannem Sancium *in ſelectis diſp.* 10. Emanuëlem Sà *verb peccatum. num* 6. Et Hieronymum Ferrantinum, qui eos allegat *libro de ſcandalo diſp.* 1. *quæſt.* 66. *num.* 44.

CAPVT II.

PRACTICVM.

Generalia Fundamenta complectens.

DXL. Generalis doctrina.

ANtequàm ad formam & Materiam Legum contemplandam ſubeniam, nonnulla generalia præmittam, quæ ſciri debere videntur. Plura poſſem obiicere, plura proponere de pluribus hæſitare, aut dubitare, ipſaque fundamenta pluribus firmare, & roborare; ſed quia breuitatem amo, ſtilo breuiore omnia ſubſcribo. Sumam à Deo principium, & poſt ipſum veniam ad Deos humanos, Summi Dei Vicarios, qui diuinam poteſtatem participant: omnis enim authoritas iuriſdictio & poteſtas, in cælo & in terrâ à Deo eſt.

Humani Dei.

FVNDAMENTVM XII.

De authoritate & iurisdictione diuina.

Dominium duplex: reale, & morale. Vtrùm conueniat Deo?

DEus est physicus rerum cratarum omnium Dominus: est & moralis. Illi obediendum. Omne peccatum (Theologicum intellige: quoniam dantur etiam peccata Philosophica) ἀμερία *inobedientia* est: lex enim est mensura nostrorum actuum, quâ carent omnes actus inobedientes. Nonnulli actus humani ante omnem positiuam Dei Legislatoris prohibitionem mali sunt; videlicet malitiâ illâ, quæ consistit in oppositione et dissonantiâ, quam habent ex natura rei ad naturam rationalem, quæ malitia immutabilis est, & ab illis actibus inseparabilis, etiam per absolutam Dei potentiam, nisi natura rationalis mutetur. Verùm ista malitia *Philosophica* dicitur à D. Thomâ 1.2.*quæst.*71.*art.*6. *ad* 5. quia intra Naturæ & Philosophiæ terminos mala est; nec Deum offendit vt Legislatorem, sed vt naturæ Conditorem, à quo etiam puniri potest. Ex positiuâ autem Dei Legislatoris prohibitione oritur in iisdem actibus alia malitia, quam considerat Theologia: & ideò à Diuo Thomâ *iam citato* appellatur *Theologica*, quâ malitiâ nullus actus est malus, adeóque nec peccatum Theologicum, nisi quia prohibitus. Vnde, si Deus per possibile vel impossibile ab eâ prohibitione abstineat, vel semel latam relaxet, non erit ille actus peccatum Theologicum; etsi illâ aliâ malitiâ Philosophicâ aliqui actus sint ante prohibitionem positiuam mali; vnde & dicuntur prohibiti, quia mali.

An, si Deus nihil præcipisset, aut de præceptis Decalogi dispensaret, essent adhuc peccata Theologica?

DXLI. Peccatum duplex: Philosophicũ & Theologicum.

Vnde sumatur malitia Philosophica

Vnde Theologica?

An actus sint mali quia prohibiti: an verò prohibiti quia mali?

DXLII. Occasio scribendi fusiùs de hac materia.

MVlta paucis lineis comprehendo; & quæ multis vix possent sufficienter exponi: at quia in Commentario in Regulam D. Benedicti *num.*19. hanc materiâ pertractaui vberiùs, et vberrimè in Theologia Morali num. 1160. nolui in primâ huius libri editione esse nimius; sed quia res est difficilis, non disputando, sed explicando reponam aliqua, quæ omninò necessaria sunt. Considera Positiones sequentes. Sit.

DXLIII. De dominio physico Dei

Quid dominari sit?

Prima: *Deus est verus, realis: & Physicus creaturarum vniuersarum Dominus.* Hanc veritatẽ, quæ stat mihi longâ speculatione, mallùt supponere Iuniores, quã probare. Sic discurro. Dominari vt sic, est rẽ liberè producere seu conseruare: vnde rem liberè corrumpere, etiam actus dominii est. Productio, Conseruatio, et Corruptio, si sint reales & physicæ, sunt physici Dominii exercitia: si sint morales sunt exercitia Dominii moralis. Dominio accidit esse ligatum & impeditum, & hoc debet etiam considerari. Hinc patet has esse bonas consequentias, *Deus produxit physicè & liberè vnum Angelum: Ergo est Dominus physicus eiusdem Angeli. Petrus multos actus internos producit realiter & liberè: Ergo est dominus realis & physicus eorundem actuum. Pater adoptiuus per adoptionem producit moraliter adoptatum: Ergo adquirit in eum dominium & iurisdictionem moralem: ligatam expeditam-ue, prout leges et ratio permittunt.* Illarum consequentiarum vim, quam expendo, demonstrati clarissimè vt puto in Theologiâ Morali impressâ Lonanii. *libr.*1. *disp.*3. *per totam à num.*105. *ad num.*119.

Dominamur dupliciter, realiter & moraliter.

Consequentiæ obseruãdæ.

DXLIV. De Dominio morali Dei.

Secunda. *Deus est moralis Dominus, (hoc est supremus Princeps) & habet imperandi & ponendi leges morales substantiis liberis supremam & absoluti ssimam authoritatem*

tatem. Vt hanc Aſsertionem intelligas, adnotato, nos hîc non agere de dominio proprietatis moralis; ſcimus enim multa eſse in mundo, quarum Deus habet dominium proprietatis phyſicæ, non autem proprietatis ciuilis à Iure Politico enatæ: et ſcimus etiam eſse aliqua, in quæ Deus, præter dominium vniuerſalis proprietatis, habet ius titulo donationis, conſecrationis, promiſſionis, quæ omnia ſunt etiam conſideranda. Agimus igitur de Dominio alto, quod *Iuriſdictionem* appellant, quod infertur ex Dominio reali et libertate rei poſſeſsæ [Vide *citatę Theologię Moralis totum librum ſecundum à num.* 1004. *& deinceps.*] Vnde patet, aliter Deum lapidibus, et aliter Creaturis liberis dominari: in illas enim dominium infinitæ proprietatis exercet, in iſtas infinitę proprietatis et infinitę etiam iuriſdictionis.

An Deus habeat dominium proprietatis moralis?

Altum dominium, quid?

DXLV. Quid ſit malitia?

Tertia. *Omnis malitia in oppoſitione conſiſtit: & eſt triplex, Realis, Intentionalis, Moralis.* Realiter,

Frigida pugnabunt calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Ouidius lib. 1. Metamorph.

realiter etiam opponuntur inter ſe actus odii & amoris de eodem obiecto in eâdem voluntate; opponuntur enim vt calor & frigus in eodem ſubiecto. At per odium (ponamus illud eſse actum quemdam deteſtatiuum, non obiectiuè, ſed realiter ab amore diſtinctum) qui odio habet obiectum, & obiectum, quod odio habetur, opponuntur intentionaliter.

Oppoſitio realis, & intentionalis.

DXLVI. Malitia realis & intentionalis non dependent à decreto diuino.

Hæ duæ malitiæ præcedunt omnes mores: & inſunt ex naturâ rei, nec dependent à decreto diuino; naſcuntur enim è definitionibus rerum: nam conſiderando realia, poteſt Deus facere, quod calor & frigus, etiam in intenſionis ſummo gradu, inſint eidem ſubiecto; at quod in tali caſu non ſit verum, quod duo contraria ſint in eodem ſubiecto, non poteſt facere: nam calor naturâ ſuâ cõtrariatur frigori, frigus calori: &, ſi ceſſaret miraculum, qualitas fortior & actiuior oppoſitam qualitatem expelleret. Et pariformiter de odio philoſophandum eſt: non enim poſſibile eſt, etiam de potentiâ abſolutâ, vt per odij et deteſtationis actum ego amem Petrum. Malitia ergo realis et intentionalis ſunt naturales, et indiſpenſabiles; ſunt enim in ipſis rerum imbibitæ definitionibus, aut ab illis neceſſariò promanant.

An poſſit aliquis frigore calefieri, aut actu odii amare?

DXLVII. Malitia moralis eſt peccatum: & duplex: philoſophica, & theologica.

Venio ad malitiam moralem, quam vocamus *peccatum*: ſed quia eſt duplex, Philoſophica et Theologica, oportet duo genera peccatorum admittere toto cœlo diuerſa: aliud enim eſt peccare philoſophicè, et aliud theologicè: quod ſic expono.

Suppone dari Deum, illum cognoſci à nobis, et tamen nihil omninò præcepiſſe (ſit caſus poſſibilis aut impoſſibilis: de hoc enim ſtatim diſputabitur) tunc adhuc eſſent mores, et actus capaces bonitatis atque malitiæ philoſophicæ: at non eſſent peccata theologica, nec illis aduerſanter virtutes. Adhuc in tali caſu eſſet *Decentia & Indecentia:* non enim Mendacium, Ingratitudo, Inconſtantia, et ſimilia ſunt indecentia, quia Deus iuſſit quod eſſent indecentia: ſed ſunt indecentia ex naturâ ſuâ, et ſuo quiditatiuo conceptu. Si enim Mendacium ex naturâ ſuâ, ab omni Diuinâ prohibitione et lege præſcindendo, non eſſet moraliter malum, Deus mentiri poſſet: nihil enim eſt in Mendacio phyſicum, quod non poſſit produci à Deo: ergo impoſſibilitas in intentionalitate et moralitate conſiſtit; ſi enim Deus mentiretur, eſſet ſibi contrarius intentionaliter; et committeret actionem indecentem, adeoque philoſophicè peccaminoſam.

Decentia & Indecentia omnis Philoſophica moralitatis radix.

Vnde indecentia naſcatur?

An Deus mentiri poſſit? & cur nõ poſſit?

Quarta. *Malitia moralis philoſophica eſt indecentia, & reperitur independenter ab omni prohibitione diuina: at verò Malitia moralis theologica, quæ theologicam culpam conſtituit, eſt inobedientia, & ante præceptum Dei non reperitur.* Prior Aſsertionis pars pendet ex dictis; et infert poſteriorem, de quâ nonnulla ſuſiùs ediſſeremus. [et hîc obiter noto contra aliquos, qui philoſophicas malitias non admittunt, peccata philoſophica cognoſci et exponi à D. Thomâ 1. 2. *quæſt.* 71. *art.* 6. *ad* 5.] Ex his fundamentis oritur celeberrima quæſtio, quæ inquirit.

DXLVIII. Quid ſit malitia philoſophica?

An dentur peccata philoſophica?

An actiones humanæ, quæ malæ dicuntur (verbi gratia, homicidium, fornicatio, furtum, mendacium, &c.) prohibeantur, quia malæ: an verò ſint malæ, quia prohibitæ?

DXLIX. An hæc quæſtio ad reglmẽ morum ſpectet?

ANte reſponſionem ſuppono, ex hac quæſtione, qualitercumque decidatur, non alterari humanos mores: omnes enim ſententiæ et titulus ipſe quæſtionis ſupponit, homicidia, formicationes, furta, et mendacia mala eſse, et ſine peccato perpetrari non poſſe. Non ergo templum et ſuggeſtum aut confeſſionale concernit quæſtio hæc, ſed ſcholam et cathedram: non enim quærit, *Vtrùm Decalogus homines obliget?* ſed, *Cur obliget?* vt huius malitiæ origo et fons, clariùs et meliùs illa cognoſcatur.

DL. An ſimus in quæſtione de nomine.

In hac controuerſiâ difficili reperio aliquos, dicentes eſse logomachiam, et quæſtionem de nomine. Et ſanè talis erit, niſi iuxta fundamenta præmiſſa ſingulas formalitates diſpiciamus. Pronuncio igitur: niſi vocibus abuti velimus, non eſse quæſtionem nominalem, quam tracto: ſed eſse quæ ingenioſo Lectore indigeat; nec enim videtur

apta

DLI. Opinio, quæ theologicâ malitiam ante prohibitionem cognoscit, An sit D. Thomæ?

apta, vt à quolibet intelligamus.

His præmissis ad Authores subuenio, & omnes illorum opiniones ad tres classes reduco.

Prima sententia.

MVlti sunt, & doctissimi, non solùm actiones, quæ violant primam Tabulam; sed & illas quæ violant secundam (puta, homicidium, fornicationem, furtum, mendacium) *esse malas ante omnem prohibitionem diuinam: & hanc ob rem illas, eo casu (possibili aut impossibili) quo Deus nullam interdixisse, fore malas Theologicè, adeoque theologica peccata.* Hanc hodie plurimi Thomistæ defendunt, eamque adscribunt D. Thomæ, quem sequi se existimant.

Contraria opinio.

Secunda sententia.

OCulatiores alii sunt; & affirmant, *nullam actionem esse malam theologice nullam esse peccatum theologicum ante prohibitionem diuinam, easque omnes & singulas eo casu, quo nullam Deus interdixisset, nec fore theologicè malas, nec theologicè peccaminosas.* Addit tamen, *hunc casum esse impossibilem, nam Deus illas lege sua præceptiua necessariò interdicit.* Hæc est mens vera & legitima Doctoris Angelici, quem frustrà aliqui reducere ad primam sententiam conantur. Alibi hanc eandem controuersiam resumo; at hodie non obstante breuitate, quam tempus & occasio postulant, has è multis subscribo.

An Deus Decalogum tulerit necessariò.

Vera sententia D. Thomæ.

DLII. Omnia peccata sunt contra legẽ Mortalis & Venialis distinctio.

An dentur actus indifferentes

Parte secundâ quæst 88. art 1. agit de mortali et veniali, et ait *illud esse contra legem, & hoc præter legem.* Non approbo venialis peccati conceptum; mihi enim peccatum mortale est actus oppositus legi in materia graui, et veniale est actus oppositus legi in materiâ leui: ille autem actus, qui est præter legem, est indifferens. At iubeo bene considerari, quid S Doctor intelligat nomine peccati mortalis: si enim hoc est actus qui contra legem, si non esset lex, non esset contra legem, adeoque nec peccatum mortale.

DLIII. Quid sit peccatum Theologicum?

In quartum dist. 7. quæst. 3. art. 2. quæstiunculâ 3 in corp dixerat, *Omnis actualis culpa ex hoc contingit quòd voluntas nostra legi Dei non cedit, vel eam transgrediendo, vel omittendo, vel contra eam agendo.*

An omne sit inobedientia?

Quæstione etiam 23. de veritate. art. 7. hæc habet: *Ex hoc vnaqueque voluntas bona est, quòd Diuinæ bonæ voluntati conformatur; quòd volumus, id quod Deus vult nos velle.* et ad secundum loquendo consequenter, malitiam omnem voluntatis humanæ ad inobedientiam reducit.

DLIV. An in primo instanti vsus rationis debeat homo diligere Deum.

Tenetur homo, ait D Thomas, in primo instanti vsus rationis se conuertere ad Deum. Sed cur? vnde nascitur hæc obligatio? *A præcepto*, ait primâ secundæ, quæst. 89. artic. 6. Ergo ipsa etiam prima Tabula obligat homines ob præceptum Diuinum. Non teneo sententiam quoad obligationis tempus; sed eam adduco, vt videat Lector, ad amandum Deum sub peccato mortali in viâ D. Thomæ homines ex præcepto teneri.

De fine vltimo.

An primum in quocũque genere sit mensura reliquorũ?

Primâ secundæ quæst 19. art 9. in corpore sic inquit. *Bonitas voluntatis dependet ex intentione finis: finis autem vltimus voluntatis humanæ est summum bonum, quod est Deus vt supradictum est. Requiritur ergo ad bonitatem humanæ volũtatis quòd ordinetur ad summum bonum: hoc autem bonum primò quidem & per se comparatur ad voluntatem Diuinam vt obiectum proprium eius: illud autem, quod est primũ in quolibet genere, est mensura & ratio omnium, quæ sunt illius generis: vnumquodque autem rectum & bonum est in quantum attingit ad propriam mensuram.* Ergo *ad hoc quod voluntas hominis sit bona, requiritur, quòd conformetur voluntati Diuinæ.* Ergo malitia est differmitas & inobedientia: tunc enim contingit, quando homo non se vult conformare Summi Legislatoris voluntati.

Quid sit bonitas?

Tertia sententia:

DLV. De malitia theologica humanorũ actuum.

COincidit cum secundâ quoad priorem partem, differt quoad posteriorem. Pronuciat, *nullum actum humanum esse malum theologicum ante interdictionem Diuinam: quamobrem, si Deus nec homicidia, nec fornicationes, nec furta, nec mendacia interdixisset, hæc non fore theologica peccata.* & hucusque cum Angelico Doctore, & authoribus secundæ sententiæ: addit tamẽ *legem naturalem Deum tulisse liberè, & potuisse non ferre: in illa posse hodie dispensare, & aliquando dispensationem concessisse.* Sanè, si hoc secundum etiam admittat D. Thomas, non debet citari pro primâ, non pro secunda, sed pro tertiâ sententia. Et quidẽ fortis est locus, quem Lorca 1. 2. tract. de legibus disp. 9 membr 2. desumit ex quæst. 100. art. 8. vbi dicit, *Ideò Deum in præceptis Decalogi dispensari non posse, quia fidelis est, & nõ potest se ipsum negare.* Ergo teste D Thomâ ad non dispensandum Deus iure promissionis et fidelitatis tenetur. Sed quidquid de mente S Thomæ sit, hæc est sententia Bernardi doctoris Thaumaturgi et

An, Decalogum seu legem naturalem moralem theologicam liberè tulerit Deus? Aliquid de mente D. Thomæ,

mel-

melliflui; quam vt eius Ciſtertienſes defendunt,& Viennenſis Vniuerſitas authoritate ſua & approbatione firmauit. Dum hæc ſcribo,habeo ob oculos Libellum verè aureum,cui titulus, *ASSERTIONES THEOLOGICAE, methodo Doctoris Angelici, verbis & ſenſu Doctoris Melliflui Theodidacti BERNARDI, exſcriptæ & publicè pro ſuprema Laurea diſputationi expoſitæ, authoritate & conſenſu Reuerendiſſ.adm.RR.Nobill Magniff.Clariſſ Doctorum. Spectabilis D. Decani, totiuſque inclytæ Facultatis Theologicæ à R P. ALBERICO BVRGHOFF, S. Ordinis Ciſtertienſis in Campo-liliorum Priore: Præſide* R. P. HERMANNO HORST *Societatis Ieſu, Doctore Theologo,& nuper Profeſſore Ordinario:menſe Iulio,anno* M.DC.XLIX. Ergo hæc doctrina,quam adduco,teſte eximio D. Alberico Burghoff, & Facultate Theologicâ Vniuerſitatis Viennenſis eſt verè probabilis; Videamus ergo quid melleus Doctor dicat aut neget. Capite LXI. quod de legibus eſt,has lineas lego. [*Deſcribitur lex,mẽſura vel regula ſecundùm quam aliquis inducitur ad agendum aut omittendum: conſiſtit primariò in actu voluntatis,Eius differẽtiæ ſunt AEterna, Diuina, Naturalis, Humana. Lex æterna Diuina, eſt liberum Dei decretum circa gubernandas creaturas, includitur in attributo Diuinæ prouidentiæ. Hac* lege Deus vniuerſæ creaturæ ſpeciem exiſtentiæ præſtat in proprio genere, in vſu efficaciam, conſequentiam in ordine, vt & in ſe ipſa pulchra ſit, et in vniuerſitate ſuperuacua non ſit, et cum reliqua inconſequens et repugnans non ſit. Siuè enim res naturæ agatur motu, ſiuè libero arbitrij nutu,ſiuè diuinæ inſtinctu gratiæ,ſiuè ſingulis his rationibus, ſiuè coniunctis res agatur, quælibet à diuin â intus inuiſibiliter operante efficaciâ et motum accipit et modum (verba ſunt Gilberti Diſcipuli S. Bernardi *Serm.4 in Cantic.*) *Lege æterna phyſica diriguntur naturalia, moralia, libera. Lex naturalis moralis* (*agit de Theologica*) *eſt pars entitatiua æternæ legis, quatenùs diuina volitio extrinſecùs ratione termini connotati diuiſibilis eſt. Dicitur decretum Dei liberum indicens amorem Dei & proximi; ad quod cognoſcendum data eſt creaturæ intellectuali ratio. Diſtinguitur à iure Gentium, quòd lex naturalis reſpiciat homines ſeorſim,hac politica aliqua ſocietate coniunctos. Lex humana ſtatuitur per participatam à Deo authoritatem; & hinc eſt,quòd* ſiuè *Deus*,ſiuè homo Dei Vicarius (verba ſunt D. Bernardi *de præcepto & diſpenſat. cap.9*) mandatum quodcumque tradiderit pari profectò proſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen contraria Deo non præcipit homo.] Hæc Albericus: & quidem doctiſſimè ſcripſit, et fœliciſſimè defendit. Diſputationi interfui, et multa paucis horis audiui; quę non poterunt dignè laudari multis annis.

An verè Facultas Theologica Vniuerſitatis Viennenſis Theſes legat & approbet, videbis num. 1310. ſub finem.

DLVI. Quid ſit lex? in quo conſiſtat?

Quotuplex ſit?

Quid ſit lex æterna ex ſententia Gilberti.

Qua lege gubernantur naturalia,qua moralia?

Lex moralis; alia Philoſophica & alia Theologica: vnde & peccatum in Philoſophicũ & Theologicum bene diuiditur.

Quid ſit Ius gentium?

An & cur obligent leges Humanæ?

Albericus laudatur.

QVi docent, legem naturalem ſeu Decalogum eſſe actum Dei liberum, (nam multi contrarium propugnant) non tamen eodem modo rationem et cauſam huius aſſerendæ libertatis exponunt. DLVII.

ALII DICVNT, ideò Deum liberè tuliſſe legem naturalem moralem (ſeu Decalogum) quia liberè condidit homines; non enim illam tuliſſet, niſi homines condidiſſet (quibus enim homicidia, fornicationes, furta,et mendaciũ interdiceret,niſi homines eſſent?) addunt tamen ex hypotheſi, quòd homines condere voluerit, debuiſſe illis legem humano ingenio conuenientẽ imponere. Conſultò *conuenientem* dixi. *Si* enim, ſeruatâ naturæ humanæ eſſentiâ, accidentia dediſſet alia Deus, non eſſent neceſſaria aliqua Decalogi præcepta: ſi enim homines eſſent immortales, non eſſet neceſſarium quintum. Si omnes carerent tactu, et generatiuâ virtute,nõ eſſet neceſſarium ſextum; ſi omnia eſſent communia,non eſſet neceſſarium ſeptimum: et tandem,ſi paterent ſecreta cordium,non eſſet neceſſariũ octauũ. Poſſent in talibus caſibus, ſi non effectu, affectu et malo deſiderio peccare, ſed hęc peccata poſſent ad nouum et decimum Decalogi præceptum reduci.

An potuerit Deus alios homines à nobis diuerſos creare? An illi tenerentur obſeruare Decalogum?

ALII EXISTIMANT, legem nõ obligare eum,qui eam inuincibiliter ignorat, adeoq; reſpectu illius verè legem non eſſe: cùmque Deus non teneatur legem ſuam omnibus manifeſtare; multi enim vel totam vel aliquos illius articulos inſuperabiliter & inculpabiliter ignorant, ergo horum reſpectu non ſunt lata legis naturalis (Decalogi) præcepta Theologica. Hanc viam videtur ingreſſus R.P. Sforcia Pallauicinus S.I. ingenij fortiſſimi et eruditiſſimi Vir, quem libenter legebam in Germania, et nunc *Romę* vno aut altero verbo grauiſſimas quęſtiones reſoluentem et dilucidantem admiror,tractatu de actibus humanis diſp. 9. per totam, Articulo III. has habet Concluſiones [num. 4.] *Obiectum, quod repreſentatur à regula rationis dictante aliquid eſſe honeſtum vel inhoneſtum, eſt hoc*: Si ego elegero hîc et nunc tale obiectum, hęc electio reddet me turpem vel pulchrum; et aptum vel ineptum in ordine ad meum finem [num. 6.] *Hæc vtilitas vel damnoſitas eſt neceſſariò connexa cum cognitione de præcepto, vel conſilio, vel obligatione* [num. 11.] *Res quæ ſignificatur per talem legem eſt*, [N.B.] Volo, quod quicumque nouerit oppoſitionem, quam facio nunc, nõ poſſit velle tale obiectum, niſi per volitionem illicitam, *&c.*

DLVIII. An Decalogus reſpectu ignorãtium ſit latus?

ALII tantam Deo libertatem in rebus moralibus concedunt, vt ſi fuerint dicere, poſſe illum actum charitatis interdicere, et

DLIX. An poſſit Deus, aut interdicere actũ charitatis: aut odiũ Dei iubere?

& odium Dei iubere. Hæc eſt aliquorum veterum Nominalium, quos improbabiliter loqui docet P Sforcia Pallauicinus de actib. humanis diſp. 9. art 2. num. 2. Inquit enim. *Suppono falſam eſſe ſententiam quorumdam Nominalium, qui omnia referunt in liberum arbitrium Dei: ita vt æquè potuerit Deus præcipere odium Dei, & prohibere charitatem; & ſic facere, vt odium Dei eſſet bonum, & charitas mala.* Interim ſententiam hanc duram & abſonam vidi nonnunquam propugnari. Et præcipuè Poſſonij in Hungariâ anno 1655 mẽſ. Aprili, quo videlicet tempore Auguſtiſſimus noſter Imperator Ferdinandus III. Regni generalia comitia celebrabat. Interfuit diſputationi Strigonienſis Archiepiſcopus, regni primas: octo aut plures Epiſcopi: Palatinus; Hiſpaniæ & Venetiarum Oratores; multi alij Principes, & ibi audiuimus *odium Dei poſſe præcipi à Deo*, nimirùm à Patribus Franciſcanis, qui in ſuo monaſterio hanc diſputationem habebant. Oppugnauit eos Archiepiſcopus (eſt enim Vir doctiſſimus & eruditiſſimus) oppugnaui et ego: licèt enim cum S. Bernardo & alijs in ſecundâ Tabulâ exiſtimem, poſſe Deum diſpenſare contrariè *tibi, vt ſe odio habeas, aut in ſe blaſphemias, aut periuria euomas, poſſe Deum præcipere*, cum eodem S Bernardo & Patribus antiquis nego.

DLX. An inter primam & ſecundam tabulam ſit diſtinguendum?

ALII limirant poteſtatem diuinam ad ſecundam tabulam, in quâ diſpenſare illum nunc poſſe docẽt, & olim non poſuiſſe præcepta. Sed ipſi inter ſe variant, & hallucinari videntur.

DLXI. An inter lationem & diſpenſationem diſtinguendum ſit?

ALII tandem inter lationem et diſpenſationem diſtinguunt: docent enim Deum quidem non potuiſſe non ferre legem naturalem ſeu Docalogum: at poſſe in ſemel lato diſpenſare. Et hîc ego vmbras & difficultates reperio. Nam, ſi æternitatis bene cognoſcamus ingenium, & ſupponamus in vno indiuiſibili *nunc* non dari prioris, & poſterioris ſucceſſionem, idem erit realiter loquendo Deum reſpectu Oſeæ in tali caſu diſpenſaſſe, ac reſpectu Oſeæ et talis casûs legem nunquam tuliſſe. Sed hoc vberiùs alibi dilucido et expendo. Sit igitur

In vno indiuiſibili inſtãti non dantur realiter prius & poſterius.

Noſtra ſententia.

DLXII. Prima Concluſio. An diſpenſare poſſit Deus in Decalogo reali intentionali, & philoſophicè morali?

NOn tulit Deus Legem realem æternam Philoſophicam: non legem intentionalem æternam Philoſophicam: non Legem moralem Philoſophicam: adeoque in illis non poteſt diſpenſare. Patet, quia in ipſis reperiuntur neceſſitates eſsentiales & ex naturâ rei. Quod ſi in aliquo exemplo hanc abeſſe neceſsitatem eſsentialem contigerit, non inde debet huic doctrinæ detrahi, ſed debet illud auferri, & aliud opportunum ſubſtitui.

Hinc duo collige; alterum bene Scotum inter legem æternam primariam & ſecundariam diſtinguere, & aſſerere in illâ Deum diſpenſare non poſſe, in iſtâ poſſe: alterum ſecundariam eſſe liberam, & primariam neceſsariam, & hanc vocari *legem* eo ſenſu, quo dicimus lege Geometrica requiri, vt Triangulus habeat tres lineas, & tres angulos æquales duobus rectis. Si hoc eſſe *legem* dicas, ſi hoc *ſtrictam legem*, & non potiùs *naturam* & *eſſentiam rei*, de vocibus non diſputabo. Sanè ad primariam æternam hanc legem aut nullus actus Diuinæ voluntatis requiritur, aut, ſi vllus requiritur, neceſsarius erit & non liber: ſed quia ego actus Dei neceſsarios reſpectu creaturarum non libenter admitto, hîc actũ voluntatis Diuinæ non libenter requiram.

DLXIII. Secunda Concluſio. De Decalogo theologicè ſumpto: ſeu de lege morali theologica.

Lex æterna libera non reſpicit rerum eſſentias, quæ immutari non poſſunt, ſed regimen. Reſpectu creaturarum non intellectualium non reſpicit mores: at reſpectu intellectualium dicitur lex æterna naturalis, moralis, à Deo liberè lata; illa nimirùm lex, qua homines obligat, & poteſt ſingulos non obligare, nempe in articulis ſecundæ tabulæ: poſſe enim præcipere quæ in prima interdicuntur, creaturus non ſum. Eſt verè lex quia præceptiua. Eſt æterna, quia lata ab æterno, Meritò vocatur *naturalis*, quia nobiſcum nata. Et meritò dicitur *libera*, quia potuit non ferri, et poteſt etiam abrogari. Hæc ſolet vocari *Lex naturalis ſecundaria*, vt à Reali, intentionali, et morali Philoſophicâ diſtinguatur; quæ poterunt *primariæ* dici, quòd ſunt à rei naturâ latæ & omne decretum præcedant.

Cur lex æterna dicatur naturalis

DLXIV. Vnde deriuetur vox naturalis & quid ipſa ſignificet?

Obiicis, me nomen *Naturalis*; iam à natura, iam a natiuitate deducere, vocareque *legem naturalem*, tam liberam quam neceſſariam: hanc, quòd ſit ex naturâ rei: illam, quòd à natiuitate; & æquiuocationem condemnas. *At ego* volo voces ſumere in communi acceptione; & quia video Ianſenianos temerè errare ob ignorantiam ſignificationis huius vocis, cùm ex eo, quod legant in aliquibus antiquis Patribus, Adamo fuiſſe gratiam naturalem, illi aut non ſupernaturalem, aut debitam intelligunt; cùm à natiuitate (hoc eſt à creatione) infuſam inferre deberent: dabo Doctorem Angelicum qui 3. *part. quæſt* 2. *art* 12. inquirit, *Vtrùm gratia vnionis fuerit homini Chriſto naturalis?* & ſententiam ſuam ad terminos iſtos reducit. *Reſpondeo dicendum, quòd ſecundùm Philoſophum* 5. *Met. text* 5 *tom* 3 *NATVRA, vno modo dicitur ipſa natiuitas, alio modo eſſentia rei. Vnde NATVRALE poteſt aliquid dici dupliciter: vno modo quod eſt tantùm ex principiis eſſentialibus: ſicut igni naturale eſt ſurſum ferri: alio modo dicitur homini naturale, quod ab ipſa natiuita-*

Quo ſenſu accipiendæ ſint voces?

Ianſenii error.

An gratia Adami fuerit naturalis?

An Chriſti gratia fuerit naturalis?

Voces natura, & naturale ſunt æquiuocæ.

N.B. An ignis natura ſua ſurſũ tendat? Doctrina placet, at i-

ſtud exemplum non placet.

tate habet ſecundùm illud eph.2 Eramus natura filii iræ. & ſap.22. Nequam eſt ratio eorum, & naturalis malitia eorum. Eccè Angelicus Doctor, quid voces ſignificent nos docet: ſed quia ita tradimus Teologica, vt Philoſophica, non negligamus, notandum eſt, illud ignis exemplum tolli poſſe, & aliud conuenientius ſubſtitui. Et cur? Quia omnia corpora ſunt grauia; & quæ minùs grauia, impulſa à grauioribus ſurſum tendunt per accidens; non igitur naturâ ſuâ, ſed violentiâ alienâ. Sic aqua lapidibus deſcendentibus adſcendit: ſic aër adſcendit per aquam: ignis per aërem. Accedit quòd S. Thomas videatur ignem elementarem reſpicere, qui à doctiſſimis viris negatur. Literam igitur Angelici Doctoris reſcribamus ſic: *Vno modo, quod eſt tantùm ex principijs eſſentialibus rei, ſicut homini eſſe animal rationale aut eſſe riſibile*: rationalitas enim in natuta ſeu eſſentiâ imbibitur, & tam eſt homini naturalis & eſſentialis, vt ne quidem diuinitùs eâ carere poſſit, & riſibilitas ita emanat à naturâ & eſſentiâ vt naturaliter ſeparari non poſſit, licèt in Reali S. Thomæ ſchola miraculosè ſeu diuinitùs poſſit. Et hinc iterum oritur duplex acceptio vocum *Natura*, & *Naturalis*.

An duo elementa (terra & aqua) ſint grauia: & alia duo (aër et ignis) ſint leuia? an omnia potiùs elementa ſint grauia? an detur ſphœra ignis ſupra aerem?

An proprietates poſſint ſeparari ab eſſentia?

DLXV. Tertia Concluſio.

Quid ſit peccatum mortale et veniale?

Omne peccatum Theologicum eſt inobedientia: vbi inobedientia non reperitur, non datur mortale peccatum (imò nec veniale, nam culpa leuis eſt inobedientia cum ſemipleno aſſenſu, aut in materia leui) Conſtat ex ſupradictis. Hinc patet, ſi Deus non tuliſſet primam legem Decalogi, et tamen eum odio haberet Petrus, hunc actum odij etiam in illo caſu fore malum: nempè realiter; ſe enim opponeret inclinationi reali voluntatis, quæ realiter ſubordinatur Deo: fore malum intentionaliter; ſe enim Deo opponeret tanquam obiecto: fore actum indecentem, adeoque malum moraliter philoſophicè: eſſet enim ingratitudo ſumma illum odiſſe, à quo Petrus producitur & conſeruatur: at ille actus odii in tali caſu non eſset inobedientia, adeoque nec peccatum Theologicum. An-ne poſſet puniri à Deo Petrus in tali caſu? cur non poſſet? nimirùm vt ingratus & hoſtis, non autem vt legirupio & inobediens.

Quale ſit odium Dei ab interdictione præciſũ?

Omne peccatũ Theologicum inobedientia eſt.

De mente Scoti.

DLXVI. TRes iſtæ Concluſiones Scoto & Scholæ Patrum Franciſcanorum correſpondent, qui inter legem naturalem primariam et ſecundariam ſubtili aduertentiâ diſtinguunt. Vide Theologiam meam Moralem Louanii editam: quoniam libr.2. cap.3. diſp 6. num. 1160. rem à ratione expedio ad diſp.7. & n. 1196. & poſtea diſp.8. num. 1216. D. Bernardi & Scoti opiniones diluci-do. Concluſio Doctoris ſubtilis hæc eſt: *Deus in iure naturæ primario (hoc eſt in lege reali, intentionali, aut morali philoſophica) diſpenſare non poteſt: in iure autem naturæ ſecundario (hoc eſt in omnibus Theologicis præceptis Decalogi) diſpenſare contraditorie poteſt: & in aliquibus etiam contrariè. Imò etiam in aliquibus ſecundæ Tabulæ olim diſpenſauit de facto.* Ita ille *in 3. diſt. 37. queſt.1. §. Hic dicitur, & ſeqq.* OKamus *in.2. queſt.19 ad.3 dub.* Petrus de Aliaco *in 1. diſt.14.* Andreas de Caſtro nouo *in 1. diſt.48. quæſt.1. art.1* Gerſon *Alphab.61 littera E. & F.* Gabriel *in.3. diſt.37. quæſt.1 art.2.* Almainus 3. *Moral cap.15.* Hanc ſententiam reponunt Syntheſes morales, *Cap. de legibus*, quas habes inferiùs Fundament.44. quas probabiles eſſe iudicarunt, & ſuâ ſubſcriptione honorarunt ſexdecim illuſtriſſimi Theologi, quos habes ibidem ſub finem.

DLXVII. Addere placet iſtas lineas. Ego enim *in Theol. Moralis libr.2.cap.3.diſput.6.nu. 1187.* ſic aio [In Comitijs Prouincialibus Patrum Franciſcanorum, quibus Louanij anno 1643. præfuit Reuerendiſſimus D. Marchantius, Vir multis titulis illuſtris, non niſi pura doctrina Scoti defenſa die 13. Iulij. Præſide P. Simone Iordens, (tum Prouinciale electo) erat Theſis XX *Naturalis (lex) non eſt ipſa Natura, ſed actus diuinæ voluntatis, quo per impoſſibile ſublato nullum reſtat peccatum contrà legem Naturæ. Aliqua (naturę lex) complectitur materiam abſolutè neceſſariam, aut contrariam creaturæ rationali, alia non item, hæc à DEO ſolo, à nullo illa diſpenſabilis.* At ſequenti die, Præſide Patre Antonio ab Oudenhouen, fuit Theſis IV. *Ex præceptis Decalogi duo priora primæ tabulę, ſi intelligantur eſſe tantùm negatiua (* hoc eſt nullum actum præcipientia, ſed ſolum odium DEI, blaſphemias, & periuria vetantia) *ſunt legis naturalis ſtrictè. De tertio præcepto videlicet ſantificatione Sabbati, quatenùs poſitiuum DEI cultum præcipit, dubitat Scotus & nos cum illo. Cętera excepto illo, quod vetat mendacium, ſunt tantùm legis naturalis largè, adeoque in rigore iuris poſitiui. In his DEVS diſpenſare poteſt, non verò in illis. In nullis Pontifex aut alius purus homo.* Et Theſis VI. *Etſi verò implicet hominem cum vſu liberi arbitrij creari, quin etiam præfixam ſibi habeat legem naturalem, ſi tamen per impoſsibile DEVS non præcipiſset ea, quæ ſunt legis naturalis, nullum committeretur peccatum in materia talis legis, licèt ſciret quis ſe agere contrà naturalem honeſtatem.* Volui citare has Theſes, vt Lectores cognoſcant, quas ſententias Schola Louanienſis admittat, & tota ſubtilis profiteatur: non enim videtur cre-

Lex naturalis quid? peccatum quid? Materia diſpenſabilis & indiſpenſabilis.

An in mendacio poſſit Deus diſpenſare?

An condi poſsit homo exlex?

NB.

dibile, in prouincialibus tanti Ordinis Comitijs, Marchantio Viro doctissimo, & Scoticæ doctrinæ defensore acerrimo Antistite, totius Belgij Patribus præsentibus, doctrinam contrà Scotum, sub nomine Scoti, potuisse sine contradictione defendi: nec videtur credibile, hanc eandem doctrinam esse malam, & tamen Louanij defensam. Omnes fuimus, omnes Doctores inuitati, omnes etiam Licentiati, Baccalaurei, &c. Adfuit Rector Magnificus, Vir Theologus & bene doctus; adfuimus multi Doctores; interfuit vulgus Academicum numerosissimum: & in tanto hominum doctorum & non doctorum numero nemo fuit, qui contrà positam Conclusionem obloqueretur vel mussaret. Ego fui primus, qui argumentari iussus; & quia sub illud tempus mea Theologia Moralis imprimebatur, hanc eandem Thesim impugnaui. Responderunt doctissimè & solidissimè; discessi doctior & in hâc Scoti opinione fundatior: quæ omnia frustra dici videbuntur Theologis, qui istarum Controuersiarum periti; at quia doctis indoctisque debitor sum, hæc volui vberiùs recensere.

An D. Antoninus Diana, & post eum D. Ioannes Angelus Bossius doctrinam præcedentem condemnent?

DLXVIII. An Dianæ & Bonij sint curandæ censuræ?

INter alios, quibus Scoti doctrina, quam hucusque defendimus, displicet, præcipui sunt Bossius & Diana. Rogant enim (iste part. 9. tract. 8. Resol. 59. & iste tom. 3. titul. 12.) *An fornicatio sit intrinsecè mala, an tantùm sit mala, quia prohibita? hoc est, An illa, si non esset à Deo prohibita, non esset mala?* Respondi *in Theologiæ Moralis lib. 3. num.* 1600. non esse malam præscindendo à Diuino præcepto, & in hoc toti Scholæ Scotistarum receptissimæ & commendatissimæ consonui. Addidi, fornicationem eo casu (possibili aut non possibili) quo non esset diuinitùs interdicta, nempè quo non esset mala; si aliàs esset vnicum medium necessarium ad vitam conseruandam, fore bonam et obligatoriam sub peccato mortali: eo nimirùm modo, rigore, et sensu, quo alia vitæ conseruandæ remedia, si quandò dicuntur præcisè necessaria. Quod ipsum non tam probari quàm demonstrari existimo. [Quoniam quinti præcepti Decalogi virtute tenetur homo ponere media præcisè necessaria ad conseruandam vitam, nempè media, quæ aliàs poni sine peccato possent; at in tali casu fornicatio esset medium præcisè necessarium ad salutem, & tamen poni sine peccato posset: Ergo & debere.] Et eodem modo de pollutione; eodem de cæteris peccatis omnibus Philosophabor.

An fornicatio possit esse bona?

An dentur remedia necessaria ad conseruandam vitam? N.B.

DLXIX. Mirabilis Dianæ censura.

Legit hanc receptissimam & communissimam doctrinam Diana, & resolutione citatâ §. *Sed hic*, excandescit & ait; [Hic fuit error Martini de Magistris, contrà quem insurrexit tota Schola Theologorum, & ideò aduersus sententiam Caramuelis. Vide VViguers *de iust. tract. de Temperantia, cap. 3. dub. 6. numer.* 33. Layman. *Libr. 3. sect. 4. num.* 28. Facundez. *in Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 1. num.* 8 Dicastillum *de Iust. lib. 1. disp 3. dub. 16. num.* 239. Azorium *tomo 3. lib. 3. cap. 4. quæst. 1.* Lessium *lib. 4. cap. 3. dub. 7. num.* 50. Syluium *vbi infra (nempè in 2. 2. D. Thomæ quæst. 154. art. 2.)* & alios communiter.] His sic positis, affirmat Diana quatuor. *Primò* enim dicit (nimirùm contrà Caramuelem) fornicationem esse intrinsecè malam, & ideò non solùm prohibitam iure positiuo, ac Diuino, sed etiam iure naturali. *Secundò*, notat etiam ex superiùs dictis contrà Caramuelem, fornicationem esse per se malam, neque vllo vnquam casu posse esse licitam; cùm careat conuenienti modo, & ordine, quem natura ad educationem & promotionem prolis instituit ac requirit; Quapropter etsi mors cuipiam intentaretur, nisi ad mulierem non suam accederet, non licere ei accedere; vti nec si accedendo posset, quantumcunque bonum procurare toti Patriæ, quia sunt facienda mala, vt eueniant bona. *Tertiò* addit idem, quod dictum est de fornicatione, dicendum etiam esse de pollutione contra eundem Caramuelem, *loco citato num.* 1603. asserentem, quòd si Deus mollitiem non interdixisset, nunquam esset mala, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub peccato mortali. *Quartò*, ad fulmina & minas recurrit, & ait [*Hanc opinionem, quam priùs errorem Martini de Magistris dixerat, & contrà quam totam Scholam insurrexisse addiderat, respuendam esse, sicut de fornicatione dixerat; & se scire, Viros doctos has opiniones Censura Theologica inurendas esse existimare.*] Sed quid Caramuel contrà? Eleuabit ad Deum, et cœlum oculos, et inclamabit, *Tantæne Animis Cœlestibus iræ?* Voletque examinari. *Quis, Quid*, et *Contrà quem* pientissimus Diana obloquatur? Porrò loquitur Diana ille meus; Vir doctissimus, et moderatissimus, qui à censurandis aliorum opinionibus abstinet; qui tantùm censurâ digna inurere solet immoderatas Iuniorum aliquorum Censuras. Et contrà quem hæc omnia? Contra Caramuelem, Discipulum, Amicũ, Defensorem; à quo non semel fuit contra Censores ignorantes protectus; à quo fuit in Scholis excellentissimis prælectus, et dilucidatus; cui amicitiæ fœdere fidelissimè et arctissimè est iunctus, et vt in litteris suis loquitur, *vsq; ad effusionem totius sanguinis*, pro quo vicissim

Quàm omnia hæc lepida! ergo non vult Diana Caramuelem nec Scotistas intelligere.

Quod iterũ dicit Caramuel.

Diana qualis?

Caramuel qualis?

vitam,

vitam, ſi ſuccurrat occaſio, expendet libenter Caramuel. Sed dicet *Amicus ille, ſed magis amica Veritas*. Quæ autem veritas? Hîc vigilantiſſimus Vir, dormitat; oculatiſſimus cæcutit; amiciſſimus, ſui ipſius obliuiſcitur; & doctiſsimus rem non vult ſapere; Quis enim negabit Viro tanto poſſe, ſi velit? At quis negabit amico tanto velle, ſi poſsit? quid ſcio. In Dianâ etiam nunc & in æternum meo, pietatem veneror, Ingenium veneror; & tamen me & totam Scoti Schólam mecum grauiſsimè vulneratam abeo video; & tamen ita illum amo, vt contrà nil opponere poſsim: Patere igitur Eximie Domine Magiſter mi, vt qui nolo dicere te ingenio aut voluntate deliquiſſe, dicam ſaltem te nimis feſtinum in illius Libri mei lectione properaſſe, & ideò me non bene audiuiſſe, ſi enim audiuiſſes exactè, tanto es ingenio & doctrinâ ſuffultus, vt etiam intelligeres bene. Patere igitur, vt intactâ perſonâ tuâ (ſum enim verus amicus tuus; amo me tibi; nec tanti mihi eſt perſona mea, vt eam velim defendere, cum damno Tuæ) verba Tua recognoſcam, dicamque aliqua referri vt mea, quæ mea ſunt; aliqua quæ fuſiſsimè impugno in Libro Morali, quem citas, & totum non legiſſe videris,

DLXX. De Scoti mente.

Aſſerebas Primò *fornicationem eſſe intrinſecè malam, hoc eſt præſcindendo ab omni prohibitione diuina*. Hanc aſſertionem tuam eſſe contra meam doctrinam fateor; At illam tuâ eſſe veram negat ſubtilis Doctor; negant Patres Franciſcani vniuerſi; negant omnes etiam Scotiſtæ, qui non ſunt Franciſcani; nego et ego. Quòd ſi nomine *malitiæ intrinſecæ* intelligas illam, quæ à violatione Decalogi, & nomine *malitiæ extrinſecæ*, quæ à violatione humanæ legis prouenit, dicam Fornicationem, Mollitiem, Homicidium, Furtum eſſe intrinſecè mala: hoc eſt, habere malitiam talem, in qua Iura humana diſpenſare non poſsint.

An peccata ſint intrinſecè mala?

Quid ſit natura?

Addebas *fornicationē, non ſolùm prohibitam iure poſitiuo ac diuino, ſed etiam Iure naturali*. Concedo illam inhibitam Iure naturæ. Sed quid nomine *Naturæ* intelligas, doceri volo. An-ne, Pater Eximie, in Tuo Lexico Natura eſt aliquid diſtinctum à Deo, leges Deo imponens, & homines vel Deo inuito gubernans? Ride, ride. Scio oppoſitæ doctrinæ aſſeclas, hæc non admittere; at video in conſequentiâ laborare, & ad tales anguſtias reduci, vt debeant ad hos venire, ne multas Chimæras concedant.

Deus eſt natura naturans.

Natura, à quâ Ius naturale nomen deſumit, Deus eſt; Natura naturans; Naturâ eminens, à quâ pendent eſſentialiter omnes naturæ. Ergo Ius naturale eſt ius Diuinum poſitiuum, quod vt diſtinguatur à ſacramẽtali, quod etiam Diuinum & poſitiuum eſt, *Naturale* vocatur, quaſi *Natiuitale*, ſumptâ Naturâ pro natiuitate; hoc enim Ius natum fuit cum hominibus, & Legem Moyſeos, Euangelium, & omnes leges poſitiuas, quas temporis ſucceſſu tulit Deus, anteceſsit. Hæc ego. At tu reponis contrà Ius Naturale Theologicum non eſſe *Ius* Diuinum à Deo latum. Sed hoc tibi negat Scotus, negant vniuerſi Scotiſtæ, quibus ego conſentio.

Naturale quaſi natiuitale.

An fornicatio ob bonũ publicum, aut priuatũ ſit licita?

Aſſerebas ſecundò, *Caramuelis ſententia ſi mors cuipiam intentaretur, niſi ad mulierem non ſuam accederet, licere ei accedere, vt vel ſic ſuæ ſaluti conſuleret. Item eiuſdem ſententia poſſe Virum ad non ſuam accedere ob bonum Patriæ procurandum*. Si hæc dicit, mirabiliter delirat Caramuel. Si hæc rationibus ſuadere conatur, ligari argumentator debet, rationes eius ſolui non debent. Quòd ſi ne ſomniando quidem has hæreſes (ſunt enim non errores Theologici ſolùm, ſed hæreſes) approbarit Caramuel, Deus bone, quanta illi iniuria fit, & à quanto illa amico! Dicit & docet Caramuel ſtãte hoc rerum ordine permanere Decalogum; & hoc ſtante, vt ſtat, fornicationem eſſe malam; neque vllo vnquam caſu poſſe eſſe licitam, cùm careat conuenienti modo et ordine; quem Natura (hæc eſt Deus; meo enim Deo nulla Natura dominatur) ad promotionem prolis inſtituit, & requirit; quâ propter etſi mors cuipiam intentaretur, niſi ad mulierem non ſuam accederet, mori omninò deberet, hominique contrà Deum præcipienti obedire non poſſet. Ita fecit *S*uſana, quæ cum aut moritura eſset, aut cognoſcenda à laſciuis Iudicibus; *Danielis c.13.* ingemuiſſe legitur et dixiſse: *Anguſtiæ ſunt mihi undique: ſi enim hoc egero, mors* (mortale peccatum) *mihi eſt; ſi autem non egero non effugiam manus veſtras. Sed melius mihi eſt abſque opere* (ſcelerato videlicet) *incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini*. Quid ſi totius Patriæ ſalus ab vnicâ fornicatione penderet? Permitti deberet perire, et committi fornicatio non poſset. Ecce *D*iana, Caramuel idem ſentit quod Tu, idem dicit quod Tu: hanc doctrinam putat eſse de Fide; contrarium ſentienti dicit anathemæ: et pro veritate, quam à fide didicit, ſanguinem vitamque liberrimè et conſtantiſſimè fundet, cum ſuccurrat occaſio. Quo ergo Iure hos articulos Chriſtianæ Fidei congeris contra Caramuelem? Non id Caramuel, Eximie Domine, quod ei adſcribis; ſed aliud toto cœlo diuerſum. Tenet cum Subtilium Schola Caramuel quòd ſi Deus in Decalogo diſpẽſaret, (ſit caſus poſsibilis aut impoſsibilis) quod in tali homo caſu non peccaret, occidendo, fornicando, furando, mentiendo, ſcandalizando. Tenet quòd ſi, firmato quinto, cætera ſecundæ Tabulæ præcepta Deus abrogaret, peccaret homo tunc occidendo, non tamen luxuriando, rapiendo, decipiendo, etc. additq;

Potiùs mori, quàm peccare.

Nota illud melius pro Morali Dialectica.

Caramuelis ſententia.

in tali caſu habiturum obligationem ponendi media, aliàs non peccaminoſa, quæ eſſent præcisè neceſſaria ad conſeruationem ſuæ vitæ; cùmque in tali in illo rerum ſtatu fornicatio non eſset peccaminoſa; ſi tamen iuxta artis Medicæ regulas diceretur præcisè neceſsaria ad ſalutem, eſset non ſolùm licita, ſed & obligatoria, eo videlicet modo, quo alia pharmaca vel medicinæ: ſæpe enim obligamur ponere remedia, quæ non ſunt peccaminoſa; ſi tamen dicuntur eſse ad ſalutis conſeruationem præcisè neceſsaria, nempè cùm talia dantur [nam, vt aliquid de re Medicâ dicam, à Chirurgis interdum media præcisè neceſsaria præſcribi exiſtimat Caramuel: dubitat tamen an inueniantur pharmaca, quæ verè neceſsaria dicantur. Sed de hoc alibi.] Hæc Caramuel. Hæc eſse certa dicunt cum Caramuele Scotiſtæ: hæc eſse probabilia omnes Thomiſtæ, & omnes, qui dant operam alijs ſcholis. Eſse improbabilia & cenſurâ Theologicâ digna *Diana* vnus, quem hallucinari potiùs credo, et aliquâ æquiuocatione aut præiudicio laborare, quàm velle *Scholæ* Scotiſtarum puriſſimæ, ſanctiſſimæ, doctiſſimæ iniuram tam magnâ inferre.

An Medicina præcisè neceſsaria ſit?

Cenſura Theologorum Pragenſium.

NOTA. *Tametſi dicta viderentur ſufficere, vt meus ſincerus Lector cognoſceret eße Scotiſtarum doctrinam communiſſimam, quam meus Diana condemnat, adhuc proprię tenuitati diffidens Pragenſes Scotiſtas conſulo, & eorundem Deciſionem ſubſcribo.*

REuerendiſſime et Eximie Domine Magiſter noſter. *Tres* ad nos Poſitiones videndas, examinandas, et cenſurandas mittis.

Malitia quid?

PRIMA eſt; *Probabilis eſt doctrina Scoti docentis, actiones, quę ſunt peccaminoſæ, eſſe malas peccaminosè, quia prohibitæ diuinitùs ſunt: nõ tamen ideò fuiſse diuinitùs prohibitas, quia præſcindẽdo ab omni prohibitione Diuina, vel vt alij loquuntur, ante omnẽ prohibitionem Diuiuam, adhuc illæ erant malę peccaminosè.*

Sublata lege non manent peccata.

SECVNDA. *Stando huic doctrinæ certum eſt; ſi vel* DEVS *ſecundam Decalogi tabulam non tuliſſet, vel latam totam abrogaſſet, & eandem materiam alia lege non prohibuiſſet, homicidia, fornicationes peccata contra naturam, furta, mendacia &c. non forę peccata.*

TERTIA. *Stando eidem doctrinæ certum eſt: ſi* DEVS *tolleret ſextum præceptum Decalogi tantùm (caſus ſit poſſibilis aut impoſſibilis) & relinqueret quintum, &c. Eum, qui laboraſſet abundantia ſeminis, ita vt vel deberet neceſsariò mori, vel illud decidere, teneri potiùs eligere deciſionem quamcunque, quàm mortem.*

Circa has propoſitiones duo inquiri poſſunt; alterum, *An ipſę re uera ſint Scoti & PP. Franciſcanorum Scholæ*; et alterum, *An ſint probabiles?*

Reſolutio prima.

Nos igitur vnanimi conſenſu reſpondemus ad primum: has tres propoſitiones eſſe Scoti; eſſe omnium melioris notæ Scotiſtarum, defendi in noſtris Scholis quotidie, caſque nos hîc & vbique terrarum docere. Quamobrem hanc aſſertionem: *Hæ tres propoſitiones non ſunt Scholæ Scotiſtarum*, eſſe improbabilem, et erroneam manifeſtè affirmamus.

Reſolutio ſecunda.

Dicimus ad ſecundum, nos nolle reſpondere, et orare V. Reuerendiſs. et Eximiam Dominationem, ne alios conſulat; inferret enim iniuriam Soli, qui rogaret, an luce careret? habet adagium: *Non eſt ſatis caſta, de qua quæritur*, & inquirere, An opiniones noſtræ Scholæ ſint probabiles, eſſet reducere in dubium rem certam, & petere, an habeant Scholam Scotiſtæ? Nemo enim ita amens fuit, vt vnius integræ Scholæ (puta Thomiſtæ, Scotiſtæ, &c.) ſententias improbabilitatis condemnaret: in omnium enim opinione vna Schola (imò multò minùs) ſufficit ad faciendam opinionem probabilem. Sic ſentimus; Sic etiam ſentire V. Reuerendiſſimam & Eximiam Dominationem credimus Scoti enim nonnullas opiniones reiecit, at nullam vnquam vocauit improbabilem: quin potiùs has ipſas, de quibus impræſentiarùm agimus, ſemper vidimus à V. Reuerendiſſimâ & Eximiâ Dominatione, imò etiam ab omnibus, qui politiori doctrinæ dant operam, vt probabiliores de endi. Pragæ in noſtro Collegio 15. Iunij 1650.

Opinio vnius Scholæ eſt probabilis.

Fr. Bernardinus Clanchus Guardianus & S. Theol Lector.

Fr Daniel Bruoder S. Theologiæ Lector.

Fr. Antonius Donnillus S. Theolog. Lector.

EGo idem ſentio, nec in primâ poſitione, quæ eſt baſis aliarum, aliquid cenſurâ dignum reperiet, qui attentè cõſiderat, actionẽ peccaminoſã ſeu peccatũ aliud eſſe Philoſophicum ſeu lege Philoſophicâ, aliud Theologicũ, ſeu lege *Diuinâ* poſitiuâ prohibitũ, quæ vltima peccaminoſitas ſeu malitia relictis alijs à Scoto Theologo conſiderata eſt, nec tamen ideò negauit vel negare potuit, peccatũ politicũ quâ tale, v.g. mendaciũ furtum vel homicidium eſſe politicâ prohibitione & punitione dignum, etiamſi *Deus* non eſſet, vel non eſſet vindex malorum.

Peccatum duplex: Philoſophicũ, Theologicumque.

Fr. Ludouicus Conneus SS Theologię Lector.

Sed cur tam multa in re tam clarâ? me coëgit *Diana*; qui has fortè ſubtilitates nimis feſtinus didicit iunior, & modò notâ inurit ſenior: vbi cenſurâ digna eſt ſola Dianæ

næ censura. Transeo ad alia; nam, vt plura dicam, me cogit veracitas & sinceritas, ne plura dicam, amicitia amorque: ergo vt vtrisque fiat satis, hæc paucula adnotasse sufficiat.

NOTA.

De Martini de Magistris errore.

An cessauerit iam obligatio obseruandi Decalogum?

HÎc breuiter obseruandum est fuisse aliquos, qui homicidia, fornicationes, furta, mendacia, &c. non esse interdicta Iure naturæ delirarunt, sed lege positiuâ Decalogi, quam putabant fuisse cœremonialem, & latam diuinitùs in monte Sinai: et consequenter, sicut omnes alias leges veteris testamenti cessasse. Hic error adtribui solet Martino de Magistris: qui tamen, quia subobscurè loquitur, non subiacet eidem censuræ Eius opinationem erroneam esse putat Azor *q. 3. libr. 3. cap. 4.* Diana *part. 5. tract. 9. resol. 59.* et Sayrus *lib. 6. cap. 2. num. 2.* et eandem vt audacem condemnat Fagundez *tom 2. libr. 6. p. 2. num. 8.* Et quidem R. D. Ioannes Angelus Bossius errorem hûc cum doctrinâ Doctoris subtilis (aut fortè etiam Angelici Doctoris) confundit *tom. 3. Titulo 12.* controuersiam, quæ inter Thomistas et Scotistas agitatur, non capiens. SANE' Martinus de Magistris, vel quicumque habet hanc opinationem *errat primò*, quia negat illa peccata esse philosophicè contra legem æternam naturalem realem: *errat secundò*, quia negat esse etiam philosophicè contra legem æternam naturalem moralem: *errat tertiò*, quia negat esse contra legem æternam naturalem moralem theologicam, seu contra præceptum diuinũ: *errat quartò*, quia Decalogum à lege æternâ distinguit: nam Decalogus (hoc est, decem illæ leges, quas seruamus) potest considerari realiter, intentionaliter, moraliter philosophicè, & moraliter theologicè: & inde etiam vocari *Decalogus Realis, Intentionalis, Moralis philosophicus*, & *Moralis theologicus*. Isti errores speculatiui sunt, et intra scholæ cancellos se continent; at *errant quartò*, et quidem pernitiosè et hæreticè, quotquot dicunt Decalogum fuisse latum in Monte Sinai, et anteà neminem obligasse: esse legem Diuinam cœremonialem; adeoque abrogatam lege gratiæ, nec amplius obligare fideles.

Et hæc breuiter monere volui, ne fortè aliquis sententias oppositas, et contrarias confundat.

Errores Martini de Magistris.

Decalogus non distinguitur à lege æterna.

Decalogus quadrupliciter potest considerari.

Hallucinatio Angeli Bossij.

FVNDAMENTVM XIII.

De authoritate, & iurisdictione Humana.

CCCXXVI. An obediendum sit & quibus?



BEdiendum est Deo: Obediendum est Præpositis Ecclesiasticis & sæcularibus. Singuli enim tenentur obedire suis, non quidem absolutè, sed intra terminos eorum authoritatis, videlicet Pontifici, Cardinalibus, Episcopis, &c. in Ecclesiasticis: Abbatibus, Præpositis, Guardianis, Rectoribus, &c. in Regularibus: Cæsari, Regibus, Principibus, Consulibus, &c. in sæcularibus. [in libertino hoc sæculo, in quo plerique si non dici, volunt saltem independentes esse, prima Lex pronuncianda est, *Leges seruantor*: quia si non seruantur, ad quid conducere poterunt Leges?]

Prima Lex.

CCCXXVII Cur debeamus obedire Præpositis?

STante hoc rerum ordine, facillimè quis ostendere potest, debere Filium Patri, Religiosum Prælato, Vasallum Principi, Seruum Domino, & Famulum Hero seruire: stat enim quartum Decalogi præceptum, quo nobis à Deo indicitur, vt superioribus nostris obediamus. Sed quid dicendum illi, qui Decalogi præcepta reijceret, & de Dei authoritate Legislatiuâ dubitaret? Quo deberet probari aut potiùs demonstrari modo,

do, Deum leges ferre, & hominibus præcepta imponere? Quid, si noui illi Hæretici, qui nati in Angliâ ante annos paucos, & *Independentes* dicuntur, ſicut hodie ab hominibus, cras velint à Deo non dependere? Quo illos ratiocinio compeſcere, quo conuincere & conuertere poſſes? Reſpondeo hanc quæſtionem merè ſpeculatiuam, nec neceſſariam ita nobis, vt ex illâ Chriſtiani mores dirigere poſſimus: ſupponimus enim Deum habere ſupremam & abſolutâ authoritatem in homines; nec enim Chriſtiani eſſe poſsemus iſtâ veritate negatâ. Et hanc ob rem non me morabitur hæc controuerſia, quam fusè tracto *in Theologiæ Moralis Lib. 1. per totum*, iuxta editionem Louanienſem.

Independentes qui? An obediẽdũ ſit Deo, & cur?

An clauſis oculis ſtandum Decretis Pontificum?

CVm obijciuntur contra veteres authorum Opiniones Pontificum iuniorum Decreta, adquieſcunt ſtatim Theologi; At interrogo: An Decretis Summorum Pontificum neceſsariò ſit adquieſcendum?

Quantum differant Catholici Pontificum Summorum Decreta?

Reſpondebis ex Dianâ *part. 3. tract. 2. reſol. 4.* alia Decreta eſse præceptiua, alia regulatiua, & conſultiua. Verba Dianæ ſunt hæc. *Nec obſtat huic ſententiæ Decretum Clementis VIII. quod affert Peregrinus pro ſua firmanda opinione: nam reſpondeo cum Molfeſio & Alphonſo de Leone, & alijs, Decretum illud non eſſe latum à Pontifice per modum præcepti irritantis confeſſionem aliter factam, ſed per modum regulæ & conſilij.* An non, ſi ſic incipiamus exponere Decreta Pontificum, pauciſſima præcepta remanebunt? Et ſi hoc decretum ſic exponitur, cur non & poterunt eodem omninò modo Pontificum vniuerſa Decreta? An-ne dialecticaretur malè, qui diceret, ſtante hâc Dianæ doctrinâ ne vnum quidem Pontificium Decretum fore Præceptiuum? Vellem videre diſparitatem, quam difficulter aſſignandam video.

CCCXXVII. Alia præcipiunt, alia regunt, alia conſulunt.

Sed quis illa diſcernet?

An clauſis oculis obediendum ſit Cardinalium præceptis?

DVplex eſt in Eminentiſſimorum Dominorum Congregatione Poteſtas; Definitiua, & Præceptiua. Quantæ ſint authoritatis eorum Deciſiones, iam vidimus Fundamento quinto. Quantæ ſint poteſtatis Leges, & Præcepta, quæ ab eiſdem emanant, videamus.

CCCXXIX. Cardinalium authoritas duplex.

Omnia, quæ de Cardinalium Legislatiuâ poteſtate diuerſis in locis habet Diana, Auſonius Noctinot *in Summa. verb. Cardinalis 23.* ad compendium, & hæc verba reducit: Declarationes Cardinalium, ait, ſecundum Salaz *de legib. tract 14. diſp 21 ſect. 12.* & alios, habent vim Legis, & faciunt probationem neceſſariam, ac ſi eſſent Pontificis reſponſa, quia Cardinales habent authoritatem à Papâ declarandi, interpretandi, & reſpondendi, vt habetur in Bullâ Sixti V. ſeptimâ in part 2. Bullarij. Et ſuper dictas Declarationes Papa ſtatim dat Breue, et Auditor Cameræ monitorium in executionem ipſarum, eaſque Rota ſine vllâ controuerſiâ recipit & amplectitur. Et tandem ita ipſa Sacra Congregatio declarauit cuidam Abbatiſsæ Meſſanenſi apud Garziam *de benef. tom. 1. in præf.* (Villalobos *tom. 1. tract 2. dub. 7. nu. 7.* Layman *lib 1. tract. 4. cap. 3. 7. nu 28.*) et alij id negant: Quia de ratione legis eſt, vt promulgetur; dictæ verò declarationes nunquam promulgatæ fuerunt de Mandato Pontificis (Neque dicas Declarationes non condere nouum Ius, ſed antiquum declarare; ac proinde non egere promulgatione, nam in dubiis ſunt velut nouæ leges) Ochagrauia *de Sacramen. tract. 2. quæſt 40. n. 12.* Torre blanca *Practic. Iuris Eccleſ lib. 14. cap. 3. nu. 19* aiunt habere vim legis, ſi habeat has conditiones. Prima vt pronuncietur conſulto Romano Pontifice. Secũda vt ſint ſolæ Declarationes et interpretationes; minimè autem diſpenſationes reſtrictiones, etc. Tertia vt exhibeantur in forma authenticâ ſolito ſigillo, et ſubſcriptione Cardinalis Præfecti, ac Congregationis Secretarij. Diana *part. 5. tract. 2. reſol. 96.* Quod vltimum requiritur ex declaratione ipſius Sacræ Congregationis, vt faciant fidem: Diana *part 5. tract 3 reſol 12* Sed *part. 1. tract. 10. reſol. 29.* adhæſerat opinioni Villalobos. Ex his ait Merolla *tom. 2. diſp 4. dub. 12. n. 175.* quod ſi adſint duæ Declarationes contrariæ de eodem articulo, ſi vtraque facta eſt conſulto Papâ, ſtandum eſt ſecundæ; quia ſe habẽt ac ſi ab ipſo Papa emanaſsẽt, in quo caſu ſecunda abrogaret primam: ſi verò tantùm altera facta eſt de conſenſu Põtificis, illi ſtandum eſt: ſi tandem neutra, licitum erit cuicumque ſequi, quam maluerit, ſicut ſi eſsent duæ opiniones probabiles. Diana *reſol. 96 citata in fin.* Hæc ex Dianâ Auſonius.

Eorum Deciſiones quãtæ ſint certitudinis?

Legum natura.

Conditiones notandæ.

Quid requiratur, vt declarationes Cardinalium ſint authenticæ? Quid faciẽdum cùm dantur Deciſiones cõtrariæ?

LEgis relegis; et elato ſupercilio Dialectico reſumis illa verba *Ita Sacra Congregatio declarauit cuidam Abbatiſsæ Meſſanenſi*, et inquiris: An bene probetur Cardinalium authoritas, reſolutione eorundem Cardinalium? Videtur enim probari idem per idem: cum quia Cardinales prætendunt, ſuas Declarationes habere vim Legis, cur non conſequenter id ipſum in-

An committatur circulus?

interroganti reſpondebunt? tùm quia contrarium ſentientes, ſi alijs Declarationibus eorundem Cardinalium non deferant, nec deferent, Declarationi datæ Meſſanenſi Abbatiſſæ: ideò enim hæc ipſa infallibilis dicenda erit, quia omnes infallibiles ſunt: & ſi fallibiles aliquæ ſunt, hæc ipſâ certitudine caret. Ergo committitur mirabilis circulus, cùm Declarationum authoritas & poteſtas Declaratione eorundem Cardinaliũ probatur.

DLXXII. De Generali Concilio.

Hinc occurrit aliud dubium in re maiori; *Suppono Concilium Generale errare non poſſe, Prouincialem Epiſcoporum Synodum poſſe.* Vnde autem ſciet Petrus hanc Synodum determinatam eſſe generalem, Nam ſi ipſamet ſe eſſe generalem definiat, ſic poterit Petrus argumentari. *Non repugnat, quòd Prouincialis Synodus definiat ſe eſſe Generalem; quia ſi repugnaret, maximè quia hæc definitio eſſet falſa; ſed hoc non vrget, quia Prouincialis Synodus falſas definitiones edere poteſt. Ergo datur aliquid ſupra Concilia Generalia, quod poſſit definire, vtrùm illa ſint aut non ſint Generalia.* Quid ergo ad hanc inſtantiam Galli, quid Hiſpani, quid multæ aliæ nationes reſpondenbunt? Vel ſi illud aliquid (nempè Summum Pontificem) quod ratio velut digito demonſtrare videtur, non ſit ſupra Concilia Generalia, nec eorundem Iudex, iuuari à Gallis volo, & doceri, quo reſpondere poſſim modo Molinæo, & alijs aſſerentibus, *Tridentinum non fuiſſe Concilium Generale?* Hæc difficultas breuiter à nobis propoſita, ſummi momenti eſt, & deſiderarem illam à Politicis cõtrouerſijs expungi (non enim Politicam Romanam, ſed Fidem Romanam concernit; quam ampſectuntur vniuerſi Catholici, nempè etiam illi, qui politicas ſuis nationibus proprias anteferunt Romanæ Politicæ) & ſine præiudiciis, à Romanis & Gallis pertractari.

An ſummus Pontifex ſit ſupra Concilium?

An Tridentinum fuerit Concilium Generale?

Reſpondeo, his non obſtantibus *circulum non committi*: quia Cardinali atteſtanti aliquid de ſuo officio creditur: & ex Bullis Pontificũ cõſtat, quãta, & qualis ſit Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium authoritas. Idem dicendum eſt de Generali Concilio: quando enim conſtat, illud eſſe congregatum authoritate Summi Pontificis, habet authoritatem declarandi ſe eſſe generale.

Reſolutio.

An Cardinalium Declarationibus aliquid probari poſſit.

D LXXIII.

LEgo Ochagrauiæ & Torreblancæ limitationes, & ſic diſcurro. *Si prima limitatio* ſit vera, omnes ad vnam Declarationes mihi hominis Tranſalpini erunt dubiæ: quid enim ſcio, ân pronunciatæ ſint aut non Pontifice Summo conſulto? Et cùm generalis doctrina præcipiat, vt in dubijs ſtemus pro poſſeſſione, quæ præceſſerat; debebo dicere eaſdem Pontifices inconſulto prodiiſſe; nam ante conſultationem dubiam erat in poſſeſſione non cõſultatio certa. *Si ſecunda limitatio* admittatur, nulla erit Declaratio, quæ non poſſit diſpenſare aut reſtringere, ac propterea non habere vim legis. *Si tertia limitatio* ſubſiſtat, nullam habeo Declarationem, pro authentica; neſcio enim alias Cardinalium Declarationes, quàm quas in libris Authorum Recentiorum lego, quas tamen proprijs oculis video carere Congregationis Sygillo, & ſubſcriptione Decani & Secretarij.

Quid examinandum ſit cùm propo nuntur Declarationes Cardinaliũ?

An illis credendũ ſit:

Et hîc obiter notare oportet, in Cardinalium Declarationibus quærendum eſſe primò, *An ſint veræ*: & ſecundò; *An authenticæ*:

Cùm de veritate dubitari præcipio, non ago de obiectiuâ, nec quæro, *An illud, quod ipſi declarant, ita ſe habeat, ac nos docent*: de hoc enim egi Fundamento V. num. 171. vbi aſſerui, vt Mundus adquieſcat practicè Eminentiſſimorũ Dominorum Cardinalium conſeſſui, ſufficere audire Αὐτὸς ἔφα. Ago igitur de veritate formali, quo ſenſu idem eſt quærere, *An illæ declarationes ſint veræ* ac quærere, *An verum ſit, eſſe illas Cardinalium*?

An declarationes ſint veræ?

Nec volo veritatem cum legalitate confundere: non enim leges obligant, etſi conceptæ, etſi ſcriptæ, niſi debito, & authentico modo intimentur: ſciunt enim regimini prouinciarum admoti, multa interdum mandata præuentionaliter ſcribi, muniri ſubſcriptione et ſigillo, hærere in Cancellarijs multis mẽſibus, quouſque interuenientibus circumſtantijs variis, aut publicari debeant aut caſſari. Quid, ſi ciuſmodi aliquod Pontificis aut Regis decretum aliquis è Cancellariæ ſcrinio ſubriperet eſſet decretum? non fictum, ſed verum: et tamen, licèt munitum ſubſcriptione et ſigillo, non eſſet authenticum; quia non emanaret debito et legitimo modo. Ergo non ſufficit Cardinalium Declarationes eſſe veras, (hoc eſt, eſſe vere eorundem) ſed requiritur, vt præſententur authentico modo, vt illis teneamur adquieſcere. Firmat hoc conſuetudo; nam hîc Romæ in Tribunalibus non faciunt fidem, niſi ſigillo et ſubſcriptionibus debitis firmatæ tradantur. Et hoc eſt ita verum, vt ante paucos annos Ciſterienſes hîc Romæ non potuerunt habere expeditionem in grauiſſimâ cauſâ, quæ a Cardinalium decitione pendebat, quouſque illa non iam impreſſa in libris, ſed ſigillo et ſubſcriptionibus neceſſarijs firmata, fuit tradita. Stat ergo, nos debere habere paratum animum et obediendi propoſitum, cùm conſtet Cardinalium Declarationes eſſe autheaticas: at hoc non conſtare ex impreſſis iuniorum Theologorum voluminibus, ſed ex ordinario ſigillo, et ſubſcriptione Cardinalis Prefecti

An authenticæ?

N.B.

Non omnia decreta vera ſunt authentica?

Quid requiratur vt Cardinalitũ declarationibus obedire teneamur?

ci, ac Congregationis Secretarij.

DLXXIV. Cardinaliũ Declarationes sũt probabiles.

LEgo tandem in ſententia Merollæ, *Si adſint duæ Declarationes contrariæ de eodem articulo*, & infero non eſſe habendas, vt articulos fidei, inter quos nulli dantur contrarij, ſed vt reſponſa hominum doctiſſimorum, quæ probabiliſſimè pronunciant; quod poteſt aliter ſe habere, & forſitan aliter ſe habet. Sublego illa verba, *Si neutra (puta emanaret à Papa) licitum erit cuique ſequi quam maluerit, ſicut ſi eſſent duæ opiniones probabiles.* Et infero. Ergo Cardinalium Declarationes nunquam plus habent, quàm eſſe probabiles. Patet: nam quando dantur duæ, ſunt probabiles; At, quando datur vna, non repugnat dari alteram datæ contrariam: Ergo quãdo datur vna, eſt tantùm probabilis. Propoſitio enim certa & demonſtrata (realiter aut moraliter) illa eſt, contrà quam, nec dabitur, nec poterit dari alia, quæ ſit probabilis.

Cæterùm, licèt ſint probabiles ſpeculatiuè, practicè ſunt certæ Declarationes Cardinalium, & illis obedire tenemur: ſi tamen concurrant oppoſitæ, debere nos poſteriori obedire ipſimet præcipiunt Cardinales.

DLXXV. Quæſtio incidens.

ANte annos pauculos Sueci totam Bauariam inundauerunt, et profanarunt: dubitatum, An Altaria deberent de nouo conſecrari? Et quanta eſſet turbatio in Germaniâ ſi admitteretur illorum reſolutio, qui aſſerenti opinioni ſubſcribunt! Erant anxij Epiſcopi, et nomine Illuſtriſſimi Principis Friſingenſis (aut etiam Auguſtani) cõſulti Domini Cardinales, reſpondèrunt, conſecranda eſſe denuò. At omnes docti in Bauaria iudicantes rem impoſſibilem, aut ſummè difficilem ab Eminentiſſimis præcipi, vnanimi voce dicebant. *Quid curamus Cardinalium Declarationes, quando habemus pro nobis Opinionem probabilem.* Et de facto Theologorum ſententiam *E*minentiſſimorum Declarationi præponentes, noluerunt Altaria iterum conſecrari. Narro hoc, quod vidi proprijs oculis, vt intelligat Lector, quomodo philoſophentur Germani.

An Cardinalium Declarationes opinionibus Doctorum probabilibus ſint poſtponendæ?

Authoritas Cardinaliũ duplex: practica & ſpeculatiua.

At ego principijs meis inſiſtens, in Dominorum Cardinalium decretis duplicem, vt ſæpe dixi, poteſtatem diſtinguo: alteram practicam, et alteram ſpeculatiuam. Si maneamus intra limites ſpeculationis, loqui probabiliter poſſunt, nec eius Declarationes ſunt articuli *F*idei: cæterûm, ſi loquamur practicè, eorumdem decretis & legibus clauſis oculis obediendum eſt: pronunciantur enim authoritate Pontificiâ, & à totâ Eccleſiâ acceptantur.

An clauſis oculis obediendum ſit alijs Prælatis?

CIrca authoritatem *E*piſcoporum, & Regularium ſuperiorum, aut conueniunt Theologi, aut pauciores, aut minùs diſtantes opiniones ſequuntur, quàm circa authoritatem Cardinalium Cæſaris, Regum, & Principum authoritas expreſſa eſt legibus fundamentalibus Rerum publicarum, quæ etiam Superiores obſtringunt, & ſolemni iuramento firmantur. Nemo hodie in Mundo poteſt omnia præcipere; nam nullius infinita eſt poteſtas, & ſinguli continere ſe debent intra terminos ſuæ authoritatis. Subditi etiam interdum tolerant aliqua Superiorum miracula, & permittunt in Principe, potentiam abſolutam cohibere aliquando Ordinariam. At verò, quando Princeps abſolutâ vtitur ordinariò, nec curat leges iuramento firmatas, cœcus erit qui aſſerat, homines in tali caſu liberos clauſis oculis obedire debere. DLXXVI.

Nullus homo omnia poteſt.

Politica ſuperiorum miracula.

De Summi Pontificis & aliorum omnium Epiſcoporum ordinaria & priuilegiata authoritate.

TOt paucis diebus, quibus Moguntiæ fui, an. M. DC. XLIII. antequam aſſumerer in ſuffraganeum de Eminentiſſimi Principis authoritate dubia mota; toties ego de eiſdem controuerſijs conſultus, vt debuerim, quantum itineris permiſit incommoditas, ſtylum feſtinantem abripere, manuque volanti & feſtinâ timoratas amicorum conſcientias conſolari. Conſilia aliquot ſcripſi, quæ *S*piræ in Libellum coîere paucis additis. Occurrebant quotidie intricata negotia, & vt illa faciliùs & tutiùs expediret, Eminentiſſimus Princeps Elector Anſelmus Caſimirus impetrauit Pontificiũ Diploma, de quo varia fuerunt virorum doctorum iudicia. Erant aliqui ſatis docti & prudentes, qui illud attentè relegentes dicebant primò, ex vi illius Diplomatis nihil poſſe facere aut concedere Princeps ſine graui & notabili causâ, adeoque nihil concedi quod Princeps non poſſet; vnde conſequenter inferebant, hanc Bullam non ſolùm non eſſe neceſſariam, ſed poſſe authoritati Ordinariæ Principis Moguntini nocere. Epiſcoporum enim olim in primitiuâ Eccleſiâ poteſtas multò maior decreuit temporis ſucceſſu. Vt eliciat actiones naturales, quæ nulli ſunt diuinæ aut humanæ interdictioni obnoxiæ, nemo prudens facultatem implorat; adeoque nec Eminentiſſimus DLXXVII.

S. Se-

§. Sedis Moguntinæ Archiepiſcopus, ſi ſuæ velit dignitati conſulere, poterit vti priuilegio Apoſtolico, vt diſpenſationes illas concedat, quas propriâ authoritate poteſt. Bullam illam, quam toties relegunt, diſpungunt & examinant, non eſſe omninò neceſſariam affirmant, & eandem, ſi neceſſaria non ſit, fore nociuam neceſſariò; militabit enim contra ordinariam Principis poteſtatem, illamque, ni magnam reperiat reſiſtentiam, diminuet. *Quamobrem eorundem primum Conſilium, in huiuſmodi materia Pontificem Summum non conſulere, nullam deinceps Bullæ huius Confirmationem, aut cõtinuationem procurare, nullum nouum priuilegium expetere.* Epiſcopi enim omnes, ſi cauſæ dentur, quæ non patiantur moram, nec publicari poſſint, ſine infamiâ aut ſcandalo (has ipſas Bulla Vrbani VIII. expreſſit) citra omnem Bullam & Diploma maiorem in amouendis impedimentis Matrimonialibus authoritatem habent, quam Eminentiſſimo Archiepiſcopo ſpeciali iſto Priuilegio conceditur. EGO AVTEM, quia teneo nullum eſſe ab Eccleſiâ priuilegium conceſſum, quod non poſſit aut debeat ita exponi, vt aliquid probabiliter de nouo concedat (debemus enim de viris magnis generosè ſentire, nec putare aut qui bullam implorat tam ſtupidum, vt ea poſtulet, quæ citra Bullam poteſt; aut qui indulget, tam auarum, vt nihil decernat concedere, cùm ipſum priuilegium concedit) conſequenter affirmo hoc ipſum Diploma fore vtile vel neceſſarium, & aliquid concedere Principi Eminentiſſimo; Eumque vi huius Bullæ poſſe facere, quæ aliàs non poteſt. Sed quæ nũc ille? Poterat ſanè omnia, quæ exprimuntur in Bullâ ex cauſa graui; Ergo hoc Principi Priuilegio conceditur, vt poſſit eadem etiã, vbi cauſa grauis non ſuppetit, modo adſit leuis. Poterat nonnulla ille olim ſi quando eſſet caſus ſecretus, in morâ manifeſtum periculum, & impotentia recurrendi Romã: Ergo modò huius priuilegij virtute procedere poſſet, etſi non ſit caſus ſecretus, nec in morâ periculum, & licèt recurri poſſit Romam. Et hæc eſt, me Iudice, vtilitas ex hac Bullâ nata, quæ in praxi poterit plurimas conſolari conſcientias. Textum Diplomatis conſideremus.

Omnia Priuilegia aliquid videntur concedere.

VRBANVS VIII.

Venerabilis Frater Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Recognoui aliquas alias Bullas, quæ alijs diuerſis annis emanarunt, & inter ipſas aliquam differentiã inueni: vnde reor etiã illas, quæ alijs Epiſcopis conceduntur, non ſemper eaſdem eſſe: meum fuit communicatam ab Eminentiſſimo Principe Electore, illuſtrare: aliorũ erit, circumſtantias, quæ in alijs additæ, enucleare, & expendere.



Vm, ſicut accepimus, in tua Ciuitate & Diœceſi Moguntina, multæ & diuerſæ pauperes perſonæ matrimonia inter ſe per Verba de futuro, non obſtante impedimento cognationis Spiritualis & compaternitatis, contraxerint, & carnali copula conſummauerint, aut aliàs, facta inter ſe promiſſione de matrimonio inuicem contrahendo, ſeſe carnaliter cognouerint, quas ab inuicem ſine ſcandalo ſeparare non poſſe dubitatur. Nos earum ſtatui & animarum ſaluti paterna charitate conſulere volentes Fraternitati tuæ, vt ad triennium proximum tantùm, omnes & ſingulos tuarum Ciuitatis & Diœceſis Moguntinæ, Maſculos & fœminas verè pauperes tantùm, qui quotidiano labore & induſtria victum ſibi parant, & dummodo Fidei Catholicæ Romanæ cultores exiſtant, ac gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habeant, qui, impedimento propoſito non obſtante, matrimonia inter ſe ſcienter vel ignoranter contraxerint, & carnali copula conſummauerint, aut aliàs ſeſe carnaliter cognouerint, ad euitanda etiam Scandala, quæ ob vicinitatem hæreticorum contingere poſſent, impoſita illis propter præmiſſa aliqua publica vel alia pœnitentia ſalutari, prout magis expedire iudicaueris DLXXVIII.

& ab exceſſibus eiuſmodi, aliiſque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis per eos propterea incurſis in vtroque foro authoritate Apoſtolica abſoluere, ac cum eis reſpectiuè, vt matrimonia inter ſe, de nouo publicè ſeruata forma Concilij Tridentini, impedimento eiuſmodi non obſtante, contrahere & in facie Eccleſiæ ſolemnizare, ac in eis poſtmodum remanere liberè & licitè valeant, dummodo mulieres propter hoc raptæ non fuerint, nec non cum aliis etiam verè pauperibus tantùm quotidiano labore & induſtria victum ſibi parantibus Fidei Catholicæ Romanæ cultoribus, ac ſimiles gratiam & communionem haberi ſuper impedimento eiuſmodi, ita vt, illo pariter non obſtante, matrimonia inter ſe, ſiue ex eo quod mulieres dotem habeant minùs competentem, ſiue ob locorum anguſtiam, ſiue ad ſedandas inimicitias, aut ob alias rationabiles cauſas publicè, ſeruata forma Concilij Tridentini prædicti, contrahere ac in facie Eccleſiæ ſolemnizare, ac in eis poſtmodum remanere liberè & licitè valeant, dummodo mulieres propter hoc raptæ non fuerint data authoritate diſpenſare, ac proles etiam reſpectiuè ſuſceptas & ſuſcipiendas exinde legitimas decernere, & nunciare, gratis tamen, & non aliàs, liberè pariter & licitè valeas, authoritate prædicta tenore præſentium facultatem concedimus & impartimur, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 8. Maij, 1642. Pontificatus noſtri anno 19. & erat ſubſcriptum *M. A. Maraldus.*

ERant & aliæ eiuſdem Vrbani VIII. Bullæ, materiâ differentes, formâ ſimiles: in quibus diuerſa Archiepiſcopo concedebantur priuilegia. Ad tempus erant omnes, & ideò eas interſerere nolui, nam iſta videtur ſufficere: cuius dilucidatio cæteris conceſſis, aut etiam eidem Principi, aut alij cuicumque concedendis, ſeruatâ analogiâ (quam perſonarum locorum & temporum aut ſimilitudo intendit, aut diſſimilitudo remittit) poſtulat, ſeruire poterit,

DLXXIX. Ponuntur illa omnia, quæ poſſunt in dubium reduci.

MVlta occurrunt, quæ poſſent impræſentiarùm prolixè examinari, ſed breuitatis cauſâ communes controuerſias omittam, illaſque ventilabo ſpecialiter, quæ iudicabuntur ſpeciales. Supponam in hac Bullâ concedi tantùm diſpenſationem in cognatione ſpirituali: alias, in quibus conceditur facultas diſpenſandi in quarto, aut etiam tertio conſanguinitatis gradu, eſſe iſti ſimiles, & eidem ſubiacere Cenſuræ: & ideò inquiram *Primò*: An hæc Bulla potuerit concedi? *deinde* an poſſit reuocari? Poſteà an faueat Hæreticis, Iudæis, aut diuitibus? hæc enim videntur & perſonam Pontificis, & literam Diplomatis concernere. Eminentiſſimique Principis Moguntini Authoritatem examinans, *inquiram*, An ipſe poſſit vti hoc priuilegio ſine cauſâ? *deinde*, An datâ cauſâ rationabili poſſit non vti? An in conceſſione poſſit ipſe, aut ipſius miniſtri aliquas pecunias recipere? An non ſolùm in tertio & quarto, ſed & in alijs gradibus poſſit diſpenſare? *Tandem* an poſſit legitimare ex vi huius bullæ ad dignitates & ſucceſſiones ſæculares? Poſtremò claudam diſputationem curioſâ & omninò neceſſariâ controuerſiâ, quæ authoritatem Epiſcoporum ordinariam circa impedimenta Matrimonij radicitùs examinabit. Omnia percurram breuiter, & rationibus clariſſ. ſingulas reſolutiones roborabo.

QVÆSTIO I.

An Pontifex potuerit concedere iſtam Bullam?

VIdeo extremas Theologorum ſententias circa Politicam Pontificis authoritatem; alij illam Liberrimam aſſerunt & honeſto nomine protrudunt, quæ verè, ſi non eſſet tyrannica, eſſet nimia: alij ita illam limitant, vt videatur non eſſe ſuprema. Sanè controuerſia eſt difficilis & periculoſa; nemini enim licet ſuffurari à Regibus authoritatem, quam Pontifici adfingat; nemini ſuffurari à Pontifice quam prodigè concedat Principibus. Politica Romana & Germanica (vt Hiſpanica, Gallica, Belgica, &c. omittam) differunt toto cœlo: & ideò vix aut ne vix quidem calamis ideas mentis expri-

DLXXX. Eccleſiaſtici & ſæculares in Fide conuenimus, at in Politica toto cœlo differimus.

exprimere poterit, quin ſæcularibus aut Eccleſiaſticis ingratus: Quam ob rem dubia multa præteream, & tandem neruum difficultatis tangam.

DLXXXI. Authoritas Summi Pōtificis in ratione fundatur.

DICO IGITVR PRIMO'. *Nòn eſt liberum Pontifici ſancire leges matrimoniales, aut alias quaſcunque ſine rationabili cauſa.* Hæc veritas eſt manifeſtiſſima; non enim ipſi conceſſa diuinitùs ſupra mancipia tyrannis, ſed paterna ſupra filios authoritas, & D. Paulo aſſerente, ad ædificationem Chriſtianorum, non ad deſtructionem, non ad perturbationem: vnde, ſi, quod Deus auertat, accideret aliquem Pontificem priuatæ ſuæ vtilitati, intentum Legem aliquam Matrimonialem ſancire, publico bono nociuam, vt hâc viâ nepotem aut amicum priuatum ditaret, eſſet lex illegitima, & illâ non obſtante alter licitè & validè matrimonium contraheret. Cum hanc poſitionem ſtatuūt, meminêre nonnulli VRBANI V. Bernabonem Vicecomitem Mediolanenſem, & eius filios inhabiles ad marrimonium contrahendum declarantis; ſed ſi rem bene examines, videtur Pontifex non tam priuatam cauſam egiſſe, quàm publicam; erant enim rebelles Eccleſiæ, aſſerentibus Alexandro de Neuo *c. tuas de Sponſa duorum*, Chalderino *ibid.* & Becano *de Sacramentis, c. 94 num. 6.* adeoque bono expediebat publico, ne vxores ducerent, qui credebantur non niſi Romanæ hoſtes Eccleſiæ genituri; moris enim eſt in bene gubernatis Rebus publicis ſterilitate condemnare homines poſteritate indignos. Lego in Bzouio; *Per id temporis in Scotia vltus eſt Deus cædem Adami Cathaneſij Epiſcopi, crudeliter interempti. Comes Cathaneſius innocentem occiderat, ad hunc modum. Decimas more conſueto fortè à popularibus exigebat Adamus, ac cum non perſoluerent, diris, vt mos eſt, execrationibus eos deuouerat. Niporrò Comite inuentore, correptum domi ſuæ Epiſcopum, flagris prius fœdè cæſum, in propria ipſius culina immaniter concremarunt. Quod flagitium, vbi ad Alexandrum Regem perlatum eſt, (is tum Fedburgi erat) contractis quibuſdam paucis copijs, illuc extemplò ipſe proficiſcitur, ac ſtatim comprehenſis ſceleris authoribus, qui ſupra quadringenti erant, omnes ſupremo affecit ſupplicio: filios verò impuberes eorum (nam puberes eundem cum parentibus exitum habuerunt) teſticulis priuauit, ne hominum ſceleratorum proles, ſucceſſione multiplicata, diù ſuperſtes eſſet. In cuius rei ſignum certiſſimum extat in hunc diem locus, vbi proiecti teſtes erant, nomine rem ipſam referens; teſticulorum enim appellatus eſt collis.* [Cuius hiſtoriam eò libenter recenſeo, quò maiori erga eundem obligatione reſtringor. Fuit enim noſtri Cœnobij Melroſenſis Abbas vſque ad annum 1222. in quo martyrio coronatur, vt inter alios teſtantur Hector Boëtius Hiſtoriæ Scotiæ lib. 13. & *Hiſtoriæ rerum Scoticarum lib. 7.* Abraham Bzouius *in Annalibus Eccleſiaſticis an* 1230. Arnoldus de VVion *lib. 2. libro vitæ cap. 39.* Barnabas de Monte Albo *tom. 1. Chronicorum lib. 2. cap 37.* Chryſoſtomus Henriquez *in Menalogio 22. Iunii.* Conſultò dixi *noſtri Cœnobij Melroſenſis.* Nam IOANNES CARAMVELIVS anagrammaticè pronunciat, MELROSA EI IVS à CVNA. *Et* idem Monaſterium cum authoritate Vicarij Generalis mihi ſub annum MDCXXXIV. ab Ordine collatum eſt. Sed hæc priuata ſunt, & Anagrammatica potiùs quàm Theologica: redeo ad publica.] Cōſtat igitur ex iſtâ Hiſtoriâ, quam recenſui, ſolere perditiſſimos viros ſterilitate condemnari, ne illorum ſucceſſio aut memoria remaneat. Sed quia gladius Pontificalis a regali diſtinguitur, quod Alexander Rex ferro præſtitit, hoc Vrbanus V. interdicto. Priuauit illos ſæcularis Monarcha phyſicis illis partibus, quibus ſublatis inducitur ſterilitas & impeditur generatio, iſtos Pontifex morali capacitate, quæ ad valorem Matrimonii requiritur, quâ ſublatâ, Vinculum impeditur, aut omninò dirimitur.

Anagramma.

Priuatas & domeſticas commoditates non poteſt cum damno Eccleſiæ procurare.

Bernabo & eius filij matrimonio interdicti. Cur?

Item alij.

Adami Epiſcopi mors.

Homicidarum ſacrilegorum pœna.

Teſticulorū collis.

Adamus iſte fuit Abbas Melroſenſis.

DLXXXII. An Epiſcopi poſint impedimēta matrimonialia ponere?

Inquiris, An ſicut de Pontifice quo ad totam Eccleſiam, ita etiam de Epiſcopo quoad ſuam philoſophandum ſit? Reſpondeo dando verba Becani *c. 49. de Sacr. in ſpecie, quæſt. 2. in fine*, vbi ſic ait. *Generatim loquendo quidquid poteſt Pontifex in tota Eccleſia quoad externam Iuriſdictionē, poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi, niſi Pontifex ſibi reſeruet. Nunc autem reſeruauit ſibi hoc Pontifex in Matrimonio, vt plerique docent, tametſi nullo iure expreſſum ſit. Veriſimile eſt, Generali Eccleſiæ conſuetudine haberi hanc reſtrictionem.* Si ſolâ conſuetudine; ergo tota hæc quæſtio pendet ab *Hiſtoria*: & dubitas *Primò*. An dari talem conſuetudinem ſit euidens. *Secundò*, An, ſi dari ſit euidens, euidens ſit eſſe legitimam: hoc eſt, nec per errorem, nec per violentiam introductam? *Tertiò*, An ſi vtrumque ſit euidens, euidens etiam ſit, quod hæ ipſæ euidentiæ poſſunt nobis ita proponi, vt eſſe euidentias percipiamus: an ſolùm credendum ſit dicenti dari has euidentias? Si enim huiuſmodi euidentiæ non dentur, aut datæ grauem reſponſionem patiantur, ac propterea re ipſâ euidentiæ non ſint, tametſi euidentiæ vocentur, contrarium erit etiam probabile;

Sæpe euidētiæ, quæ vocātur humanitus, non excedunt probabilitatem.

Tria iſta dubia ſolutionem requirunt, & breuem ego et manifeſtam dabo. *Reſpondeo ad primum*, dari conſuetudinem, de quâ agimus: et eſſe tam euidens eam dari, vt nulli ſit dubitationi locus. *Ad ſecundum* eſſe euidens non illam per metum aut per errorem introductam: eſt enim tranquillè et quietè introducta, quin reclamarent Epiſcopi, qui non ſolent timere, nec ignorare, quæ ſuam poteſtatem concernunt. *Ad*

Reſpōdetur argumentis oppoſitis.

tertium, has euidentias tam esse claras dico, vt nihil contra obiiciatur probabile.

DLXXXIII. Pontifex causas habuit.

Dico Secundò. *Pontifex, cùm impedimenta matrimonij constituit, habuit rationabiles & sufficientes causas.* His datis impedimẽta huiusmodi Ecclesiæ ponere potuisse apud omnes tam clarum, vt vix reperiatur Gentilis aut Heterodoxa Respublica, quæ non tulerit leges circa impedimenta matrimonij.

De fine cessante in aliquo particulari. Cessare solet duobus modis.

Dico tertiò, *Quando finis adæquatus legis cessat in particulari, cessat in particulari ipsa lex*. Dicitur finis in particulari cessare, aut contradictoriè, si in tali casu non possit consequi, quod Lex intendit; contrariè si ex obseruantia Legis sequeretur aliquod inconueniens, quod cum fine Legis componi non possit. Ita Rodriqu. *qq. Regul.* tom 1 quæst. 11. artic. 1. & 2. Gambarupta *de Casibus reseru. c. 3. nu. 6.* Miranda *in Man. Præl. tom. 2. qu. 6. art.* 11. Homobonus *de exam. Eccl p. 1. tr. 1. c. 6. q. 29.* Narbona *de appellat. à Vicar. ad Episc. n.* 189 Cochier *tract. de perm. benef. part. 2. c. 30.* Garsias *de benef. tom. 1 in præf.* Salas *de legib. tract. 14. disp. 21 sect. 12.* Zipæus *in anal. Iuris Ca epist. ad Lectorem* Leon. *tract. de Iubilæo part 2. q. 5. n* 207. Bellochius *de cas. reseru p. q 2. nu.* 82 Diana *part. 1. tract.* 10. *resolut.* 28. & Ego *in com. in Reg. in Schol. in Philipp. & sæpe alibi*.

An finis legis impedimenta matrimonialia constituentis, cesset, quando cõtrahentes sunt pauperes;

Supponis cessare omninò legem, quando finis adæquatus eiusdem legis cesset: et infers cessaturam fuisse legem imponentem impedimenta matrimonialia, si cesset totus finis legis, quando contrahentes sunt pauperes. At tunc finis non cessat, quia etiam pauperibus Pontificiâ prouidentia succurritur, et sine expensis conuenientes fauores indulgentur. Et isti summâ benignitate. In Bohemiâ, dum Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach Archiepiscopi Pragensis vices gererem, hos præscriptos in Consistorio mores reperi. Cùm pauperes impediti volunt contrahere, recurrunt ad Parrochum, qui eos esse verè pauperes literis subscriptione & sigillo affirmatis testatur. Credit illi Officialis, & suum testimonium adiungit. Romæ creditur Officiali, et cùm dispensatio conceditur, literæ expediuntur gratis.

Quomodo pauperes fauores à Pontifice obtineant?

DLXXXIV. Corollariũ ex doctrina præcedenti.

Dico quartò. *Vbi huius legis impedimenta imponẽtis adæquatus finis cesset in particulari probabile est esse necessariã Põtificis dispẽsationem: nam datur consuetudo de facto petendi talem dispensationem, quæ consuetudo legitimè introducta est, at probabilius non esse necessariam*. Prima pars ostenditur. Quia probabile est Legem Pontificiam non cessare, tametsi finis adæquatus esset in particulari, quia licèt illa opinio supponat distinctionem, de quâ citatus Diana inquit *vt verum fatear, ego nunquam potui intelligere hanc distinctionem*, quam nec ego, nec multi me doctiores capiunt; nihilominùs habet tot Patronos per se, vt non possit non vocari probabilis; eam enim apud citatum Dianam tuetur & Layman, Vasquez, Suarez, Salas, Molina, Reginaldus, Sanchez, Coninch, Becanus, Rebelius, Villalobos, Miranda, Sotus, Lorca, Aragonius, Medina, Anguianus, Salonius, Felicianus, Sarmiento, Couarubias, Malderus, Sayrus, Bonacinna, Naldus, Pontius, Pitigianus, Portel, Moneta, Vegha, & alij. Vnde probabilitate huius opinionis suppositâ discurro sic. Probabile est non cessare legem, cùm finis adæquatus cessat in particulari; ergo cum sanctio impedimenta matrimonio apponens sit lex, non cessabit, etsi finis adæquatus cesset, in particulari.

Secunda pars etiam ostenditur. Probabilius enim est legem in particulari cessare, vbi cessat finis adæquatus in particulari; ergo idem est omninò dicendum de præsenti lege. Atqui vbi cessat lex non est necessaria dispensatio; ergo.

Rationi consuetudo præscribit.

Hucusque discursus à ratione deductus; contra quam tamen militat consuetudo petendi dispensationem in materiâ probabili. De quâ dicendum est primò non esse per errorem & ex ignorantiâ introductam: secundò iam esse obligatoriam.

An matrimonia probabilia sint pernitiosa?

Primum ostenditur; quia matrimonia probabilia sunt in Republicâ pernitiosa: qui enim contrahit cum impedimento probabili, contrahit probabiliter; & sicut hodie subscribens opinioni, quæ docet matrimonium esse validum, potest vxorem retinere; cras subscribens oppositæ, poterit eam dimittere. Ergo maior securitas requiritur ad perpetuitatem contractus. Ergo debent contrahentes compromittere, se non habituros opinionem, quæ valori matrimonij opponatur; vel petituri dispensationem, vt tollatur probabile illud impedimentum, & matrimonium insolubile maneat. Sed fœminæ, & indocti non sunt capaces remedii primi, & omnes sunt capaces secundi: ergo prudentissimè ad Apostolicam Sedem recurritur, quando contrahentes probabiliter sunt impediti.

Remedia ad contractus securitatem

Habet vim legis consuetudo.

Secundum deducitur ex primo. Si enim esset expressa & in viridi obseruantiâ lex, quæ interdiceret matrimonia iniri cum impedimento probabili, nisi Pontificia dispensatio præcederet, qui probabiliter impedirentur, non possent contrahere, nisi dispensatione præhabitâ: at datur consuetudo præscripta, quæ habet vim legis: *Ergo standō consuetudini & praxi, quam hodie in orbe Christiano obseruamus, (quidquid sit de ratione) quando impedimenta sunt probabilia, petenda est & obtinenda dispensatio.*

Conclusio.

Dico quintò, *quando finis legis impe-*

di-

DLXXXV. *dimenta huiusmodi imponentis non cessat, adæquatè in aliquo particulari, tunc necessaria est Pontificis dispensatio, quæ ex rationabili causa liberè, licitè, & validè concedi poterit.* Est citra controuersiam.

Dico sextò, *authoritatem suam ne grauentur Christiani, si ad Romanam Curiam cogerentur recurrere, prudenter Pontifex delegat: adeoque ex hypotesi, quòd Eminentissimus Sedis Moguntinæ Archiepiscopus hanc aliunde potestatem non habeat, dicendus est Pontifex prudenter concessisse hanc Bullam, & delegasse authoritatem dispensandi.* Patet; quia aliàs intollerabile esset iugum Christi, si nulla dispensatio concederetur extra vrbem, & tamen illud est, teste Christo, suaue & leue, & non intollerabile. Confirmat resolutionem communis Ecclesiæ praxis, quæ est legitima Pontificiæ potestatis interpres.

QVAESTIO II.

An hæc Bulla possit reuocari?

DLXXXVI. Sacerdos recepto stipēdio promissa, celebrare tenetur?

REspondeo posse: quia Summus Pontifex est semper Dominus supremus & gratiæ non in leges & obligationes non transeunt.

Sed obijcies. Simplex Sacerdos, qui missam celebrat pro stipendio & sui laboris pretio, potest suam operam Petro addicere: liber enim & non mancipium est; & ex hypotesi, quòd stipendium receperit, ex iustitiâ tenetur celebrare, aliàs peccaturus mortaliter. Si stipendium restitueret sacerdos, non tenetur Petrus recipere, sed posset eum vrgere, vt staret contractui, ni fortè grauis causa inopinata emergeret, tunc enim Petrus videtur debere pretium restitutum recipere, sacerdotemque à celebrandi obligatione liberare.

An præmia possint reuocari?

Hinc transis ad Summum Pontificem, iubesque pariformiter philosophari. Sic ais, Liberum fuit Summo Pontifici Bullam aut gratiam hanc vel illam concedere, vel non concedere: Cæterum ex hypotesi, quòd cum Regibus aut aliis conuenerit, eorumque seruitia & obsequia Romanæ Ecclesiæ præstita præmio competenti donauerit, transiuit in contractum concessio, & rescindi non poterit.

An Bullæ Pontificiæ contractum tacitum aut expressum inuoluant.

At hæc ratio non vrget; non enim gratiæ sunt contractus, nec aliter priuilegia & fauores à Sede Apostolicâ conceduntur, quā vt gratiæ, quæ semper possunt reuocari. Quid si admitteremus contractum? Potest supremus Princeps omnes contractus ex causâ legitimâ rescindere: ergo et poterit illos, qui sint initi secum, si ratio et necessitas postulet.

Hinc igitur ad nostram Bullam deveniēdo eius perēnitatē ad dicta superiùs elimabo. DLXXXVII

Dicam Primò. *Vltra triennium non duraturam esse.* Constat ex illis verbis, *vt ad triennium proximum tantùm, &c.*

Præmia ex iustitiæ debentur, reuocari non possunt.

Dicam Secundò. *Non concedit eminentissimo Principi electori in præmium, adeoque ni aliunde obsit, posse quotidie reuocari.* Ostenditur; quia tametsi præmia pertineāt ad materiam iustitiæ, adeoque reuocari non possint, multa sunt diplomata, quæ pertinent ad materiam gratiæ, et ista possunt ex causâ, et sine causâ reuocari.

QVAESTIO III.

An hæc Bulla faueat Hæreticis & Iudæis.

DLXXXVIII

MVlta hîc occurrunt pulchra; sed quia breuitati studeo, nec ipsa omninò necessaria, necessariò omittenda. At verò, vt intento satisfaciam,

De Matrimonio Iudæorum & Hæreticorum.

Dico primò. *Si duo hæretici cum impedimento velint contrahere, non possunt ab Eminentissimo Principe dispensationem ex vi Bullæ istius obtinere, tametsi pauperes sint.* Patet, quia hic casus Expressè excipitur illis verbis; *Dummodò fidei Catholicæ Romanæ cultores existant, ac gratiam & communionem sedis Apostolicę habeant.*

De matrimonio Catholici & Hæreticæ: aut contra.

Dico Secundò. *Si hæreticus Catholicam aut Catholicus hæreticam ducere voluerit, in impedimentis non potest Princeps virtute Bullæ dispensare.* Ostenditur; nam ex Diplomatis literâ constat liquidò esse mentem Pontificis, quòd in solis illis matrimoniis possit Princeps Elector dispensare, quæ à duobus Catholicis contracta; lego enim. *Cum aliis etiam vere pauperibus tantùm quotidiano labore & industria victum sibi parantibus, fidei Catholicæ Romanæ cultoribus &c.*

Nota hoc bene.

Dico tertiò. *Inter Iudæos Moguntinos omnia Matrimonia, quæ nō militant contra legem naturæ, sunt valida.* Corollarium I. *Ergo & valida, quæ militant contra Ius Canonicum, Concilia Romanæ Ecclesiæ. & Decreta Pontificum.* Patet; quia ipsis Christianis legibus non subsunt, non enim baptizati sunt. Corollarium II. *Iudæi, qui contrahunt matrimonia contra legem veterem, peccant mortaliter ob conscientiam erroneam.* Sed quæris, an ista matrimonia essent valida? Respondeo, consensum ad valorem requiri, nec posse esse seriam contrahendi voluntatem inter eos, qui se putant inualidè & illegitimè contrahere: At illa matrimonia virtute legis irritantis non essent in-

inualida, ſi verus conſenſus contrahentium ſupponatur Patet; quia lex illa vetus iam non obligat; Chriſti enim ſanguine deleta eſt. Nec error, quo Homunciones iſti inficiuntur, in causâ, vt lex illa obligatoria dici poſsit; quia error non condit leges, ſed prudens Legislatoris voluntas. V.G. Si Pontifex diſpenſaret in quarto gradu cum omnibus fidelibus, etiam illi, qui hanc diſpenſationem ignorarent, ſi in quarto gradu contraherent, validè contraherent: ergo ſimiliter de impedimentis legis veteris philoſophator. Iam exciderunt illa; ergo cognati, qui contra Iudaicam legem contrahunt, contrahunt illicitè ſed validè: validè, quia ſine impedimento: illicitè, quia cum conſcientiâ erroneâ. *Interim* aliquando eiuſmodi matrimonia iniri poterunt licitè, & inualidè: licitè, ſi interueniat ignorantia inuincibilis; nã hodie apud nos viri etiam, qui dicuntur docti, nonnulla impedimenta non percallent: inualidè, ſi contrahentes habeant animum ineundi matrimonium iuxta legem Iudaicam; hæc enim illud non permittit. Et hic animus (N.B.) fortaſsis ſemper eſt præſumendus niſi aliunde inferatur contrarius.

Multa Iudæorum matrimonia ſunt illicita & valida.

Quid debeat de Iudæorum voluntate præſumi?

Dico quartò. *Non poteſt Princeps Moguntinus permittere, vt ſoluantur inter Iudæos Matrimonia, quæ inter gentiles non poſſent.* Hoc, vt meliùs intelligas, pono caſum. Iacobus & Suſanna Iudæi & fratres contraxerunt matrimonium; & quia in lege veteri prohibetur, fuiſſe nullum Rabbini declararunt, ad Principem confugiunt, & volunt manuteneri coniuges; Et dico illud matrimonium omninò fuiſſe validum, nec dari humanam potentiam, quæ inuitis coniugibus ipſis ſoluat matrimonium ſemel validè initum. Addo, debere illud à Principe defendi, poſſe tamen contra perſonas procedi vt potè contra Gentilis, aut Iudaicæ Religionis hæreticas.

DLXXXIX. De Matrimonio Gentilium: & Iudæorum inter Fratres.

Sed quid, ſi per errorem cum impedimento contraxerint? Reſpondeo tunc deberi manuteneri, non tamen puniri niſi ignorantia nimis ſit craſſa. Sanè non ſolùm apud Iudæos, ſed & apud Catholicos matrimonia contracta cum impedimento putato et non vero, ſi contrahentes intenderint quantum ex ſe eſt conſentire, vt in caſu ſupponitur, valida omninò ſunt. Sanchez *tom. 1. lib 2. diſp. 33 n. 2.* Gutierrez *de matrim. cap. 47 n. 1.* Baſilius Poncius *de matr. lib. 4 cap. 32. n. 1.* Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 193.*

An Princeps poſſit aut debeat legẽ Moſaicam confirmare?

Dico Quintò. *Prudenter procederet Princeps Moguntinus, ſi Diploma reſpectu Iudeorum ederet, quo impedimenta veteris legis, eo modo quo ipſi intelligunt, authoritate ſua firmaret.* Oſtenditur; quia hâc viâ obuiaretur multis adulteriis, & illegitimis diuortiis, quæ apud Iudæos accidere quotidie certum eſt. At in tali caſu impedimenta illa Iudæorum matrimonia dirimerent, non quà poſita à Moyſe, cuius iam ceſſauit authoritas; ſed quà poſita ab Electore, non quà Sacerdote, non quà Epiſcopo ſed quà Principe purè ſeculari. Fortè huiuſmodi Diploma implicitè conceſsũ eſt, cum illi ſub protectionem publicâ authoritate admiſsi.

Dico Sextò. *Poſita lege Electorali impedimenta Veteris Teſtamenti reſpectu Iudeorum firmante, inualida erunt Iudeorum matrimonia, quibus lex vetus valorem negat. At ſi matrimonia inter Patrem Filiãque, Matrem Filiumque excipias, omnia reliqua erunt valida inter Iudæos ex diſpenſatione Eminentiſſimi Principis.* Patet; quia Achriſtianorum Princeps, quales Iudæi ſunt, poteſt leges ſancire circa impedimenta matrimonii, & eadem reuocare, nec eſt cur non poſsit eadem de nouo ponere, quæ olim Deus in teſtamẽto veteris poſuit. Sed hæc omninò poteſt, vt Princeps ſecularis independenter à Bulla, quam impreſentiarùm exponimus. Hæc igitur pauca, quæ de Iudæis, curioſi examinent; ſunt enim nimis vera, & paucis Doctoribus nota.

QVAESTIO IV.

An hæc Bulla faueat diuitibus?

DIuites ab hâc Bulla excipi ignorare non poterit, qui eam ſemel legerit; conceditur enim in gratiam pauperum: occurrerent tamen rationes, quæ viderentur fauorem ad diuites etiam extendere. Sit; DXC.

CONCLVSIO. *Non poteſt Eminentiſſimus Princeps in impedimentis diuitum diſpenſare.* Patet ex literâ, ibi enim legitur: *Maſculos & fœminas verè pauperes tãtùm, qui quotidiano labore & induſtria victum ſibi parant*, & inferiùs, *cum alijs etiam verè pauperibus tantùm quotidiano labore & induſtria victum ſibi parantibus.*

De limitatione iniuſtè adhibita

DICES. Limitationes iniuſtè poſitæ fauorem non minuunt; atqui hæc exceptio contra diuites iniuſtè ponitur: ergo ipſi vere non excipiuntur. Poteſt igitur Eminentiſsimus Princeps non ſolùm cum pauperibus, ſed etiam cum diuitibus diſpenſare.

De legato ſi nubat.

Probas maiorem. Quia Mariæ centum aureos ſi nubat, ſi fiat monialis non, leganteAmbroſio; V.G. illa habitura eſt legatum etiamſi monialis aut cælebs ſit, eſt enim limitatio iniuſta. Sic etiam ſi Religioſo detur vas aureum ſub onere, quod nec in vsũ nec proprietatem communitatis veniat, do-

De circumstantiâ; ne datum religioso, ad communitatem perueniat.

donatio erit valida, et cadet sub dominium et proprietatem monasterii, quia fit in odiũ voti paupertatis illa donationis limitatio. Ergo limitationis iniustè positæ fauorem non minuunt.

Probas etiam minorem: quia cæteris paribus meliores sunt diuites pauperibus: nobiles ignobilibus, vtiliores Reipublicæ, & Ecclesiæ, maiorem contributiones pendunt, adeoque digniores fauore Pontificio: iniustè ergo Pontifex, cùm indignioribus fauet, digniores et meliùs de Ecclesiâ Catholicâ meritos excludit.

DC.

Confirmas: Nam hæc limitatio non respicit bonum Ecclesiæ publicum, sed priuatam vtilitatem, & speciale Curialium & Ministrorum lucrum: ergo est inualida.

Quid sit opinio probabilis.

Ego tamen respondeo, hanc Bullam non fauere diuitibus. Et quia debeo obiectioni contrariæ partis satisfacere,

Ad maiorem dico, esse omninò dubium, an contractus infecti circumstantiâ iniustâ sint validi vt sonant, an illa debeat supponi omissâ. Adeoque dubium est an Maria, si monialis fiat, possit legatum adire; an Monasterium adquirere vas illud aureum, quod datur sub onere ne cedat monasterio; quia cùm vnusquisque sit Dominus suorum bonorum, potest legatis & donationibus leges præscribere, vt docet Bart. *in leg final. C. de pact. n. 6.* Sanchez *de matrimonio tom. 1. lib. 1. disp. 34. n. 11. & 17.* Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 207. n 13.* vide Dianam *part. 3. tract. 7. res. 57.* Sed esto maior vera [bonorum enim priuatorum possessio, et distinctio subest iurisdictioni publicè, et possunt leges ferri, quæ hoc vel illud statuant: quod statutum aduersarij contendunt.] minor omnino est falsa. Ad probationem concedo, diuites esse meliores, vtiliores, & meliùs de Ecclesiâ meritos quàm pauperes, adeoque debere maioribus fauoribus condecorari; nego tamen non potuisse non excipi in hoc Diplomate: possunt enim in alijs materijs maioribus experiri munificentiam & benignitatem Pontificis. Addo non bene dici hìc reperiri limitationem aut exceptionem; quia potiùs pauperes excipiuntur; reliquis in regulâ generali relictis; ratio enim, ob quam excipiuntur pauperes, non inuenitur in diuitibus; illi enim ideò a regulâ generali excepti committuntur Eminentissimi Electoris clementiæ, quia, cùm non habeant unde viuant, ni manibus laborent, non possunt aut Romam ire, aut per procurationem agere, & diuites vtrunque possunt.

Nota hoc bene

Ad confirmationem respondeo, omnia esse falsa, quæ in ea assumuntur; sed sint vera, quid inde? lex tenet, etiam si vtcumque negetur dispensatio.

QVAESTIO V.

Quinam dicendi sint pauperes ad mentem Romani Pontificis?

DCI. Qui pauperes dicendi sunt.

VIderẽtur mendici omninò excludendi, quia Pontifex, cùm agit de pauperibus, exponit mentem suam & operarios solos videtur intelligere, nam vt est apud poetam nescio quem

Non est paupertas Prosper habere nihil.

Vtrum omnis homo pauper?

Sed opinor non iri exclusum mẽdicos, illaq; Bullæ verba, *qui quotidiano labore & industria victum sibi parant*, esse adhibita contra axioma, quod docet, *Omnem hominem pauperem esse*; nam si pauper dicendus sit, qui statui sufficientia non habet, ipsemet Hispanorum Monarcha, quo ditiorem neuter Orbis habet pauper est; non enim habet sufficientia, vt suis militibus exactè satisfacere possit. His prælibatis

Dico primò. *Omnes operarij, cuiuscunque artis sint, qui non habent reditus patrimoniales vt viuant, sed labore manuum victum quærunt, Pontificis sententia sunt pauperes.* Sic enim ait. *Verè pauperes tantùm, qui quotidiano labore & industria victũ sibi parant.* & inferiùs, *cum alijs etiam verè pauperibus tantùm, quotidiano labore & industria victum sibi parantibus.*

DCII. An in moralibus admitti possit aut debeat rationis paritas.

Dico secundò. *Etiam mendici sunt sententia Vrbani VIII. pauperes.* Patet, quia & ipsi quotidiano labore & industriâ victitant; & aliàs etsi non victitarent hoc modo, ratio quæ operariis fauet ipsis à fortiori faueret, ipsis à fortiori faueret, bene enim scimus in rebus fauorabilibus admitti rationis paritatem, si in nullius grauamen aut nocumentum vergat.

Nota limitationem sequentẽ

Dico tertiò. *Etiam omnes famuli, & ministri (Aduocati Iurium & Legum Professores, Senatores, Chirurgi, Medici, Pharmacopæi &c.) qui carent patrimonio, vnde viuant, asseruntur à Pontifice esse Pauperes,* quia & ipsi quotidiano labore & industriâ victum quærunt.

Præcedentis doctrinæ explicatio seu limitatio.

Consultò illud, *victum quærunt*, inculco: quotquot enim commodè viuunt, et præter necessaria ad victum et amictum lucrantur, etsi mechanici sint, non sunt pauperes. Vnde patet quo sensu sint intelligendæ tres vltimæ Assertiones, quas posuimus.

QVAE-

QVÆSTIO VI.

An Eminentiſſimus Princeps poſſit in Impedimentis matrimonij ſine vlla cauſa diſpenſare?

DCIII. Perſonæ tres, & cauſæ tres.

TRes cauſas, rationes operandi, ſeu circumſtantias reperio, ſicut & tres perſonas. Perſonæ ſunt Pontifex qui delegat; Princeps qui concedit; ſubditus cui conceditur fauor. Ex parte ſubditi, ſi Bullæ inſiſtamus, requiritur quod pauper ſit; aliàs enim eſt fauoris recipiendi incapax; pauper quidem iuxta ea, quæ præcedenti quæſtione reſoluimus. Ex parte Pontificis requiritur etiam rationabilis ratio: eam exponit ipſe dicens: *Nos earum (perſonarum) ſtatui, & animarum ſaluti paterna charitate conſulere volentes.* Ex parte etiam Eminentiſſimi Principis neceſſariò debet dari aliqua ratio prudens & mediocris, ne dicatur pro ratione voluntas. Aliquæ enumerantur in Bullâ, alias rationis paritas ſubminiſtrabit. Suppono non tenere diſpenſationem in raptu formali, vt conſtat ex illis verbis, *dummodo mulieres propter hoc raptæ non fuerint*, quæ bis ponuntur; & circumſtantias, in quibus valebit diſpenſatio, propono.

Nota illud propter hoc.

Cauſa prima.

Prima eſt, *ſcandalum hæreticorum*, & quidem expreſſa verbis iſtis, *Ad euitanda ſcandala, quæ ob vicinitatem hæreticorum contingere poſſent.* Nemo enim ignorat, nos in noſtrâ religione firmari, cùm vitia & peccata Martini Lutheri & Ioannis Caluini legimus & audimus, adeoque ipſi etiam in ſuæ hæreſeos ſolent errore firmari, cùm noſtras miſerias, culpas, & exorbitantias percipiunt. Sed firmantur in hæreſi irrationabiliter: fidei enim Orthodoxæ veritas & ſecuritas à moribus improborum non dependet.

Cauſa ſecunda.

Secunda eſt *dotis inſufficientia*. Naſcitur ex paupertate in familijs illuſtribus; nam Senator, qui patrimonium non habet, pauper eſt; quotidiano enim labore & propriâ induſtriâ victitat; & ſi habeat pecunias ſufficientes, vt det filiæ dotem, quantam alij ſenatores ſuis dare filiabus conſueſcunt, Eminentiſſimi Principis adſiſtentiam & diſpenſationem implorare non poteſt: cæterum ſi detur conſanguineus, qui qualitate æqualis minori ſit dote contentus, huic dare filiam poterit Principe diſpenſante; id enim ſonant apertè illa verba, *ſiue ex eo quòd mulieres dotem habeant minùs competentem.*

Cauſa tertia.

Tertia eſt *ciuium raritas*. Nota illa verba, *ob locorum anguſtias*. Contingit enim in paruis aut pagis aut oppidis ita eſſe omnes ſanguine commixtos, vt difficulter reperias, cui æquali & competenti viro filiam tradas; ne ergo cogaris quærere peregrinas ſponſas, filij tui quietem & tranquillitatem periculo exponendo, conceditur Eminentiſſimo tuo Principi, vt in tali circumſtantiarum anguſtia poſſit tibi fauere diſpenſando.

DCIV. Cauſa penultima.

Quarta eſt *inimicorum concordia*. Sæpe enim contingit ſopiri lites, controuerſias, diſcordias conſanguineorum connubio. Nota illa verba, *Ad ſedandas inimicitias*.

Cauſa vltima.

Quinta eſt *rationis paritas, ſeu cauſa præcedentibus ſimilis*. Admittitur expreſsè à Pontifice dicente, *aut ob alias rationabiles cauſas.*

QVÆSTIO VII.

An Eminentiſſimus Princeps poſſit intuitu diſpenſationis aliquas pecunias recipere?

DCV. Poteſt indemnis reddi.

REſpondeo, poſſe eum recuperare expenſas, nimirum pecunias, ſi quas expendit Bullam hanc procurando. Ratio eſt; quia nemo tenetur fauere aut ſeruire alteri cum proprio damno, maximè ſi ille alter ſatisfaciendo ſit.

An poſſit recipere pretium?

Dico, Eminentiſſimum Principem poſſe pecunias exigere in diſpenſatione, licèt non pro diſpenſatione. Puta, ſufficientes, vt indemnis reddatur, iuxta ea quæ ſub initium diximus; & etiam congruas vt ipſi luant, ſi peccando & ſe carnaliter cognoſcendo extorſerint diſpenſationem. Lego enim in Bulla, *Impoſita illis propter præmiſſa aliqua publica vel alia pœnitentia ſalutari, prout magis expedire iudicaueris.* Poteſt igitur illis imponi pœnitentiæ titulo, vt tot diebus ieiunent, tot miſſas audiant, tot diſciplinas recipiant, tot templa viſitent; & cur non etiam, vt tot florenos elargiantur pauperibus, tot fiſco, &c.

Et imponere pœnas pecuniarias: ſed hoc non expedit.

Interim non laudarem, ſi pecuniaria pœna illis imponeretur; tum quia videtur non eſſe hæc Papæ mens; tum quia non eſt congruum, vt quos non vult grauare Summus Pontifex, alius grauet: tum denique quia ſuſpecta ſunt ſæpè ſupplicia, quæ pecuniam concernunt; debent enim ita Iudices in cauſis vniuerſis procedere, vt omnis ſuſpicio auaritiæ tollatur.

QVÆSTIO VIII.

An Diœcesis Moguntinæ pauperes possint sibi ab ipso Pontifice immediatè dispensationem procurare?

DCVI. Priuilegia nemini cõceduntur inuito.

AFfirmatiuæ parti adhæreo ; quia hæc Bulla, cùm priuilegium sit , neminem cogit;potest pauper illo vti & non vti.Adeoque liberè, si impedimentum habeat, potest ad Eminentissimum Principem , & si nolit ad eum , potest ad Summum Pontificem recurrere,vt dispensationem obtineat.

QVÆSTIO IX.

An Eminentissimus Princeps, vbi possit , etiam dispensare teneatur?

DCVII. An sit bona consequentia. Potest ergo debet.

CEnseo esse improbabilem opinionem affirmatiuam;nam Pontifex non semper tenetur dispensare,cùm potest, ipseque suam authoritatem Eminentissimo Electori legauit.Si daretur casus,in quo Pontifex deberet concedere dispensationem vel inuitus , etiam Princeps Moguntinus deberet; sed casus iste raro accidet , & si accidat, aut dispensatione non indigebit subditus, aut Bullâ non indigebit dispensator;necessaria enim non cadunt sub priuilegium , vt quæstione XII.dicemus.

QVÆSTIO X.

In quibus gradibus possit Princeps Elector dispensare.

DCVIII.

SI literæ rigorẽ & cõtextũ purũ recipies , in hac Bullâ nihil aliud conceditur , quàm vt in cognatione spirituali possit Archiepiscopus dispensare . Vi aliarum Bullarum in his gradibus poterit, qui expressè ponuntur,non in alijs . Si enim conceditur , vt possit dispensare in quarto, huius vi concessionis non poterit dispensare in tertio.

Proponitur casus curiosus. De gradibus cognationis & affinitatis; an in omnibus possit Princeps Elector dispensare ?

Sed proponis hunc casum. [Ausonio Archiepiscopo N. ob virtutes & merita concessit Summus Pontifex dispensandi in consanguinitate & affinitate licentiam, nullâ positâ limitatione]& desideras scire,in quibus ille possit gradibus dispensare ?

Respondebit nonnullus in tali casu posse probabiliter dici,concedi Ausonio,vt queat in omni affinitatis spiritualis & corporalis gradu,in ferè omni consanguinitatis, dispẽsare;Pontifex enim nullum limitat, nullum excludit, & concedere videtur quantum potest. Quamobrem abstrahendo à matrimonijs Patris & Filiæ , Matris & Filii, quæ à Naturâ interdicta dicuntur (non demonstrantur)reliqua talia sunt,vt certò,aut probabiliter Ecclesiæ clauibus subiici possint. Nam fratrum matrimonia(de reliquis à fortiori philosophor) esse iure naturæ valida , & solo humano inhibita , docent Hurtadus *tract.de matrim. disp* 17. *diff.* 5. *num.* 12. & apud eum Caietanus,Scotus,& alij.Ita etiam D. Thomas, Richardus, Durandus, Carthusianus,Abulensis,Armilla , Veracruz , Oleaster,Heruetus,& Aloysius de Leon,quos citat & sequitur Basilius Poncius *de matr. libr.* 7. *cap.* 32. *num* 3. quorum sententiam probabilem iudicant Sanchez, Præpositus, & alij.

De Matrimonio Patris & Filiæ, Matris & Filij Fratris & Sororis.

At quia ego existimo in legibus non tàm verborum rigorem , quàm Spiritum & animum considerandos, opinor solùm concedi authoritatem dispensandi in gradibus , in quibus Pontifex dispensare consueuit ; durum enim esset, quòd intuitu alicuius Diplomatis dispensaret Episcopus in gradu , in quo Pontifex nunquam aut raró dispensauit . Hìc enim videntur habere locum tres Iuris Canonici Regulæ , nimirùm , XXVIII. *Quæ à Iure communi exorbitant , nequaquam ad consequentiam sunt trahenda* . & VL. *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius , vel quod plerumque fieri consueuit*.& præcipuè,LXXXI *In generali concessione non veniunt ea , quæ quis non esset veresimiliter concessurus* . Cùm igitur videatur Pontifex negaturus licentiam dispẽsandi in primo aut secundo gradu,non erit dicendus in generali concessione eiusmodi licentiam concessisse.

In legibus magis sensus est curandus, quã verba.

Regulæ Iuris XXVIII. VL. & LXXXI.

QVÆSTIO XI.

An ex vi huius Bullæ possit Eminentissimus Princeps ad dignitates & hæreditates sæculares aliquem legitimare ?

DCIX. De legitimatione.

COnsidero illa verba,*Proles etiam respectiuè susceptas & suscipiendas exinde legitimas decernere & nunciare*. Et quia nõ videntur æquiuocationecarere.notare opórtet,aliud esse Franciscum fuisse ex legitimo thoro genitum , ac fuisse ex legitimo thoro natum . Quamobrem in feudis , quæ genitos ex legitimo thoro concernunt , excludi vidimus ex legitimo thoro natos,quòd non fuerint in legitimo geniti . Sed vtri vocabuntur

Filij ex legitimo thoro geniti, nati, suscepti.

buntur ex legitimo thoro susceptis? fortè vtrique, aut verius nati, non enim filj suscipiuntur cùm fiunt, sed cùm nascuntur. His ergo præmissis existimo.

Redemptione & præuentione.

Primò. *Proles ex huiusce modi matrimonijs (nempè ex Principis dispensatione legitima contractis) non indigere noua legitimatione, sed omninò legitimari præuentionaliter, impedimentum auferendo, quo non sublato essent illegitimæ & nothæ: eo omninò sensu ac verborum rigore, quo dicimus, Virginem à peccato redemptam, non quòd redempta fuerit ab illo, in quod incurrerat, sed quòd præuenta ne incurreret.*

Secundò. *Proles ex contuberniis consanguineorum & affinium exortas posse legitimari.* Primò, si sequatur parentum matrimonium legitimum, ineundum ex legitimâ dispensatione. Secundò, licèt illud nõ sequatur, modò illas Princeps legitimare velit. Ostenditur hoc vltimum; nam illud priùs ad controuersiam reduci non potest. Quia verbis expressis conceditur Eminentissimo Principi legitimandi authoritas, & tamen modus non determinatur nec limitatur; Ergo dicendus est, posse legitimare quocunque modo velit.

DCX. An Gallus ad dignitates Hispanas, Ecclesiasticus ad sæculares, sæcularis ad Ecclesiasticas possit aliquem legitimare?

Tertiò. *Hanc legitimationem vbique terrarum ad dignitates Ecclesiasticas, & ad sæculares ordinari.* Cæterùm: *Non puto Galliæ Regem posse legitimare aliquem ad dignitates sæculares Hispaniæ. Non puto posse Principem sæcularem legitimare aliquem ad dignitates Ecclesiasticas.* Inquiris. An sicut Princeps sæcularis non potest legitimare ad dignitates Ecclesiasticas, sic etiam de summo sit Pontifice philosophandum: maximè cùm eum concedere legitimationes ad Politica officia non videamus?

Respondeo, quid dicendum sit constare ex dictis. Si enim legitimationes Politicas negat Pontifex, non illas negat, quòd non possit eas concedere, sed quod nolit. Habet enim ille Ordinariam & extraordinariam Potestatem, de quibus, vberrimè disputo in Hierarchia meâ Ecclesiasticâ, & in alijs libris: cæterùm, vt suauiùs gubernet Ecclesiam (nisi contrarium exprimat) non vult in concedendis priuilegijs terminos ordinariæ iurisdictionis excedere. [In Bohemia hæc recognosco, & addo, Bohemos nolle legibus alienis etiam in alienis prouincijs gubernari; & quod mirabile est, non admittere testamenta condita Parisijs v.g. iuxta leges Gallicas, aut Madriti iuxta *Hispanas*, sed ipsis esse invalidum vbique terrarum illud fiat, si iuxta Bohemicas non fiat.]

De Bohemorum testamentis.

Obiectio: An fauor fiat inuito?

DICES: Sæculares omnes leges de Matrimonio, latas ad subsidium Ecclesiæ, adeoque, cùm nemo debeat fauere inuitæ, cessare eas omnes, cùm lex Ecclesiastica cessat. Ergo quando dispensat Pontifex in lege Ecclesiasticâ, & illegitimos legitimos censeri permittit, cessant leges ciuiles, & qui Ecclesiæ fauorem & clementiam sentiscunt, redduntur legitimi etiam sæculariter.

An legitimati ab Ecclesia sint sæcularium promotionũ capaces? Obiectioni fit satis.

Omnia fluerent, si primum antecedens staret: at quia non stat, obiectio corruit. Dico igitur, tribus modis posse idem præcipi Ecclesiastica & sæculari lege; nam vel hæc fertur in subsidium illius, aut illa in subsidium huius, aut se habent disparatè. Si primum, si secundum dicatur, lex adiuuans existet existentiâ legis adiutæ; & hanc ob rem cessante lege, cui subsidium præbetur, cessat illa, quæ subsidium præbet: si tertium dicatur, erunt independenter, nec ab vnius dispensatione alterius pendebit dispensatio. Omnia exemplis illustro. I. Iubet Ecclesia solui decimas sub pœnâ excommunicationis, verbi gratiâ: & Rex præcipit, vt qui illas non soluat, flagelletur. Franciscus obtinet à Pontifice dispensationem primæ legis, & hoc ipso non subiacet rigori secundæ. II. Præcipit Rex, ne quis grana exportet, & hanc legem Pontifex censurâ Ecclesiasticâ tuetur, & asserâ, eũ qui ex licentiâ Regis grana exportet, obnoxium censuræ non esse. *III.* Interdicit Deus homicidia: aliqua *Ecclesia* sub censuris: eadem Rex pœnâ capitis. Leges sunt concomitantes, & qui absoluitur à peccato & censurâ, adhuc subest rigori politicæ legis.

Leges Ecclesiasticæ & sæculares tribus modis concurrunt.

Interdum leges Sæculares tuentur Ecclesiasticas.

Interdum istæ illas:

interdum se habent disparatè.

Hinc patet, leges sæculares contra spurios & illegitimos, vel esse latas in subsidium Ecclesiæ, vel independenter ab Ecclesiâ in odium adulterij & luxuriæ. Si primum: hæ leges sæculares legum Ecclesiasticarum existentiâ existunt, subsistentiâ subsistunt (placet phrasis Thomistica) si secundum: Leges sæculares ab Ecclesiasticis non pendent, & hanc ob rem illis sublatis adhuc in vigore persistunt.

Conclusio.

Quartò. *Posse Eminentissimum Principem quà supremum sui Principatus sæcularis dominum, legitimare aliquem ad sui territorij dignitatem, & hæreditates sæculares, non iam ratione Pontificij huius Diplomatis, sed ratione suæ secularis authoritatis, ni contrarium expressa lege, à se indispensabili, sancitum sit.* Patet; quia vnusquisque supremus Dominus, qui potest leges condere, potest etiam ad adeundum hæreditates, & dignitates suę regionis habilitare & legitimare.

QVAE-

QVÆSTIO XII.

An hæc Bulla ſit neceſſaria?

DCXI. Sæpe licentiæ petuntur, quæ nõ ſunt neceſſariæ.

SAEpe contingit, homines timoratæ cõſcientiæ petere indulta faciendi ea, quę ſine indulto poſſent: adeoque incipis dubitare, An hæc Bulla, Eminentiſſimo Principi Electori conceſſa, ſit neceſſaria? hoc eſt, an etiam ſine ipſa poſſit ipſe eaſdem concedere diſpenſationes? Sit

Concluſio. *Cùm dantur cauſæ grauiſſimæ, & vrgentiſſimæ, ſi periculum in mora ſit, & non pateat aditus ad Summum Pontificem (eo videlicet caſu, quo aliquis nec per ſe, nec per procuratorem Romam adire poteſt) plus ex ordinaria ſua authoritate, ſine nouo priuilegio aut Diplomate poteſt quicunque Epiſcopus, atque adeo ipſemet Eminentiſſimus Archiepiſcopus Mozguntinus in ſua diœceſi facere, quàm in iſta Bulla conceditur.* Cæterùm, *Cùm dantur cauſæ læues, Epiſcopi ex ordinaria ſua authoritate pauca aut nulla poſſunt, & Eminentiſſimus Princeps virtute huius Bullæ multa poteſt.*

De impedimento occulto.

Probatur. PRIMO' enim, quando matrimonium eſt contractum de facto publicè, & impedimentum eſt occultum, & coniuges ſeparari non poſſunt ſine ſcandalo, nec ad ſummum Pontificem patet aditus, poteſt quicunque Epiſcopus diſpenſare, ſiue contrahentes ſint pauperes, ſiue non. Dicendum eſt non patere aditum Pontifici *I.* Si contrahentes non habeant media ſufficientia, vt ſoluant expenſas & iura, quæ in ſimilibus caſibus ſolent à Curialibus Romanis exigi: ipſæ enim ſemper multo minores, quàm ſi ipſimet contrahentes ad iter Romanum ſe accingerent. II. Si diuites ſint, & tamen multis leucis diſtent ab vrbe, & ſine ſcandalo ſeparari non poſſint: non enim tenentur in conturbernio conuiuere, & quia ſeparari non poſſunt, debent habere in ſuâ prouinciâ ad quem recurrant petendæ diſpenſationis gratiâ. III. *Roma*, diſtet paucis aut multis leucis, modò tabellarijs ratione bellorum non pateat ſecurus tranſitus; nemo enim tenetur miſerias ſuas ſecretas literis perdendis, & ad hoſtium manus venturis commendare; tunc igitur pauper, aut diues ſis, ad epiſcopum potes confugere, & eius clementiam & diſpenſationem impetrare. Hæc omnia poſſe quemcumque Epiſcopum, *certum eſt*, vt vtar verbis Dianæ *part. 2. tract. 16. reſol. 17.* ita enim, eodem teſte, tenet communis Doctorum ſententia: & expreſsè, præter Dianam & Me, Coninch. *de Sacram. diſp. 33. dub 3. num. 32.* Sylueſter *verb. diſp quæſt. 9. §. 15.* Fernandez *in examine Theolog. par. 3. cap. 16. §. 4. num. 1.* Rodriguez *in ſumm. tom. 3. cap. 35. num. 2.* Franciſcus Leo *in theſ. for. Eccl par. 2. cap. 8. num* 43 Gomez *in Bullæ cruciatæ clauſula 9. num.* 58 Nauarrus *cap. 22. num* 85 Valentia *tom 4. diſp. 10. quæſt. 5. punct* 5. Leſſius *libr. 2 cap. 40. dub* 18. *num* 128. Gutierrez *canonic. qq. lib. 1. cap* 23. *num.* 18 *& de matrim* 49. *num. 6. & ſeqq.* Armilla *verb. Diſpenſatio. num.* 20. Henriquez *libr* 12 *cap. 3. num.* 2 Sanchez *de Matrim lib. 2. cap. 40. num* 7. Villalobos *in ſumm tom. 1 tract. 14. diff. 25. num. 6* Bonacina *tract. de matrim. quæſt. 3 punct. 15. num. 6* Reginaldus *in praxi tom. 2. libr. 31. cap* 27 *num.* 205 Ex quibus obiter nota Petrum Molineum fruſtra moliri multa contra ſedem Petri, ignorantiam ſuam potiùs, quàm ſedis dignitatem oſtendendo. *Subit animum*, inquit libr. de Monarch. temporali Romani Pontif. cap. 26. num. 3. pag. mihi 346. *non mediocris admiratio, cùm cogito quanta ſit Italorum & Romanorum prærogatiua, & ad ſalutem πλεονέκτημα: vtpote, qui remiſſionem peccatorum habent ſub manum & in propinquo: At Hiſpanis, Polonis, Hibernis, iter immenſum, & ſumptus par labori. Sed & meliùs agitur cum diuitibus, quibus eſt equus & valetudo integra, nam pauperes & languentes, ſumptibus deterriti, & labori itineris impares, tam larga indulgentia fraudantur.*

Molineus impugnatur.

Et quidem omnia, quæ calumniosè effutit, eſſent vera, ni penes Epiſcopos eſſet ſolida & integra diſpenſandi authoritas, vbicunque diſpenſationem implorantes sũt pauperes, ægri, imbecilles, aut tales, qui nec per ſe, nec per procuratorem *Pontificem* adire poſſint. Sed quia Chriſtiana Theologia hanc authoritatem Epiſcopis abſolutè concedit, Molinei verba falſa omnia & iniuria ſunt, ex mera ignorantiâ ſuborta.

DCXII. Præcauendũ omninò, ne ſequatur infamia.

SECVNDO' antequam matrimonium contrahatur, ſiue pauperum ſiue diuitum ſit, ſi timeatur infamia aut ſcandalum ex eius aut omiſſione, aut dilatione, ſic omnia debent diſponi, vt nulla perſona diffametur, nulla ſcandalizetur: Ergo ſi non poſſint omnia ſic diſponi recurrendo ad Pontificem, ſufficiet recurrere ad Epiſcopum, aſſerente Sanchez, Henriquez, Villalobos, Reginaldo, Bonacina, & Diana, *vbi ſupra*, quibus adhærent Molſeſius *in ſumm tom. 1. tract 4. cap. 12 num* 3e. Barbaroſa *de poteſt. Epiſc. part. 2 alleg* 35. *num.* 5 Homobonus *de Examine Eccleſiæ part. 1. tract. 5 cap. 5, qu. 32.* Victorelus *in notis ad manual. Nauarri*, Baſilius Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 13. num 6* & apud ipſum Vaſquez etiam & Salas. Valentiam ille, & etiam Bonacinam pro hac sẽtẽtiâ adducit, ſed malè, ſi credimus Dianę.

DCXIII. An opinio ſingularis hoc ſolo nomine reiici debeat?

Hanc veritatem Sanchez tam claram iudicauit, vt auſus fuerit illam docere & imprimere, tametſi ſingularem, et nullius authoris putarit; ſed vt videmus multo-

rum illa eſt, & valdè tuta. Illam ipſemet authoꝛ hoc exemplo ſolidiſſimè illuſtrat [Accedit mane confeſſura quæ reperitur habere impedimentum dirimens, cuius detectio infamiam ei pareret, & omnia ſunt parata ad nuptias celebrandas veſpere, aut tali die determinato; tentatis omnibus mediis, nulla via aperitur ad tollendam infamiam, aut ſuſpicionem grauis delicti in confeſſione manifeſtati, ſi tunc non celebrentur nuptiæ, in huiuſmodi caſu, teſte Sanchez, poteſt Epiſcopus diſpenſare, ſiue contrahentes ſint pauperes, ſiue diuites, ſiue opulenti] Ex hoc ad alios caſus ſimiles tranſcurre, in quibus detur par reſoluendi ratio.

DCXIV. Impedimenta à criminibus nata.

Tertiò præter impedimenta cõſanguinitatis & affinitatis dantur impedimenta orta ex criminibus, nempè ex uxoricidio. *c. qui presbyterum de pœn. & remiſſ.* ex matrimonio cum moniali ſcienter inito, *cap. bi ergo. 27. q. 1.* ex eo quod ob peccatum debuerit quis publicam pœnitentiam agere. *c. de his 33. quæſt. 2.* ex inceſtu cũ conſanguineis coniugis aut ſpõſæ adhuc viuẽtis *c. 1. 2. & c. tranſmiſſæ, de eo qui cognoſcit & c.* an hæc impedimenta ſint obſoleta & iam per non vſum exciderint, quærunt Theologi; & Ego præſcindendo ab occiſione alterius coniugis, in quò multæ latent difficultates, agens de criminibus reliquis, puto vtrumq; poſſe probabiliter dici. Sublata credunt Diana *part 3. tract. 4. reſ. 259.* & apud eum Coninch, Sotus, Veracruz, Sanchez, Baſilius Pontius; negant Rebelius *lib. 3. q. 18. num. 23.* & alij penes ipſum; Supponendo igitur Dianæ ſententiam, dicam in eiuſmodi caſibus diſpenſationem non requiri: & ſtando Rebelij ſententiæ, dicam in talibus impedimentis ralaxandis non debere recurri ad Pontificem, ſed ſufficere Epiſcopi diſpenſationem. Ita Nauarrus *lib. 4. conſil. 9. num. 5. de conſang. edit. 2.* & hoc ex communi Doctorum ſententia.

An abſoleta ſint?

DCXV. De raptu.

QVARTO circumſtantia raptus ita vrgetur ab Vrbano VIII. vt non ſolùm impediat matrimonium, ſed ſpem etiam diſpenſationis obtinendę proſcribat; ſemel enim et iterum lego, *Remanere liberè & licitè valeant, dummodo mulieres propter hoc raptæ non fuerint, & c.* & tamen Theologi exiſtimamus

I. Matrimonium contractũ cũ ea, quã quis rapuit libidinis explendæ gratiâ, licèt in raptoris poteſtate exiſtente eſſe aliquando (licet rarò) validum, nec laborare aliquo impedimento. Ita Sanchez *tom. 2. lib 7. diſp. 13. nu. 4.* Coninch *de Sacram. diſp. 31. dub. 4. num. 48.* et Diana *part. 3. tract. 4. reſol 261.* ita et Cardinalių Congregatio, teſte Mazilla, quorum ita ſententiam amplectaris, vt illæſa maneat hæc certiſſima Theologorum Aſſertio: *Vbi datur figura raptus aut metus non tollitur impedimentum per actum interni conſenſus; ſed omninò requiritur, vt actu externo conſtet de conſenſu, nam aliàs erit impedimentum'.*

Quando nõ inferat impedimentũ.

II. Raptum volentis puellæ, ab inuitis parentibus etiam propter hoc, vt loquitur Vrbanus VIII. hoc eſt ad ineundum & contrahendum matrimonium, non inferre aliquod impedimentum. Ita Sanchez & Diana *vbi ſupra.* Filiucius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 8. num. 265.* quod & probabile putat Coninch iam citatus.

III. Supereſſe, vt ſolũ agat Conciliũ Tridentinũ *ſeſſ. 24. c. 6 de reform. matri.* de raptu puellæ inuitæ, & nondũ libertati reſtitutæ; vbi enim ex raptoris poteſtate extrahitur, hæc circũſtãtia & impedimentũ omninò ceſſant.

DCXVI.

Dices. Tridentini Patres prudentiſſimè potuerunt actus internos reſpicere; probabile enim eſt de occultis & internis actibus Eccleſiam iudicare: at quia probabilius eſt de occultis illam non iudicare, probabilius illud impedimentum negatur. Diſcurris ſic. Vel Eccleſia iudicat de occultis, vel non; alterutrum dicas, non requiretur in raptu mulieris inuitæ Pontificis diſpenſatio. Ergo. Probatur Minor: nam ſi occulta ſit, violentia illa ſubeſſe non poteſt, ſi poſtea voluntaria voluerit contrahere, negareque voluntatem occultam quam habuit. Nec ſufficiet dicere illam fuiſſe externis ſignis manifeſtatam, nam & ipſæ, cùm voluntariè rapiuntur, pugnant reſiſtuntque, tanquam quæ nolunt vincere. Si occulta Eccleſiæ ſubſint, ſecretò illa & occultè iudicare debet, citra peccatoris iuſamiam. Et ſi ſecretò, quomodo iuuenes diuites ſint aut pauperes Moguntiæ exiſtentes, poſſint ſummum Pontificem ſecretò conuenire, & diſpenſationem obtinere non capis. *Sed reſpondeo*, hæc omnia ex defectu experientiæ procedere: poſſunt enim & ſolent ſine ſecreti vllo periculo: nam & ego in Bohemiâ ad petitionem confeſſarij multas gratias & diſpenſationes conceſſi, multas à Sanctiſſimo Domino noſtro impetraui, quin nomen illius ſcirem, cui fauebam: Quod, ſi aliquando non ſeruetur ſecretum, non legi, ſed his, qui negotia tractare neſciunt, debet abſolutè imputari.

An Eccleſia de occultis iudicet?

DCXVII.

Quintò, ſi ſtemus communi probabiliori ſententiæ, contrahere matrimonium ante legitimam ætatem peccatum mortiferum eſt. Ita Villalobos *in Summ. tom. 1. tract. 14. diff 14 num. 8.* Coninch. *de Sacram. diſp. 21. dub. 5. num. 54.* Gutierrez *de matrim. cap. nu. 16.* Bonacinna *de matrim. qu eſt 1. punct. 4. num. 7.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. par 1. cap. 7. num. 259.* Diana *par. 3. tract. 4. reſol. 276.* Baſilius Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 65 num. 3.* Henriquez *lib. 11. cap. 13. num. 13.* & in ætatis circumſtantia poterit ne diſpenſare Eminentiſſimus Princeps? Sanè ex vi Diplomatis præcedentis non poteſt; in eo enim de impedimento ætatis non agitur, & tamen diſpenſare poteſt, quia aſſerentibus Paludano *in 4. diſt 28. qu. 2. art. 1. num 8. &*

An poſſit matrimoniũ contrahi ante legitimam ætatem?

10.

10. Angelo *verb. matrim. 3. impedim. 16. num.* 7. Tabienâ *verb. matrim. 2. quæst. 6. num* 7. Henriquez, Filliucio & Dianâ *iam citatis* vniuersi Episcopi dispensare in hoc impedimento possunt.

Interim hîc notare oportet, Eminentissimi Principis Cardinalis Caietani nepotem voluisse contrahere cum Illustrissimâ Virgine N de Aquino: & quia erant pueri, recurrerunt ad Vrbanum VIII. qui tamen dispẽsare non voluit, & sic debuerunt expectare. Cur ergo non recurrerunt ad Archiepiscopum Neapolitanum?

DCXVIII. An fidelis cum infideli contrahere matrimonium possit?

SEXTO matrimonia fidelis cum infideli expresse excipit Pontifex in Diplomate, quod expositum est, cùm tamen ex naturâ suâ mala non sint, sed ratione periculi, quo non obstante ex causâ vrgenti & graui iniri posse docet Sanchez *de matr. tom. 2. lib. 7. disp. 72. num. 5.* Azorius *tom. 1. libr. &c. 11. quæst. 5.* Filliucius *tom 1. tract. 10. cap. 6. par. 2. quæst. 2.* Coninch *de Sacram. disp 31. dub. 3. concl. 3.* Bellarminus *de matrim. lib. 2. cap. 23. prox. 4.* Reginaldus *in Praxi tom. 2. lib. 23. num 169.* Serrarius *in opusc. de matrim. cath. cum her. num. 18.* Diana *par. 3. tract. 4. resol. 267.* quod si verum alibi, verius erit in ijs regionibus.

DCXIX. Casus sæpè propositus.

Hinc radius nouo dubio, quod non sine vtilitate decidetur. Est casus. Moguntinus, Lansgrauius, & alij Principes vicini habent homines ligios, seu seruos sibi personaliter obstrictos, qui sine licentiâ expressâ ad alias Principum ditiones transire non possunt, & quia præter Moguntinam aliæ prouinciæ sunt hæreticæ, meritò quis inquireret. *Primò*, An Princeps Elector possit dare suis licentiam, vt ad alias transeant cum tanto subuersionis periculo? *Secundò* an ex hypothesi, quod talem licentiam se daturum promiserit, non solùm eam possit concedere, sed & teneatur?

Resolutio.

Ad primum Respondeo affirmatiuè. Quia maius peruersionis periculum reperitur in cohabitatione matrimoniali, quàm in aliâ ciuili qualicunque. Atqui contractus & cohabitatio matrimonialis non habent malitiam ab intrinseco: ergo neque simplex & merè extrinseca cohabitatio. Ergo, siquidem non est contra legem naturalem contrahere matrimonia cum infidelibus, non erit etiam contra eandem pura cum eis cohabitatio. Omnia præter minorem patent, & illa ante paucas lineas multorum authorum testimonijs probata est.

Ad secundum respondeo etiam affirmatiuè. Nam illa licentia nullâ est lege Pontificiâ interdicta, nullâ Cæsareâ, & quod maius est, nulla naturali: atqui promissio, quæ nec contra Deum, nec contra Homines militat (hoc est quæ nec legi Diuinæ, nec Humanæ opponitur) debet seruari: ergo.

DCXX.

Ad obiectiones, quæ fieri poterunt, respondeo, omnes in periculo peruersionis fundari, quod à fortiori in matrimonio fidelis cũ infideli reperitur, quæ tamen ratio, vt vidimus, viros doctissimos non vrget. Accidit quòd illud subuersionis periculum non semper sit probabile; nam sæpè est remotissimum. Et si aliquando non solùm esset probabile, sed & euidens, nondum esset periculum peccati; non enim quæcunque hæresis peccaminosa est, sed formalis. Hæc omnia nimis certa sunt, & plus quàm probabilia; si adhuc scrupulus aliquis reliquus sit, alij Doctores Theologi & Iurisperiti consulantur, iubearque Ego casum, quem obiter & per accidens tetigi, ex professo resumere; videor enim videre clarissimè, non posse aliquid obijci, cui vel non sit hîc satisfactum, vel non possit ex dictis satisfieri, modò velimus rem bene examinare, & ad bonæ Theologiæ fundamenta reducere. Sed quia de hoc casu vberiùs scripturum me credo, redeo ad Bullam, à quâ tantisper fui digressus.

Hæresis materialis non est peccatum.

DCXXI.

Dico igitur, omnia ista, quæ sex diuersis articulis hæc vltima quæstio comprehendit, posse fieri ab omnibus Episcopis, adeoque ab Eminentissimo Principe, sine Pontificio priuilegio. An pro arbitrio? Minimè: sed pro prudentia & in casibus omninò vrgentibus: & præcipuè in impedimento raptûs, & in impedimento ætatis, in quibus non licet Episcopo dispensare, nisi grauissima causa illud postulet.

Quid possint Episcopi, & quomodo?

DCXXII.

PRopositiones præcedentes Authorum testimonijs probaui: superest, vt doctrinam generalem subiungam, quæ à ratione probatâ vniuersas subcollet. Sit ergo

Veterum Episcoporũ authoritas.

Prima Hypothesis. *In dispensationis materia veterum Episcoporum authoritas fuit absolutissima*. Est communis; certum est enim apud Ecclesiasticæ Historiæ professores, tantum olim Episcopos in proprijs diœcesibus circa materiam hanc potuisse, quãtum hodie in totâ Ecclesiâ Pontifex. Vide Becani verba, & adiunctam ponderationem, quæ dedimus superiùs *quæst. 1. §. Inquiris*

Hodie Episcoporum authoritas ad dispensandum in impedimentis à Pontifice aut Generali Concilio (sed hoc in idem recidit: quia sine Summo Pontifice non datur Generale Concilium) constitutis non se extendit: & cur hoc? an quia Episcopi cessârunt iure suo? an quia Pontifex contra illos præscripsit? minimè. Cur ergo? quia inferior dispensare in lege Superioris non potest: & quia Episcopalem authoritatem Christus subordinauit Summo Pontifici, qui illam potest restringere, vt patet in exemptione Regularium, casuum reseruatione, &c.

Quas ad se causas Pontifex aduocarit?

Secunda. *Cùm Pontifex ad se omnes causas dispensationum aduocauit, dicendus est illas solas aduocauisse, quæ aduocari potuerunt; non tamen illas, quæ non potuerunt aduocari.* Dantur ne causæ quæ non possint ad-

aduocari Romam? multas quidem: aliquas recenſebo. *Primò* enim datur leuium dubiorum, & probabilium impedimentorum diſpenſatio; *Secundò* grauium, ſed talium, quæ moram non patiuntur; *Tertiò* perſonarum, quarum ſupplicatio, tametſi moram patiantur, per accidens impoſſibilis eſſet ratione paupertatis; *Quartò* perſonarum quæ tametſi diuites ſint, non poſſunt adire Pontificem, nec mittere procuratorem ratione belli publici. *Quintò* diuitum, cùm non agitur de tempore determinato. *Quibus notitijs præmiſſis* ſtatuatur Hypotheſis

DCXXIII. De rationibus leuibus.

Tertia. *Vbi impedimenta ſunt leuia, non vult Pontifex ſibi diſpenſationem reſeruare.* Patet; quia ipſamet reſeruatio grauis eſt, graue Romanum iter, grauiſſimæ viæ & procuratorum expenſæ, ad quas iniuſtè ob cauſas leues cogereris.

DCXXIV. De impedimentis dubijs.

Impedimentorum dubiorum, aut merè probabilium diſpenſationem non vult ad ſe aduocare Summus Pontifex. Oſtenditur quia omnis lex debet Eſſe vtilis, hæc eſſet inutilis: ergo. Probatur Minor; quoniam impedimenta dubia aut probabilia, ſtando ſummo rigori Theologiæ, diſpenſatione non indigent; ad quid ergo ſeruire poſſet, quòd ſibi Pontifex reſeruaret diſpenſationes rerum, quæ non indigent diſpenſatione? & tamen licet neceſſariæ non ſint, tales diſpenſationes vtiliter ab Epiſcopis concedi ſolent ad maius ſubditorum ſolamen, qui ſæpè ſuas obligationes nonpercallent & in dubio habere diſpenſationem cupiunt.

An diſpenſatione indigeant?

Standum eſt pro poſſeſſione in omni dubio.

Nota obiter, hîc me agere de vero dubio, quod libertatem ſequitur: in dubijs enim beatus qui poſſidet: & quando dubium afficit impedimentum accreſcens pro carentiâ impedimenti ſtat poſſeſſio. Cæterùm, ſi ageretur de impedimento, quod dubium diceres, quia dubitas, an ſit per diſpenſationem ſublatum, tunc ego te malè loqui dicerem, & aſſererem impedimentum fuiſſe certum, diſpenſationem dubiam; & hanc ob cauſam poſſeſſionem pro impedimento contra diſpenſationem dubiam ſtare. Et conſequenter dicerem, in huiuſmodi dubijs non ſufficere Epiſcopi diſpenſationem.

De diſpenſatione dubia.

DCXXV. De periculo in mora.

Quarta. *Si impedimenta ſint grauia, & tamen ſit periculum in mora, ita vt graue damnum immineat, ſi matrimonium differatur, diſpenſatio non potuit reſeruari Pontifici* Et oſtenditur, quia leges humanæ non ſunt in damnum & deſtructionem hominum, ſed in ædificationem latæ, aſſerente expreſsè D. Paulo, nemo enim tenetur ieiunare cum periculo vitæ, aut audire ſacrum cum periculo perdendi bona. Ergo ſi ex matrimonij dilatione ſequi poſſit aut graue ſcandalum, aut peccandi periculum, illa pertinebit ad Epiſcopum, dicendaque erit non poſſe Romam aduocari.

DCXXVI. De inacceſſibilitate.

Quinta. *Nequit Pontifex ſibi reſeruare cauſam, diſpenſationem aut abſolutionem alicuius perſonæ, reſpectu cuius inacceſſibilis eſt.* Primò Pontifex eſt inacceſſibilis reſpectu pauperum, qui non habent media ſufficientia, vt Romam vadant. Nec audiendi ſunt Curialium ſcrupuli, dum dicunt nullum hominem pauperem eſſe, eumq; qui proprijs non poteſt, poſſe diſpenſationem impetrare expenſis ſui Epiſcopi; Epiſcopus enim non tenetur has expenſas ſubire aſſerentibus Sanchezio *in ſumm tom. 1. lib. 4. cap. 40. num. 39* Salas *de leg. diſp. 20. ſect. 3. num. 27.* Dianâ *part 1. tract 10. reſ 37.* ſi tamen detur modus, vt ad Pontificem recurrat, Epiſcopi diſpenſatio non ſufficit. Secundò ſi in narratione ipsâ debeat exprimi aliqua circumſtantia infamatoria. Sed in hoc caſu poſſet peti diſpenſatio à Confeſſario, & ipſe etiam poſſet vti nominibus ſcholaſticis (videlicet Titij, Semphronij, &c.) ne fama aut authoritas rei pericliteretur. Tertiò tandem innacceſſibilis etiam dicendus eſt, ſi bella & nebulones graſſentur, & itinera periculoſa ſint, & epiſtolæ ſoleant perdi, & aliquam iacturam ex earum publicatione poſſit aliquis pati.

Sexta. *Pontifex impedimentorum grauium certorumque diſpenſationem, ſi non ſit periculum in mora, valide & legitimè Romam aduocat, reſpectu perſonarum quibus per ſe, aut per procuratorem Romæ acceſſibilis eſt.* Patet ex præcedentibus. Ergo tunc ſtandum neceſſariò eſt Pontificis reſeruationi.

HINC PATET

Non ſolùm olim, ſed etiam hodie magnam eſſe Epiſcoporum authoritatem in diſpenſationum materiâ, Pontificemque non omnes cauſas Curiam Romanam aduocaſſe.

CAPVT

CAPVT III.

PRACTICVM.

Complectens Fundamenta ſpecialia, quæ Leges formaliter ſumptas concernunt.

DCXXVI. LEX ſumi bifariam poteſt: formaliter & obiectiuè. Cùm ptimo modo ſumitur, dicit actus Intellectûs & Voluntatis, in quibus conſiſtit formaliter: cùm ſecundo, dicit materiam, quam præcipit, quæ denominatione deſumpta ab libero voluntatis imperio dicitur *Lex obiectiua*, aut *Legis formalis materia*. Igitur de lege formali & eius attributis hoc capite ſumus diſputaturi, & in ſequenti de lege obiectiuâ & materiali. Fortè aliqua videbuntur vtrique argumento communia, & tamen non debebunt repeti, ne ſine causâ iterum iterumque eadem reponamus.

Lex bifariâ ſumitur.

FVNDAMENTVM XIV.

De Legum natura & ingenio.

Lex triplex, Moralis. Pœnalis, Mixta: Diſiunctiua, ſeu Conditionata.

DCXXVII. TRiplex eſt lex: Pœnalis, Moralis, & Mixta. Lex merè pœnalis non obſtringit conſcientias: Lex merè moralis non obligat ad vllam pœnam: Lex mixta obligat in vtroque foro. Videtur Lex pœnalis eſſe diſiunctiua & conditionata: nam ex ſuppoſitione quòd violetur, obligat ad acceptandum pœnitentiam.

Omnis humana authoritas & Poteſtas à Deo. Et cur conceſſa?

Omnis humana *Iuriſdictio* & Authoritas à Deo eſt; conceſſa nimirùm Rerumpublicarum Rectoribus non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem. Superior, qui potentia ſubditum iniuſtè opprimit, gladium diuinitùs conceſſum, vt Dei cauſas defendat, temerè aſſumit contra Deum.

DCXXIX. *Multi* hodie abutuntur Deo contra Deum.

ET quot ſunt hodie quæſo, qui Deo & hominibus ingrati abutuntur conceſsâ cœlitùs authoritate! Quàm multa & gravia Principes, quæ non facerent, ſi potentiâ carerent! Ergo in iis illi omnibus contra Deum & contra dignitatem delinquunt; & in hoc veniâ indignores ſunt, quòd ſe inde minùs peccare putent, unde graviùs exorbitant. Hinc patet Reges & Principes bifariam peccare ſolere, ut Homines & ut Superiores. Peccant quidem vt homines, cùm ex fragilitate committunt, quæ cæteri mortales ſolent

Et ſunt ſceleratiores.

Principes peccant bifariam.

lent. Peccant ut ſuperiores mortaliter, hoc eſt, in materiâ ſui officii, cùm negligenter agunt res, quas ſtrenuè deberent: at ipſi formaliter, ut ſuperiores, quando ut malè agant authoritate & impunitate ſuæ dignitatis abutuntur. Pono exemplum. Dauid concupiuit Berſaben Vriæ uxorem; & hoc ut homo fragilis; ſi illam precibus ſolicitauit, hoc etiam ut homo peccauit: nam preces moderatæ communes ſunt priuatis & prælatis. At miſsis nunciis tulit eam, hoc eſt, rapuit, violentiam intulit, & hanc ut Princeps. Tandem adulterio addidit homicidium, & Vriam remittens ad Ioabum, Vaſallũ & optimum militem prodidit, nempè hac Epiſtolâ: *Ponite Vriam ex aduerſo belli, vbi fortiſſimum eſt prælium, & derelinquite eum, vt percuſſus intereat.* Et hæc omnia vt Rex; Ergo in homicidio iſto Dauid peccauit formaliter vt Rex; fuit enim abuſus ad deſtructionem ſubditi authoritate, ad defenſionem à Deo datâ.

Et vt ſuperiores.

Regis Dauid peccatum.

FVNDAMENTVM XV.

De Legum Quantitate.

DCXXIX. Leges non debent eſſe multæ.

LEgum & præceptorum numerus deberet Lege ſeueriſſima determinari vbique; nam alicubi Leges video de Legibus non multiplicandis. Aliquando Legum paucitate peccatur, & aliquando multitudine grauiùs; quoniam Leges, ſi nimis multæ, contemnuntur, & contemptæ non regunt, ſed turbant Rempublicam.

Rarò legum paucitate peccatur.

Contemptæ nocent.

DCXXX Ciſtertienſium Hiſpanorum cura, ne leges multiplicẽtur ſine cauſâ.

VIdi in Hiſpaniâ multas in variis Monaſteriis leges latas à priuatis Abbatibus: & in Ordine Ciſtertienſi Angelo Manrique ad Generalem dignitatẽ promoto reduci omnes ad paucas. Angelo Martinus Gutierrez ſucceſſit, qui interdixit Abbatibus vltra duas aut tres leges morales ponere, quæ obligarent conſcientias. In caſuum reſeruatione magna erat in Europa ſeueritas abuſusque. Singuli ſuperiores, quos volebant ſine delectu, nec ſemper ſine delicto, reſeruabant. Condoluit ſubditis Clemens VIII. & authoritatem reſeruandi reſtrixit, iuſſitque nullum caſum, præter vndecim à ſe determinatos, poſse reſeruari à Prælatis: & Capitulis generalibus adhuc conceſſit, vt vnum reſeruare poſſint præter illos.

Rarò & paucos caſus ſeruandos.

DCXXXI.

Ego, vt rem fatear, cùm tot leges morales & reſeruationes video in aliquibus communitatibus, & ad Hiſpaniam conuerto oculos, pronuncio, aut Hiſpanos errare aut Germanos. Multis annis fui in *Hiſpaniâ* diſcipulus, multis Profeſsor, & putaui caſus reſeruatos eſſe entia aliqua mathematica vel ſpeculatiua, quæ nunquam reducerentur ad praxin; nam in nullâ communitate vnquam fui, in quâ eſset aliquis caſus reſeruatus. A multis annis habeo ſubditos, & veſtigiis Hiſpanorum inſiſtens nullum caſum reſeruo, nullam legem moralem fero, & tamen experior ſufficere leges pœnales. Si liceat ſincerè loqui, meam mentem exponam in hac parte. Chriſtus nobis Prælatis authoritatem ſuam delegat, vt ſimus in terris Pro-Chriſti, hoc eſt Chriſti Vicarii: [vnde S. Benedictus in Regulæ Capite II. *Abbas, qui præeſſe dignus eſt Monaſterio, ſemper meminiſſe debet quod dicitur, & nomen Majoris factis implere: Chriſti enim agere vices in Monaſterio creditur; quando ipſius vocatur prænomine dicente Apoſtolo, Accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus* ABBA *Pater*] Et ſtatim abbas, qui vt indulgeat genio & quietè dormiat, Leges morales in ſuo *Monaſterio* multiplicat, eidem Chriſto authoritatem ſuam ſubdelẽgat; vnde oritur, vt idem Chriſtus ordinariam habeat & ſubdelegatam poteſtatem, non minori, vt exiſtimo errore, quàm ſi Prorex, vt dormiret & quieſceret, Regi ſuo ſubdelegaret poteſtatem.

Nexxxii. Prælatus eſt Chriſti Vicarius.

Eſt interdũ legum multiplicatio nociua.

An ſuam Chriſto ſubdelegare queat authoritatem?

FVNDAMENTVM XVI.

De legum Qualitatibus.

Legum proprietates.

SOlent enumerari multæ, ſed tres propono, characteri- DCXXXIII.
cas, quæ ſunt quaſi concomitantes, proprietates, ſine quibus Lex ſubſiſtere nequit: Lex enim debet eſſe *Poſſibilis, facilis, Vtilis*. Debet, inquam, Lex eſſe poſſibilis; fruſtra enim præciperentur, quæ non poſſent ſeruari. Et in hoc nolumus Leges diuinas ab humanis diſtinguere; illæ enim ſeriæ ſunt, & qui impoſſibilia præciperet, ſeriò non ageret. Debet eſſe etiam facilis; ſummè enim difficilia inutiliter præcipi ſolent, & dicuntur moraliter impoſſibilia: Et tandem debet eſſe vtilis; non enim licet ſuperiori iubere quidquid velit, ſed quod expediat, & populo ſibi commiſſo proſit.

Impoſſibilia nec à Deo, nec ab Homine præcipi poſſunt.

DCXXXIV. FOrtè alicui videbitur probabile aut certum poſſe humanitùs, aut fortè ſaltem diuinitùs impoſſibilia homini præcipi: nam hodie aliqui Theologi, tametſi Catholici velint audire, Legem DEI impoſſibilem aſſerunt: & multi cauſantur, cùm legunt Benedictinos vi Regulæ obligari ſæpiùs ad impoſſibile. Contra Theologos illos, qui non tam poteſtatem quàm tyrannidem Deo affingunt, voluntque illum nos ad impoſſibilia obligare, multa alibi ediſſero; & modò ſolummodò produco verba Tridentini Cõcilij dicentis: *DEVS impoſſibilia non jubet, ſed jubendo admonet & facere quæ poſſis, & petere quæ non poſſis, & adjuuat vt poſſis.*

Idem eſt dicere Deum eſſe tyrannum, ac Deum impoſſibilia jubere.

FVNDAMENTVM XVII.

De Legum Relatione ſeu Fine.

DCXXXV. MVltas in legibus Relationes poſſumus conſiderare; at minùs neceſſarias omnes illa excepta, quę ordinatur ad finem: non enim lex dari poteſt aut concipi, quæ fine careat: Ceſſante fine adæquato Legis naturalis (quo nomine Decalogum intelligo) in caſu aliquo particulari, ceſſare etiam eiuſdem Legis obligationem in eodem caſu particulari certum eſt, non quòd lex maneat & obligatio ceſſat, ſed quòd in tali caſu non eſt talis lex. Et certum etiam (NB.) non obligare ſtrictiùs Leges Humanas, quàm Diuinas. Ergo ſicut de Diuinis, ſic etiam de Humanis, aut benigniùs fortaſſis de iſtis erit philoſophandum.

An ceſſante fine legis totali, ceſſet ipſa lex, in caſu aliquo particulari?

An-ne ſtrictiùs obligent leges humanæ, quàm diuinæ?

DIana parte primâ, tractatu 10. disputat. de legibus eruditissimè, & leges in ordine ad diuersa connotata considerat, & expendit. Nos singula explicare non volumus, nec debemus; sed ea tantùm, in quibus specialis difficultas reluceat; & hanc ob rem vnam aut alteram difficultatem expendemus.

QVAESTIO I.

An cessante fine adæquato legis humanæ in casu aliquo particulari, cesset etiam eiusdem legis obligatio quoad illum particularem?

DCXXXVI. ESse scio illustrissimorum Scriptorum sententiam, quæ affirmat, *cessante fine adæquato legis humanæ in aliquo particulari, non cessare ipsam legem*: at eosdem satisfeciss: rationi præmissæ non scio; nunquam enim audiuisse me memini aliquid pro seuerâ opinione, quod solutione egeret. Porrò rationem, quam in textu insinuaui, repono: & sic inquam [*Strictiùs obligat lex Diuina quàm humana, aut æquè strictè etiam, si velis, non verò minùs strictè: At cessante fine legis Diuinæ in aliquo particulari, cessat lex ipsa in illo casu particulari: Ergo idem dicendum est de lege humana. Nam aliàs esset multò strictior Diuina*]

Ratio fortissima.

Conclusio.

Ponamus igitur *esse veram, & si liceat sic loqui, demonstratam sententiam, quę legem in tali casu cessare asserit.*

Authores pro contraria sententia.

Sed ais, me temerè vocare *demonstratam sententiam*, quam tot illustres Scriptores reijciunt. Eam Angelus Maria Verricelli, quem inferiùs citabo, iudicat minùs probabilem, ait enim: *Communis & probabilior opinio est, non cessare legem, cessante fine adæquato legis, in casu particulari. Ita Suarez, Sanchez, Vasquez, Coninch, Sotus, Conar, Bonacina, & triginta alij apud* Dianam *par. 1. tract. 10. resol. 28* Et Diana, quem nominat, hæc habet [*Pro negatiua sententia* stant ferè omnes Doctores (*nota bene illud* ferè omnes, *nam si id est verum, negatiua deberet dici* ferè certa moraliter) & ita docet Layman *in Theol. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 21. num. 3.* Vasq. *in p. 2. tom. 2. disp. 163. cap. 3. num. 19.* & *Opusc. de rest. cap. 1. dub. 1. num. 4.* & *Opusc. de reddit. cap. 2. §. 2. dub. 14. num. 5.* Suarez *de legib. ibid. cap. 6 lib. 3. cap. 23. lib. 5 cap. 25.* Salas *etiam de legib. tract. 14 disp. 10 sect. 4. num. 19. disp. 5 sect. 7. num. 14.* & *tr. de censuris dub. 8. num. 16.* Molina *tom 1. disp. 81. ad 3 arg. secundæ sent. in fin.* Reginaldus *tom. 1. lib. 13. cap. 18 qu. 3. num. 180.* Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 15. num. 37.* & *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 3. num. 7.* & *9.* Rebellius *p. 2. lib 11. qu. 13. num. 7.* Coninch. *de Sacram disp. 7. dub. 9. num. 86.* & *disp. 14 dub. 14. num. 144.* Becanus *in sum. Theol. p. 2. tract. 3 cap. 6 concl. 4 num. 5 in fin.* Villalob. *in summ tom 1. tr. 2 dub. 36. num. 36.* Miranda *in manu Pral. tom. 2 qu. 25. art. 23. concl 2.* Sotus *de Iust lib 1. qu. 6. art. 2.* Lorca *in p. 2. tom. 2. disp. 26. de legib.* Aragonius *in 2 2. qu. 62. art 4. de dominio.* Medina *in p. 2 qu. 98. art. 6.* Anguianus *de legib. lib. 1 contr. 3.* Salonius *in 2. 2. tom 1 qu. 5. art. 4. concl. 5. ad 1. arg. de domin.* Felicianus *de censib. tom 2. lib. 1. cap 8. num 6* Sarmiento *select inter libr. 2 cap 12. nu 8.* Couarruuias *in 2. par. decr. cap. 6 §. 9. num 8.* Malderus *in p 2. qu. 96. art. 5. & 6.* Sayrus *in claui Regia lib 3. cap. 2. num 6 & cap 7 num 11 in fin. & num 13. & de rest disp 3 qu. 1. punct. 3. num. 2.* Naldus *in sum. ver lex num. 3.* Pontius *tr. de impedim matrim. causa 31. qu 2. §. 5.* Pitigianus *in 4 sent. tom. 2 disp 15. qu. 2. art. 3.* Portel. *in addit. ad dub. reg. ver. lex num. 4.* Moneta *de commut. vlt. volunt. cap. 4. qu. 5. concl. 2. num 150* Vegha *in sum. tom. 2. cap. 23. cas. 13.* Pontius *de matr. lib. 5 cap. 5 num. 7. & 8.* & alij. Asserunt hi Doctores, vt obligatio legis cesset, requiri vt eius ratio, & finis adæquatus cesset in communi, & vniuersaliter, & non sufficit, quòd cesset in casu particulari, quia lex conditur propter bonum commune.]

Quid sit opinio ferè certa moraliter?

Argumentũ pro contraria sententia.

His tamen non obstantibus iterum dico, *certum esse legem cessare in particulari, quando finis adæquatus legis cessat in illo particulari.* Ita Diana *vbi supra §. sed vt verum*, qui tam certam iudicat nostram sententiam, vt oppositam dicat, se nunquam potuisse intelligere; qui etiam *part. 5. tract. 14. resol. 96.* ait, esse magno accursu & applausu à doctissimis viris receptam. Et ratio est; nam, vt bene obseruat Scacia *tract. de commer. §. 1. q. 1. n. 511.* quando lex cessat in suâ generalitate, tunc lex non solùm cessaret in vno, sed etiam cessaret in omnibus, sicque illa lex reduceretur ad non legem, quasi tunc esset correcta ratio legis; adeoque in tali casu non deberet dici legis existentis obligationem cessare, sed legem ipsam non existere. Ergo omninò tenendum est, quòd si in aliquo particulari casu cessat finis adæquatus, & totalis, & ratio legis, cessabit quoque eius obligatio. Ita Nauarrus *to. 4. comment in rubr. de iudicijs. num. 74.* Mexia *in praxi taxæ panis. concl 2. à num. 29. vsque ad num. 36.* Henriquez *lib. 11 cap 17. num. 2. in gloss. lit. O.* & *lib. 10. cap. 15. num. 8. in gloss. lit. R.* Comitolus *in resp. moral. lib. 7. q. 1. num. 10.* Abbas *in cap. quia in insulis. de Regularibus* Angelus *ver lex. num. 4. cas. 7.* Sosa *in Bull. Clemen VIII. de largit muner. fundam. 3.* Sà *verb. lex. num. 1.* & *ver. ludus. num. 1.* Hurtadus de mendozza

Probatur ratione.

Et authoritate.

doza 2. 2. *tom.* 1. *diſput.* 74. *ſect.* 3. §. 26. Megala *in* 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *q.* 2. *num.* 55. Granado *in part.* 2 *contr.* 7 *tract.* 3. *part.* 1. *diſp.* 15. *ſect.* 2. vbi diffusè, & ad partes probat, & docet hanc ſententiam, quam nonnulli hoc docto ratiocinio confirmant. Valet argumentum de toto ad partem; Sed quando ratio legis ceſſat in totum, ceſſat etiam lex: Ergo quãdo ratio legis ceſſat quoad partem, quoad partem etiam ceſsabit lex ex authoritate legis *quæ de tota. ff. de rei vendit.* & ideò pro hac ſententiâ Granado *vbi ſup.* argumentatur ſic. Cùm ratio adæquata legis ceſsat in generali, ſeu comparatiuè reſpectu omnium perſonarum, ac temporum, ceſsat in generali obligatio legis: Ergo cùm ratio adæquata legis ceſſat in aliquo caſu ſpeciali, ſeu comparatione alicuius perſonæ & temporis, ceſſabit obligatio legis in particulari. Probatur conſequentia; quia ita ſe habet lex in vniuerſali ad rationem acceptam in generali, ſicut lex in particulari ad rationem acceptam in caſu ſpeciali; Sed quando ratio legis ceſsat comparatione omnium, ceſsat obligatio legis reſpectu omnium: Ergo quando ceſsat comparatione vnius, ceſsabit obligatio legis comparatione illius. Et ne aliquis ad cõmunitatum onera & priuilegia veniat, quæ aliter afficiunt omnes ſimul, & aliter ſingulos in particulari, ſubſequens ſubiungitur Confirmatio: Lex non ſolùm obligat omnes in generali, ſed ſingulos in ſpeciali: Ergo ſicut, deficiente ratione apud omnes, manent omnes deobligati, ita, deficiente apud vnum, manebit vnus deobligatus. Forma argumentandi eſt bona, & antecedens certum: lex enim non obligat omnes copulatiuè, ſed diſtributiuè, hoc eſt, ſingulos.

An liceat à toto ad partem argumentari?

An ab vniuerſali ad particulare?

An lex obliget omnes in communi, an verò ſingulos in particulari? An omnes copulatiuè, an verò diſtributiuè?

Contra iſtam Reſolutionem Authores oppoſitæ ſententiæ ſic argumentantur [leges ſunt latæ ob bonum publicum: ergo, vt earum ceſset obligatio, non ſufficit vt ceſset finis legis in aliquo particulari; ſed omninò requiritur, vt ceſset in omnibus] Probat antecedens Angelus Maria Verricelli *tract. de Apoſtolicis miſſionib. titul.* 14. *ſect.* 4. *num.* 37. nam poteſt Princeps grauare vnum propter alium ob bonum publicum: & ſic Dux ob totius exercitus incolumitatem poteſt aliquos morti exponere.

Obiectio.

Ad hoc argumentum Diana *part.* 1 *tract.* 10. *reſol.* 28. *ſub finem* reſpondet, quòd licèt leges condantur propter bonum commune, adhuc eas obligare ſingulos ſubditos in particulari, & in ſingulis habere vim eam rationem, propter quam conduntur. Ergo quando in aliquo particulari hæc ratio ceſſet, ceſsabit etiam obligatio. Et poſtea, quaſi euidenter argumentum ſoluiſſet, ſubiungit, *Ex iſta Reſolutione Confeſſarij & Reſponſores Caſuum conſcientiæ poterunt multos ſcrupulos, & difficultates tollere in praxi quotidie.*

Dianæ reſponſio reijcitur & impugnatur.

Ego autem, ſincerè loquar, exiſtimo ſententiam oppoſitam malè proponi, malè probari, & à Dianâ illud argumentum quale quale non ſolui.

Sanè illam malè à ſuis Authoribus proponi, & peius probari, ſic perſuadeo [Illorum Concluſio iſta eſt, *Ceſſante fine adæquato legis in aliquo particulari, non ideò ceſſat obligatio legis quoad illum particularem.* Ergo dabitur caſus, in quo ceſſet finis adæquatus legis in aliquo particulari. Atquì bonum publicum in nullo caſu particulari ceſſare poteſt. (quia ſi talis actio eſt bona reipublicæ, id enim ſignificat vox *bonum publicum*, & talis omiſſio reipublicæ mala, vel in illo caſu erit ſolùm operanti, vel operanti & cæteris etiam non mala: ſi primum, non ceſsat finis legis: ſi ſecundum, ceſsat ille in commnni, & non tantummodo in particulari) ergo vel finis legum non eſt bonum publicum, quod ipſi in probatione aſsumunt, vel non datur caſus, in quo ceſset finis adæquatus legis in aliquo particulari. Ergo, ſi hoc vltimum eſt verum, interrogati, *An quando ceſſat finis adæquatus legis in aliquo particulari, ceſſet legis latæ ob bonum publicum obligatio reſpectu illius particularis?* non deberent reſpondere, *quod non*: ſed *caſum, qui ponitur, eſſe impoſſibilem.* Stat igitur, illam ſententiam à ſuis Authoribus malè proponi, & malè probari.]

Quid ſit rem præcipi propter bonum publicum? An hoc poſſit adæquatè ceſſare in aliqua particulari?

Hoc autem ratiocinium qualecumque non ſolui à Dianâ oſtendo: quia reſponſio Dianæ non illud eneruat, ſed confirmat: quod nullo alio meliùs monſtrare modo potero, quàm illam eandem contra Dianam pro oppoſitâ opinione aſsumẽdo. Sic arguo: [Ex conceſſis leges in ſingulis habent eam rationem & cauſam, propter quam conduntur; at etiam ex conceſſis conditæ ſunt propter bonum publicum: Ergo in ſingulis habent tanquam rationem, cauſam, & finem bonum publicum. Sed bonum publicum non poteſt adæquatè ceſsare in vno particulari: Ergo cauſa, ratio, & finis latæ legis non poſsunt ceſsare in aliquo particulari. Ergo tam abeſt, vt Diana probet ſuam Concluſionem aut reſpondeat oblectioni propoſitæ, quin potiùs probat, non eſse poſſibile vt finis & ratio legis ceſset in aliquo particulari.]

Reſorquetur ratio Dianæ.

Hanc minerem paulo antea demonſtraui.

Ego quidem, dum Authores interlego, multos rem ſubtiliſſimam nondum penetraſse percipio, & benignam opinionem ſine ponderatione ſuſcipere, & ideò has Aſsertiones vt certas, & indubitatas ſuppono. Sit

DCXXXVII.

Prima. *Non obligat ſtrictiùs lex humana quàm diuina: nõ ſtrictiùs Canonica & Ciuilis, quàm æterna Theologica ſeu Naturalis.* Patet: non enim maiorem vim concedimus humanis, & minorem Diuinis.

Diuinarum Humanarúmque legum comparatio

Secunda. *In omni lege (ſeu Diuina, ſeu Humana) ſi ceſſet finis adæquatus in aliquo particulari, ceſſabit legis obligatio in eodem*

Finis duplex: adæquatus & inadequatus.

particulari. Est conditionalis & vera. Nota illud *adæquatus*, vt scias, non sufficere, vt cesset aliqua finis pars, (vel si sint plures fines, nõ sufficere, vt cesset vnus) sed omninò requiri, vt cesset finis adæquatè & totaliter.

An detur fines, qui cessare non possint in aliquo particulari?

Tertia. *Sunt aliqui interdum legum fines, qui non possunt cessare in aliquo particulari.* Hoc statim ostendam. Modò asserò, his exemplis abuti Authores sententiæ oppositæ, qui contendunt, *cessante fine legis in aliquo particulari, cessare legis obligationem in eodem particulari.* cùm, quia in eisdem casibus cessaret legis obligatio in particulari, si per impossibile cessaret finis adæquatus legis in eodem particulari: tùm, quia potiùs deberent his exemplis probare, *non posse cessare finem adæquatum illarum legum in aliquo particulari.*

Tria legum genera.

Vt hanc tertiam Assertionem intelligas, adnotato, legem communem & vniuersalem respicere bonum commune, sed diuersimodè; *aliæ* enim aliquam actionem aut omissionem inhibent, aut præcipiunt vt nociuam operaturo, & non alijs: (& hæ leges, quia singuli aut plerique omnes possunt illam actionem aut omissionem ponere, dicuntur ferri ob bonum publicum, quia bonum plurimis commune respiciunt.) *aliæ*, vt nociuam non operaturo, sed aliis; *aliæ* denique, vt nociuam simul operaturo & alijs.

Primum.

Primi generis sunt leges, quæ tales cibos interdicunt; à tali fluminis voragine nantes arcent, in tali aut tali loco pernoctare non sinunt; nam si solam hominum salutem respiciant, operaturis prospiciunt & non alijs. Nam si Petrus noxijs cibis vescatur, si in loco insalubri pernoctet, si in fluuij vortices incautè se ingerat, ipse erit æger, aut fortè morietur, & non alius: Ergo, cùm huiusce modi lex ita omnes vt non omnes in singulis, sed Petrum in Petro, & Paulum in Paulo respiciat, cessare poterit finis adæquatus legis in aliquo particulari (puta, si vel sciat cibos ita condire, vt nocere non possent; aut tã dexterè nare, vt nulli periculo subsit; aut tale alexipharmaco se præseruare, vt vapores insalubres non timeat) quod si aliquando cesset, tunc etiam cessabit legis obligatio respectu eiusdem particularis.

Secundum.

Secundi generis sunt leges de cibis vendendis: hæ enim non venditorem, sed emptores respiciunt: nam cibi, qui venditori non nocent, poterunt emptori nocere. Sanè hæ leges concernunt & respiciunt omnes in singulis. Nec enim sufficit, vt Cassiodorus sciat vti pernitiosis cibis, vt illos cæteris vendere possit: tunc enim illos posset vendere, cùm ita præparauerit, vt nulli possint nocumentum inferre.

Tertium.

Tertij generis sunt illæ, quæ respiciunt contagium: hominem enim peste infectum iubeor non conuenire, non advocare, tum propter me, tum propter alios. At dicam: habeo theriacam securissimam; ergo ad vocare illum ad me potero. Et tu negabis consequentiam; quia non cessat adæquatus legis finis, adhuc enim poterit inficere cæteros, quibus publicâ cautelâ prospicitur. Huc etiam pertinent leges, quæ Reipublicæ gloriam, famam, & authoritatẽ concernunt: Viri enim illustres heroicis virtutibus & prærogatiuis non sibi solùm, sed etiam Patriæ, & Ordini gloriam & honorem adquirunt; & Homines scelerati & improbi suis sceleribus Patriam & Ordinem, cui cooptati, commaculant. Hinc illud Græcum distichum apud Gellium lib. 3. cap. 11. quod ad verbum reddidimus his verbis

Vnius gloria, & vnius ignominia ad multos ne cessariò diffunditur.

Septem vrbes certant de Vatis origine Homeri:
Cumæ Smyrna, Chios, Colophon, Pylus, Argus, Athenæ.

De Homeri patria.

Hinc hodie Placentini Columbum, Indiæ occidentalis detectorem, quem Genuensibus mundus adscribit, magno nisu & labore recuperant; quòd ille singulorum sit gloria. Hinc è contrà Pontium Pilatum, quem æmulatio diuersis prouincijs adfingit, nulla admittit, ne improbi & scelerati hominis sacrilegio satisfiat. Huc pertinent fumosæ atauorum imagines; huc vilium & nobilium distinctio: huc veterum Hispanorum generosa insultatio, qui, cùm appellarentur in Senatu, quòd tributa non penderent, respondisse dicuntur,

De loco natali Columbj.

De Pontij Pilati natione.

India pendat ebur: det Arabs distillatissimus aurum
Romano Populo, Calybes cui fulmina formant:
Dent gazas aliæ gentes; dum libera multos
Imperatores Procereſque Hiſpania pendit.

Plurimi Imperatores & Principes Romani sũt Hispani.

Ergo si vnius illustris Viri gloria in gentem vniuersam redundat, & vnius ignominia pudore totam gentem suffundit, leges, quæ conseruationem aut augmentum honoris & gloriæ cõcernunt, cessare in vno particulari nequeunt; sunt enim ita colligati cæteri, vt videantur aut lucere aut extingui in singulis omnes, nec non omnes in singulis.

De legibus, quæ honorẽ & authoritatem concernunt.

Hic etiam adnotandum est, bonum non solùm esse carere malis, sed etiam carere periculis: quamobrem leges publicæ non solùm damna, sed etiam pericula cauent: non bona solùm conseruant augentq; sed etiam securitatem & tranquillitatem. Vnde notare oportet, hoc argumentum, quod videtur fortissimum, claudicare: vedelicet, *Mihi ægroto interdicuntur à meo Prælato tales & tales cibi propter valetudinem conseruandam. At, si esset certum, quòd illi mihi non nocerent, esset certum, quòd cessaret adæquatus legis (seu præcepti) finis, & possem illis vti. Ergo, si est probabile, quòd mihi non nocebunt, erit probabile, quòd cessabit finis, & quòd vti illis potero.* Concessâ enim vtrâque præmissâ, poterit consequentia negari, in eo videlicet casu,

An pericula sint mala?

An quæ certa inferunt certò, probabilia inferant probabiliter?

An malum probabile sit malum certum? N.B.

ſu, quo tanti meam valetudinem faciat Superior, vt non ſolùm nolit me eſse ægrotum, ſed neque me eſſe in ſalutis amittendæ periculo. Et quia omnes Superiores ſunt prouidi, & ſuos diligunt ſubditos, hæ lineæ maximè ſunt conſiderandæ. Et quia dialecticari incepi, hanc conſequentiam certam, licet minùs notam ſubijcio. Sic inquam: *Eſt malum probabile, ergo eſt malum certum.* Et ſequelam perſuadeo; quia vbi eſt probabilitas inſtantis mali, eſt periculum: eſſe actu in periculo, eſt malum certum & actuale: ergo eſſe expoſitum malo probabili, eſt pati malum certum & actuale. Stat igitur obiter, debere ſcribi ab aliquo *Moralem Logicam*, quæ ſimiles conſequentias expendat.

Moralem Logicam quam primum dabimus.

Multa alia, dum exaro iſtas lineas, ſuccurrunt, quæ à nemine obſeruata, & tamen videntur certiſſima. Sit igitur Aſſertio

Quarta. *A pœna diſtinguenda eſt pœnalitas*: Illa ſupponit culpam, nec innocenti imponi poteſt. Hæc ob bonum publicum interdum innocenti infligitur, vt cæteri cautiores fiant: & reducitur ad leges merè pœnales: quarum rigorem ſine conſcientiæ reatu experimur interdum: huiuſcemodi pœnalitates ad infortunia dicunt pertinere nonnulli.

Pœna diſtinguitur à pœnalitate.

Huc ſpectant tributa; nam Princeps deſiderat Reipublicæ ſplendorem, authoritatemque; nec non ſingulorum vitam, libertatem, commoditatem, & immunitatem ſeruare; at quia ſine impendio non poteſt, è duobus malis minus eligit, iubetque, vt ſinguli contribuant iuxta genium & mores: nam in Hiſpania Nobiles Rempublicam propugnant gladio, & tributis ignobiles. Poteſt ergo Reſpublica grauare vectigalibus ſingulos, vt omnes ab hoſte defendantur, & poteſt iubere nobilibus, vt gladio propugnent ignobiles; & poteſt iſtis, vt terant tributorum onera: ſemper verò cum moderamine inculpatæ tutelæ; quàm enim eſt certum hæc ſimilia poſſe à Principe fieri, tam eſt certum in quantitate & modo aliquando peccari: non enim extorquenda ſunt centum, ſi ſufficiant viginti; nec debet ab vno tentari, quod iuxta fundamentales leges ad Magiſtratum aut ad Populum pertinet.

An tributa ſint pœnalitates? An, & quomodo poſſint imponi?

Non debet in exceſſu, nec in modo peccari.

Huc ſpectat militaris Ducum Superiorum authoritas, qui licèt nullius militis ſanguinẽ poſſint prodigere, poſſunt vitas ſingulorum expendere; nimirùm prout occaſio poſtulet, & prudentia præcipiat. Sunt milites, qui *Vigiles perditi* dicuntur, quòd rarò non pereant; & tamen poteſt, & debet Dux hos euidentiſſimo mortis periculo exponere, vt cæteri ſint ſine periculo. Rebus in arcto poſitis, poteſt vnam cohortem hoſti victori exponere, vt interim cæteræ diffluant & tranſeant ad locũ ſecurũ. Et hinc oritur Aſſertio

An Princeps ſanguinis militum ſit dominus?

Centinelæ perditæ, apud Hiſpanos.

Quarta. *Poteſt Reſpublica te innocentem grauare, vt puniat reum: & poteſt te innocentem grauare, vt præmio donet benemeritum: & in priori caſu vnde reo pœna, inde tibi innocenti pœnalitas: & in poſteriori, vnde benemerito præmium, inde pœnalitas tibi innocenti.* [Relego illa verba, *Poteſt Reſpublica te innocentem grauare*, et ne ſubſit locus vlli æquiuocationi, aio te eſſe innocentem apud Deum, nec ob culpam puniri: at apud homines non eſse nec dici innocentem, eo enim ſenſu quo dicitur *voti reus*, *promiſſi reus*, qui iure promiſſionis tenetur, tu dici poteris *compromiſſi* ſiſti, cùm Reipublicæ te incorporaſti et hoc ad logomachias vitandas ſatis.] Aſſertionem perſuadeo: quia te poteſt Reſpublica grauare ob bonum publicum: et ad Reipublicæ conſeruationem et exaltationẽ ſpectat punire reos, cauere ſcelera, honorare virtutes, conſeruare et tueri innocentes, et omnes in ſuorum iurium tranquilla poſſeſſione ſeruare. Hinc patet eſse iuſta tributa, quæ ad ſoluendum Iudicibus, ſatellitibus, et cæteris Iuſtitiæ Adminiſtris ſtipendia, aut etiam ad erigendos et conſeruandos carceres exiguntur: quæ tamen ab innocentibus ſoluuntur, et non pendi non poſſunt: præſtat enim vt innocentes pœnalitatem iſtam ſubeant, quàm quòd nocentes pœnâ careant. Hinc patet penſiones, quæ Viris de Republica optimè meritis adſignantur interdum, eſſe iuſtas, & ob bonũ publicũ inſtitutas; niſi enim merita haberent præmia, eſſent omnes aut ferè puſillanimes, & Reſpublica Viris generoſis careret. At præmia hæc, quæ paucis dantur, inquis, multos aggrauant. Sed quid inde? Præſtat, vt ſinguli tantillum pendant, quàm quòd virtutes præmio careant, langueant animi, & cùm inſtet occaſio, nemo ſit qui Reſpublicam velit tueri, & multi inſurgant, qui illam velint obruere.

Vox reus quid ſignificet?

Præmia & ſupplitia in Republica ſunt neceſſaria.

Quinta. *Legum aliæ ſunt merè morales aliæ merè pœnales, aliæ mixtæ.* Diſtinctio eſt vel ipſis nominibus nota. Quærere, *An lex merè pœnalis obliget in conſcientia?* idem eſt ac inquirere, *An lex, quæ non obligat in conſcientia, obliget in conſcientia?* Vide meam Theologiam Regularem *num.* 30.

Lex triplex: moralis, pœnalis, & mixta. N. B.

Sexta. *In legibus merè pœnalibus, vt ceſſet finis in aliquo particulari, debet ceſſare publicè, hoc eſt, ita ſaltem, vt poſſit ſufficienter probari: & tunc vix erit politicè innocens, qui legem violauerit.* Conſidera illud *ſaltem*, & perpende illud *vix*: & Aſſertionem totam breui commentario dilucido. Violas legem pœnalem, quòd videas finem adæquatum in hac occaſione ceſſare: & ſic diſcurris. [Iudex tenetur fauere reo quantum poſſit: ergo tenetur ſequi ſententiam probabilem, quæ faueat reo; at illa, quæ docet: *Ceſſante fine adæquato legis, ceſſare eiuſdem legis obligationem, eſt probabilis*: ergo tenetur illam ſequi. At ego violaui legem, quando eius finis adæquatus ceſſabat: ſum ergo innocens, & puniri non poſſum] & quid quæſo, ſi primum antecedens & primam

An ceſſante fine adæquato legis pœnalis, ceſſet eiuſdem obligatio?

An poſſit puniri reus, qui ſequitur opinionem probabilem?

mam conſequentiam negent Iudices? Quid ſi producant Dianam, & iubeant legi *part. 1. tract. 10. reſ. 8. §. Reſtat*: vbi docetur poſſe Iudices, ſequuti alteram opinionem, punire eum, qui fuerat ſequutus contrariam? eius verba ſunt hæc: *Reſpondetur, Iudices Curiæ Romanæ iudicare ſecundùm opinionem probabiliorem: &c. ſed ex hoc non ſequitur contrariam ſententiam eſſe falſam, &c. igitur dicendum eſt, quòd praxis illa, quæ affertur, fundatur in probabilitate contrariæ ſententiæ: non tamen tollit probabilitatem alterius.* Quid ſi Iudices decredant ceſſaſſe finem legis in particulari? An non debebis id ſufficienter euincere? Quid ſi dicant, ſupplicia inuenta, vt cæteri cautiores fiant, & dum vident peccata non committi impunè, vitam corrigant, & mores depranatos emmendent: Ergo qui ex causâ ſecretâ legem publicè violat, cæteros ſcandalizat, & publicè puniri poterit. Et hinc naſcitur Aſſertio

Ex cauſa ſecreta non poſſunt publicè leges violari.

Quinta. *Poteſt legis mixtæ (nimirùm, quæ & pœnalis & moralis ſit) obligatio ceſſare in aliquo particulari quoad culpam & non quoad pœnam: & contrà.* Sanè ceſſabit quoad culpam & non quoad pœnam, ſi certum ſit eius finem adæquatum ceſſare in aliquo particulari, & tamen id à iudicibus aut non dicatur ſufficere, aut dicatur ſufficere, ſed non eſſe verum: politicè enim vera non ſunt, quæ plenè probari non poſſunt. Ceſsabit quoad pœnam, & non quoad culpam, ſi detur cauſa apparens, & iudicio externo ſufficiens, quam tu ſcis ſufficientem non eſſe. Sic ille, qui morbum mentiretur, & ex Prælati & Medici licentiâ ederet carnes die Veneris, non poſſet in foro externo conueniri, & tamen peccaret mortaliter.

Quæ ſint vera politicè?

Valde neceſſaria ſunt iſta: & vt radicitùs intelligantur, Quæſtionem ſubſequentem ſubiungo, quâ attentè lectâ & intellectâ, poteris, analogiâ ſeruatâ, cæteras omnes enodare.

QVÆSTIO II.

An poſſit aliquis legere libros prohibitos, ſi certò ſciat ſibi illos nocumentum non eſſe illaturos?

DCXXXVIII

HAnc olim Panormi, hanc olim Romæ, aut etiam alibi difficultatem Viri eruditi propoſuerunt Dianæ, & ſemper reſpondit negatiuè, vt conſtat *ex part. 6. tract. 6. reſol. 49.* Vide etiam *part. 11. tract. 1. reſo. 1.* quam hîc ſpecialiter examinabimus.

Rationes pro parte affirmatiua.

NOn adquieſcis Viro doctiſſimo et diligentiſſimo, ſed contra illum opponis argumenta, quæ indigent ſolutione.

Primum ſit. Sub pœnâ excommunicationis prohibitum eſt laico diſputare de fide cum hæretico: *cap. inhibemus, de hæreticis in ſexto*, et tamen laicus doctus, etiam præciſo caſu neceſſitatis, aut magnæ vtilitatis, non peccat, quia in laico docto ceſſat adæquatè finis legis, qui eſt, quia communiter laici ſunt indocti, vnde vel peruerſionis, vel irriſionis fidei ſubeſt periculum. Ita Cajet. & Bañes 2. 2. *qu.* 10. *art.* 7. Ledeſma *in ſumma tom.* 2. *tr.* 1. *cap.* 5. *concl.* 13. Hurtadus de Mendozza 2. 2. *diſp* 74. *ſect.* 3. §. 24. Diana *p.* 5. *tr.* 13. *reſol.* 22. Hoc objicit contra ſententiam ſuam Angelus Maria Verricelli *tract. de miſſionibus Apoſtolicis. titul.* 14 *quæſt.* 195. *ſect.* 4. et quia illud non ſoluit, videtur vel hinc vires reſumere.

Secundo loco ponis non argumenta noua, ſed illud ſolum centies poſitum, cui putas nondum à Dianâ ſatisfactum. Sic argumentabantur. [*Probabile eſt ceſſante fine adæquato Legis in aliquo particulari, ceſſare etiam legis vim, & obligationem in illo particulari: At finis legis interdicentis lectionem librorum hæreticorum ceſſat reſpectu illius, qui ita doctus & pius, vt prævaricari non poſſit: Ergo reſpectu eiusdem ceſſabit etiam ipſa lex.*] Maior non iam eſt probabilis, ſed affecta probabilitatis modo eſt euidens; eſt enim euidens et certum moraliter eſſe probabile, quod Authores illuſtriſſimi et plurimi affirmant. Minor ſupponitur, adeoque non poterit conſequentia negari.

Ratio contra Dianam.

Cur libri interdicantur?

Quando ſimplex eſt probabilis erit certa & euidens.

Huic ſyllogiſmo, quem fortiſſimum iudicas, reſpondet Diana, & bene, diſtinguendo maiorem; ſi agatur de fine adæquato concedit; ſi verò de inadæquato negat; diſtinguit è contrario minorem, ceſſare in propoſito caſu finem inadæquatum concedit, ceſſare verò adæquatum negat: & poſteà negat conſequentiam illatam. Vt meliùs diſtinctionem intelligas, & quo ille modo ſingula membra diſtinctionis corroboret, proderit eum audire, his non obſtantibus ſupradictam doctrinam non valere in caſu: nam procedit, quando lex vnum ſolum finem habet, ex quo Legiſlator mouetur ad prohibendum aliquid: ſecùs verò, ſi lex habet plures fines; nam deficiēte vno, obligatio legis non deficit; quamobrem, cùm putet Eccleſiam in interdictione librorum plures habere fines, conſequenter affirmat, ceſſante peruerſionis periculo adhuc eſſe obligatoriam illam legem. Et quidem Eccleſiam in prohibitione librorum damnatorum plures fines habere ſic probat: Nam prohibet illos, vt hoc modo quaſi

Reſponſio Dianæ.

Lex ſolet habere plures fines.

quasi medicinâ quadâm præseruet fideles ab hæreticorum contagio, & ne damnatorum librorum lectione, veluti veneno quodam pestifero, Catholici inficiantur: & ideò ob hanc causam olim in primitivâ Ecclesiâ prohibebatur fidelibus, ne Gentilium libros legerent, teste Clemente *lib. 1. constit. Apostol. cap. 6.* & ideò in Concilio Carthaginensi IV. *cap. 16.* Ecclesia præcipit, ne fideles communicent verbis cum hæreticis: ergo multò magis potuit & debuit præcipere, ne cum ipsis communicent libris & scriptis, cùm hæc communicatio magis soleat nocere, quàm quæ fit solis verbis: libri enim scribuntur maiori cum consideratione, ac propterea magis permouere solent Lectores ad illorum falsam doctrinam amplectendam. Subiungit, Romanam Ecclesiam in prohibitionem dictorum librorum non habuisse hunc solum finem, nempè ne Catholici falsa doctrinâ ex dictis libris inficiantur; sed etiã legem illam statuisse in pœnam Authorum damnatorum (non enim leuis est pœna in eorum libros nigrum præfigere Theta, & sub censurâ prohibere, ne legantur) ad obscurandum & abolendum eorum nomen, & ne hoc afficiantur honore, ut inter manus Doctorum hominum voluantur. Et ex istis concludit, legem prohibentem sub censurâ lectionem librorum damnatorum semper obligare; nam licèt deficiat in aliquo casu particulari finis dictæ prohibitionis, nempè periculum & nocumentum, quod ex lecturâ dictorum librorum prohibitorũ contingere potest, adhuc tamen semper remanet alius finis prohibitionis, nempè pœna Auctoribus damnatis imposita ad eorum dedecus, ne eorum libri legantur. Quod non solùm habeatur ratio nocumenti, sed etiam pœnæ, ex eo probat, quòd non solùm libri Hæreticorum damnantur, qui continent falsam doctrinam contra fidem; sed etiam minimè de Religione tractantes, vt sunt Dialectici, Rhetorici, Grammatici, &c. In quibus libris nullum est periculum, vt lectores eorum lectione ad hæresim pertrahantur. Et ideò Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 14 dub. vnico num. 4.* meritò asseruit, omnes libros hæreticorum prohiberi in pœnam illorum Auctorum, quamuis hæresim non contineant, vt etiam habetur *in Regul. 2. Indicis.* Et Sousa *in Bull. Cœn. cap. 2. disp. 13. num. 11.* rectè obseruat, lectionem librorum prohibitorum in odium Auctoris interdici. Quæ omnia tam esse certa existimat, vt concludat non esse de dictis dubitandum, & aliter sentientes in Sacræ Inquisitionis Tribunali seuerè puniendos esse. *Et posteà* suæ adhuc parti minùs fidens addi iubet, quòd aliqui viri docti asserunt, lectionem librorum hæreticorum esse de se inductiuam ad inficiendos animos Legentium: adeoque eorum prohibitionem semper obligare.

Primus finis legis.

Olim libros interdixit Ecclesia, ne Catholici peruerterẽtur.

Scripta magis sunt nociua, quàm verba.

Secundus finis eiusdem legis.

Ecclesia etiam libros interdicit in Authorum pœnam.

Quàm certa sit Dianæ doctrina?

Nota attentè hanc vltimam Dianæ rationem.

DCXXXIX. Audis patienter, & exclamas: Hæc omnia Diana Romæ, vbi inquisitionis tribunal floret maximo Ecclesiæ bono, & vtilitate Reipublicæ. Sed quid dicemus de Germaniâ, in quâ à Bibliopolis Catholicis & pijs publicè venduntur Hæreticorum volumina, & si rogentur, Cur id faciant? respondent, Se suos Confessarios consuluisse, & respondisse, Posse fieri. In quâ quotidianæ sunt disputationes cum hæreticis, ne rixas dicam; & qui nescit quid Caluinus aut Lutherus dicat, & quo illud modo Paræus vel Philippus intelligat, dicitur imperitus. In quâ, vt verbo dicam, sæculares Heterodoxi, versatissimi in controuersijs torquent multos Theologos etiam eruditissimos. In quâ Hispani, & Itali, soliti Fidei dogmata credere, non edisserere, postquam egimus Magistros in varijs Vniuersitatibus, debemus cõtrouersias discere vel rideri: & cùm ridemur nos, & nobiscum ridetur Ortodoxa Religio. Hinc est, quòd pace Dianæ velles Germaniam, Belgium, Galliamque, ab Hispaniâ & Italiâ distinguere. Prouinciæ hæ felicissimæ sunt, nam in ipsis ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit: at in reliquis in plateis, in mensis, in popinis petitur ratio fidei, & hæretici in erroribus suis nostrâ taciturnitate aut etiam ignoratione confirmantur. Quamobrem existimares esse non licitum solùm, sed & necessarium omninò, quòd in Germaniâ omnes Theologi sint in Hæreticorum libris eruditi & versati.

An circa hanc materiam aliter loquendum sit in Italia, aliter in Germania?

Hispania & Itali, quia suis Patriis Magistris debent studere in Germania.

Sed egrediamur ex infectis prouincijs, & ad Italiam aut Hispaniam purissimas regiones transeamus. Dices tibi ratione periculi interdici Hæreticorum libros, & in hoc à te stabit Diana. At ille addet eosdem interdici ad ignominiã Auctorum. Et dices hoc non videri verum, nec ad rem.

Libri interdicũtur ratione periculi.

Non verum, Quia eosdem libros, si sint correctionis capaces, expurgatores corrigunt, & correctos permittunt. Sub annum 1632. euulgabatur in Hispaniâ Expurgatorius liber, qui non omninò indoctus, sed quia fuerat à P. Pineda concinnatus, reijciebatur à Societatis æmulis, quasi correctores in ipsos non ratione sed affectibus dirigerentur: & in ipso te legisse pronuncias, eum librum non esse Prohibitorium, sed Concessorium, vtpotè, qui libros aliàs interdictos ratione errorum, erroribus expunctis, concedebât. Ergo opinione ipsius Inquisitionis librum expurgatorium euulgantis, libri interdicuntur ratione periculi; nam, etiamsi corrigantur errores, adhuc authores manent hæretici & pertinaces, vt anteà, nec debent aliter amari quàm anteà.

An liber expurgatorius libros concedat, an interdicat?

Nec contra hoc militat Hæreticorum libros Grammaticos, Rhetoricos, Dialecticos, & Philosophicos interdici; nam hos Diana existimat nullam continere hæresim, sed hoc ideò existimat, quòd maioribus occupatus eiusmodi libros non legat; fortè nec habet; rari enim hinc mittuntur Grammatici in Ita-

DCXL. Hæreticorũ libri liberalium Artiũ & Philosophiæ plurimis inficiuntur erroribus.

Italiam: ſed fallitur doctiſſimus vir, nulli enim ſunt, qui plures errores & hæreſes habeant; Libri Theologorum hæretici vt plurimùm vnam aut alteram promouere conantur, at Liberales libri plurimas.

Non aliter poteſt Grammatica, Rethorica, & Dialectica, quàm exemplis tradi, & talia Heterodoxi congerunt, quæ ſuam fundent hæreſin aut exponant: vbique ſtatui Eccleſiaſtico inſultant, vbique Papa eſt Antichriſtus, vbique nos Idololatræ, & quidem hîc ego tibi aſſentior: habeo enim ob oculos plurimos, quos poſſem allegare, ſi vellem, ſed cur Lectorem meum onerarem eorum ineptijs, ſi ſufficiat afferere, vix vllum eſſe librum liberalem, qui hæreſibus multis non ſcateat. Vnde concludo etiam ipſos ob doctrinam ab Eccleſiâ interdici.

DCXLI. Sed das illos interdici in odium & pœnam Authorum, & rogas. Quis maiori ignominia & dedecore afficiatur, ille, qui occiditur & igni mandatur in carcere, an ille, qui conducitur per plateas ciuitatis, præcone eius infamiam inclamante? ille, qui ſuſpenſus à patibulo eâdem die ſepelitur, an qui iubetur in cruce remanere toto anno? *Hinc* tranſis ad libros. Putas enim ſeueriore ſententiâ condemnari librum (dicam Hiſpanè, *à quien ſe le pone vn ſanbenito*) librum, cui nigrum Thetha præfigitur, cui inſcribitur eſſe Authoris damnati, illum, qui legitur vt Authoris infamis, quàm qui omninò non legitur. Et tamen, ſtando Dianæ fundamentis, deberemus dicere furem, qui condemnaretur exilio, & iuberetur non cõparere in toto regno, condemnari ſeueriùs illo, qui iuberetur manere & ſignum publicum & externum ignominiæ portare, vt ab omnibus eſſe infamis & ſceleratus noſceretur.

Quid ſit ignominioſius, non legi omninò, aut legi vt Authorẽ damnatum.

De libris inducentibus & inductiuis,

Venis ad vltimam rationem Dianæ, quâ eſſe Virorum Doctorum affirmat. [Illi libri, ait, tametſi non ſint inducentes in hæreſim, ſunt inductiui; Atqui finis Eccleſiæ eſt, vt non dentur libri, qui poſſint inducere in hæreſim: Ergo non ceſſat legis finis.] *Et tu reponis primò*, maiorem debere ab illis Viris doctis probari. *Secundò*, condonatâ maiori, adhuc minorem falſam eſſe; quia illi libri ſunt reſpectu illorum hominum inductiui; nam ignis tametſi calefactiuus ſit, non eſt calefactiuus ligni remoti, niſi priùs ponatur approximatio, quæ ex parte ſubiecti requiritur: & conſequenter illi libri, tametſi ſecundùm ſe inductiui dicantur, non erunt inductiui reſpectu hominis, qui in quæſtione proponitur, quouſque detur in eodem periculum, & tũc tollitur caſus. *Tertiò*, non omnes libros eſſe etiam ſecundùm ſe inductiuos, nam falſitas, vt nocere poſſit, debet eſſe ſimilis veritati; quamobrem cùm aliquis nimis inſolenter mentitur, nullum decipit. *Quæ notata eſſe vis* vt Martini Lutheri opera à libris aliorum diſtinguas; quis enim turbari aut ſeduci poterit à Viro tot ineptias, blaſphemias & iniurias vomente? Quis à Doctore, qui ſe a Diabolo didiciſſe fatetur, quæ ſuos diſcipulos edocet? Ille vnicus, qui non legerit hos libros Martini Lutheri. *Nam* Ego Spiræ, vt quemdam amicum, virum doctum, ad noſtram Religionem reducerem, perſuaſi, vt aliquos Lutheri libellos euolueret; qui cœpit non eſſe illos ſui Lutheri, ſed à noſtris confictos, occlamare priùs; at typo, anno, & ſuorum *Miniſtrorum* confeſſione conuictus, dare manus poſteriùs, malleque eſſe Tridentini diſcipulus, quàm Lutheri, ſe a Diabolo didiciſſe affirmantis.

Potentia eſt relatiua, nec reſpicit ſubiectum incapax.

Quæ euidẽter falſa, inducere in errorem nõ poſſunt. An Martini Lutheri libri, ſi attente le gantur viro docto nocere poſſint? Lutherus fuit diſcipulus Diaboli, quod ipſe fatetur.

DCXLII. Caſum non debet tollere Deciſio, ſed ſuppo-nere.

Sed progrederis, & præiudicio priori inſiſtens ais: Condonemus omnia, quæ Diana deſiderat in illis vltimis lineis ſuæ Reſolutionis. Quid habebimus? caſum ab illo tolli, non decîdi. Supponit caſus, ceſſante legis fine in parriculari, ceſſare ipſammet legem in particulari: ergo ſupponit poſſe ceſſare finem; at, ſi illa diſtinctio *inducentis* & *inductiui* admitteretur, impoſſibile eſſet, quòd aliquando ceſſaret finis in particulari: ergo tolleretur tota hypotheſis. Et, ſi tolleretur, nemo poſſet viſitare fœminam pulchram, quia tametſi non induceret ad malum, eſſet inductiua: nemo poſſet habere carnes die veneris; ipſæ enim, etſi non eſſent inducentes, eſſent inductiuæ: & nemo poſſet habere enſem; quia tametſi non eſſet ille occidens, eſſet occiſiuus, &c. *Stat igitur*, admiſſâ hypoteſi, Dianam debuiſſe aliter philoſophari.

Opinio contraria eſt probabilis. Sunt merè probabilia multa Inquiſitorum Aſſerta: imò etiam ſummorum Põtificum.

Sed neque hoc militat (ſic inquis, ſic exiſtimas) contra Inquiſitionis authoritatem; hæc enim propoſitio, *Nemo poteſt legere libros prohibitos, etſi certus ſit ſibi non obfuturos*, eſt doctiſſima, probabiliſſima, & prudẽtiſſima, & ſi Inquiſitores omnia ſua velint eſſe euidentia, eſſe volent Sede ipſâ Apoſtolicâ digniores, nam præter Articulos Fidei, qui ad probabilitatem reduci non poſſunt, ſed debent admitti tanquam certi, centena diebus ſingulis Decreta à Pontifice emanant, quæ innitũtur opinioni probabili: & vt rem ipſam clariſſimo exemplo dilucidem, quoties in voto ſolenni diſpenſat Summus Pontifex, prudentiſſimè quidem diſpenſat; at quia D. Thomas & Dominicani hanc ipſam diſpenſationem eſſe invalidam dicunt, procedit ex ſententiâ probabili.

An poſſit Pontifex in voto ſolenni diſpenſare?

DCXLIII. Accedit, ais, quòd ſemel poſitâ probabili legendi poteſtate, adhuc Inquiſitio habeat *Ius* puniendi illum, qui libros illos legiſſe ſine licentiâ ſuperiorum conuincitur: primò, quia in Dianæ ſententiâ, quam habet *part. 1. tract. 10. reſol. 8. §. Reſtat modo*, poteſt ſuperior punire illum, qui ſequitur opinionem probabilem; quæ, tametſi amplectenda ſine aliquâ limitatione, eneruat obiectionem Dianæ. Secundò, quia ſtando certiſſimæ doctrinæ, quæ docet, non poſſe Inquiſitionem punire illum, qui ex opinione probabili operatur

An puniri ille poſſit, qui ſequitur ſententiam probabilẽ?

ratur (is enim cùm non peccet, punire nec debet nec poteſt) adhuc puniri poſſet, qui libros interdictos legeret; eſt enim externa, & eſt periculum in poſſeſſione externa, & ceſſare illud non poterit ab vllo probari; quamobrem, ſi conuictus de lectione ſe excuſet, dicatque: *Poteſt legere libros Hæreticorum, qui non habet conſentiendi periculum: At ego nullum habeo: Ergo & poßum*, poterit Inquiſitor dicere maiorem probabilem eſſe, ſed debere minorem probari: adeoque eodem modo procedere, quàm contra homicidam, qui diceret: *Quicumque occidit alterum inuaſus, ſi procedat cum moderamine inculpatæ tutelæ, bene facit. At ego ſic Ioannem occidi: Ergo bene feci.* Nam ſi fateretur homicidium, & circumſtantiam excuſantem non probaret, deberet omninò puniri. Sed quis probabit ſe ſine periculo aut damno legere libros Hæreticorum? nullus, nullus. Ergo, quidquid de foro interno ſit, nemo poterit legere ſine licentiâ tales libros, & in Sanctæ Inquiſitionis tribunali pœnas conſtitutas euadere.

Periculum eſt in poſſeſſione & nemo poterit probare nullum fuiſſe periculum.

Qui fatetur homicidiũ, punietur, niſi illud iuſtè factum oſtendat.

Vera ſententia.

DCXLIV. LEgo præcedentem excurſum; & tametſi Scriptoris in eo igenium & acumen commendem, non omnia laudo. Erat Concluſio: *Vir pius & doctus, qui ſine peruerſionis periculo libros Hæreticorum legit, non peccat in foro interiori, ſed poterit puniri in exteriori.* Poſterior pars vniuerſis arridet; at quia prior mihi non arridet, loco illius hanc certam Concluſionem repono. *Qui ſine licentia legit libros prohibitos, & peccat in foro interno, & incurrit cenſuram, & poteſt in externo puniri.*

Reſolutio Quæſtionis.

Affirmant legentem libros hæreticos peccare mortaliter, & cenſuram incurrere, etiamſi legat ad eos confutandos, & remoto omni peruerſionis periculo, Suarez *de fide diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 1. Tolet. *lib.* 1 *cap.* 19. *num.* 9 Sanch. *lib.* 2 *cap* 10 *num.* 53. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *qu.* 6. Coninch *de fide diſp.* 18. *dub* 11 *num.* 180. Hurtadus de Mendozza 2. 2. *diſp.* 76. §. 307. Card. Lugo *de fide diſp.* 21. *num.* 63. Quiedo *de fide contr.* 12. *num.* 42. Pellizarius *in Manuali Regul. tom.* 2. *tr.* 6. *cap.* 5 *num.* 30. Caſtropalaus *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 2. *pun.* 10. §. 2 *num.* 8. Tamburinus *in Decal. lib.* 2. *cap.* 1. §. 7. *num.* 41 Diana *par.* 6. *tract* 6. *reſol.* 49. & *part* 11. *tract.* 1. *reſol.* 1. Baldelus *tom.* 2 *lib.* 1. *diſp.* 46. *num.* 8. & Iuriſperiti, qui pro oppoſitâ opinione adducuntur, ſi rectè expendantur, huic noſtræ opinioni conſentiunt. Conſono mihi qui in Theologiæ Fundamentalis *ſecunda parte cap* 3 *num.* 63. ſic dixi [Praxis teſtatur, libros ob plures ſimul fines interdici, nimirùm, vt caueatur periculum & etiam vt Authores puniantur. Primum finem admittunt vniuerſi. Secundum probant Viri docti & illuſtres, qui, vt legant Hæreticorum libros, facultatem poſtulant ab Ordinario, aut ab illo qui poteſt eiuſmodi facultatem concedere. Et ego ipſe vidi multos magnos Concionatores, qui eiuſmodi licentiam peterent; & hodie in Vicariatu Pragenſi multis Viris doctiſſimis eiuſmodi facultatem concedo. Ergo ſiquidem ſapientiſſimi Viri, qui non timent vllum in eiuſmodi lectione periculum, adhuc poſtulant hanc licentiam, certum eſt, eos putare eamdem ſibi neceſſariam: Ergo tametſi ſciunt, ceſſante fine adæquato legis, ceſſare ipſammet legem, adhuc putant, ceſſante peruerſionis periculo, legis huius finem adæquatum non ceſſare] Adde & finem tertium, videlicet ob bonum publicum, de quo agetur inferiùs. Adde & quartum, quod pœnalitatem concernit, nimirùm, reſpectu Authorum, qui nec habentur odio, nec pœnâ aliquâ condemnantur. *Vide num* 637. *Aſſertione IV. & num.* 649 *& num.* 666.

Cur libri prohibeantur?

Securè procedit, qui attemperat Viris doctis dictamen.

DCVL. Audis, legis finem adæquatum non ceſſare, & habere Legislatores, qui libros interdicunt, multos fines; & quia rem vis accuratè intelligere interrogas: Qui nam ſint iſti fines, quos intendit Eccleſia, cùm leges de libris non legendis, aut etiam non habendis pronunciat. Et ego, vt tibi ſatisfaciã, ſequentes Aſſertiones ſubſcribo. Sit.

Prima. *In omni lege, quæ libros interdicit, finis eſt legentium aut habentium ſecuritas.* Patet; interdicuntur enim, ne legentibus nocere poſſint.

Primarius Eccleſiæ libros interdicentis finis.

Hunc eſſe finem adæquatum, & vnicum & hanc ob rem nec peccare, nec cenſuram incurrere Viros doctos, qui ſine ſubuerſionis periculo *Hæreticorum* libros legũt, docent Felinus *in cap ſiquis Epiſcopus in fine. pro quo infertur de Hæreticis.* Albertinus *de agnoſcendis Aſſertionibus Catholicis, quæſt.* 28. *num* 4 *&* 5. Decianus *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 35. *num* 21 & *cap* 46. *num.* 26. & 27. Maſcardus *de probationibus libr.* 2. *concl.* 862. *num* 14 Pro hac Concluſionis expoſitione citant aliqui Sanchez *libr* 2. *cap.* 10. *num.* 51. Caſtropal. *tom.* 1. *tract.* 4 *diſp.* 2. *punct.* 10. §. 2. *num* 9. & etiam Tamburinum *in Decalogum lib.* 2. *cap.* 1. §. 7. *num.* 36. vbi ait: quòd, cùm hæc opinio de ceſſatione legis, ceſſante fine, ſit probabilis, etiam probabile alicui videbitur, ceſſare obligationem legis in legente libros prohibitos, ſi ceſſet cauſa prohibitionis, hoc eſt, ſi verè moraliter ſit certum nullum in legente periculum, nam hoc periculum eſt finis huius prohibitionis.

An ſit adæquatus?

Hunc eſſe finem adæquatum huius legis, aut ſaltem eſſe talem, qui poſſit adæquatè deficere, videtur ſentire Verricellius (illum citabo ſtatim) nam preſſus argumento, quem *num.* 638 §. *ſecundo loco*. formo ait: *Prætereà communis & probabilior opinio eſt non ceßare legem, ceſſante fine adæquato legis*

in casu particulari. Videtur etiam vires contrariæ opinionis sentire: nam duo argumenta proponit, quorum alterum declinat, & alterius non meminit.

Eumdem vt finem adæquatum cognoscit Quiedus, licèt libros interdictos neget posse legi sine peccato, ex alijs fundamentis procedens *Vide inferiùs num* 658.

Huc per aliam viam ingreditur Petrus Marchantius, vir pius, & doctus, & mihi singularis amicus. *Vide num.* 662. Huc etiam Ignatius Lupus, Angelus Possentius, Cæsar Carena, Vrbanus ab Ascensione, & alij, quos dabimus *num* 664.

DCXLVI. Nos autem, tametsi hunc esse finem primarium aseramus, esse vnicum diffitebimur: sunt enim alij fines, quos sibi præfigit Ecclesia.

An semper libri ob odium Authorum inhibeantur?

Secunda. *Odium Authoris respicitur etiã ab interdictione aliquando, non semper.* Est contra Dianam, qui semper odium Authoris cum interdictione coniungit: & præcipuè *part.* 11. *tract.* 1. *resp.* 1 at consonat multis Authoribus, & expresse Verricellio *tractat. de Apostolicis Missionibus. tit.* 14 *qu.* 195. *sect.* 4. *num.* 38. vbi, cùm statuisset peccare quemcumque Virum doctum, qui libros interdictos legerit, hanc sibi obiectionem proponit.

DCXLVII. An possit aliquis condemnari inauditus.

Dices; saltem tunc tantùm in odium Authoris liber est prohibitus, quando Author est *Hæreticus*: secùs autem est, si Author sit Catholicus; tum quia sæpè Author est vir pijssimus, & de Ecclesiâ optimè meritus, qui inuincibiliter errauit: tum quia liber prohibetur, non citato, & inaudito Authore: ergo non prohibetur in pœnam Authoris, sed tantùm ob periculum peruersionis; absurdum enim est, puniri aliquem non citatum & indefensum; cùm posset Author (si daretur defensioni locus) demonstrare, se inculpabiliter errasse: ostendo plures graues Authores, qui anteà idem docuerant. Tum, quia nulla pœna, exceptâ hæresi, irrogatur post mortem delinquentis; at plerumque post mortem prohibentur libri Catholicorum: Ergo ea prohibitio non est in odiũ, siue in pœnam Authoris, sed tantùm ob cauendum periculum: Ergo si in homine doctissimo cesset periculum ex lectione, cessat & lex.

An possit aliquis condẽnari post mortem.

DCXLVIII. Et obiectioni curiosæ & forti respondet, quòd quamuis, quando Author est Catholicus, prohibitio libri non sit in odium & pœnam Authoris, sed tantùm ad cauendum periculum; tamen lex Ecclesiastica, vt caueat periculum in ijs, qui reuerà subiacent periculo, & inuincibiliter credunt se non exponi periculo, proinde obligat indistinctè ômnes, alioquin impossibile est cauere periculum. Tum quia ex lectione factâ à Viro doctissimo maius subest periculum, præsertim quando opinio aliqua est falsa, sed non hæretica; quia si fortè reperiatur Vir iste doctissimus eiusdem opinionis esse, magis in eâ firmabitur in eâ lectione, & sic opinio illa radices altissimas aget, adeo vt deinde eam interdicere impossibile sit. Tum quia, nisi liber prohibitus, quicumque sit, comburatur, nunquam cessabit periculum, si non in isto, in illo, vel illo: Ergo semper peccat retinens, nam saltem alij exponentur periculo: ergo nunquam cessat finis legis. *Sic ille.* Patet igitur, quod dicebamus; videlicet, non semper libros in odium Authorum interdici.

An si lex nõ omnes obliget, possit cauere omne periculum?

An libri potiùs interdicendi doctis sint, quã indoctis? N B.

DCXLIX. An Respublica laica possit interdicere libros?

Tertia. *In librorum interdictione ab Ecclesia (aut etiam à Republica sæculari: nam & libri etiam laica authoritate interdicuntur) intenduntur plures fines. Primus, ne eiusmodi libri legentibus aut habentibus nocere possint (indoctis enim illi, si legantur, nocere possunt; & legi poterunt, si habeantur) & hic obiter nota piè & prudenter Põtifices nolle quæstionem quæ inquirit, An huic in particulari expediat legere libros nociuos? priuato examini relinquere: sũt enim Viri docti perpauci; & multi qui vincibiliter aut etiam inuincibiliter ignorant, se indoctos esse, aut non posse libros malos legere sine periculo: & isti non sunt capaces, vt iudicent, An subsint periculo, an non? Secundus vt Authores puniantur (iustè enim puniuntur Hæretici: iustè indocti Orthodoxi, qui audent scribere quæ ignorant; præcipuè si sine Censorum approbatione, & sine Superiorum licentia) Tertius, ob bonum publicum, ne dum temerè à docto habentur, ab indocto legantur, qui docti libris vti possit. Nunquam cessabunt omnes isti tres fines in aliquo particulari; quia (quidquid de primo & secundo sit) semper manebit tertius: nisi enim æque docti ac indocti ab istorum librorum lectione abstinere iubeantur, non poterit Ecclesia indoctis cauere periculum: & nisi æquè docti & indocti, qui priuata illos authoritate legant, censuris & pœnis puniantur, non poterunt indocti puniri.*

Qui nam Scriptores puniri possint?

An possint cessare omnes fines?

Hinc oritur quartus finis, nempè Authorum piorum & doctorum pœnalitas; quia licèt isti puniri & pœna damnari non possint (vbi enim abest culpa, pœna adesse non debet) pœnalitati ob bonum publicum iubentur, & habere patientiam, si eorum libri interdicantur aut corrigantur. Ergo nunquam dabitur casus, in quo aliquis legat libros interdictos sine licentia, & tamen nec mortaliter peccet, nec Ecclesiasticæ censuræ subiaceat.

Quales fuerunt libri illi curiosi, qui Act. 19. combusti?

Propter omnes hos fines videntur condemnati *Actorum XIX.* illi libri, de quibus habet Sacer Textus, *Multi ex his, qui fuerunt curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus* Libri isti fuerunt Magici teste Bedâ. Et licèt essent multi Theologi fortè, qui possent dicere, sibi non fore nociuos, igni dati: primò, ne nocerent; secundò, vt eorum Authores punirentur; tertiò,

tertio, vt fragiles redderentur ſecuri: ſi enim prudentibus traderentur, poſſent adhuc ad manus aliorum deuenire, & nocere.

DCL. An libri Magici & Nicromantici vtiliter poſſint legi?

Primus finis videtur nunquam ceſſare in libris Nicromanticis, qui nullo fructu conſeruantur, & poſſunt, niſi comburantur, nocere. Video enim Iudiciarios Aſtrologos ab ijſdem condemnari & conſuli: &, ſi viri pij & docti poſſe ſine periculo legere tales libros dicantur (quod conſiderata hominum fragilitate & curioſitate poteſt eſſe non verum) poſſe illos legere cum fructu non dicentur: cùm tamen ijdem libri facili negotio ad diſcipulorum & famulorum manus veniant qui poſſunt & ſolent abuti.

An libri hæretici ſint vtiles?

In libris Hæreticorum, qui continent doctrinam hæreticam, ratò ceſſat iſte finis primarius: vnde S. Gregorius Nazianzenus Orat. 2. ait: *Hæreticorum libros tanquam aſpidum oua perdendos*; non ait, *vitandos*; non, *non legendos*; non, *non habendos*; ſed *perdendos*: ipſi enim, niſi comburantur & perdantur, ſi non huic aut illi viro pio, & in doctrinâ Orthodoxâ firmato, nocebũt aliis, ad quorum manus craſtinâ die vel perindie deuenient. Habeat Petrus alexipharmacum, theriacam ve, quæ aſpidum venenum retundat, an ideò aſpidum oua fouebit? minimè; tenetur enim etiam fauere cæteris, quibus aſpides nocere poſſint. Ergo de libris pariformiter philoſophare.

DCLI. An dentur Hæreticorũ libri, qui nullam implicitã contineant hæreſim?

In libris autem eorumdem Hæreticorum, qui, licèt de religione tractent, doctrinã hæreticam non continent, ſi tales dantur, manet ſecundus finis, & in pœnam Authorum debent non legi, niſi detur facultas ſeu permiſſio. Conſultò dixi, *ſi tales dantur*. Vix enim eſt Author Hæreticus, qui nullam hæreſim implicitè aut expreſsè contineat: nam eorũ libri Grãmatici, Poetici, Rhetorici, Logici, &c. licèt doctrinã bonã contineant, exẽplis hæreticis commaculantur, & cæteri libri ad hæreſeos propugnationẽ diriguntur: & ſicut eleemoſyna ob malũ finem data eſt mala, ſic doctrina de ſcientiâ Dei & Diuinæ voluntatis efficaciâ, aliàs bona, ſi ad hæreſim defendendã tradatur, eſt mala. Nec valet dicere, lectionem illam fore vtilẽ; cur enim doctrinã de Trinitate in Caluino cũ periculo leges, qui illã in centenis Catholicis accuratè tractatã poteris legere ſine periculo? Audi Hieronymum Epiſt. 9. dicentem: *Eorum dũtaxat tractatus lege, quorũ fides nota eſt: non neceſſe habes aurũ in luto quærere*: & cur? quia illud in puriſſimis Catholicorũ aquis abundanter & ſecurè reperies.

Scholaſtici Hæreticorũ libri non ſunt hoc ævo neceſſarij.

DCLII.

Ex his fundamentis procedit Angelus Maria Verricelli, quem nominaſſe laudaſſe ſit, in vario illo & doctiſſimo libro, qui de Apoſtolicis Miſſionibus differit. *Titulo XIV. Quæſt. 195. ſect. 4. num. 36.* vbi, vt probet Hæreticorum libros non poſſe legi, ſic ait [Adęquatus finis prohibitionis libri hæretici nõ eſt ſolũ periculũ peruerſionis quamuis hic finis ſit primarius; ſed eſt odiũ & pœna Hæretici, vt eorum libri exterminentur: Ergo, quamuis omninò ceſſet periculum peruerſionis, adhuc incurritur cenſurâ. Probo antecedẽs; nam liber Hæretici de Religione tractãs, quamuis nullam contineat hęreſim, ſub cenſurâ prohibetur; & tamen cùm nulla adſit falſa doctrina, nullum ſubeſt periculum peruerſionis; Si etiam legens librum in eâ tantùm parte, in quâ non adeſt hæreſis, aut poſt deletam hæreſim priuatâ authoritate, adhuc cenſuram incurrit, ſaltem Indicis, vt ſupra diximus: Ergo non eſt tantùm periculum peruerſionis. Similiter cenſurâ innodatur retinens librum Hæretici, compoſitum linguâ, quam non intelligit, vnde nulli periculo exponit ſe; Ergo non ex hoc, quòd ceſſet periculum peruerſionis, licita eſt lectio libri Hæretici, quia adhuc ſubeſt alter finis, nempè odium, & pœna Hæreticorum, ne eorum libri legantur] Sic ille.

An ſinterdicti ſint Hæreticorum libri, qui de religione agunt, & tamen hæreſim nullam contineant?

An libri, in quibus deletæ ſint hæreſes priuata authoritate?

An ſcripti in lingua, quam nob intelligit, qui habet, aut legit?

De fine tertio, & bono publico.

Si ceſſent iſti duo fines per accidens, nunquam ceſſare poteſt tertius; & hanc ob rem, finis adæquatus nunquam ceſſat in aliquo particulari. Finis tertius erat, *vt nullus ſit in periculo*, (nota bene) ergo, vt Petrus legat libros Hæreticorum, non ſufficit, vt ille non ſubiaceat periculo, ſed omninò requiritur, vt illi libri non ſolùm ipſi Petro, ſed nulli alij nocere poſſint. At quamdiu authoritate publicâ non comburuntur aut perduntur, ſemper eſt id periculum. Ergo. Primò; quia libri, qui Petro non nocent, nocebunt Paulo: &, ſi comburerentur, nocerent neutri. At authoritate priuatâ corrigentur, aut comburentur, ais. Sed ſunt verba: vnde enim eſſe poteſt Eccleſia ſecura, quòd vel bene correcti ſint, aut reuerà combuſti, niſi ad leges publicas corrigantur, aut comburantur? Hunc tertium finem poſſe & ſolere à Republicâ intendi demonſtrat Verricelli *vbi ſupra, num.* 37. cuius verba poterunt meum Lectorem iuuare. [Poteſt, ait, Princeps grauare vnum propter alium ob bonum publicum; ſic Dux ob totius exercitus incolumitatem poteſt aliquos morti exponere: Ergo etiã, vt caueant ex lectione periculum ij, qui reuerà ſubiacent periculo, poteſt Eccleſia obligare ſub cenſurâ, vt abſtineant à lectione etiam ij, qui nulli ſubiacent periculo. *Nam* Lectores ſunt in triplici differentiâ; quidam ſciunt, ſe ſubiacere periculo, ſi legant; quidam inuincibiliter credunt, ſe nulli exponere periculo, cùm reuerà, ſi legant, peruertendi ſunt; quidam credunt, ſe nulli exponere periculo, & reuerà ſi legant, nullum in eis adeſt periculum. Ergo, vt Eccleſia omnibus prouideat, præſertim ijs, qui inuincibiliter credũt, nulli ſe exponere periculo, cui reuerà ſubiacent, proinde potuit, & voluit ob bonum publicum obligare omnes ſub cenſurâ, etiam eos, qui reuerà ſunt remotiſſimi à periculo; alioquin non adeſſet remedium cauendi periculum quoad eos, qui inuincibiliter credunt, ſe non exponere periculo, cùm reuerà

An libri corrigi debeant priuata authoritate?

An poſſit vnus grauari propter alium?

Lectores in tres claſſes diuiſi.

peruertendi erunt, si legerint. Sic si classis veniat è locis peste infectis, omnes tenentur abstinere à commercio; alioquin multi, qui inuincibiliter existimabant, se peste non esse infectos, cùm reuerà essent, cum ingenti damno se commercio immiscent: ergo indistinctè tenentur omnes abstinere à commercio.]

Dianæ Responsio.

DCLIII. Habentur Dianæ gratiæ, quod voluerit Caramuelis Interrogationibus nonnullis respondere.

EDideram Fundamentalem meam Theologiam, quam toti Orbi literario scripseram, multosque oraueram, vt me dignarentur responso; nîl aut parum obtinui. At meus Diana vndecimam suorum laborum partem publicans, Tractatum I. vt instituat Caramuelem, euulgat, & quia præsens Quæstio videbatur esse celebrior, & apud Superiores plausibilior, Resolutione I. inquirit, *An quis legere possit libros prohibitos, si sciat certò nullum illos nocumentum sibi illaturos?* & respondet his verbis: *Reuerendissimus Abbas Ioannes Caramuel, propter scientiam, ingenij acumen, & eruditionem satis quidem notus, nouissimè edidit suam Theologiam Fundamentalem, in qua aliquando nostras impugnat opiniones, & ideò circa præsentem difficultatem nominatim contra me affirmatiuam sententiam tenet*: &c. Sed quomodo hanc Caramuel sententiam tenet in libro, in quo multas opiniones proponit, nullam tenet? in libro, in quo vniuersos interrogat, & desiderat doceri, non docere? quod ipsum non ignorabat Diana, qui in primæ huius Resolutionis fine, §. Sed alias. pag. 4. *Ego vellem à sapientissimo Viro, &c. sicut Theologiam hanc Fundamentalem*; Interrogatoriam *tamen, vt ipse vocat, typis mandauit; ita etiam quamprimùm aliam* Theologiam *Fundamentalem* Responsoriam, *in qua ad semetipsum respondeat*, &c. Ergo si Caramuel interrogat, non asserit; nam interrogare non est asserere, & proponere & argumentari, non est sententiam tenere aut non tenere, sed velle tantùm omnia momenta controuersię discutere, & summa fundamenta pertingere.

Cur hanc posuerit primo loco?

An Caramuelem bene citet?

Aliud est asserere, aliud argumentari.

Ergo siquidem in sententiâ ipsâ Diana & Caramuel conuenire videntur, dispiciamus tantummodò, quo Diana modo soluat obiectiones, quas proposuit Caramuel. *Sic Diana ait:*

DCLIV. Restat modò respondere ad confirmationem (obiectionem potiùs) Caramuelis.

Dico igitur, quòd nostra Inquisitio Hispanica nõ corrigit libros primæ classis, & qui tractant ex professo de Religione; sed cùm videt aliquos Hæreticorum libros multùm proficere pro literariâ Republicâ, ab erroribus expurgat, & præbet licentiam impunè legendi, anteponendo publicum bonum pœnæ priuatæ, quam illis Authoribus imposuerat; licèt non sit parua pœna pro Authore, quòd liber suus legatur iustus, & cauteriatus, ac in frontispicio cum illis verbis, *expurgatus secundùm Iudicem Hispanum*, &c.

Quosnam libros corrigat Inquisitio?

In materia libera stat pro ratione voluntas.

Ergo non valet argumentum Caramuelis nec ex illo sequitur, quòd legi possint ab alijs libri ab Inquisitione non expurgati, & quòd in ipsis non remaneat prohibitio propter periculum infectionis, & propter pœnam & dedecorem Authori impositum; nam Inquisitio vult, vt sibi placet & libet, hac æquitate cum aliquibus Hæreticis, & libris prohibitis vti, quam cæteris negat. Nihil itaque nobis officit instantia à Caramuele adducta.

An qui legerint libros prohibitos sint in foro exteriori puniendi?

Et ideò nostra sententia expressè asseritur in Bullâ Pii IV. incipit. *Dominici Gregis*, registrata in principio Indicis, ibi: qui autem libros aliâ de causâ prohibitos legerit habueritue, præter peccati mortalis reatũ, Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum. Quonis igitur modo illos prohibitos siue propter hæresim, siue propter illius suspicionem, siue propter obscœnitates legerit, siue retinuerit quispiam, non excusatur à mortali, & hanc sententiam præter Authores citatos tenet etiam Pater Bordonus *in Sacro Tribunal. cap. 14. quæst. 25. num 54.*

An Author possit legere suum librum, si interdici cõtingat.

Quod euidenter probatur & confirmatur, nam certum est, quòd Author libri hæretici a Sanctâ Sede, vel ab Inquisitoribus prohibiti non timet ex eius lecturâ erroribus infici, quia iam scit & memoriter tenet omnia, quæ in suo libro prohibito impressit; & tamen, hoc non obstante, Doctores asserunt esse interdictum etiam Authori legere suum librum prohibitum, & aliter faciendo excommunicationem incurrere, & ita docet Trullench *in Decal tom. 1 lib. 1 cap. 3. dub 9. §. 5. num. 20.* Pueronus *in bulla Cœnæ cap. 1. num. 205. fol 136.* Fagundez *in Decal. tom. 1. lib. 1 cap. 14. num. 17* Sanchez *in summa tom. 1. lib. 2 cap 10. num 37.* Vgolinus *de Casibus Papæ reseruat part. 2. cap. 1 vers. ac eorundem librorum* §. 1. *num. 1.*

Finis interdicendi libros duplex.

Videat ergo ex hoc amicissimus Caramuel libros prohibitos suspendi non solùm ratione periculi, sed etiam in pœnam, vt ego docui, & praxis nostri Sacri Tribunalis demonstrat.

DCLV. Vnde doctè dixit Suarez *de fide disput. 20 sect. 2. num 27.* quòd finis legis prohibitionis librorum hæreticorum fuit, ne tales libri conseruentur, sed destruantur; sed in casu, quo vir doctus, vt vult Caramuel, licèt securus de infectione, illos legat, dicti libri conseruantur, & non destruuntur contra finem legis, vt vult Suarez: Ergo peccabit mortaliter, & in censuras incidet: & sic ego sentio, nec aliter sentiendum esse puto. Et ita post hæc scripta inueni Eminentissimum Lugo *de Fide disput 21. sect. 2. à num. 62. vsque ad num. 68* nostram sententiam firmiter docere, & ad argumenta Caramuelis

res-

ſpondere, quæ neceſſariò à Lectoribus legenda eſſe exiſtimo. Vnde ex his rectè docuit Thomas Hurtadus *var. tom. 2. tract. 1. cap. 5. reſol. 7. num. 73.* indiſtinctè, & ſine vllâ limitatione non eſſe abſoluendos à Confeſſarijs retinentes libros Hæreticorum. Et *tom. 1. tr. 5. cap. 6. reſol. 62. § 2. num. 146.* docet peccare, & in cenſuram incidere legentes libros ab Inquiſitoribus prohibitos, etiamſi hæreſim non contineant: & contrarium aſſerere eſſe erroneum tradit Turrianus. *cent. 4. dub. 17.*

DCLVI. Sed vbi maximè vult Diana librorum interdictionem manutenere, eam nouo periculo exponit: vel attende. Argumentum prius erat, *Ceſſante fine adæquato legis in aliquo particulari, ceſſat etiam obligatio eiuſdem legis in illo particulari: at finis adæquatus legis interdicentis libros eſt, ne legentes peruertantur: ergo ceſſante ſubuerſionis periculo poterit vnuſquiſque legere libros inhibitos.* Negat minorem Diana, quia libri, vt ait, interdicuntur ob duos fines, videlicet ne peruertatur lector, & vt Author puniatur. Sed quid, ſi idem argumentum reponatur hoc modo. *Ceſſante fine adæquato legis in aliquo particulari, ceſſat etiam eiuſdem legis obligatio in illo particulari: at finis adæquatus legis interdicentis libros eſt Authorum odium, & legentium ſecuritas: Ergo ſi non ſit Authoris odium, nec legentis periculum poterit vnuſquiſque habere & legere libros prohibitos. Atqui Biblia Sacra in lingua vulgari, & libri à viris pijs editi cum licentia Superiorum & approbatione Cenſorum non prohibentur in odium Authorum: Ergo ſaltem iſti legi poterunt ab his, qui non ſubſunt peruerſionis periculo.* Quid hîc Diana? Quo ſe vertet, ſi primam concedat minorem; & quo illam modo negare poterit, ſiquidem ait interdici libros ob duos fines, nimirùm, ne noceant legenti, & vt Author puniatur? Ego igitur reſpondeo negando minorem; nam, vt dixi nu. 549. libri interdicuntur ob quatuor fines; è quibus adhuc manet tertius, licèt duo priores in caſu aliquo ceſsare, aut non eſſe dicantur.

Diana dum vult euadere, in eãdem iterùm incidit difficultatem.

NOTA.

VT clariùs eluceſcat veritas, alios Authores Diana adducit, quorum verba, quia ſunt erudita & curioſa, placuit etiam exſcribere.

Franciſcus de Ouiedo.

DCLVII. Eſt Author ingenioſus & pius, & *libro de Fide, Spe, & Charitate, Controuerſia 12. punct 3. num. 42.* ſic ait: [Dubitari ſolet an prædictâ cenſurâ comprehendantur illi, qui Hæreticorum libros legunt, aut retinent ex intentione confutãdi errores in illis contentos, & certi nullum in illis eſſe peruerſionis periculum? *Non* comprehendi indicant nonnulli Iuris periti, quos refert Palao *punct. 10. citato § 2. num. 8* pro quorum ſententiâ poſſet adduci opinio, quàm cum alijs Theologis defendit Granados *1. 2. contro. 7. de legibus tract. 3. part. 2. diſp. 15. ſect. 2.* quæ affirmat: *ceſſante fine legis in particulari caſu pro ipſo legem non obligare.*

Authores pro contraria ſententia.

Oppoſitũ (videlicet adhuc in eo caſu excommunicationem incurrere eum, qui prædictos libros legeret, aut retineret) meritò docent Suarius *diſput. 20 ſect. 2. ſæpè citata num. 2.* Sanctius *cap. 10. iam citato num. 24.* Azor *tom. 1. lib. 8 cap. 16 quæſt. 6.* Coninch *diſput. 18. dub. 11. num. 180* Puente, Hurtad. *diſp. 76. § 307* Toletus *lib. 1. ſummæ cap. 19. n. 9.* Palao *§. 2 citato num. 9.* & apud illum Vgolinus, & Farinaccius; multus eſt Cardinalis de Lugo *à num. 63.* vt hanc ſententiam ſtabiliat effugio illo præcluſio, quod tentari poſſet ex ſententiâ affirmante, *ceſſante fine legis in particulari caſu, pro eo legem non obligare;* Quidquid autem ſit de hac opinione, cuius oppoſita longè communior eſt; exiſtimo ad hanc materiam ab homine cordato applicari non poſſe; ſtultum enim & ſuperbum eſſet, hominem ſuo iudicio in hac re fidere, & præſumere, ab omni periculo ipſum eſſe alienum in materiâ ex ſe grauiſſimâ, & ingenti periculo expoſitâ; eſt enim hæreſis, peſſima, & contagioſiſſima lues, quæ facillimè ſerpit, & maximè timenda eſt in his, qui ſe ſecuros fingunt, & ſecuritatis præſumptione ea aggrediuntur pericula, quę Eccleſia ſubire prohibuit etiam Epiſcopis & Cardinalibus, quos ratione dignitatis & meritorum, quæ ad illas, ſupponuntur remotiores ab hoc periculo, quàm quicumque alij priuati homines præſumi debent. Quapropter mihi certiſſimum eſt neminem prætextu ſecuritatis poſſe prædictos libros legere, aut retinere etiam causâ confutandi errores.] Poſtquam hæc verba Diana ex Ouiedo tranſcripſit, ſic infit, *Ita Ouiedo, & ego.* Sed cur vult Diana cum Ouiedo componi? quia nimis eum feſtinus legit, nec aduertit eundem potiùs argumento ſuccumbere, quàm ſolutionem apparentem adſcribere. Vel, ſi dubites (amice Lector) attende, quæſo, attende. Aliter philoſophatur Diana, aliter Ouiedo, neuter bene: &, ſi vterque aliter, non bene inquit Diana, *Ita Ouiedo, & Ego.* Vt rem bene capias, Argumentum ipſum, quod ſolui debebat, conſidera, & quo illud modo ab alterutro diſſoluatur, perpende. Illud erat,

Authores pro noſtra.

An ceſſante fine legis in particulari ceſſet lex?

An finis adæquatus ſit vitare periculum?

Ceſſante fine adæquato legis in caſu aliquo particulari, ceſſat eiusdem legis obligatio reſpectu eiuſdẽ particularis: Sed adæquatus finis legis interdicentis libros eſt ne lector ſe exponat peruerſionis periculo: Ergo ceſſante hoc peruerſionis periculo quoad aliquem DCLVIII.

quem particularem, ceſſabit eiuſdem legis obligatio, quoad eundem particularem. At Petrus, qui ſcit ſe eſſe virum doctum, & legendo libros Hæreticorum non ſubeſſe peruerſionis periculo, ait, quoad ſe ceſſare finem legis: Ergo poterit ſecurè inferre, ceſſare quoad ſe legis obligationem.

An Diana & Ouiedus eodem modo diſcurrant?

Et quo hoc illi argumentum modo eneruare conantur? Diana negat primam maiorem, & bene: tametſi poſteà diminutè procedat, duos fines aſſignans, quorum ſicut prior, ita etiam poſterior poterit aliquando ceſſare. Et Ouiedus (loquor iuxta verba allegata) conceſſo primo ſyllogiſmo, ſubſumptum ait eſſe de ſubiecto non ſupponente; qui enim diceret ſcire ſe doctum eſſe, & nulli ſubiacere periculo, ſtultus & ſuperbus eſſet; nam ſi cordatus eſset, iudicio ſuo diffideret, nec preſumeret, ſe eſse alienum periculo in materiâ grauiſſimâ & ſummo periculo expoſita. Non ergo ut Ouiedus Diana philoſophatur.

Ouiedus caſum tollit, non ſoluit.

Præterea, non quæritur, *An ſit caſus poſſibilis?* ſed ſupponitur eſse poſſibilis, & inquiritur, *An ſaltem tunc Petrus libros interdictos poſſit legere?* Præterea, ſi Petrus non erit cordatus, ſed ſtultus, ſuperbus, temerariuſque, iudicans ſe poſſe legere ſine periculo, poterit hæc ipſa præſumptio ceſsare, ſi ille ipſe, ad quem pertinet facultatem concedere, reſpondeat: *Iudico te poſſe libros legere proprio periculo, ſed nolo licentiam concedere.* An in tali caſu poterit Petrus legere ſine peccato? minimè; & tamen illos leget ſine periculo. Stat igitur periculum non eſse finem totalem legis.

Petrus Marchantius.

DCLIX. Qualis fuerit?

COgnoui illum in Belgio, dum Comiſsarium ageret Generalem Ordinis S. Franciſci, & in Viro ſene ſummam pietatem, doctrinam, & diligentiam admiratus & veneratus ſum. Laborabat anno 1641. moleſtiſſimâ febri, inrerim ſui immemor, vir bono publico natus, negotia omnia expediebat, nec volebat corporis habere curam, quouſque negotia Ordinis expediuiſset. Edidit libros pulchros, & inter alios Sacramentale illud Tribunal, quod manibus vniuerſorum teritur. In eius igitur *tomo* II. *tract.* 2. *tit.* 2. *ſect.* 4. *quæſt.* 2. *concl.* 1. *fol.* 90. his verbis ſuam ſententiam ediſserit.

DCLX. An obligatio ſit ad mortale, aut ad veniale bene colligitur ex pœna.

[Quia verò quilibet de fortitudine ſuâ præſumere, ſibique periculosè ablandiri potuiſset, generaliter Eccleſia lectionem huiuſmodi librorum ſub peccato mortali quibuſuis, quantumuis doctis probiſque, prohibuit, adhibitis pœnis, quæ non niſi pro peccato mortali imponuntur, niſi de illius, ſeu S. Sedis licentiâ, & authoritate legantur, prudenter attendens, quòd quamuis in indiuiduo, & ſingulari reſpectu alicuius perſonæ doctrinâ, probitate, & conſtantia præſtantis, nullum ſit periculum: tamen quia illo prætextu aduertit plurimos ſeduci poſſe, & grauiſſimos abuſus ac pericula populo Dei imminere, vniuerſaliter doctis pariter, & indoctis lectionem librorum hæreticorum inhibuit, niſi perſonarum delectu facto ab ijs, quibus S Sedes eorum lectionem, & iudicium concrederet. Ratio igitur periculi non ſumitur ab eo, quod certò accideret perſonæ in indiuiduo legenti, ſed ab eo, quod Eccleſiæ, vel perſonis indefinitè contingere poſſet: quod ſingulariter notandum eſt ab ijs, qui de ſe præſumentes quælibet audent, generalibus quibuſdam axiomatibus deluſi: Non attendentes, quòd Deus de ſuâ virtute præſumẽtes frequentiùs humiliat caſibus miſerandis. Et hæc fuit prohibitio communis in Eccleſiâ Dei à temporibus Apoſtolorum; quorum etiam Decreto libri Hæreticorum, & impiorum igni adiudicati ſunt.]

An debeat ceſſare legis finis in communi, vt ceſſet etiam ipſa lex?

Ita Marchant. cui etiam addit Diana Petrum à Sancto Ioſeph *in Idea morali lib.* 3. *cap.* 6. *reſol.* 6. & Carenam *in tract. de officio Inquiſ. par.* 2. *tit.* 10 §. 5 *nu.* 32. *cum ſeqq.*

DLXI.

An Marchantius ſatisfaciat propoſitæ difficultati?

Sed & Marchantium etiam Diana feſtinus legiſſe videtur; ipſe enim, tametſi concluſionem cõmunẽ teneat, non inſiſtit fundamẽtis Dianæ, nam Obiectionis poſitæ maiorem, videlicet, *Ceſſante fine adæquato legis in caſu aliquo particulari, ceſſat in eodem caſu particulari eiuſdem legis obligatio*, quam nos cenſemus eſſe certam, quam admiſerat Diana; quam Ouiedus conceſſerat, tametſi dixerit eſſe minùs communem, Marchantius negat; inquit enim: *rationem periculi non ſumi ab eo, quod certò acciderit perſonæ in indiuiduo legenti, ſed ab eo, quod Eccleſiæ, vel perſonis indefinitè contingere poſſit*; & hoc iubet notari ſingulariter. Hac autem viâ Marchantius nec proficiet, nec proderit: negat enim propoſitionem, quam certam multi, & cæteri cenſent probabilem, & Obiectio non uult per ſe notis, ſed probabilibus præmiſſis roborari.

DCLXII. Interdum non poteſt negari Modalis, quando ſimplex aſſertio negatur. N. B.

Vt igitur conſtet liquidò, non ſufficere ſolutionem Marchantij, eamdem Obiectionem ad modales propoſitiones reducamus. Illam ponamus ſic [*Probabile vt minimum eſt, ceſſante fine adæquato alicuius legis in aliqua perſona particulari, tametſi non ceſſet in tota Eccleſia in communi, aut in omnibus perſonis indefinitè ſumptis, ceſſare reſpectu illius perſonæ particularis obligationem legis. Atqui ceſſat in hoc particulari: Ergo ceſſat & obligatio legis*, &c. [Maiorem modo illo probabilitatis affectum negare Marcantius non poterit: minorem ad mittit expreſſè; debet igitur aut non ſatisfacere odiectioni, aut ad nos recurrere, & noſtram ſolutionem amplecti.

Igna-

Ignatius Lupus, & alij.

DCLXIII. PVlchrò dilucidauit Commentario Sãctę Inquisitionis Edictum Author iſte, & dignus eſt, qui à viris eruditis legatur: & *par. 4. lib. 25. diſt. 3. artic. 2. difficul 2. fol. 466.* quærit, *An libri hæreticorum à doctis legi poſſint, vt eorum errores meliùs cognoſcant, ac conſultiùs eis reſpondeant?*

Non ſpectat ad priuatum iudicium de periculi abſentia iudicare.

Et reſpondet, omnibus illicitum eſſe legere libros prohibitos Hæreticorum, ſed aliter doctis, aliter indoctis: doctis, , qui ſine periculo illos legere poſſunt, præcisè vi præcepti illicitum eſt, niſi licentia Sedis Apoſtolicæ accedat; cuius etiam eſt ante licentiam cognoſcere, & iudicare, An ſine periculo, & cum fructu licentiam petens legere poſſit? Nemo enim iudex in propriâ cauſâ eſſe poteſt. Simplicibus verò, & ignaris ex duplici capite illicitum eſt, ſcilicet nedum ex vi prohibitionis, ſed etiam ob imminens, & euidens periculum.

DCLXIV. Ita *Lupus* & alij; quibus omnibus adde Naldum, *Summa ver. Bulla Cœnæ num. 12.* Pueronum *in Bulla Cœnæ cap. 1. §. ac eorumdem libror. num. 186. fol 136.* & nouiſſimè Hermanum Buſembaum *in Theolog. mor. lib. 2. tr. 1. cap. 4. dub. 3. num. 6.* cum Angelo Poſſentio *in Recollect. qq. mor. in fine tit. varia cap. 16. nu. 9. & 10.* vbi ait [neque dicere quicquam valet legis ceſſante fine, & lex ceſſare debet; nam vtique id procedit, ſi lex in præſumptione fundetur facti criminis, non verò ſi ſe fundet in delicti facturi præſumptione, vt eſt in caſu noſtro. Ergo &c.] adde cum Cæſare Carenâ *part. 2 tit. 5. §. 5. num. 34.* in nullo caſu particulari ceſſare periculi præſumptionem, nimirùm peruerſionis, quando in fide, quòd quis perſeueret, donum Dei eſt. Vide doctiſſimum Patrem Tamburinum *in Decal. tom. 1. lib. 2. cap. 1. §. 7: num. 41.* & Bertrandum *conſt. in Reſol. Theolog.* cum Vrbano ab Aſcenſione *in Theol. mor. tract. 21. cap. 7. Regula 12. fol. 366.* vbi docet temerarium fore, qui hoc de ſeipſo iudicium ferre tentaret in re tanti momenti, nolletque Eccleſiæ præceptis ſe ſubijcere.

De præſumptione legis.

Aliud eſt ſoluere & aliud tollere difficultatem.

Sed iſti omnes Authores non Dianæ, ſed Ouiedo ſubſcribunt, & casûs poſſibilitatem tollunt, aut ſaltem iudicium de periculo non Lectori, ſed Apoſtolicæ Sedi remittunt. *His igitur conſideratis*, vberioris doctrinæ cauſâ recurramus ad Logicam, & Obiectionem, & varias eiuſdem ſolutiones ponamus. Illa erat: *Ceſſante fine adæquato legis in particulari ceſſat & lex: at in noſtro caſu ceſſat ille: ergo & iſta.* Lupus concedit maiorem; et quia de minori dubitat, nullius priuati hominis eſſe, ait, definire, vtrùm illa ſit vera: hoc enim iudicium pertinet ad Eccleſiam Romanam, Sed hoc eſt tollere, et non ſoluere difficultatem, in caſu enim proponitur certò conſtare non ſubeſſe periculum. Angelus Poſſentius reſpondet, diſtinguendo maiorem: ſi agatur de ſuſpicione peccati perpetrati, illam concedit: ſi de ſuſpicione peccati perpetrandi, illam negat. At ego hanc diſtinctionem nõ intelligo; ſemper enim agitur de obligatione futurâ reſpectu ceſſationis finis, & ideò nihil video in hac ſolutione præter verba. Cæſar Carena ſubtiliùs & meliùs procedit; concedit enim Obiectionis maiorem, & ad minorem dicit non eſſe finem legis vitare ſubuerſionem, ſed vitare ſubuerſionis periculum: quamobrem negat finem in particulari ceſſare: licèt enim interdùm homines lectione librorum infidelium non ſubuertantur, propter rationem ab eo allatam nunquam carent ſubuerſionis periculo. Sed hoc nec verum, nec ad rem: non verum, quia docti qui cum licentiâ legunt, carent periculo: ergo ipſimet, ſi ſine licentiâ legerent, licèt eſſent inobedientes, legerent nihilominùs ſine periculo: non ad rem, nam tollit caſum & hypotheſim, iuxta quam controuerſia proponitur, & diſſolui iubetur.

Placuit in re clarâ & certâ Authores, quos Diana produxit, examinare, vt meum Lectorem varietas ingeniorum delectet, & vt videat omnes, tametſi in Conclusione conueniant, in fundamentis et modo probandi differre.

Leander.

DCLXV. An in violatione legis violantis animus ſit attendendus?

PAter *Leander* de Sanctiſſimo Sacramento edidit Quæſtiones Morales de Præceptis Eccleſiæ, & tract. 3. de Bulla cœnæ. diſp. 1. quæſt. 53. interrogat, *An incurrat excommunicationem Bullæ, qui legit librum hæreticum non dolo malo, ſed ſolius curioſitatis cauſâ?* & reſpondet, *incurrere*: Quia Bulla non conſiderat animum legentis, ſed facto contenta eſt. Sic Vgolinus *2. part. de Cenſur. Papæ reſeru. ver. Ac eorumdem libros, in fine principij.* Toledo *in Bulla Cœnæ excommunic. 1. num. 24.* apud Sanchez, Fagundez, & Trullench *mihi num. 10. cap. 19.* his verbis [Præterea ſiue legant ad errores cognoſcendos, vel impugnandos, vel ad aliquam eruditionem depromendam, omnes hi excommunicationem incurrunt, dũmodò ſine licentiâ Sedis Apoſtolicæ fiat] Sic ille. Sanchez *lib. 2. ſumm. cap. 10. num. 40.* Fagundez *lib. 1. in Decal. cap. 14. num. 22.* Trullench etiam *in 1. lib. Decal. cap. 3. dub. 9. §. 5. num. 22.* et Rocafull. *3. part Praxis lib. 3. cap. 8. dub. 5.*

Hic vniuerſaliùs pronuntiat, et tam ipſe quàm Trullench, aut fortè cæteri videntur contrarijs fundamentis inſiſtere, et ideò meritò non allegabantur à Dianâ.

Satiſ-

Satisfit argumentis à num. 638. positis.

DCLXVI. Habet Ecclesia, cùm interdicit libros, quatuor fines.

TRia legum genera exposuimus *num.* 637. & modò asserimus legem hanc, quæ libros interdicit, ad tertium genus pertinere, & hanc ob rem illam, vt superiùs docuimus, habere varios fines. Primò igitur intendit Ecclesia, ne isti libri noceant illos habentibus & possidentibus: secundò ne noceant alijs: tertiò, vt Authores, si pœna sint digni, puniantur: quartò, vt scriptores, qui inuincibiliter errarunt, habeant patientiam, & pœnalitatem istam patienter tolerent ob bonum publicum. Sanè primus finis poterit cessare in aliquo particulari, qui sit vir doctus probusque; tertius in aliquo Authore, qui sit Catholicus & ex ignorantiâ inuincibili & sine culpâ errauit, nam iste, vt notaui superiùs corrigi, debet, odio haberi non potest. At tunc, si cesset tertius, non poterit quartus cessare. Et transeundo ad secundum, doceri velim, quo modo ille possit cessare in solo aliquo particulari? Finis iste secundarius erat, vt libri interdicti nulli noceant. Ergo ne noceant *Petro*, *Paulo*, Francisco, & cæteris: non ergo illum tenere aut legere poteris, licèt tibi non noceat; nam alijs poterit ille nocere. *His positis, ad argumentorum dissolutionem venio.*

Vbi cessat tertius, adest quartus.

Secundus non potest cessare in aliquo particulari.

Ignorantes se esse doctos opinantur interdùm.

Respondeo ad primum; quod positum *num* 638. aut etiam ad vtrumque; vel agi de laico, qui se doctum existimat, vel de eo, qui testimonio publico est doctus. Si de illo: aio, ignorantissimos interdùm homines sibi de doctrinâ abblandiri, multosque paucorum syllogismorum noritiâ periculosiùs intumescere, quàm rana AEsopica, quæ ambiebat magnitudinem bouis. *Prodest* hoc Distichum:

Quàm sapiens essem, si scirem denique, vel quæ
Ignoras, vel quæ te Petre scire putas

Ergo huiusmodi homines tacere potiùs debent, quàm de misterijs Fidei Orthodoxæ differere; &, si loquantur, legem violant, & excommunicatione irretiuntur. Si de viro verè docto sit sermo; dicent Bañes, Hurtadus, Ledesma, Diana, & cæteri, aut non fuisse intentionem *Pontificis* illum arcere ab huiusmodi disputationibus, aut, quia cessat adæquatus finis legis quoad illum, etiam quoad illum huius Canonis rigorem & præceptum cessare: dicent alij adhuc ipsum teneri præcepto, nec posse cum Heterodoxo disputare sine Ecclesiæ approbatione & permissione.

An distinctio inducentis & inducti ui prosit?

Respondeo ad secundum, illud non solui à Diana: *Primò*, quia frustrà inter inductiuũ & inducentem distinguit: nam Hæreticorum omnes libri, si ista distinctio stat, etiam respectu illorum, qui cum licentiâ legunt, sunt inductiui in errorem: &, si hæc ratio alicuius esset authoritatis, nunquam cessaret finis adæquatus non huius solùm legis, sed neque alius in aliquo particulari, & illa omnia acciderent, quæ §. *sed progrederis*, adnotabantur. *Secundò*, quia, ne dicat finem adæquatum cessasse, adsignat secundum alium finem (nempe, odium Authoris) qui etiam cessat interdùm: quamobrem contra Dianam posem ego argumentum reponere. Sic inquam. *Probabile est, cessante fine adæquato legis in aliquo particulari, cessare etiam legis vim & obligationem quoad illum particularem. At lex libros interdicens hos habet fines: I. ne illum libri possint in errorem inducere (hoc est, ne respectu illius sint inductiui)* II. *& vt Author puniatur. Ergo, cessantibus istis duobus finibus in aliquo particulari, cessabit finis adæquatus huius legis: ac per consequens eiusdem legis obligatio. At solet cessare vterque finis in aliquo particulari: Ergo solet eiusdẽ legis obligatio cessare.* Probatur prima minor quoad primam partem: *quia respectu illius, qui sine periculo legit Hæreticorum libros, isti non dicuntur inductiui: quo enim iure dicentur inductiui respectu hominis, qui supponitur non esse inducibilis?* Probatur etiam quoad secundam partem: *quia cùm interdicuntur Biblia Sacra in lingua vulgari, non interdicuntur ob odium Authoris, sunt enim dictata ab Spiritu Sancto: non Interpretum, fuerunt enim viri pij, & ex mãdato Superiorum laborarunt. Ergo, stando principijs Dianæ, cessat finis adæquatus huius inhibitionis in casu. Ergo cessat inhibitionis obligatio.* Alio ergo modo debuit Diana illud argumentum dissoluere.

Argumentum contra Dianam.

An ex eius probatione, qua libros non posse legi conatur ostendere, eosdẽ posse legi sine peccato, colligatur?

Sed quomodo? Aio, Ecclesiam in interdictione librorum habuisse quatuor fines, quos recensui paulò ante. Addo, hos quatuor fines nunquam simul cessare posse (si enim liber hæreticus tibi Viro doctissimo nocere nequeat, poterit te inscio aut inuito à tuis famulis legi, aut ab alijs clam subripi & ad manus indoctorum venire: quòd, si Author indignus est pœnâ, capax erit, vt propter bonum publicum subeat istam pœnalitatem) Ergo libri interdicti legi non poterunt sine peccato.

Interdictio librorum respicit quatuor fines.

Contra hanc doctrinam argumentabaris *num.* 640 §. *Non verum.* & instantia illa tua poterit reduci ad hæc verba. *Libri ab Expurgatorio correcti permittuntur: & ante correctionem non permittuntur: ergo ob solos errores, & ne nocere possent, interdicebantur.* Respondeo, Ecclesiam, quæ ob bonum publicum Hæreticos condemnauerat pœnâ, & Catholicos aliquos pœnalitate grauauerat, ob bonum etiam publicum pœnam illis & istis pœnalitatem cõdonat, & libros eorumdem correctos ab omnibus legi permittit. Et hæc veritas patet: nam ijdem libri, priuatâ authoritate correcti, non possunt legi si-

Nõ possunt libri interdicti legi sine licentia, etiamsi corrigantur.

ne

ne peccato: Ergo poſſe illos legere non naſcitur ex correctione, ſed ex licentiâ, quæ ab Eccleſiâ conceditur.

Vtra ſit maior pœna, corrigi an comburi?

Subijciebas *num.* 641. maiori pœnâ condemnari Authorem, cui Theta præfigitur, quàm qui comburitur. Hoc quidem, ſi ſincerè diſcurramus, eſt falſum. Sed eſto verum. Quid quæſo inde, quod noſtram opinionem inurmet? Dic obſecro: Quis te conſtituit pœnarum arbitrum? quis Facultatem tibi dedit, vt quos incendio Eccleſia damnat, ſub ſpecie pœnæ ſeuerioris conſerues. Præterea, tu cùm ita diſcurris, à veneno præſcindis, & vt tuo arbitrio Authores punias, ſummo periculo vniuerſos exponis. Dicebat *S.* Gregorius Nazianzenus: *Hereticorum libros, vt aſpidum ora perdendos*: non literâ Theta notandos, aut curioſitatis inutilis gratiâ cum tanto vniuerſorum damno cuſtodiendos.

Nazianzenus orat. 2.

An opinio contraria ſit probabilis?

Concludebas *num.* 643. tuam ſententiam vt minimùm eſſe probabilem, nec hoc militare contra Inquiſitorum authoritatem & poteſtatem: non contra illum, quia eam propugnat probabilitas: non contra hanc, quia, non obſtante probabilitate tuæ ſententiæ, poteris ab illis puniri. Et *repono* ſententiam tuam non eſſe probabilem, adeoque te, ſi libros interdictos ſine licentiâ legeris, peccaturum quoad Deum, & poſſe puniri ab hominibus. Et hanc veritatem demonſtro: quia liberum eſt Eccleſiæ hos vel illos fines reſpicere; at in interdictione librorum illos reſpicit, qui in particulari ceſſare nō poſſint: ergo. Minor pendet à quæſtione de facto: & Legislatori loquenti aut per ſe, aut per illos, per quos ſolet authēticè loqui, eſt credēdū.

QVÆSTIO II.

An ſit mortale comedere carnes die Veneris?

DCLXVII. An & quomodo obligauerint ieiunia in lege veteri?

HAbuerunt ieiunia olim Hebræi, & illa tenebantur obſeruare ſub peccato mortali. An eodem modo de Chriſtianorum ieiunijs erit Philoſophandum?

Dubitandi rationes.

Cur inſtituta fuerint?

PEtrus, vir robuſtus & fortis, libenter piſcibus veſcitur: & ſic inquit: Ob mortificationem inſtituta ſunt abſtinentiæ & ieiunia, vt ſubigatur & maceretur caro: vt corpus rationi obediat, & meliùs gubernari poſſit: At ego in abſtinentiâ à carnibus, quam Catholici obſeruant, nullā incōmoditatem, nullam vtilitatem, nullā mortificationem ſentire; & concludit, abſtinentiā à carnibus erga ſe eſſe rē, quæ leuiter poteſt conducere ad finem, quē proponit Eccleſia. Cū igitur non ſolū peccet venialiter qui omittit medium, quod ad finē leuem ordinatur; ſed & ille, qui medium, quod ad finem grauem leuiter cenſetur conducere: ſi abſtinentia a carnibus die Veneris leuiter conducat ad finem, quem intendit Eccleſia, putat ſolùm obligare venialiter. *Confirmat.* Magis enim neceſſaria ſunt ieiunia & abſtinentiæ ad vitam Monaſticam, & Religioſam, quàm ad vitam Chriſtianam: At in multis Ordinibus ieiunia regularia creduntur eſſe res parui momenti, & ſolummodò obligare ad veniale: Ergo idem à fortiori de Eccleſiaſticis dicendum eſt.

Media, quæ efficaciter conducunt ad finem leuem, & quæ leuiter ad grauem; obligant ſub venialia tantummodò. Argumentū à maiori ad minus.

An ieiunia regularia obligent ad mortale? DCLXVIII.

Sic philoſophari ſolet Petrus; at multò duriùs & exorbitantiùs Fridericus. Venus è mari oriri dicitur, quòd marina omnia ſint venerea. Ardet luxuria in vndis, & in omni concharum genere euidentiùs, & in omnium piſcium genere ſatis clarè excitatur. Carnes ſuauioris & purioris nutrimenti nec ſunt, nec ita concupiſcentiam irritant, nec alterant laſciuos humores: Ergo finis, quem intendit Eccleſia, ceſſare videtur contrariè. At quando finis contrariè ceſſat, ceſſat abſolutè ipſa Lex: Ergo nemo comedere piſces tenebitur. *Sic* Fridericus.

An piſces excitent luxuriam?

Reſolutio.

DCLXIX. In ieiunij præcepto Eccleſia intendit multos fines.

MVlta ſunt, quæ Eceleſia Catholica reſpicit, cùm inſtituit ieiunia. Vult enim in Quadrageſimâ Chriſtum Dominum imitari, & illum imitando colere, & colendo fauores & gratias indipiſci: Sanctorum dies profeſtos ieiunio celebrat & veneratur: vult macerari hominum ſenſus & rebelles concupiſcentiæ motus ſupprimi: vult tandem, vt in obedentiæ exercitio proficiamus: qui fines omnes ſimul nequeunt deficere in aliquo particulari.

Vide Fundamentum 40. qu. incidentē art. 1.

Argumentis ſatisfactio.

Non ceſſant omnes in particulari.

NEc argumenta oppoſitum probare videntur. *Reſpondeo Petro*, ceſſare in ipſo fortè (ſi ceſſat) finem inadæquatum, at finē totalē, adeoque nec legis obligationē ceſſare: *At Friderico ſubiraſcar*; eſto. n. aquæ aſperſione ignis in fornace accendatur, at nō accēdetur multâ aquâ: & quidem fortè robuſtus adoleſcens, ſi heri in cibis exceſſit, hodie aut comedendo piſces, aut parcè carnes illa inconuenientia percipiet, quæ obijcit Fridericus: at in ieiunio Quadrageſimali aut alio longo non percipiet: ergo illud qualecumque inconueniens non à ieiunio hodierno, ſed ab intemperantiâ & gulâ heſternâ naſcitur, ſi naſcitur. *Præterea*, præcepti literam non bene Fridericus intelligit; non enim præcipit Eccleſia, vt comedamus piſces, ſed vt abſtineamus à carnibus, quod eſt toto cælo diuerſum.

An ſint laſciui piſces? An ieiunia excitent cōcupiſcentiā;

FVNDAMENTVM XVIII.

De Legum Actione, ſeu Legumlatione.

DCLXX. Legislatoris Numinum Internuncij.



Egislatorem agere eſt difficile & periculoſum, & ideò antiqui Legum Conditores maluerunt dici *Deorum* Interpretes, quàm legum ipſarum Authores; vt vulgus reuerentia & religione inductus Leges à Deo per ſuorum Principum manus ſe putaret accipere, & deuotè obſeruaret.

In dubio ſtandum eſt pro præcedente poſſeſſione.

Sed quales erunt leges, ſi de Legislatoris authoritate dubitetur? Reſpondeo, diſtingui dubium à probabilitate debere. Nam in dubio ſtandum omninò eſt pro poſſeſſione, quæ erat ante illud dubium; vnde ſi Electio Superioris ſit dubia, ſtandum erit pro non electione, & ſupponendum eum, qui inuadit Rempublicam, verum Superiorem non eſſe; ſi autem depoſitio ſit dubia, ſtandum erit pro non depoſitione. Ergo cenſendus eſt non habere authoritatem, cuius eſt dubia electio: & cenſendus eſt manere adhuc in priſtinæ authoritatis poſſeſſione, cuius eſt dubia depoſitio. Sed quia rarò aut nunquam talia dubia ſubſiſtunt, tranſeamus ad probabilitatem. *Puto*, Miniſtros & Officiales omnes, quamdiu in dignitatibus collatis maneant, obedire probabiliter legitimo *Superiori* debere, aliàs haberent ſimul duas opiniones oppoſitas; ordinariam enim ſuperioris authoritatem confitetur, qui delegatam recipit, & in aliquo officio agit Superioris Vicarium: at cæterorum ſubditorum vulgus debere obedire Superiori probabili creditus non ſum.

Plus eſt quàm dubium probabilitas.

Dubia hodie rara.

An homo ſimul poſſit operari iuxta duas oppoſitas opiniones probabiles?

An liquis debeat obedire Superiori probabili?

DCLXXI.

HAEc, ſæpè à nobis dicta & expoſita, maiori commentario non indigent: vide interim, quæ ſcribo Theologiæ Regularis num. 1582.

Ex præmiſſis probabilibus ſequi poteſt concluſio improbabilis.

Ratio fundamentalis eſt, quia tametſi poſſim habere quamcumque opinionem probabilem ſeorſim, non coniunctim; nam, vt ſimul duas habeam ſententias, eſſe illæ debebunt comprobabiles & cõſiſtentes, aut aliàs in ſumma præcipitia perducent. Hanc ego ob cauſam *Poſitiones*, quas olim cenſuræ Theologorum ſubieci, & hîc iterum do, nolui vocare *Theſes*, ſed *Sintheſes*; & hoc conſultò, vt vel ipſo nomine innuerem, illas non probabiles tantũ, ſed etiã cõprobabiles eſſe. Rem exemplo dilucido. Hæc propoſitio:

Non omnes ſententiæ probabiles ſunt comprobabiles.

Non omnes Theſes ſunt Syntheſes.

Quotieſcumque vna formalitas concipitur non concepta altera, diſtinctio realis intercedit, eſt probabilis, nam admittitur ab illis omnibus, qui obiectiuas præciſiones reijciunt. Item hæc: *Poteſt mens concipere Naturam Diuinam, non concipiendo Relationes Diuinas*, eſt probabilis, nam admittitur à Thomiſtis, & Scotiſtis vniuerſis: & tamen infertur hæc conſequentia: *Ergo Natura Diuina realiter diſtinguitur à Relationibus Diuinis*, quæ eſt omninò improbabilis, hæretica, & centies ab Eccleſiâ damnata: Ergo Propoſitiones probabiles à comprobabilibus & conſiſtentibus ſunt diſtinguendæ: ſed de hoc vberiùs in Logicâ Morali tracto.

De naturæ diuinæ & relationum diſtinctione

FVN-

FVNDAMENTVM XIX.

De Legum Paſſione : hoc eſt, promulgatione & acceptatione.

DCLXXII. Obligantur lege non acceptata ſerui:

ACceptatio à Legum *Paſſione* diſtinguitur; multi enim obſtringuntur præceptis, etſi non acceptatis. PRIMO' enim ſerui non rogantur, An acceptare legem velint? carent enim nomine & libertate. Ratio Reſolutionis clara eſt; quia victor, ſi interpoſito pacto, & præſcriptis articulis & conditionibus victos ſub protectionem & amicitiam recipiat, debebit ſtare promiſſis: quòd ſi illos debellet pura vi, & victos occidere poſſit [& hoc accidit quoties non petitur aut conceditur ſalus, vulgò *Cuartel.*] poterit eoſdem procul dubio mitiori ſententia ſeruare, hoc eſt, ſeruos reddere: & ipſi ſemel ſeruati tenebuntur ſeruatori obedire, nec habebunt ius Leges non acceptandi. HINC PATET, DEI Leges non pendere ab hominum acceptatione; ſerui enim & creaturę ſumus, occidi imò & adnihilari omnes poſſumus, & clementia Conditoris ſeruamur; atque ideò citrà omnem acceptationem, aut non acceptationis exceptionem Seruatori obedire tenemur.

Victoriæ duplex.

Cuartel quid?

Seruare quid ſit?

Ergo creaturæ diuinæ: nam ancillantur DEO.

SECVNDO', Homines liberi, non habent ius non acceptandi Leges præcisè neceſſarias ad conſeruationem Reipublicæ; nam ad illam perdendam aut ſoluendam poteſtatem non habent. Et ratio eſt; quia pactum vitæ communis ab vniuerſis initum eſt acceptatio omnium mediorum, ſine quibus ea non poteſt ſtare. Quamobrem, ſi loqui in rigore velimus, non debemus dicere eiuſmodi Leges non indigere acceptatione, ſed non indigere noua; ſed eſſe in ipſa Reipublicæ erectione acceptatas. Eodem philoſophari modo debes de Legibus pręcisè neceſſarijs ad obtinendum finem, ob quem inſtituta eſt Reſpublica: quotquot enim volunt eſſe eiuſdem Reipublicę membra, eumdem finem intendunt, & omnia media pręcisè neceſſaria ad eiuſdem conſecutionem acceptant.

DCLXXIII. Item liberi legibus neceſſariis: nâ hæ ſunt in pacto vitæ communis acceptatæ.

Sed quis erit Iudex, An lex ſit neceſſaria?

TERTIO', Religioſi, quibus præcipiuntur ea, quę ſunt in Regula, non habent ius non acceptandi Leges; quia ipſas iam in ſolenni profeſſione acceptarunt.

Item Religioſi legibus Regulæ.

Non tamen liberi legibus non neceſſarijs.

QVARTO, Homines liberi, quibus minùs neceſſaria iubentur, non tenentur acceptare præcepta, niſi fortè acceptauerint liberè aliam Legem, quæ illos priuet libertate Leges non acceptandi.

Poteſt dari lex accepta-ta, quæ iu-beat leges ante acce-ptationem eſſe validas. Oppoſitæ ſententiæ conciliatur.

Et profectò, ſi quatuor iſtæ veritates bene conſiderentur, non multùm diſtabunt duæ illæ ſententiæ, quæ videntur oppoſitæ; quarum altera negat, altera aſſerit, Humanas Leges ante acceptationem obligare. Item duæ illæ; quarum altera Leges Eccleſiaſticas à Sæcularibus diſtinguit, altera non diſtinguit: omnes enim iſtæ quatuor ſententiæ vniuerſaliter ſumptæ falſæ ſunt; & ſi limitentur iuxta doctrinam poſitam, omnes ſunt veræ. Sententia enim illa, quæ Leges Ciuiles ab Eccleſiaſticis non diſtinguit, effectum reſpicit: quæ diſtinguit, principium. Sanè nullas leges ante acceptationem obligare, certum eſt. Ecce effectum communem, quia à non acceptatione ſequitur non obligatio. Sed cur Leges illæ non obligant? Quia neuter Princeps (Eccleſiaſticus, & Sæcularis) in tali caſu ſubditos inuitos obſtringere vult, & iſte non poteſt.

Communitatum compromiſſio.

In vota plurium compromiſerunt Communitates, at nulla generaliter, ſed in talibus materijs & caſibus. Si pronuncietur Lex circa materiam, in qua omnes compromiſerunt, & acceptetur à pluribus, obligabit pauciores, etiam non acceptantes. Si verò circa materiam, in qua non ſit omnium compromiſſio, feratur, obligabit compromittentes, & non alios. DCLXXIV.

Quando ſit ſtandum plurium votis?

Expedit, vt lex incipiat ſimul obligare vniuerſos.

Puto etiam Leges promulgari debere, vt innoteſcant vulgo, cui impoſitæ. Puto eas, quæ toti Reipublicæ indictæ, ſi toti eadem hora notificari non poſſint, debere præfigere tempus futurum, ex quo incipiant obſtringere: non enim careret magnis inconuenientibus popularis confuſio, ſi eamdem legem alii, quibus notificata, obſeruarent, & alii, quibus nondùm notificata, non obſeruarent. Sed quanto illæ tempore poſt promulgationem incipient obligare? Rei natura nullum determinat; competens humanitùs determinari poſtulat: at Humanę (Seculares certiùs, & Eccleſiaſticæ probabiliter) videntur non niſi poſt duos menſes obligare, & hoc, quia ſic ſuperiores voluerunt: nempè ſupremi (quo nomine Cęſarem, Reges, &c. & probabiliter Papam intelligo) quia Magiſtratùum & inferiorum leges videntur obligare ſtatim. DCLXXV.

Leges obligant poſt duos menſes; ſed quæ?

DCLXXVI.

HAEc omnia vera & certa; at quia non deſunt in re clarâ queſtiones & difficultates, vnam vel alteram propoſiturus ſum.

QVAESTIO I.

An, ſi Lex fuerit acceptata à maiore communitatis parte, ſi aliquis illam frangeret, ſecluſo ſcandalo, peccaret mortaliter?

Vide, quæ dicemus infra à n. 672.

VT controuerſiam hanc dilucidet, Diana ponit caſum, in quo Petrus ex illis ſit, qui non acceptarunt legem, priuatimque & ſecretò illã violet: & ait, Caramuelẽ *Commentario in Regulam D. Benedicti num.* 744. Petrum excuſare à mortali. Producit vnam aut alterã Caramuelis periodum & ſubiungit [Sed hæc opinio mihi non placet; nam dato & non conceſſo, quòd obligatio legis penderet ab acceptatione populi, tamen eo ipſo, quòd lex à maiori parte fuerit vſu recepta, obligat omnes & ſingulos, communiter aſſerunt Doctores: vt ſicut è contrà, ſi de facto maior pars populi non ſeruaret legem, poterunt alij ſine peccato maiori parti conformari, & excuſari, quia talem legem ſupponitur non eſſe vtilem Reipublicæ]

An lex, quæ contemnitur à maiori Communitatis parte, pauciores obliget?

cæ] Hæc ille *part. 7. tract. 11. resol. 23.*

DCLXXVII. Legit hanc Resolutionem Caramuel Alderspachij in Bauariâ Anno 1645. & obstupuit; iurans, deiurans se improbabilem putare errorem, quem illi Diana adscribit. Voluit id scripto publico testari; sed quia bellorum turbines aliò illum abegerunt, nec postea libros Dianæ habuit, taceri debuit, & permittere se citari pro errore, quem totâ ipse vitâ fortissimè in multis libris impugnauerat. Porrò si dignatus fuisset Diana binas ante, & binas etiam post periodos exscribere, citasset Caramuelem pro contrariâ sententia. At quia festinus fuit, debebit Caramuel repetere, quæ sæpissimè scripsit satis clarè. In materia legum sic philosophatur Caramuel.

DCLXXVIII. Superiorum authoritas est limitata.

Dicit Primò, *Non licere Legislatori Humano ponere quascunque leges, sed habere authoritatem limitatam, & debere se continere intra terminos sibi concessæ potestatis.* Et quia in Commentario illo Regulam Benedictinam explicat, ponit exemplum in Abbate, cuius authoritas extra Regulam extendi non potest; nam, vt patet ex ipsâ solenni professione, obedientia superiori promittitur non absoluta & qualiscumque, sed secundùm Regulam D. Benedicti, nimirùm prout vsu receptam.

Priuilegium, quod concedit S. Benedictus cap. 68.

Dicit secundò, *Abbatis Benedictini legem, quamdiu se contineat intra Regulæ terminos, hoc est, quamdiu præcipiat quæ expressè continentur in Regula, posse semel modestè reijci: Quod si secundò pronuntietur obligaturam, etsi contradicant vniuersi.* Patet; quia in professione leges Regulæ acceptarũt singuli, & ipsa concedit, vt, si cui præcipiatur quod vires suas videatur excedere, possit se semel excusare, iubetque, vt absolutè obediat, si in sua sententia perseueret Superior.

DCLXXIX. De rebus, circa quas non compromisit Communitas.

Dicit tertiò, *In rebus, quæ sunt extra Prælati potestatem, legem acceptatam transire in compromissum, & obligare eos, qui acceptarunt, non alios. Et addit, eamdem obligare Communitatem, si illam acceptauit Communitas, & tamen posse violari à quocumque particulari, qui illam non acceptauit.* Hæc est Caramuelis sententia, clara & vera, quam cùm Diana ad Regulam vniuersalem trahit, se nimis festino oculo apertum textum interlegisse ostendit. Et quidem Caramuelis sententiam, quam docet, in loco, quem citat Diana, exemplo notissimo illustro. Omnia officia mechanica in ciuitatibus Germaniæ habent suas tribus & Antistites, qui leges ferunt in materiâ singularum artium; pone Textorum Præsules iubere pannos, qui tanti væneunt, debere tantum lanæ, & tantum serici complecti: & hanc legem dicet Caramuel omnes & singulos obligaturam, si à pluribus sit acceptata; nisi fortè contractu initio ab omnibus concedatur Præsuli, vt inconsultis subditis leges pronunciet. Quid si eorumdem Textorum Superior præcipiat, vt non carnes in posterùm, sed pisces comedant; vt à vino abstineant; vt nunquam cœnent; vt quotidie audiant sacrum, & similia? Respondeo, Textores non teneri. Quid si omnes, Antonio excepto, istas leges acceptant? Respondeo, illas acceptasse Communitatem illam, & teneri illos, qui quoad hoc compromiserunt in plurium vota; at Antonium, qui nec illas acceptauit, nec in plurium vota compromisit quoad hoc, nõ teneri. *Hæc est Caramuelis sententia, quam in dicto Commentario à nu. 738. ad 749. dilucidat, in multis alijs locis confirmat, & quam nimis festinus Diana legit, alias enim vir doctissimus & oculatissimus optimo amico non potuisset tam stupidum errorem imponere.* Non sum ideò amens ego, vt nunquam errauisse Caramuelem affirmem; nam & video ab ipso nonnulla intendi, remitti, limitari, & ampliari; non enim habet scientiam infusam, sed summo labore proficit, & ita hodie studet, vt die crastinâ scripta priora legat doctior: at ipse quando errat, ingeniosè errat, & si habuisset errorem, quem illi Diana adscribit, nec doctè nec ingeniosè errasset. Cur plura scriberem? Ponam calamum orãdo meum Lectorem, vt Commentarij citati à Diana dignetur Paragraphos sequentes interlegere: nimirùm, numer. 488. 492. 493. 738. 739. 740. 741. 742. ad 479. & postea dicere, An non Caramuel contradictoriam omninò habeat sententiam, nec vnquam illam somniauerit, quam illi inuito Diana adscribit?

Caramuelis doctrina.

An nunquã errauerit Caramuel?

QVÆSTIO II.

An, si maior pars non seruet legem, desinat obligare ipsa Lex?

DCLXXX. Affirmatiuam sententiam tenet Diana *part. 7. tract. 11. resol. 23.* vbi ait [Si de facto maior pars populi non seruaret legem, poterunt alij sine scrupulo maiori parti conformari & excusari: quia talem legem supponitur non esse vtilem Reipublicæ] Et Ego Assertum ipsum & rationem inferendi considero, & infero, Catholicos, qui in ciuitatibus Hæreticorum habitant, non teneri ad ieiunia; posse in quadragesimâ carnes comedere; non debere audire Missam diebus festis, &c. nam has leges maior populi pars non obseruat, & ipsi se possunt maiori parti conformare. Quod si ad ius diuinum recurras, & dicas, hanc Hæreticorum negligentiam ex infidelitate subnasci, cur non possit aliquis bene credere, & tamen in cæteris se illis conformare, non video. Sanè relinquamus Hæreticos, etiam inter Catholicos corruptissimæ sunt aliquæ Communitates: An-ne ideò poterit Petrus violare tã-

An Catholici habitantes inter Hæreticos præceptis Ecclesiæ teneantur.

lem

lē aut talē legē, quia plerique illā violant? sed inter Eccleſiaſticas & Sæculares diſtingues: Interrogabo tamen, An *Eccleſia* poſſit ferre leges inutiles? nam quæ temeratur à pluribus eſſe inutilem Diana ſupponit: Ergo Dianæ aſſentiri non ſcio; tu rem conſidera.

QVÆSTIO III.

An legem Moralem, à ſuperiori legitimo latam, poſſit acceptare populus quoad forum exterius, & reiicere quoad forum interius?

DCLXXXI. EXcipi ſolet contra leges Eccleſiaſticas & Sæculares eò quod nō ſint ex *Legiſlatoris* & acceptatorum intentione, vt obligent in foro interiori? quod eſt quærere, An poſſit ſoleatque populus acceptare leges quoad forum exterius, & non acceptare quoad interius?

Reſpondet Diana *part. 2. tract. 17. reſol. 21.* producendo *Extrauagantem* Pij V. & hæc verba ſubſcribit: *Quoad pœnam Bullæ Pij V. priuationis priuilegij clericalis officij & beneficij, &c. dico probabiliorem eſſe illam ſententiam, quæ aſſerit, illam Bullam non eſſe receptam in vſu quoad forum interius.* Sic Henriquez, Auila, Sayrus, &c.

Ergo ad mentem Dianæ, poſitâ legislatione, dubitandum eſt de acceptatione, & poſitâ acceptatione quærendum adhuc eſt, qualiter lex ſit acceptata, & quouſque conſtet eſſe acceptatam quoad forum interius, non eſt dicenda, conſcientias obliga re.

FVNDAMENTVM XX.

De legum Duratione.

DCLXXXII. An Materia exiſtat exiſtentia Formæ? De legum exiſtentia.

MAteria D. Thomæ opinione exiſtit exiſtentia Formæ: & in mea Leges exiſtunt Legislatoris exiſtentia, durant Legislatoris duratione: quod ſi fortè aliqua Principi ſuperuiuat, erit confirmata à Republica tota, quæ non moritur. Hic doctè & prudenter Authores leges à preceptis diſtinguunt, & *Legum* nomine intelligunt perpetua quædam & poſt mortem Superioris permanſura præcepta: & *Præceptorum* nomine Leges quaſdam cum Superiore morituras. Hinc naſcitur *Regularum*, *Conſtitutionum*, *Statutorum*, & vocum aliarum varia acceptio, quæ ad diſtinctionem poſitam debet reduci.

An lex maneat mortuo Legislatore?

De Legum tempore.

*P*riuata Superiorum præcepta, ſi longo tempore ſint duratura, ſcribi deberent omninò; labilis enim eſt memoria, nec poteſt ſingulos apices retinere. At non ſcriptæ quanto duraturæ ſunt tempore? Hoc ipſum deberet ſcripta lege aliqua detetminari.

Nonſcripta Superiorum mandata quanto tempore ſint duratura?

VIdi ſemel ad tollendos ſcrupulos declarari à Generalibus Ciſtertiēſis Ordinis Viſitatoribus præcepta Abbatum non ſcripta vltra ſex menſes non durare: & me iudice prudens fuit hęc ipſa declaratio; ſolent enim nonnulli Præſules tam leuiter præcepta imponere, vt eorumdem obliuiſcantur ipſi poſteà; & interim ſcrupulis onerant ſuas communitates: ergo ſatis erit, ſi eiuſmodi præceptis ſex menſium concedatur obſeruantia; vt Abbates, qui velint ſua præcepta eſſe perpetua, non illa merâ voce pro-

proferant, ſed in tabulis publicis Cœnobij exarent.

Cæterùm ex hac Viſitatorum lege non poterimus deducere Regulam aliquam vniuerſalem: quia quàm certum eſt, legem agraphicam non poſſe eſſe perpetuam, tam incertum eſt tempus, vltra quod non ſit perennatura. Et hanc ob rem prudenter recurrimus ad Superiorum voluntatem.

FVNDAMENTVM XXI.

De Legum Loco.

Nec leges, nec Principes ſunt immenſi.

HAbent ſuos terminos Prouinciæ, extra quos non extenduntur Leges. Non obligant Leges Galliæ in Hiſpania, nec Hiſpaniæ in Gallia; ſed vnæquæque ibi habent vires, vbi ferri potuerunt. DCLXXXIII

Serui. Religioſi. Vagi. Legati.

Quibus legibus tenentur Peregrini? Aliqui ſunt priori loco obſtricti perſonaliter, aliqui realiter: Serui & Religioſi quamdiu manent obſtricti priori loco, eius legibus tenentur: cæteri legibus loci, in quo habent domicilium de facto (Legati non videntur habere domicilium apud Principem, ad quem legati; ſed in vrbe, vnde miſſi.) De Peregrinis Quibus legibus obedire teneantur?

De Senatore capto.

An ne captiui Senatores poterunt in territorio alieno ius dicere? Reſpondeo, Senatores eſſe Doctores & Iudices: vbicunque ſint, eruditi ſunt, docti ſunt, & poterunt iuxta iura & leges reſpondere. At proferri ſententiam, qua liberi obſtringantur, poſſe à captiuis, crediturus non ſum. Et idcircò pronuncio, Iudicem Hiſpanum, captum à Gallis & Pariſios tranſmiſſum, non poſſe Ius dicere, quod liberos Hiſpanos obliget. Ratio eſt: Quia huius Senatoris perſona (imò ipſa charta, in qua ſententia ſcribitur; calamus, quo illa ſcribitur; ſigillum, quo firmatur) alti imperij nomine pertinet ad Regem Galliæ: non ergo ius dicere poterit nomine Regis Hiſpaniæ.

De Camera Spirenſi ſub Gallo.

HInc patet quid dici debeat de Camerâ Spirenſi à Gallis captâ. An ſub Gallorum Imperio conſtituta poſſit Germanos iudicare? De hac Ego materiâ tractatum ſpecialem ſcripſi; ſed quia vidi rem tam magni momenti contra Cæſaris authoritatem affectibus priuatis regi, & aliquos damno publico quærere commoditates priuatas, iudicaui nondum illum debere edi; ait enim Dominus Deus: *Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.* DCLXXXIV

FVNDAMENTVM XXII.

De Legum ſitu, aut ordine.

De legum concurſu.

NOn ſunt æquales Leges, ſed aliæ ſunt nobiliores, aliæ minùs nobiles, & ſi concurrant, nobilior obtinere, & cedere debet inferior. Lex Dei ſuprema eſt, nec cedit Humanæ aut Angelicæ. *Si* contra Creatorem creatura aliquid præcipiat, audienda non eſt. Qui ſi concurrant duæ Leges, Diuina probabilis, & Humana certa, vtra præcedere debebit? *Reſpondeo, Ius* naturale à *Iure* humano diſtinguendo. Stando Decalogo præcisè ſumpto, aio, poſſe ſubditum in tali caſu opinari non dari Legem Diuinam, poſſe & opinari contrarium: eſt enim conſcientiæ libertas in materia probabili, niſi ſubditus ſe liberè obligarit ad alteram contradictionis partem. Si tenere velit dari Legem *Diuinam*, hoc ſtante dictamine non poterit obedire Humanę: Si opinetur Diuinam non dari, tunc tenebitur obedire Humanæ: at in tali caſu non dicetur Humana *Diuinę* præponi; ſed Humana obſeruari, & non dari Diuina. Quid ſi ſuperior iubeat tibi bibere venenum probabile? quid ſi dubium? ſi reus ſis, & ille te damnare poſſit morte certa, etiam poterit probabili aut dubia: & tunc venenum haurire poteris, ſed non teneberis. Ergo neque teneberis, ſi ſis innocens, aut ille te capite condemnare non poſſit.

DCLXXXIV Non eſt obediendum Homini cõtra Deum.

Dubium incidens.

Deo lege probabili.

Modus loquendi corrigitur.

De veneno probabili.

HVnc legum & præceptorum ordinem expendit curiosè & eleganter Auguſtinus (& habetur 11. *quæſt. 3. can Ita corporis. Canon. qui reſiſtit.*) qui ſic ait. *Quid, ſi illud iubeatur, quod non debeas facere? Hic ſanè contemne poteſtatem: ipſos humanarum legum gradus adverte. Si aliquid iuſſerit Curator, faciendum eſt; non tamen, ſi contrà Proconſul iubeat: Non vtique contemnis poteſtatem, ſed eligis maiori ſeruire: nec hinc debet minor iraſci, ſi maior prælatus eſt. Rurſus, ſi ipſe Conſul aliquid iubeat, & aliud iubeat Imperator, & aliud Deus, da veniam ò Imperator; tu carcerem, ille gehennam minatur, &c.*

DCLXXXV. Humana poteſtas gradus habet.

An ideò obediendum Deo?

Sed debes hîc omninò notare, poſſe & ſolere ſubditũ habere multos Superiores ſubordinatos; & tunc debere obedire maiori, etiam contra voluntatem & præcepta minoris. At in hoc ipſo caſu debet interuenire Principis ſuperioris prudentia, ne fortè præcepti altioris colore Reipublicæ præiudicetur. Inter Hiſpanos ſic proceditur. Petrus Solutor generalis, exempli cauſa, ſuam habet inſtructionem â Rege; præcipit contra Prorex, ſe vrbanè excuſat Petrus, Regiam inſtructionem proponens. Si adhuc Prorex in ſcriptis ei iubeat, vt, non obſtante mandato Regis, ſibi obediat, debet obedire Proregi; & monere Regem, ut ipſe examinet, cur Prorex talem legem poſuerit. Et hi mores ſummâ prudentiâ & ratione fundantur: ſolent enim mutari circumſtantiæ, & debent inſtructiones priuatæ, etſi Regiæ, inſtructioni Proregis etiam Regiæ ſubeſſe. Breuiter id perſuadeo [Dantur caſus & circumſtantiæ, in quibus Petrus ſubditus non debeat obedire Superiori, ſed debeat potiùs non obedire, & eius mentem interpretari; & hæc non obedientia, ſi ſincera ſit, erit virtus, & ad epiKeiam reducetur. Conſidera Iuris Canonici Regulam LXXXI. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis nõ eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Ergo, ſi præſcribit Dialectica, rationis paritas poſtulat, vt dicamus: *In generali iuſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie iuſſurus.* Datur ergo caſus, in quo Petrus debeat

Vult interdum Superior, vt ſubditi legem nõ ſeruent; nimirùm, ſi mutatis circumſtantijs illa nocumentum inferre poſſit.

Antiſtites ſubordinati.

Exemplum ſcitu digñũ.

Sicut de indultis, ita de præceptis philoſophandum eſt.

debeat non obedire: ergo in quo poſſit vti ſuis miniſtris contra verba legis ſuperioris, vt ſic ſatisfaciat menti Legiſlatoris. Et quid faceret, quæſo, in tali caſu, ſi ſubditi ſibi nollent obtemperare? Habet ergo ius obligandi ſubditos ad obediendum contra literam mandati Regis, quando, mutatis circumſtnatijs, ſincerè iudicat Regem velle, vt illi literam mandati non obſeruent]

DCLXXXVI. An tui famuli famulus ſit tuus amulus?

DATVR aliud ſubordinationis genus; quãdo nimirùm, Petrus ſubditur Paulo, Paulus Ioanni, cui nõ ſubditur Petrus. & in hoc caſu ſuo vnuſquiſq; Superiori, & nõ Superioris ſui Superiori obedire tenetur. Pono exemplum. Habes domi *Franciſcum* honeſtum famulum, qui tibi ſubeſt: hic aut pecuniâ ſui ſtipendij, aut aliunde adquiſitâ etiam famulos alit; & pronuncio, Franciſcum tibi obedire debere, at famulos Franciſci non debere: ipſi enim Franciſco famulantur, non tibi. In diuerſis Religionum Ordinibus varij ſunt mores. Apud Benedictinos (niſi aliqua Congregatio ſpeciales habeat leges vel mores) opinamur omnes Cœnobij Religioſos vni & ſoli ſuo Abbati ſubditos, non Prouinciali aut Generali; his enim Abbates ſoli immediatè ſubdũtur. Hanc ob rem Ordinis Superiores, extra viſitationem (cùm enim Monaſteria viſitant, ſunt immediati) cùm volunt aliquid Religioſis indicere, non dicunt: *Iubemus Religioſis, vt hoc faciant*, tunc enim mandatum periculo exponerent: ſed dicunt: *Iubemus Domino Abbati, vt ſuis Religioſis præcipiat, vt faciant hoc*: & tunc omne dubium ceſſat; nam Abbas tenetur obedire Ordinis Superioribus, & priuati Religioſi ſuo Abbati. In Monaſterijs non exemptis id Epiſcopus poteſt, quod Ordinis Superior in exemptis: vnde Epiſcopo Auguſtano roganti: *Quis ergo eſt Superior in Monte ſancto* (Monaſterium eſt Ordinis Benedictini in Bauariâ) *cui debent Monachi obedire?* Optimè reſpondit Abbas: *Superior Ego ſum. Monachi mihi ſoli obedire tenentur. Ego verò illuſtriſſimæ Celſitudini tuæ.* Quam reſponſionem fuiſſe legitimam, & contra Epiſcopi ſcrupulos Bauariæ Sereniſſimus, & omnes Abbates debere defendi putarunt.

An Religioſi Generali ſubdantur?

De monaſterijs non exemptis.

An montis ſancti Religioſi ſint ſubditi Epiſcopi Auguſtani?

Non videretur hæc doctrina Ræipublicæ & Politicis vtilis, ſi intra ſepta Eccleſiarum & Monaſteriorũ maneret; ergo demus exẽplum aliquod Regium, quo priuata firmemus. *Franciſcus* de Ouiedo in Epiſtolâ Dedicatoriâ, præfixa Tractatibus Theologicis primæ ſecũdæ D. Thomæ correſpondentibus. §. *Primus ſe offert*. Sic inquit [*Cùm Rex D. Petrus, cui ſæuitia appellationem fecit, ſerijs iocis cum fratre Henrico velitaret, procubuit iſte: tunc Ferdinandus, non minùs de amore, quàm de famulatu Henrico coniunctus, ſupra Petrum ſeruauit Henricum, aiens*, No quito, ni pongo Rey; pero ayudo a mi Señor. *Ad hæc Henricus pugione Petrum confodit, & fraterno ſanguine Regiam ſibi purpuram tinxit.*] Hæc Ouiedus; qui citat Licentiatum Molinam *in deſcriptione Regni Galleciæ fol.* 49. Argote de Molina *libr* 1. *cap.* 102. Didacum de Andrade *in Chron de Calatraua libr.* 29. *fol.* 60. *anno* 1369. P. Malachiam de la Vega Ordinis S. Bernardi *in Chronic. Iudic. Caſtellæ tom. Caſtror.* & Andrade; & alios multos poſſet. Commendat Ouiedus Ferdinandi generoſam actionem, quæ non aliter poteſt defendi, quàm ſi dicamus, Ferdinandum non Petro, ſed Henrico ſubfuiſſe: tametſi ſubeſſet Henricus Regi Petro. Sed hoc ipſum multas difficultates pateretur, & aliter non poſſet defendi.

Petrus cognomento. Crudelis Caſtellæ Rex.

An omnes Regi immediatè ſubdantur?

FVNDAMENTVM XXIII.

De Habere.

DCLXXXVII. Præmia & ſupplicia ſunt duo fundamenta Reipublicæ.

MVlta habent Leges, ob quę iuſtæ dicantur; at inter alia hæc duo præcipuè; videlicet, præmium & pœnam: *quia nec domus, nec Reſpublica ſtare poteſt, ſi in ea nec rectè factis præmia extent vlla, nec ſupplicia peccatis.*

Et vt Iudicem integerrimum agas, inquiris, *Primò*, An punire illum poſſis, qui ſequutus opinionem probabilem? *Secundò*, An excommunicari poſſit inobediens, ſi pro ſe

Dubia nonnulla proponuntur.

opinionem probabilem habeat? *Tertiò*, An, qui occiderit ob defensionem vitæ? *Quarto*, An, qui occiderit ob defensionem diuitiarum? *Quintò*, An, qui occiderit ob defensionem honoris? *Sextò*, An sicut liberè sequutus est quam voluit sententiam reus in operando, possit Iudex sequi quamlibet in iudicando?

An Superior possit obligare subditum in materia probabili?

Vt dubio satisfacere possim, tanquam certum & indubitatum suppono, posse & solere Superiores obligare subditos in materia probabili, & ideò hanc quæstionem de probabilitate, & dubia, quæ ex illa suboriuntur, ad duas hypotheses reduco: nam vel subdito nullum humanum præceptum est impositum circa materiam probabilem, vel est impositum. Et, vt clariùs procedam, suppono, esse probabilem eorum sententiam, qui docent: *Excusari à peccato, qui pietatis gratia seruilia opera diebus festis exercent*; sunt enim pro alterutra parte Authores & rationes graues [Vide Leandrum à Sanctissimo Sacramento *part.3. tract.1. disp.6.*] & Petrum, & Antonium produco: ille enim, contrarium non iubente Prælato, opera seruilia die festo pietatis gratia exercuit: hic autem Prælato contradicente & inhibente. His positis,

An excusetur pietas eum, qui diebus festis operatur?

An peccauerit & occidi possit, qui occidit inuasorem vitæ, diuitiarum, honorisue?

Vide, quæ dicta sunt superiùs nu. 411.

Respondeo *ad primum*, Petrum nec peccauisse nec posse puniri à Prælato. *Ad secundum*, Antonium peccauisse, & puniri posse. *Ad tertium* & *ad quartum* aio, nec peccare, nec puniri posse, qui ob defensionem vitæ aut diuitiarum inuasorem occidit, si vsus fuit moderamine inculpatæ tutelæ; quia in his duobus casibus posse occidi inuasorem non iam probabile, sed certum est. *Ad quintum* addo ob honoris solius defensionem neminem licitè occidi posse. *Ad sextum* dico, Petrum non esse probabiliter reum, sed certò innocentem; licere enim sequi opinionem probabilem certum est: addo, Antonium non esse probabiliter innocentem, sed certò reum; sunt enim Superiores in possessione certa & præscripta imponendi probabilia præcepta: non ergo Iudex, absoluendo Petrum & condemnando Antonium, sequeretur opinionem probabilem. Cæterùm, si probabilitas non rem factam, sed actionem afficiat, ita vt non quæratur iam, An reus rem licitam fecerit? sed, Vtrum eam licitè fecerit? stando Iuri naturæ, posset fortè Superior subscribere opinioni probabili; at, quia humanæ leges postulant, vt nemo condemnetur, nisi plenè conuictus, fauendum est reo, quantum prudentia & probabilitas ipsa permittit.

Aliud est rem probabiliter licitam facere, & aliud probabiliter licitè.

An in dubijs & probabilibus Iudex fauere debeat reo?

DCLXXX. III.

IN re clarâ multi Authores tenebras, & in expeditissima scrupulos varios inuenerunt. Aliqua possem circa singula obijcere; sed quia præcipuè me vocat Diana, ex illo aliquas periodos exscribam.

Part.1. tract 10. *resol.* 8. § *Restat.* inquit [Iudices Curiæ iudicare secundùm opinionem probabiliorem, quæ asserit, Constitutiones Pontificias, tantùm Romæ publicatas, obligare in foro externo & conscientiæ: sed ex hoc non sequitur contrariam sententiam esse falsam. Et ita in simili casu respondet Becanus *in summa Theologiæ part. 2. tract. 3. cap. 6. quæst. 7. num 3. in fine*: & ita etiam in simili casu de stylo Curiæ Romanæ respondet Fagundez *de præcept. Eccles. tract. 2. lib. 8. c. 8. n.* 138. & Granado *in par. 2. cõtr. 7. tract. 3. par. 1. disp.* 11. *sect. 2. n.* 15. Igitur dicendum est, quòd praxis illa, quæ affertur, fundatur in probabilitate contrariæ sententiæ, non tamen tollit probabilitatẽ alterius]

Et resol. 5. §. *vltimo*, ait [Nec valet dicere, quòd stylus Curiæ Romanæ est in contrarium, & quòd ibi à Iudicibus passim puniuntur transgressores legum, etiam ante elapsum tempus duorum mensium; nam respon-

DCLXXXIX An leges obligent ante duos mẽses?

ſpondeo cum Salas, Becano, Mirandâ & alijs, quòd ſtylus Curiæ & Iudices ideò hoc faciunt, quia fundantur & ſequuntur opinionem priorem: ſubditos verò poſſe ſequi oppoſitam, quia probabilis eſt; ſed caueant pœnas à Iudicibus infligendas. Igitur, ait Nauarrus, ſtylus Curiæ procedit in foro externo, & non in interiori.]

Et tu ex harum duarum periodorum doctrinâ hoc argumentum formas [*Probabile eſt, Pontificias Leges non aliter obligare, quàm ſi in ſingulis prouincijs & diœceſibus euulgentur: probabile etiam eiſdem non incipere obligare, niſi poſt duos menſes à promulgatione numerandos: Atqui Curia Romana punit eos, qui prætextu harum opinionum leges Romæ tantùm promulgatas alibi temerant, etſi nondum illi duo menſes ſint elapſi: Ergo puniri poteſt, qui ſequitur opinionem probabilem*] Omnia admittet Diana. At quia mihi videtur iniuſtum concedere talem eſſe curiam Romanam, quæ certò innocentes puniat (illos enim, qui ſequuti ſunt opinionem probabilem, eſſe probabiliter reos improbabile eſt) ne ſtylum damnem, aut corrigendum dicam, aliam viam ineo, & facillimè me ab obiectione expedio. Dico igitur PRIMO'. *Leges Pontificias, quæ publicantur Romæ, obligare omnes, ad quorum notitiam illæ venerint, nec requiri vt in prouincijs publicentur.* Et hæc ſit noſtra Theſis: at ex hypotheſi, quòd Dianæ opinio ſit probabilis, aio, non videri impoſſibile eamdem rem interdici probabiliter ſub culpâ & certò ſub Pœnâ: & hoc poſito, dico SECVNDO'. *Leges Pontificias, vt primùm promulgantur Romæ, omnes Chriſtianos, ad quorum notitiam venerint, obligare pœnaliter* (qui ſi illas violent, caueant, vt ait Diana, pœnas à Iudicibus infligendas) *ſed tamen moraliter & in foro interiori te non obligaturas, niſi ſint in tua diœceſi iam promulgatæ, & duo integri menſes à promulgatione tranſiuerint.* Quâ reſolutione, vt vides, & ſtylus Curiæ, & doctrina de probabilitate, & innocentiâ, quæ negari non poteſt, conciliantur. Cur ergo hæc ſententia non debebis cæteris omnibus, quæ circumferuntur, præſcribere?

Conciliantur ſententiæ.

Dices. Habet Pontifex poteſtatem obligandi ſubditos ad procedendum iuxta hanc determinatam opinionem probabilem: Sed iubet, quòd omnes ſequantur eam ſententiam, quæ docet leges Romæ publicatas vbique terrarum obligare: Ergò omnes tenemur hanc opinionem ſequi, & Pontificis voluntati obedire: Ergo tenemur obſeruare leges publicatas Romæ, etſi in noſtris prouincijs nondum ſint publicatæ: Ergo, qui temerant legem Romæ publicatam, licèt in ſuâ non ſit publicata prouinciâ, peccât mortaliter.

DCXC. Obiectio. An Superior poſſit obligare in materia probabili?

Vellem videre, quo modo Becanus, Miranda, Granadus, Fagundez, & alij ſe expedirent, ſi quis illis iſtud argumentum proponeret: reperirent enim difficultatem, quæ me vrgere non poterit. *Reſpondeo igitur* concedendo maiorem (quidquid enim de Iure naturæ ſit, à Iure Canonico & conſtanti præſcriptâque conſuetudine Pontifex, imò & inferiores Prælati habent authoritatem obligandi ſubditos in materiâ probabili) Sed minorem diſtinguo & ſubdiſtinguo. Id enim iubere Pontificem ſub pœnâ, concedo: id autem iubere ſub culpâ, concedo etiam ego, & negant multi, qui putant ſe habere opinionem probabilem, qui doctrinæ ductu tenentur primam & ſecundam conſequentiam diſtinguere, adeoque admittere obligationem pœnalem in caſu, & moralem negare.

Satisfit Obiectioni.

Superiores ſunt in poſſeſſione imponendi probabilia mandata.

Cæterùm, quidquid de hoc exemplo ſit (non enim his Authoribus in hac parte cõſentio) certum eſt, legem mixtam, quæ obligat ad culpam, & ad pœnam, poſſe intendi & variari ex vno latere, & conſtare ex altero, aut è contrà. Quid enim vetat, ſi lex mixta incipiat ſtatim obligare quoad pœnam, & poſt determinatum tempus quoad culpâ? Quid, ſi contrà? Quid, ſi obliget ad culpam grauem & pœnam leuem? Quid, ſi contrà? Conſiderandæ ſunt ſingulæ circumſtantiæ, & videndum, quid poſtulet prudentia & ratio; nam in his & ſimilibus circumſtantijs nullam repugnantiam reperio.

An in lege mixta poſſimus aliter de culpa & aliter de pœna philoſophari?

CAPVT IV.

PRACTICVM.

Ediſſerens Fundamenta ſpecialia, quæ Leges materialiter ſumptas concernunt.

De legum materia.



Enio ad Legum materiam, eamque quoad ſubſtantiam, attributa, & accidentia meditor, & interlego Fundamenta ſecura, quibus poſſim confidere. Dubia ex certis ſubnaſcuntur nonnulla vel inuitâ *Dialecticâ*, quæ luce indigent. Illa tibi propoſui, vt adiutus tuo ingenio, illa reſoluerem. At modò, tuo fauore doctior, illa reſumo, ſecundis curis tracto, & accuratè, prout poſtulat ratio, decîdo. In controuerſijs eumdem argumentandi modum teneo. *Nam, ſi duæ ſint connexæ ſententiæ, aut debebit admitti vtraque, aut reiici vtraque, aut dari manifeſta diſparitas.* Fortè alicui diſplicebo, quòd plus rationi deferam, quàm Authoribus: morbus eſt iſte meus, & immedicabilis, vt video. Patere igitur candide & vrbaniſſime Lector, vt etiam num ſincerè loquar, & quid ſentiam, aut non breuiſſimè & clariſſimè dicam; quid intelligere nequeam, prout hucuſque præſtiti, ſummâ tibi cum humilitate proponam.

Modus procedendi.

An ex certis inferri poſſint dubia?

Multa proponit Author, vt audiat aliorũ cenſuram.

FVNDAMENTVM XXIV.

De Legum materia quoad ſubſtantiam.

DCXCI.



Iuina *Iuriſdictio* non ſolùm ad externos hominum actus, ſed etiam ad internos extenditur: Hæc veritas eſt lumine naturali nota, nec ab opinionum varietate dependens. Legislatores Humani inæqualem habent authoritatem, nec ſemper certos in illa terminos: interdùm enim quærimus, Vtrùm Titius habeat poteſtatem & authoritatem: interdùm eum eſſe Superiorem ſupponimus, & quantam & qualem habeat, interrogamus. Principes Sæculares videntur *Politicum* bonum reſpicere, & ex hac hypotheſi eorum leges quà tales non poſſunt præcipere actum purè internum

Hominum poteſtas inæqualis.

Princeps ſæcularis actus purè internos præcipere non poteſt: Deus poteſt.

De præcepto directo & indirecto.

num directè, nec mixtum (hoc eſt, ex externo & interno compoſitum) directè; ſed actum purè externum: at indirectè internum poteſt.

Quid ſit præcipere indirectè?

Sed quid eſt indirectè præcipere? Qui rem aliquam directè præcipit, indirectè cenſetur compræcipere omnia illa, quæ ſunt præcisè neceſſaria, vt fiat res illa, quæ præcepta directè. Media enim, quæ non ſunt præcisè neceſſaria non præcipiuntur indirectè.

An Prælati Eccleſiaſtici præcipere poſſint actus purè internos?

Sed quid de Eccleſiaſticis Principibus (Epiſcopis, & Ordinum Prælatis) dicendum erit? An-ne & ipſi carent authoritate præcipiendi purè intrinſecos actus? Carere docet communis & conſtans opinio, quam ego nunquam intelligere potui, & ideò, illorum omnium pace, qui torrentem Theologorum ſequuntur, has duas Concluſiones ſtatuo. Sit prima. *Prælati Eccleſiaſtici ſolent non præcipere actus purè internos:* & quidem prudentiſſimè; nam præcipiendo externos videntur ſufficienter ſubditos in obſeruantia, etiam interna, continere. Sit ſecunda: *Prælati Eccleſiaſtici poſſunt præcipere actus purè internos:* & cur non, ſi neceſſitas poſtulet, & prudentia id requirat? nec hoc militat contra illud receptum Axioma: *De occultis non iudicat Eccleſia*; nam aliud eſt *non iudicare*, aliud *non poſſe*. Nam regiminis ſuauitas poſtulare videtur, ne actus purè interni ſine maxima neceſſitate præcipiantur.

Exponitur commune Axioma.

De actibus humanis.

DCXCII. An omnes actus hominum ſint humani? An omnes voluntatis voluntarij?

NOn omnes hominum actus appellantur *humani*, ſicut nec omnes voluntatis actiones *voluntariæ*. Eſt igitur humanus actus, idem qui voluntarius; hoc eſt, liber: ea enim, quæ non liberè agimus, potiùs ſunt animalia, quàm humana. Poſitâ igitur libertate, vt ratione omnibus actibus humanis communi, conſiderantes eorumdem actuum entitatem, illos in tres claſſes diuidimus; alij enim ſunt purè interni, alij purè externi, alij mixti. Actus purè interni dicuntur, qui ab animâ rationali complentur, vt intelligere, meditari, contemplari, credere, ſperare, diligere. Purè externi, qui complentur actione aliquâ externâ, vt ambulare, legere, dicere, audire: & iſti, vt liberi ſint, requirunt voluntatis imperium, ſine quo non eſſent humani; ſed hoc ipſum imperium non tollit, quin purè externi dici poſſint; quia illud eſt commune omnibus actibus humanis, & à differentiâ ſumitur denominatio. Dicuntur actus mixti, qui præter actus internos, quos ad ſuam realem exiſtentiam requirunt, habent ex decentiâ alios actus, ſine quibus conuenienter non eſſent. Sic Oratio purè vocalis erit actus purè externus; ſufficit enim vt exiſtat, vt liberè ponatur ab homine: at Oratio vocalis decenti modò exiſtens, non erit actus purè externus, quia præter libertatem, quâ ponitur, poſtulat attentionem, intentionem, reuerentiam, animi ad Deum eleuationem, & alias nonnullas circumſtantias, quas poſtulant Contemplatiui. *Hæc doctrina præmiſſa, progrediamur, & quæſtiones aliquas difficiles examinemus.*

Actus humanus triplex. Purè internus.

Purè externus.

An omninò eſſe poſſit ſine aliquo interno?

Mixtus.

An attentio & intentio ad orationē requiratur?

De actibus purè internis. Vtrùm ſubſint hominibus.

DCXCIII. Actus purè interni præcipiuntur à Deo.

OMnia ſubeſſe Deo manifeſtum eſt; nec dubitare poſſumus eſſe in lege Diuinâ præcepta de actibus purè internis. Primâ lineâ Decalogi præcipitur, vt actus internos, non naturales modò, ſed & ſupernaturales eliciamus; omnia enim de *Fide*, Spe, & Charitate præcepta ad primam lineam reducuntur Decalogi, videlicet: *Dilige Dominum Deum tuum*. Sed & eadem Diuina lex inhibet omnes actus, etiam purè internos, qui contra proximum eliciuntur, præcepto nono & decimo dicens: *Non concupiſces.*

An præcipi potuerint à Chriſto?

Potuiſſe Chriſtum præcipere actus purè internos, tanquam certum ſuppono: nec dubito, hanc eamdem poteſtatem potuiſſe Eccleſiæ ſuæ communicare. Ergo quæſtio tota in hoc conſiſtit, vt explicetur; *Vtrùm Principes Eccleſiaſtici receperint à Chriſto authoritatem præcipiendi actus purè internos?* & ſi non receperint, *vnde aliunde illam habeant?* Et ſi aliunde, *Vtrùm à ratione aliqua ſæcularibus vniuerſis communi; An verò à ratione ſpeciali?*

An ab Eccleſia poſſint?

Placet Sæculares omittere; Reges enim, ſeu electi, ſeu nati, habent authoritatem à populi electione, aut conſenſu ad bonum

DCXCIV. An à Regibus?

ciuile

ciuile ordinatam, quæ actus purè internos immediatè-directè non reſpicit. *At* ipſi habent authoritatem indirectam præcipiendi & ponendi omnia media, quæ poſtulat Reipublicæ conſeruatio, authoritas, & propagatio: *Ergo* aliquando præcipiendi indirectè actus internos; non enim puto eſſe poſſe bonum ciuem, qui & malus Chriſtianus; nec fore fidelem ſuo Regi, qui eſt infidelis Deo. Eſt enim tam neceſſaria erga Numen religio, vt Legislatores Ethnici, qui verum Deum non cognouerunt, noua Numina finxerint, quorum cultu, nec non dilectione & timore populos in obedientia continerent. Sed hæc miſſa faciamus, & de Eccleſiaſticis Principibus impræſentiarùm diſputemus. Quæramus igitur, *An poſſit Eccleſia præcipere actus purè internos?*

Religionis & cultus diuini neceſſitas.

Aſſerit prima opinio, quam tuetur Adrianus *quodlibeto* 8. *art.* 1. Roſella *verb. abſolutio. ſect.* 1. *num.* 28. & alij Authores, qui putant hanc ſententiam eſſe expreſſam in Iure Canonico; dicunt enim, interdici hæreſim purè mentalem *in Clementina* I. *de Hæreticis*, vt patet ex Gloſsâ *ibid.* & addunt propter eamdem purè mentalem hæreſim excommunicationes fulminari, vt patet *ex Can. ſi quis per ſtipendium. diſt.* 30.

Negat ſecunda opinio, quæ hodie eſt valde communis. Eam docet D. Thomas 1. 2. *queſt.* 91. *art.* 4. Valentia *diſp.* 7. *queſt.* 3. *punct.* 2. Becanus *tract.* 3. *cap.* 6. *qu.* 5. Paludanus *in* 4. *diſt.* 75. *qu.* 12. *num* 6. Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 12. *num.* 4. Carolus Malletus *in Auro Mor Theol. tom.* 2. *de præceptis Decal Malleatione* 1 *bractea* 3 vbi ſic ait [Reſpondeo, *Eccleſiam non poſſe præcipere actus merè internos.* Ratio: quia actus merè & abſolutè interni non ſunt ſub poteſtate Eccleſiæ, ſed ſolius Dei, cuius eſt proprium illuminare abſcondita tenebrarum, & manifeſtare conſilia cordium. Tum etiam, quia Eccleſia non poteſt præcipere actus, de quibus non poteſt ferre iudicium, & quos non poteſt punire, cuiuſmodi ſunt actus merè & abſolutè interni: Ergo eos Eccleſia non poteſt præcipere actus, de quibus non poteſt ferre iudicium, & quos non poteſt punire, cuiuſmodi ſunt actus merè & abſolutè interni: ergo eos Eccleſia non poteſt præcipere. Et ita D. Th. 2 *par quæſt.* 91. *art.* 4. Suarez *de legib. lib.* 4. *cap.* 12. Valentia *par.* 2. *diſp* 7. *quæſt.* 2. *punct* 2 Azor. *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 10. Salas *diſp.* 9. *ſect.* 1. *num.* 39. Clauis Regia *lib.* 3. *cap.* 6. *num. vlt.* & plures alij, qui fatentur, quòd licèt Eccleſia non poſſit præcipere actus merè internos, tamen Chriſtum potuiſſe de poteſtate ſuâ abſolutâ hanc poteſtatem Eccleſiæ communicare, licèt de facto non communicauerit.]

Hæc ratio eſt petitio principij: ſupponit id, quod quæritur.

Quanti ſit facienda hæc ſecunda ratio videbitur inferiùs.

Chriſtus potuit actus purè internos præcipere: & hãc poteſtatem Eccleſiæ ſuæ communicare DCXCV. Actus interni voto ſubiacent.

His tamen non obſtantibus, liberè loquutus ſum, & meam mentem paucis Aſſertionibus expoſiturus, Sit

Prima. *Poteſt homo vouere Deo actum purè internum, meditationem v. gr. vel aliquam actionem ſimilem.* Eſt certa; nam & difficiliora vota interdùm ſunt à Sanctis emiſſa. Arduum diſtinxit Sancta Virgo Thereſia, quando noluit actus tantùm bonos elicere, ſed ad meliores ſe generosè obligauit, factura ſemper quidquid iudicaret Deo gratius. Ergo iſtius voti vi tenebatur contemplari & orare, quoties occupationes exteriores permitterent, nec aliter iuberet Superior.

S. Thereſia vouit facere quod putaret Deo gratius.

Secunda. *Poteſt homo promittere Superiori obedientiam, etiam quoad actus purè internos.* Imò videntur huiuſcemodi votum (laxiùs, ſtrictiùs iuxta diuerſas leges) vniuerſi Regulares emitterè, quod ſic probo. Poteſt Superior præcipere omnia, quæ fuerint neceſſaria ad aſſequendum & conſeruandum finem, quem reſpicit inſtitutiò Reipublicæ: Atqui Reſpublica Religioſa reſpicit tanquam finem in hac vitâ Gratiam & Charitatem, Gloriã in alterâ: ergo poterunt Religionum Prælati actus illos præcipere, qui videbuntur neceſſarij aut vtiles ad conſeruationem Charitatis. Atqui actus interni ſunt magis neceſſarij, quàm externi: ergo poterunt internos aliquando præcipere. De Ordinum Religioſorum fine multa Authores antiqui, multa iuniores: de fine ipſorum præceptorum pulchrè Bernardus de præcepto & diſpenſatione mihi cap. 6. *Porrò inuenta atque inſtituta fuerunt, non quia aliter viuere non liceret, ſed quòd ita magis expediret, nec planè ad aliud, quàm ad lucrum vel cuſtodiam Charitatis.* & inferiùs: *Dei regula Charitas Regulæ Sancti Benedicti iure præponitur.* Ecce legum Religioſarum finem. Veniamus ad obiecta, videamusque, An actus internos attingant. Sic habet nono capite: *Quidquid de ſpiritualibus in ipſa Regula traditum eſt, in manu Abbatis, vt ſupra taxatum eſt, nequaquã relinquitur. Deinde reliqua pars, quæ in corporalibus conſtat obſeruantijs, ne ipſa quidem in eius voluntate ita poſita eſt, vt eiuſdem deſeruiat voluntati.* Ecce Bernardus in Regulâ Sancti Benedicti præcepta corporalia & ſpiritualia diſtinguit: poſſet addere mixta, quæ fortaſſis omiſit, quòd ad priora poſſent, aut deberent reduci. Leges de actibus purè internis non paucas in Sanctæ Regulæ cap. 4. reperio, in quo inter alia iubet Patriarcha Sanctiſſimus: *Dominum Deum diligere toto corde, tota anima, tota virtute, deinde proximum tanquam ſeipſum; abnegare ſemetipſum ſibi, vt ſequatur Chriſtum; nihil amori Chriſti præponere; Charitatem non derelinquere; Inimicos diligere; non eſſe ſuperbum: Spem ſuam Deo committere; Bonum aliquod, ſi in ſe viderit, Deo applicare, non ſibi: malum verò ſemper ſibi, & non Deo reputare; Diem iudicij timere; Gehennam expaueſcere; Vitam æternam omni concupiſcentia ſpirituali deſiderare:*

De voto obedientiæ quoad actus purè internos.

Quæ poſſit iubere Superior? Reipublicæ Religioſæ finis.

An in Regula S. Benedicti ſint leges de actibus purè internis?

mor-

mortem quotidie ante oculos ſuſpectam habere: In omni loco Deum ſe reſpicere pro certò ſcire: Cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, mox ad Chriſtum allidere; Mala ſua præterita cum lachrymis vel gemitu quotidie in oratione coram Deo confiteri, & de ipſis malis de cætero emendare: Voluntatem propriam odiſſe: Non velle dici Sanctum antequam ſit, ſed priùs eſſe, vt veriùs dicatur. Nullum odiſſe: Elationem fugere: Seniores venerari, & iuniores diligere, & de Dei miſericordia nunquam deſperare. Et cap. 7. vberrimè diſſerit de humilitate, vbi multa pulcherrima & bene perpendenda reperio, & præcipuè iſtas lineas: *Septimus humilitatis gradus eſt, ſi omnibus ſe inferiorem & viliorem non ſolùm ſua lingua pronunciet, ſed etiam intimo cordis credat affectu.* Et cap. 19. agit de Dei præſentiâ: & cap. 20. & 52. de oratione mentali: quò reſpiciunt omnes Congregationum Conſtitutiones, cùm tempus modumque mentali orationi præſcribunt. Apud Caſſinenſes iſtam Legem reperio. *Oratio mentalis ſingulis diebus per dimidiæ horæ ſpatium fiat in choro, immediatè ante primam.* Ita in declaratione capitis 52. num. 2. & 3. & apud Ciſtertienſes iſtam: *Quotidie per dimidiam horam ante Primam, & per dimidiam poſt Completorium habeatur oratio mentalis.*

Vera humilitas in actu purè interno conſiſtit.

Leges de Oratione mentali.

Leges de actibus purè externis, videlicet de cibo, potu, culina, de ſeruitoribus Refectorij, de opere manuum quotidiano, de artificibus Monaſterij, & de Peregrinorum ſuſceptione, de dormitorio, clauſtro, & locis, & rebus ſimilibus, reperiuntur cap. 22. 32. 34. 35. 36. 38. 39. 40. 41. 47. 48. 53. 55. 57. & 66.

Actus puré externi præcepti.

Leges mixtæ videntur ſpecialiùs reſpicere Diuinum Officium, de quo agit Patriarcha Sanctiſſimus à cap. 4. vſque ad 20. Et quidem Orationem vocalem apud Benedictinos (quidquid de Sacerdotibus ſæcularibus dicendum ſit) non eſſe actum purè externum, ſed mixtũ, hoc eſt, ex interno & externo compoſitum, conſtat ex cap. 19. vbi hanc legem reperio. *Conſideremus qualiter oporteat nos in conſpectu Diuinitatis et Angelorum eſſe, & ſic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.*

Actus mixti.

An ſatisfaciat, qui ſine attentione horas legit?

DCXCVI. Pontifex eſt Religionum omnium Generalis.

Tertia. *Pontifex tanquam omnium Ordinum Prælatus ſupremus, aut, ſi loqui ſic liceat, Generaliſſimus, poteſt præcipere Regularibus actus illos internos, ad quos tenentur ex Regula, aut ex conſuetudine.* Patet; quia non debemus negare Antiſtiti Supremo, quod ſubalternis non negatur.

Quarta. *Eccleſiam poſſe iubere actus purè externos, non autem mixtos, nec purè internos, a quibuſcumque aſſeratur, non placet.* Interim legi poterit Antonius Cotonius *in Antonini Diana Summa verb. Præceptum num.* 13. vbi hæc habet [Præcepta Eccleſiæ, & generaliter omnia præcepta humana, non præcipere, aut prohibere actus internos, ſed ſolùm externos. Vnde, qui in die Veneris delectaretur ſenſibili delectatione de eſu carnium mente concepto, perinde ac ſi re ipſâ comederet, non peccaret mortaliter. Ita Vaſquez *in part. 2. diſp. 110. cap. 1.* & alii contra Medinam C. *de reſtit. quæſt. 21 part. 3. tract. 5. reſol. 5* Et probabile eſt, ſatisfacere præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur inualidè, vt diximus *verb. Confeſſionis neceſſitas*.]

De delectatione moroſa de eſu carnium mente concepto.

An ſatisfaciat confeſſionis præcepto, qui confitetur inualidè?

DCXCVII.

Præcepta purè externa.

Quinta. *Poſſe Eccleſiam iubere actus merè externos, etiam actus mixtos, non autem actus purè internos, tenet hodie communiſſima opinio.* Hinc patet, eſſe aliqua præcepta, in quibus iubemur actum merè externum liberè ponere, quin ponere concomitanter alios actus internos iubeamur. Huc poſſent pertinere præcepta de habendis veſtibus talis coloris, aut talis figuræ; de comedendis talibus aut talibus cibis; huc leges de clauſurâ; & aliæ ſimiles, quæ actibus merè externis implentur. *Hinc* etiam patet eſſe poſſe in Eccleſiâ præcepta, quibus non ſatisfiat per meram actionem externam, etſi liberè poſitam; ſed debeamus actus internos illos ponere, qui compræcipiuntur ab *Eccleſiâ*. Hanc actuum & præceptorum diſtinctionem cognoſcit & admittit Carolus Malletus *tom. 2. malleatione 1. bractea 4.* in quo ingenium & labium laudabo. Actum externum ptæceptum meritò vocat *materiam*, nimirùm præcepti obiectiui: & actum internum compræceptum vocat *modum*, vel *formam*; nam ſicut modus non poteſt eſſe ſine re, res autem poteſt ſine modo: ſic etiam actus internus non poteſt præcipi ſine externo; at externus ſine interno poteſt. Hac doctrinâ præmiſſâ, ille diſcurrit ſic. [Sciendum eſt, quædam præcepta obligare ſolùm materialiter, & non formaliter, ſiue ſecundùm rem, & non ſecundùm modum; quædam obligare materialiter & formaliter, ſiue ſecundùm rem, & ſecundùm modum.] hucuſque Malletus, & bene progreditur, & doctrinam hãc ſuam bonam & veram exẽplis illuſtrare conatur, ita verò exempla non placent: non autem ideò debebit mutare doctrinam, ſed exempla conuenientiora addere. *Exempla*, quæ ille ponit, ſunt hęc; [Præceptum ſumendi Euchariſtiam in Paſchate eſt præceptum, quod obligat ſolùm materialiter, & non formaliter, ſiue ſolùm ſecundùm rem, & non ſecundùm modum, vnde ſuſcipiens ipſam indignè + ſatisfacit præcepto. Præceptum verò recitandi Officium obligat materialiter, & formaliter, ſiue ſecundùm rem & ſecundùm modum, vnde recitans non cum debitâ attentione, ſeu intentione, non ſatisfacit præcepto quoad modum, licèt ſatisfaciat quoad ſubſtantiam, & per conſequens in materiâ graui peccat mortaliter contra præceptum dicendi Officium; quod etiam dicendum de præcepto audi-

Præcepta mixta.

Præcepti, Materia, Forma, Modus.

An per cõmunionem ſacrilegam, ſatisfiat præcepto?

An in horarum lectione requiratur attentio?

An ſit mortale violare præceptum quoad modum?

audiendi Miſſam, &c.] Sic diſcurrit Malletus. Interim non percipio, cur non debeat vel in vtroque caſu actum internum requirere, vel in vtroque negare; nam ſi præcepto de Communione ſatisfacit, qui merè materialiter illam recipit, etiam præcepto de Officio Diuino ſatisfaciet, qui merè materialiter illud pronunciat. Quòd ſi Eccleſia nõ ſolùm præcipiat, quòd legas, ſed quòd decenter legas, & hanc ob rem attentionem requirat, dicendum erit conſequenter, eam præcipere non ſolùm vt Communionem recipias, ſed vt decenter eam recipias, adeoque diſpoſitiones omnes neceſſarias, ne illam indignè recipias, compręcipere. Prætereà, ſi deberemus aliter in vno, & aliter in alio caſu philoſophari, potiùs dicerem, non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, qui indignè communicat, quàm qui diſtractus legit; quæ enim ſunt nobiliora, maiori curâ præcipiuntur, & maiori dicentiâ obſeruantur.

DCXCVIII. In authoritate & iuriſdictione ſunt gradus.

Sexta. *Poſſe homines præcipere actus purè internos, mihi videtur valde probabile. Probabiliùs eſt hoc poſſe Pontificem, quàm Imperatorem vel Regem. Probabiliùs id poſſe Patrem Naturalem, quàm Patrem Ciuilem ſeu Politicum.* Scio hanc aſſertionem eſſe contra opinionem communem; ſed quia non caret authoritate Doctorum conuenienti, non eſt reiicienda ab extrinſeco: & quia habet rationes fortiſſimas, eſt ab intrinſeco defendenda. Et agendo ſpecialiter de ſummo Pontifice, ſit

Chriſtus præcipere actus internos potuit.

Septima. *Poteſt actus purè internos præcipere.* Probatur primò: Chriſtus id potuit: Papæ Chriſtus authoritatem ſuam commiſit: ergo & hoc Papa poteſt. Forma eſt legitima. Maiorem ſuppono vt certiſſimam: nã iuxta Regulam Iuris LXXIX. *Nemo poteſt plus iuris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur*: vnde ſi Chriſtus hac poteſtate & authoritate caruiſſet, etiam illâ careret hodie Pontifex. Hanc eamdem maiorem admiſit expreſsè Carolus Malletus *tom. 2. Mall. 1. bract. 3.* Sed ex eo hanc inſtantiam efformas: *Chriſtus hanc poteſtatem habuit: illam Eccleſiæ ſuæ communicare potuit: ſed non fecit.* Et ego contrà inſtabo ſic. *Per te Chriſtus hanc poteſtatem habuit: per te illam communicare Eccleſiæ potuit: ergo communicauit.* Et ratio inferendi eſt clariſſima: nam Vicarius habet authoritatem totam, quam habet qui contulit, niſi illam limitauerit aut reſtrinxerit: atqui Pontifex eſt *Vicarius Chriſti*; Ergo habet authoritatem, quã habet Chriſtus (eo nimirùm modo, quo homo purus eſt capax) niſi illam Chriſtus reſtrinxerit, aut limitauerit: at nec limitauerit, nec reſtrinxit: ergo ſiquidem Chriſtus habuit ponendi præcepta de actibus pure internis authoritatem, etiam Pontifex habet hanc poteſtatem. Eſſe Pontificem Chriſti Domini in terris generalem Vicarium, manifeſtum eſt: ergo meum non erit probare illi hanc aut illam facultatem collatam, ſed aduerſariorum erit probare non fuiſſe collatam: nam in conceſſione generali & vniuerſali etiam particularis continetur: iuxta Regulam Geometriæ certiſſimam: *Pars continetur in toto*: vnde orta eſt Canonica: *In toto partem non eſt dubium contineri*: aut etiam: *Plus ſemper continet, quod eſt minus.* Regul. 70. Regul. 35.

Et quia Regulis incepi vti, producam trigeſimam nonam. *Cùm quid probibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.* Ergo, cùm quid conceditur, conceduntur omnia, quæ ſequuntur ex illo. Atqui Petro eſt conceſſa vniuerſalis Chriſtianos gubernandi facultas: ergo facultas gubernandi præceptis actus purè internos reſpicientibus: quia iſta ſequitur euidenter ex illâ, Regul. 39.

Vtar etiam Regulâ LIII. *Cui licet id, quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus.* Sed plus eſt præcipere actum internum & externum ſimul, quàm internum ſolum, aut externum ſolum: ergo ſicut illud licet, etiam licebit iſtud. Atqui illud licet Eccleſiæ in communi ſententiâ, ergo etiam iſtud. Regul. 53.

DCIC.

Sed obiicies: *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eßet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*: ex Regulâ LXXX. Sed Chriſtus, ſi ab illo Petrus facultatem præcipiendi actus purè internos poſtulaſſet, illam non conceſſiſſet: Ergo illa generalis conceſſio: *Quidquid ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*, ita debet exponi, vt ad authoritatem ligandi præceptis actus purè internos non extendatur. Reg. 71. Quo debeãt modo conceſſiones generales exponi?

Reſpondeo negando minorem, quam contrariæ ſententiæ Authores ſemper ſupponunt, & nunquam euidenter confirmant. Et ego minorem eſſe falſam alibi vberiùs perſuaſurus, nunc oſtendo. Sic inquam [Chriſtus Rempublicam, cuius finis ſit æterna beatitudo, conſtituit: Ergo conceſſit Vicario ſuo facultatem gubernandi & dirigendi Chriſtianos ad hunc finem: Ergo facultatem auferendi omnia impedimenta. At non ſolùm per actus externos aut mixtos, ſed etiam per purè internos homines poſſunt & ſolent à viâ vitæ recedere: Ergo Vicarius Chriſti habet facultatem non ſolùm iubendi, ne per actus externos aut mixtos, ſed etiam ne per actus purè internos deuient. Ergo, ſicut de externis mixtiſque, ſic etiam poterit de purè internis præcepta moralia ſancire.] Finis Reipublicæ Chriſtianæ.

De præcepto indirecto.

LEgo libros, etiam hominum, qui tenerentur bene loqui, & mirabilia dicunt, cùm agunt de præcepto indirecto. Audio etiam homines, qui Doctores dicuntur, & tamen ſæpè de rebus, quæ indirectè præcipiuntur, volunt confidenter audiri, & loquun-

DCC. Plerique malè exponunt indirectum præceptum.

quuntur non doctè. Ex multis materijs, in quibus hæsitant aut cespitant, Officium Diuinum eligo, vt eos audiamus.

De attentione requisita in Officio Diuino.

Qui dicunt Ecclesiam iudicare de occultis, & speciali præcepto internam attentionem directè præcipere, loquuntur valde probabiliter; nec habeo, cur illos absolutè condemnem. Qui dicunt Ecclesiæ subdi actus Humanos, hoc est, mixtos, adeoque Ecclesiam directè præcipere lectionem attentam (hoc est aggregatum ex lectione externa & attentione interna coalescens) etiam loquuntur probabiliter, & vt docti. At illi, qui tenent Ecclesiam directè præcipere lectionem purè externam, & indirectè attentionem internam, me iudice, improbabiliter loquuntur, & puto me tam euidenter videre eorum errorem, vt possim illum digito ostendere, & sincero iuramento firmare. Sic discurro [*Illa præcipiuntur indirectè, sine quibus poni non possunt, quæ præcipiuntur directè: At sine attentione interna potest poni mera & pura Psalmorum &c. Lectio externa: Ergo, cùm mera lectio externa directè præcipitur, non compræcipitur attentio interna indirectè*] Aut etiam sic [*Ego voluntariè distractus legi Officium Diuinum; totum, totum. Ergo posui omnia media præcisè necessaria ad externam lectionem. Patet; quia si omnia illa non posuissem, nec posuissem externam Officij lectionem: Ergo nullam præcisè medium necessarium omisi: Patet, quoniam qui ponit omnia, nullum omittit*: Ergo *non violaui præceptum de medijs præcisè necessarijs ponendis. At hoc est, quod vocatur præceptum indirectum: Ergo*] Hæc nimis certa & clara sunt. Ad alia subtiliora progredior.

Quæ nam indirectè præcipiantur.

De actibus internis secretis.

DCCI. Proponitur ratio dubitandi.

STando meæ Dialecticæ, & modo argumentandi, quem obseruo, non caret viribus iste discursus [*Sunt duæ sententiæ; altera quæ docet*, actus merè internos non subijci Ecclesiæ; *altera quæ docet*, actus externos & occultos per accidens non subijci Ecclesiæ: *quarum prima est probabilis, & secũda improbabilis. At ratio, quæ suadet priorẽ, etiã persuadet posteriorem: & quæ hanc posteriorẽ impugnat, priorẽ etiã inuadit: Ergo vel vtraq; debet admitti, vt probabilis; vel vtraque reijci vt improbabilis: vel est adducenda disparitas*] Sic sum argumentatus aliquoties: & modò, vt veritas melius cognoscatur, progrediar, & contra doctrinam communem, quam posteà sum propugnaturus, exercendi animi gratiâ disputabo.

Alia sunt occulta per se, & alia sunt occulta per accidens.

Alloquor igitur illos Theologos, propter quos istum librum scripsi, & inrerrogo, *An Ecclesia posito, quòd non iudicet de illis, quæ sunt per se occulta, iudicet de occultis per accidens?* Respondent communiter, quòd sic. Et tamen Ego volo videre vnam rationem, quæ probet, Ecclesiam non iudicare de occultis per se, quæ tamen non æquè probet eamdem non iudicare de occultis per accidens [*Ideò, inquiunt, Ecclesia non iudicat de occultis per se, quia illa non potest cognoscere per se: Ergo ipsa per accidẽs carebit authoritate iudicandi de illis, quæ cognoscere non possit per accidens: eumdem enim effectum, quem causa per se dat per se, causa per accidens dat per accidens: nam si ignis est calidus per se, & opponitur frigori per se, aqua, dum est calida per accidens, opponetur frigori per accidens*]

Quanta sit Diuinũ Officinm attẽtione legendum? Considera bene argumentum Dianæ, & Malleti.

Vt hanc doctrinam firmem produco Dianam, qui *part. 2. tract. 12. resol. 2.* interrogat, *An qui voluntariè distractus horas recitat, præcepto Ecclesiæ, & capitè Dolentes, satisfaciat?* respondetque benignè & doctè, & vt responsionem suam firmet, vtitur hoc argumento. *Nemo potest præcipere aut vetare, quod non potest punire: sed non potest punire, quod non potest cognoscere & iudicare; sed Ecclesia extra confessionem non potest cognoscere & iudicare actus internos: Ergo dicendum, quòd non potest eos præcipere aut vetare*] Et ex his fundamentis statim argumentis oppositæ sententiæ satisfacit. Sicut Diana, sic etiam multi Viri docti loquuntur, quos omnes nec allegare possum, nec omnes omittere volo, & ideò pro omnibus P. Carolum *Malletum* Cistertiensem producam, qui aureo illo volumine, quod *Aurum Theologiæ Moralis* meritò dixit, Malleatione I. Bracteâ III. actus merè internos non posse præcipi ab Ecclesiâ sic probat [*Humana Iurisdictio non potest ferre legem de actibus, de quibus non potest iudicare, nec punire, sed potestas Ecclesiastica non potest iudicare de actibus merè internis, neque illos punire, ergo neque potest de illis legem ferre. Minor expressè habetur in cap. Tua nos. de Simon.* Nobis, *inquit Pontifex*, datum est de manifestis tantummodò iudicare: *& ratio est, quia iudicium supponit causæ cognitionem; actus autem interiores sunt extra cognitionem humanam, & ideò iudicium de internis spectat ad solum Deum, iuxta illud Regum.* Homo videt ea quæ patent, Deus autem intuetur cor. *Maior autem colligitur ex Aristotele lib. offic cap. 5. dicente*, potestatem legislatiuam necessariò debere habere coniunctam potestatem coactiuam, nam aliàs esset inutilis & inefficax, vnde fit hominem posse lege præcipere illa, quæ potest punire: non potest autem nisi iudicando: *ergo ad ea tantùm versatur lex humana, circa quæ potest iudicium humanum versari*] sic Malletus: sic alij.

At ego doceri à Dianâ, aut etiam à cæteris vellem, An hoc eodem argumento, quo attentio interna excluditur, non possit etiam æquè excludi lectio occulta priuata? Peto, *An quando non dantur testes & arbitri, teneatur aliquis legere Canonicas horas priuatim?* Respondet Titius negatiuè, et inge-

Et vide an differat ab argumento Titii.

nio Dianæ (imò aliorum, qui eius sententiam amplectuntur) vsus aut abusus, sic inquit [*Nemo potest videre quod non est coloratum: at materia aëris per accidens caret colore: ergo per accidens est inuisibilis: At substantia Dei (aut etiam Angelorum & Animarũ rationalium) per se & essentialiter est inuisibilis: Ergo per se & essentialiter videri non potest*] Et hoc lapide fundamentali suppositō, ducitur doctrinæ consequentia, et sic infit [*Nemo potest præcipere aut vetare, nisi possit punire: & nemo potest punire, nisi possit iudicare: & nemo potest iudicare, nisi possit cognoscere: Ergo, si res sit per se & essentialiter incognoscibilis, erit per se & essentialiter iniudicabilis, per se & essentialiter impunibilis; & per se & essentialiter impræceptibilis: Ergo, si res sit per accidens incognoscibilis, erit per accidens iniudicabilis, per accidens impunibilis, atque etiam per accidens impræceptibilis. Atqui lectio horarum occulta, & etiam omissio eiusdem lectionis occulta per accidens est incognoscibilis (Superior enim, qui externos subditorum actus verè occultos & secretos cognoscenet, non esset iam Homo, sed Angelus) Ergo per accidens est iniudicabilis: Ergo per accidens est impunibilis: Ergo per accidens est impræceptibilis: Ergo per accidens accidit Superioribus, quòd non possint interdicere actiones aut omissiones secretas & occultas per accidens*]

An Deus (an Angelus: an anima) sit inuisibilis:

DCCII. Huic rationi addit vires Tridentinum Concilium sess. XXIV. cap. 1. ibi enim agit de inconuenienti plurimo, quod ex Matrimonio clandestino suboritur, & ait: *Cui malo, cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur*, &c. ex quibus verbis hoc potest argumentum formari [*Ideò Ecclesia de clandestino matrimonio non iudicat, quia de occultis non iudicat: Ergo illa occulta, de quibus illa non iudicat, non sunt tantummodò occulta per se, sed etiam occulta per accidens: quia Matrimonium clandestinum non est occultũ per se, sed per accidẽs*]

Digneris attentè verba hæc legere & ponderare.

Nota bene.

An qui occultè duellum respicit, sit excõmunicatus?

Videtur huic subscribere opinioni Escobar *Moralis Theologiæ tract. 1. exam. 7 c. 3.* nam sequutus Sanchez, Comitolũ, Fagũdez, & Sá, docet, eum, qui ex occulto duellũ respicit, non incurrere in excõmunicationem.

An hæc doctrina possit admitti? An possit reiici?

Bone Deus, si hæc opinio semel admitteretur, actum esset de totâ aut ferè Superiorum authoritate. Subditi obedirent ad oculos, & priuatim omnia mandata (Ecclesiastica aut Sæcularia) temerarent. Nemo peccaret, qui secretò comederet carnes diebus veneris: nemo, qui diebus ieiunij secretò comederet tertiò vel quartò: nemo qui secretò omitteret Officium Diuinũ. Nimia omnia & improbabilia, & tamen legitimè illata ex doctrinâ probabili. Vt video ex hac doctrina oriri in nostris scholis possit Independentium illa Hæresis, quæ ab annis paucis inficit Angliam. Quærenda igitur est ratio probabiliore certior, quæ hanc doctrinam pernicioſam debellet.

Independẽtium Hæresis.

Resolutio.

DCCIII. An sint solubiles rationes positæ?

FOrtia quidem sunt hæc, & quæ turbare possint hominem, qui Dialecticam nesciat, me non tangunt, qui scio, liberè vocari falsam opinionem quamcumque, quæ oppositæ respondere non possit. Dicam igitur, resolutionem istam meam non pendere ab illâ opinione, quæ docet, *Ecclesiam posse præcipere actiones merè internas*; nec ab illâ, *quæ id negat*: stando enim alterutri, poterimus respondere aduersarijs, semperque stabit (quidquid de actibus purè internis sit) *actus externos secretos subesse authoritati Ecclesiæ*. Diuidamus igitur Resolutionem hanc in duas Sectiones: & in primâ Ecclesiam posse præcipere actus merè internos supponemus: in alterâ non posse merè internos, sed externos aut mixtos.

Prima Responsio, iuxta primam hypothesim

STANDO PRIMAE HYPOTHESI, dico in Ecclesiâ tribunalia (hoc est, duo fora) reperiri; alterum internum, & alterum externum pronuntio, in hoc Ecclesiam præcipere, iudicare, & punire; in illo præcipere, at iudicium & punitionem Deo relinquere. *Huc respexi* Theologiæ Fundamentalis *Parte* II. *num 66.* quando dixi [Materia Legum actus humani sunt; nam licèt personæ, actiones, & res legibus subesse dicantur, personæ et res subsunt propter actiones. At actus humani diuidi solẽt in tres classes; alij enim merè interni sunt, alij merè externi, mixti alij. Merè internos subesse Decalogo manifestum est: eosdem nõ subesse Legibus Ciuilibus probabiliter et plausibiliter defendi solet: at eosdẽ nõ subesse Legibus Ecclesiasticis est probabile propter authoritatẽ multorum (nulla enim succurrit ratio efficax, quę suadeat, Antistites Ecclesiasticos actus purè internos non posse præcipere; maxime cùm sint in Regulis Religiosorum, de humilitate, oratione mentali, et meditatione nõ pauca) At ratione, quã dedi nu. 475. ad 479. etiã nũc stringor, et non me scio aliter expedire, quã duplicẽ authoritatẽ et iurisdictionẽ in Ecclesiâ assignãdo: directiuã videlicet, & coërcitiuã: asserendo; esse internã illã, hãc externã: vtrâq; Leges sanciri; at priori, Leges, de quarum obseruantiâ & transgressione iudicium relinquitur Deo; & posteriori, leges, de quarum violatione & obseruantiâ etiam homines iudicabunt]

Regum materia.

Tres actuũ classes.

Res & personæ subsũt legibus propter actiones.

Duplex Ecclesiæ authoritas: & præceptiua & coercitiua.

DCCIV. Vera sentẽtia demonstratur. Actus externi occulti subsunt Ecclesiæ legibus.

INTERIM actus externos secretos, si cõtra Legem fiant, esse peccata, ostẽdo, proponendo istum casum [Petrus comẽdit carnes die Veneris secretò, ità vt nullus eũ viderit. Paulus ẽt carnes in alio cubili comẽdit, nullo teste, vt putabat: at fuit vilus à tribus, qui ob aliã causã in penetrali interiori latebant. Et interrogo, Vtrum peccauerint? Si peccauisse dicas, habeo intentum: Si non peccauisse illos asseras, sic argumentor. Accusetur Paulus, & carnes vetitas edisse conuincatur, punietur iustè: ergo pec-

peccauerat: nõ enim iustè puniri potest innocens. Si dicas Paulum quidem peccauerit, Petrum autem non peccauisse, tueri distinctionem non poteris: peccata enim â voluntate peccantis, & non ab infortunio nascuntur: & quòd Paulus sit visus, id non â voluntate Pauli, sed ab infortunio prouênit: cũ ergo omnes actus liberi in Petro & Paulo sint simillimi, & differentia illis non fuerit libera, dicendi sunt eodem modo peccasse, non autem eodem posse modo puniri; punitio enim pendet ab externâ notitiâ. Vide Suarez *lib 4. de legib. cap. 13. & 14.*

Nemo punitur iustè, si sit innocens.

Circumstantia, quæ non est libera, nõ est peccaminosa.

DCCV.

Supereſt, vt respondeamus argumento ex Synodo Tridentinâ desumpto. Sic habet textus. *Cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit.* illum expono sic [Duplex est in Ecclesiâ authoritas, & tot erant inconuenientia à matrimonijs clandestinis aborta, vt neutra posset huic malo pernicioso succurrere, matrimonijs clandestinis relictis. Non poterat Ecclesia efficaciter, consilijs & præceptis coniuges clandestinos dirigere; quia multi illorum contemnebant vtraque: non poterat supplicijs & pœnis, quia Ecclesiæ coërcitiua potestas de occultis (hoc est de actibus externis, qui plenè probari nequeunt) iudicare non potest. Debuit ergo remedium adhibere efficacius, illa matrimonia irrita declarando] Sanè hoc sensu debere intelligi illa verba concilij, constat clarè ex immediatè subsequentibus; subdit enim: *Idcircò Sacri Lateranensis Concilij sub Innocentio III. celebrati, vestigijs inhærendo præcipit:* & prosequitur, matrimonia clandestina irritando. Ergo, vt à Tridentino docemur, Ecclesia potest, & non potest iudicare de occultis: potest enim authoritate directiuâ & præceptiuâ; coërcitiuâ autem & punitiuâ non potest.

Explicatur locus Concilij Tridẽtini difficilis.

Quo Ecclesia sensu possit, & non possit iudicare de occultis.

DCCVI.

Trilemma contra rationem Dianæ.

HInc venio ad Dianæ argumentum, quod §. *Vt hanc doctrinam* ponebatur, & sic discurro. *Argumentum, quo Diana probat Ecclesiam non posse iudicare de actibus spiritualibus & purè internis, æquè probat, eamdem non posse iudicare de actibus externis secretis, quæ dicuntur occulta per accidens.* Ergo, *vel debebimus dicere, Dianam malè probare, Ecclesiam non iudicare de actibus merè internis & spiritualibus, vel eum æquè probare, Ecclesiam non iudicare de actibus externis secretis, vel adsignare aliquam certissimam disparitatem. At hoc posterius dici nequit: nulla clara & euidens succurrit disparitas: ergo dici debebit illud prius: Ergo illa maior, quæ est fundamentum, cui Dianæ ratiocinium innititur, videlicet:* Nemo potest præcipere, aut vetare, quod non potest punire, *reijci debet tanquam falsa, & illa minor, quæ subsequitur:* Nemo potest punire, quod non potest cognoscere, *etiam est reijcienda*] Puto hoc argumentum solutione euidenti carere: interim maioris claritatis gratiâ, has lineas addo, & dicta ex praxi, quæ est communis in Ecclesiâ, confirmo: nam prudentes Superiores ea, quæ punire possunt corporalibus pœnis, non solent moraliter præcipere; sed ea tantum, quæ punire non possunt. Ergo non est verum, neminem posse præcipere aut vetare, quæ non potest punire, cùm potiùs contrà, illa videantur moralibus præceptis gubernanda, quæ mala sunt, & tamen puniri non possunt. Ergo etiam est falsum & contra praxim, neminem posse punire, quod non potest cognoscere: quoniam vigilantes Antistites aliquando puniunt illa, quæ non possunt cognoscere: quid enim vetat, si Superior in Capitulo dicat: *Ego audiui heri aliquos tempore silentij colloquentes, nescio quinam fuerint, iubeo tamen, vt pro pœnitentia legant Psalmos pœnitentiales?* Si dicas in hoc casu, si non cognoscantur personæ, saltem cognosci culpam, adeoque non esse verum, quòd puniat Antistes ob peccatum incognitum; casum alterabo tantisper, & illud his verbis reponam. Quid mali, si Prælatus sic dicat: *Vt obseruetur disciplinæ regularis districtio, præcipio, vt quoties aliquis vel horis debitis non contempletur, vel colloquatur indebitis, etiam si hæc imperfectio ad meam notitiam non deueniat, legat tot vel tot Psalmos?* Ecce in tali casu Prælatus & personam & imperfectionem nesciret, & tamen potestate punitiuâ vteretur. Vel, qui contrarium sentiat, det rationem certam & euidentem, quæ demonstret contrarium. Sanè, quęcumque detur, erit obnoxia inconuenientibus, quibus ratiocinium Dianæ.

Ecclesia potest interdicere, quæ non potest punire: & punire, quæ non potest cognoscere.

DCCVII.

An & quando, qui respiciunt duellum, ad illud concurrant moraliter?

An omnis opinio probabilis speculatiuè, sit probabilis practicè?

IIlud, quod addebatur de respiciente duellum ex loco occulto, nihil probat: Ecclesiæ enim intentum est duella impedire, & omnes ad illa cooperantes damnare; cùm ergo, qui ex occulto illud respicit, ad illud non concurrat nec cooperetur, inferunt Authores nonnulli, eumdem hac excommunicatione non ligari: quorum illatio videtur probabilis speculatiuè. At veniendo ad praxim, videtur casus difficilis aut impossibilis; quia duella ferè semper committuntur in campo, & si fortè aliquod in ciuitate ineatur, etiam tunc videretur difficile aut impossibile, posse aliquem illud respicere & non cooperari; nam cooperantur moraliter quotquot illud impedire possunt nolunt-que; & qui respicit, potest aut interponendo suam authoritatem (sed hanc homines furore perciti non semper curant) aut suam personam gladiumque (sed hoc est valde periculosum; & multi, dum se interserunt, & ferro conantur separare pugnantes, miserrimè interempti sunt) vel saltem vociferando & concitando populum, cuius accursu eiusmodi duella finem habent.

Quo debeât modo induello pugnantes separari?

DCCVIII. Probatur iterum actus externos ſecretos ſubiacere Eccleſiæ poteſtati.

STANDO HYPOTHESI SECVNDAE, ſupponendo nimirùm *actus purè internos non præcipi ab Eccleſia*, iterum in arenam deſcendam, & *actus externos ſecretos humanæ authoritati ſubijci* perſuadebo, & rationem, quâ Diana vtitur, illuſtrabo, & firmabo.

Peccata publica legibus pœnalibus coërceri poſſunt.

Probo igitur, *actus externos ſecretos ſubijci moralibus præceptis Eccleſiæ*. §. *Interim*: quæ enim ibi de Petro & Paulo dicta, etiam hîc locum habent, & poſſunt in hac hypoteſi ſecundò ſeruire.

An actus externi ſecreti ſint politicè mali?

Probo ſecundò. Superiores poſſunt obligare ſub mortali, ne ſua præcepta violent ſubditi palam: ergo, ne violent clam. Patet: quia ratio, ob quam poſſunt in primo, à fortiori militat in ſecundo. Et probatur: quia exorbitantiæ palam commiſſæ minùs indigent legibus moralibus, quàm commiſſæ clam: quia illæ carere poſſent legibus merè pœnalibus, & iſtæ, quamdiu ſecretæ maneant, à lege pœnali remedium habere non poſſunt.

An ſint plus nociui, quã publici.

Probo tertiò. Actus externi ſecreti militant contra bonum publicum, lædunt ius proximi, & opponuntur Deo: Ergo Superiores poſſunt illos cauere ſuis ſubditis: at non poſſunt leges pœnales imponendo, nam actus illi ſecreti vix iſtis ſubiacent: Ergo imponendo morales. Probo antecedens: quia æquè, imò plus (aut etiam grauiùs, quò immedicabiliùs) tibi nocuit Sartorius, qui patrem tuum clanculò occidit, quàm nocuiſſet, ſi publicè: nam ab eo tunc ſaltem compenſationem aut ſatisfactionem aliquam ſperares, quam modò obtinere non potes. Et Tarſanus, qui clanculò tuas pecunias ſubripuit, non poteſt ad reſtitutionem compelli, ad quam compelleretur omninò, ſi palam furtum commiſiſſet. Stat ergo grauiùs & immedicabiliùs in bonum commune & proximi iura peccare delicta ſecreta, quàm publica, adeoque, ſiquidem Superiores poſſunt legibus & præceptis moralibus actus externos publicos interdicere, à fortiori actus externos ſecretos interdicere poterunt.

DCCIX. Reponitur argumentum difficile.

Hinc ad argumentum venio, quod propter Dianam formabamus. Erat illud: *Nemo poteſt præcipere aut vetare, niſi poſſit punire, & nemo poteſt punire, niſi poſſit iudicare, & nemo poteſt iudicare, niſi poſſit cognoſcere: Ergo, ſi res ſit per ſe & eſſentialiter incognoſcibilis, erit per ſe & eſſentialiter iniudicabilis, per ſe & eſſentialiter impunibilis, & per ſe & eſſentialiter impræceptibilis. Ergo, ſi res ſit per accidens incognoſcibilis, erit per accidens iniudicabilis, per accidens impunibilis, atque etiam per accidens impræceptibilis. Atqui lectio horarum occulta, aut etiam eiuſdem lectionis omiſſio, per accidens eſt incognoſcibilis: ergo per accidens eſt impræceptibilis.* Poſueram iſtud argumentum, & nominatim contra Dianam, Virum ingenioſum & doctum, vt cogerem eum aliquid pulchri reſpondere, quo meam Dialecticam Moralem ditarem. Interim, quia Vir, bono publico natus, nondum diſparitatem dedit, in gratiam eorum, qui communem ſententiam ſequuntur, reſpondebo, & dabo clariſſimam diſparitatem.

DCCX. Duplex modus argumentandi. Cauſa duplex.

Duplex eſt argumentandi modus; alter à priori, alter à poſteriori; in illo a cauſâ ad effectum procedimus; in iſto contrà. Vterq; modus ſubdiuiditur, nam ſunt cauſæ & effectus per accidens. Sed quid eſt effectus per ſe, quid per accidens? ille eſt, qui per ſe & eſſentialiter eſt cum cauſâ cõnexus, qui non poteſt abeſſe, quin abſit cauſa: iſte, qui poteſt & ſolet abeſſe, quin cauſa abſit. Ergo effectus per ſe, erit formalis primarius; effectus autem per accidens erit effectus formalis ſecundarius, aut effectus cauſæ efficientis, *Nam caret effectu res bona ſæpè ſuo*. Porrò, præceptum, cognitio, iudicium, punitio ſe habent tanquam prius & poſterius: priùs enim debet eſſe præcipiendi poteſtas, quàm cognoſcendi de tranſgreſſione authoritas, & prius debet eſſe de tranſgreſſione cognitio, & examen, quàm iudicium, & priùs iudicium & condemnatio, quàm punitio. Priora inferunt poſteriora, & à negatione poſteriorum, ſi negatio ſit per ſe, priorum inferetur negatio, non autem ſi negatio poſteriorum ſit per accidens; bene enim ſtat vt potentia per ſe ſit impedita ab extrinſeco, ita vt effectum, quem cauſa poſſet elicere per ſe, non poſſit elicere per accidens.

Quo ſe habeant modo præceptum, cognitio, iudiciũ, & punitio.

Potentia expedita, & impedita.

Hac doctrinâ præmiſsâ, aliud argumentum proponam priori analogum, & parallelum, vt manifeſtè conſtet æquiuocatio & hallucinatio.

Argumentatio ab effectu per ſe.

Bona eſt hæc argumentatio. *Nihil eſt inuiſibile, quod non careat colore (quod enim colorem habet, eſt viſibile) ergo res, ſi careat colore per ſe, erit inuiſibilis per ſe, & ſi careat colore per accidens, erit inuiſibilis per accidens. Atqui Deus caret colore per ſe: ergo eſt inuiſibilis per ſe; aër verò caret colore per accidens: ergo eſt inuiſibilis per accidens.*

Argumentatio.

Eſt autem mala hæc. *Quod non poteſt intelligere & ſentire, non eſt homo: Ergo ſubſtantia, ſi per ſe habeat, quòd nec poſſit intelligere nec ſentire, per ſe habebit quòd non ſit homo: Ergo ſubſtantia, ſi per accidens habeat, quòd nec poſſit intelligere, nec ſentire, per accidens habebit, quòd non ſit homo. Atqui lapis habet per ſe, quòd nec poſſit intelligere nec ſentire: Ergo habebit per ſe, quòd non ſit homo. Atqui ægrotus, cordis deliquium paſſus, habet per accidens, quòd non poſſit intelligere, nec ſentire: Ergo habebit per accidens, quòd non ſit homo.*

Ab effectu per accidẽs.

DCCXI.

Sed vnde naſcitur iſta varietas? ex æquiuoca-

uocatione & confuſione duarum propoſitionum valde ſimilium. Valet enim argumentatio ab abſentiâ effectûs per ſe ad abſentiam cauſæ, nõ autem ab abſentia effectus per accidẽs ad abſentiã cauſæ; eſt enim vera iſta propoſitio: *Vbicunq; abſit per accidẽs effectus per ſe, ibi per accidẽs aberit cauſa.* Falſa hæc: *Vbicũq; abſit per accidens effectus per accidens, ibi per accidens aberit cauſa.*

Effectus per ſe, & effectus per accidens.

Hinc ad argumentum rediens & illud contrahens, ſic ſcribo. *Nemo poteſt præcipere, qui non poteſt cognoſcere, iudicare, & punire*; Sed *Superior actus externos ſecretos non poteſt cognoſcere, iudicare, & punire*: *Ergo non poteſt præcipere actus externos ſecretos.* Subſcribo: *Nemo habet oculos & ſcit legere, quin poſſit legere: ſed Petrus, quando habet oculos elauſos, non poteſt legere: Ergo, quando habet oculos clauſos, neſcit legere.* Et vtrumque ſyllogiſmum recognoſcens, affirmo in ſingulis eſſe quatuor terminos, adeoque non eſſe mirum, ſi ex præmiſſis veris falſa concluſio deducatur. Maior in vtroque ſyllogiſmo agit de potentiâ intrinſecâ. Minor de impotentiâ extrinſecâ, & ideò conſequentia exorbitat. Ergo priùs diſſoluam ſyllogiſmum poſteriorem, vt clariùs priorem diſſolvam: Ergo in formâ reſpondeo diſtinguendo maiorem: *Nemo habet oculos & ſcit legere, quin poſſit legere*, diſtinguo, ſi agatur de potentiâ intrinſecâ, concedo: ſi de extrinſecâ nego. *Sed Petrus, quando habet clauſos oculos, non poteſt legere*: diſtinguo minorem, non poteſt defectu potentiæ intrinſecæ, nego: non poteſt defectu extrinſecæ (hoc eſt, propter additum impedimentum) concedo: *Ergo Petrus neſcit legere*, nego conſequentiam. Hinc iam doctior, ad ſyllogiſmum priorem redeo. In formâ ergo reſpondeo, etiam diſtinguendo maiorem: *Nemo poteſt præcipere, qui non habeat potentiam intrinſecam cognoſcendi, iudicandi, & puniendi*, concedo: *qui non habeat potentiam extrinſecam*, (hoc eſt, potentiam intrinſecam liberam ab omni impedimento extrinſeco) nego: *Sed Superior actus externos ſecretos non poteſt cognoſcere, iudicare, & punire*, diſtinguo minorem; defectu potentiæ intrinſecæ, nego: defectu potentiæ extrinſecæ, (hoc eſt propter impedimentum, quod obſtat) concedo: *Ergo illos non poteſt præcipere*, nego conſequentiam.

Sæpè ſyllogiſmi, qui videntur boni, habent quatuor terminos.

Potentia & impotentia duplex: intrinſeca & extrinſeca.

Solent cauſæ efficientes eſſe ſubordinatæ, nec tamen tollentur priores, nec impedientur, ſi poſteriores in ſuis operationibus impediantur. Pono ob oculos iſta duo principia: *Intellectiuum, volitiuum*; Eſt verum dicere: *Omne volitiuum eſt intellectiuum*, etiam dicere: *Quod non eſt volitiuum, eſt intellectiuum*; non tamen erit verum aſſerere: *Voluntas eſt impedita, ne hoc poſſit amare: Ergo intellectus eſt impeditus ne hoc poſſit cognoſcere.* cùm tamen valeat è contrà illatio: *Intellectus eſt impeditus, ne poſsit cognoſcere: Ergo voluntas eſt impedita, ne poſsit amare.* Sicut de Intellectu & Voluntate, ſic de potentiâ præceptiuâ, cognoſcitiuâ, iudicatiuâ, & punitiuâ philoſophaberis. Concatenatæ ſunt, nec mutuò ſeparari poſſunt. Ad cauſam efficientem ſpectant, & poſterioris operatio à prioris operatione pendet. Si tollis præceptum, omnes actiones poſteriores abſtuleris: vbi enim nulla eſt lex, quæ violetur, nulla eſt cauſæ cognitio, nullum iudicium, nulla damnatio, nulla punitio. At verò, ſi vltima impediatur, tres priores poterunt operari, non ſecùs ac poteſt intellectus, etiam ſi impediatur voluntas. Sæpè in tribunalibus vſque ad ſententiæ prolationem venitur, & executio impeditur per accidens. Sæpè habetur integra cauſæ cognitio, & tamen per accidens impediuntur Iudices, ne ad ſententiæ prolationem perueniant.

Cauſæ ſubordinatæ.

Intellectus eſt voluntate prior.

Nihil volitum, quin præcognitũ: at multa ſunt cognita, quin volita.

Poteſtas præceptiua, cognoſcitiua, iudicatiua, & punitiua ſubordinantur inter ſe. Non poteſt operari poſterior, quin operetur prior: & tamen poteſt & ſolet prior, quin operetur poſterior.

Hæc omnia veriſſima & clariſſima ſunt: et gratias ago Dianæ, gratias cæteris, quorum argumentatio, quæ primâ fronte videbatur inefficax, in causâ fuit, vt hæc difficultas examinaretur radicitùs, et ad tantam certitudinem, claritatemque perduceretur.

De violatione præceptorum quoad modum.

DCCXII.

AGamus etiam de his, qui impoſitis Superiorum præceptis quoad ſubſtantiam, & non quoad modum ſatisfaciunt. ***Putamus eſſe certam, aut ad minimùm probabiliſſimam ſententiam, quæ docet, eos peccare venialiter ſi careant rationabili cauſa: quòd ſi in modo materiæ præceptæ deficiant cum cauſa mediocri aut rationabili, eoſdem nullo modo peccaturos putamus.*** Et vt id nobis perſuadeamus, vtimur hac ratione [Modus eſt res parua collata cum rerum ſubſtantiâ: ſed qui omittit rem paruam ſine cauſâ, non peccat mortaliter, ſed venialiter: Ergo nec ille, qui ſatisfaciens quoad ſubſtantiam, omittit modum] Hæc ratio probat priorem Reſolutionis partem: poſteriorem hæc ſubſequens [Modus eſt res parua collata cum rerum præceptarum ſubſtantiâ: Ergo, ſi cauſa grauis ſufficit, vt omittatur Diuini Officij lectio aut Ieiunium quoad ſubſtantiam ſine culpâ mortali, cauſa rationabilis aut mediocris ſufficiet, vt vtrumque omittatur quoad modum. Omittet modum legendi, Officij, qui aut legit feriam pro Dominicâ, aut inuertit horarum ordinem, aut tempus (ſi datur talis obligatio) præuertit: & omittet modum ieiunandi, qui ſumit

Reſolutio.

An poſſit legi vnum Officium pro altero.

An in die ieiunij poſſit collatio ſumi mane, ac prãdium veſpere?

ſumit collationem mane, & prandet veſpere]Hæc doctrina, ſi bene intelligatur, vera eſt: falſa, ſi malè. *Ergo*, vt meliùs & clariùs decidamus, ex quæſtione abſtractâ & conſideratâ in communi ad contractam & particularem deueniamus. Quæramus igitur.

An, qui die Sabbathi in Hiſpania comedit carnes, peccet mortaliter?

DCCXIII. Sæpè ſolemus eludere difficultates, quas non poſſumus ſoluere.

SAEpè mihi, mores noſtræ *Patriæ* ridentes, hanc Controuerſiam propoſuerunt Germani. Senſi difficultatem, & ridendo reſpondi. Nunc autem eamdem ferio, ſed non ſerò alijs diſcutiendam propono; ſpero enim ex eius ſolutione multas alias Quæſtiones decidendas, & illuſtrandas eſſe. Propoſui aliquibus, qui illam olim facillimam & clariſſimam dixere & dicunt; ſed eamdem repono, quoniam eam cenſent alij ſummè difficilem, & intelligibilem. Sic diſcurrunt [Qui ſatisfacit præcepto quoad ſubſtantiam, tametſi non ſatisfacit quoad modum

De Officij diuini mutatione.

accidentalem, vt ſummùm peccat venialiter, non mortaliter. Hanc ob rem, qui lecturus de Feriâ legit de *Sancto*, aut contrà, non peccat mortaliter, quoniam Officium de Feriâ & de Sancto conueniunt in ſubſtantiâ, hoc eſt in ratione Officij diuini; & tantummodo differunt accidentaliter. Ex hac doctrina inferunt: *Ergo, qui die Sabbathi in Hiſpania carnes comedit, vt ſummùm peccabit venialiter*]

Cibi Sabbathini Hiſpanorum.

Vt vim huius conſequentiæ percalleas, mores Hiſpanorum propono: & quia inter ſe variant, Madritenſium, die ipſi Sabbathi non carnem, ſed pinguedinem dicuntur comedere poſſe; & nomine pinguedinis intelgunt *Caput*, *Collum*, *Armos*, *Pedes*, & *Caudam*: & quia termini à nullo Geometrâ ſunt circumſcripti, ita collum ſolet per ſpinam dorſi deſcendere, ita aſcendere cauda, vt vel cognationem, vel ſaltem affinitatem contraxiſſe videantur. His addunt *Interiora omnia*, *Sanguinem*, *Inteſtina*, *Cor*, *Lienem*, *Iecur*, *& Renes*; quæ omnia non carnem, ſed carnis eſſe ſpolia dicunt. His poſitis, doceri noſtri Germani volunt, An Armus à Femine differat ſubſtantialiter, an accidentaliter? Porrò ſubſtantialem diſtinctionem nemo demonſtraturus eſt; ſi maneat diſtingui accidentaliter, qui potens Armos comedere, comêdit Femina, ſeruauit quidem præceptum quoad ſubſtantiam, & violauit quoad accidens ſeu modum. Ergo vel iſte non peccabit mortaliter, vel violare præceptum quoad modum vel accidens mortale eſt.

In diuerſis ciuitatibus.

Accedit, quòd non omnia ſpolia (ſic enim enumerata dici ſolent) quæ comeduntur Madriti, poſſunt alibi comedi: ſunt enim in Hiſpaniâ vrbes multæ, in quibus nec Armi, nec Colla, nec Capita comedi ſolent. Quæ omnia demonſtrare videntur differentiam non eſſe ſubſtantialem, ſed accidentalem, & omninò arbitrariam, & ab inſtituto pendentem.

Reſolutio.

DCCXIV. *EVm, qui comedit carnes in Hiſpania die ſabbathi, peccare mortaliter*, inquam: & vt Propoſitionem iſtam probem, diſcurro.

Inobedientia quoad ſubſtantiam & quoad modum.

In actu præcepto conſiderari poteſt ſubſtantia & modus actûs. Et quidem communis & vera ſententia aſſerit, eſſe peccatum mortale violare legem in materiâ graui quoad ſubſtantiam, & eſſe tantummodò veniale, eamdem violare quoad modum.

An liceat mutare officium.

Certa ſunt hæc; at incertum, an bene in ſingulis actibus aſſignetur, quid ſubſtantiale ſit, & quid modale? cùm enim quæritur, *An liceat pro Officio feriali legere de Sancto?* alij hanc circumſtantiam eſſe modum lectionis præceptæ, adeoque eiuſmodi mutationem condemnant peccati venialis, & alij, quia eamdem circumſtantiam intrinſecam & ſubſtantialem eſſe dicunt, illam accuſant de mortali. Comedunt Hiſpani in ſuâ patriâ aliquas animalium partes, & alias non, dicuntque Madriti, ſe poſſe comedere vituli caput, collum, brachiolum, caudam, pedes, inteſtina: hæc enim omnia vocant *animalis ſpolia*: & aiunt, cæteras carnes non poſſe edi ſub peccato mortali. An-ne caro colli differt à carne dorſi ſpecie vel ſubſtantiâ? an tantùm accidenti vel modo? & ſi modo, non peccabit mortaliter, qui in Hiſpaniâ die ſabbathi comederit carnes?

Quid ſint animalium ſpolia? An & quo modo diſtinguantur à carne?

An partes organicæ diſtinguantur ſpecie.

Sic argumentantur nonnulli. Et hoc modo reſpondeo. Collum & dorſum, aio, poſſe conſiderari phyſicè & moraliter. Conſiderata phyſicè fortè diſtinguuntur ſpecie, fortè non: nam vel dantur formæ partiales, quæ Scoticæ formæ corporeitatis correſpondeant, & habeant partes heterogeneas, quod multi plauſibiliter dicunt: vel carnis partes ſunt omnes homogeneæ, quod multi plauſibiliter aſſeruut, accidentaliter vel modaliter carnem à carne diſtinguentes. At verò eædem carnium partes apud Hiſpanos conſideratæ moraliter, diſtinguuntur ſubſtantiâ: nam ob ſummum defectum piſcium concedit aut permittit Eccleſia, caput, collum &c. vice piſcium: ergo hæ partes, virtualiter loquendo, piſces ſunt; nam, poſitâ conceſſione aut permiſſione, licèt realiter ſint carnes, prudentum iudicio & æſtimatione ita ſe habent diebus ſabbathi (de his enim ſpecialiter loquimur) ac ſi eſſent piſces: quod dorſum, armus & cæteræ partes interdictæ non habent [Conſultò dixi *concedit aut permittit Eccleſia*, non enim datur ſuum aliquod priuilegium, ſed conſuetudo conſtans,

An dentur piſces morales?

mul-

multorum annorum poſſeſſione præſcripta, & ab *Eccleſia* cognita & tolerata: vnde naſcitur, quòd dicamus concedi vel permitti ab Eccleſiâ, quod ab illa prudenter ob ſummum piſcium defectum toleratur.]

An formæ cadauerinæ diſtinguantur ſpecie?

Firmatur, aut etiam demonſtratur hæc veritas, Forma enim cadauerina, multorum Doctorum ſententiâ, eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus omninò animantibus: Ergo, ſtando huic ſententiæ, quæ probabilis eſt, animalium & piſcium carnes mortuæ (non enim comedimus viuas) ſunt eiuſdem ſpeciei ſubſtantialis: & tamen nemo dixerit ob hanc rationem licere comedere carnes die Veneris: carnium enim & piſcium, moraliter & virtualiter loquendo (quidquid de conſideratione ſit Phyſicâ) diſtinguuntur ſpecie ſubſtantiali.

Doctrinam hanc fortiùs & robuſtiùs confirmo. Aliquorum animalium aut etiam piſcium carnes (ſues, anguillæ &c.) interdicebantur olim in teſtamento veteri ſub peccato mortali: erat igitur eſſentialis differentia inter ipſas, non phyſica: ergo moralis aut virtualis.

COROLLARIVM. *Ergo multa diſtinguuntur modaliter aut accidentaliter in Phyſica, quæ in Ethica diſtingui debent ſubſtantialiter; Ergo multa ſimiliter diſtinguentur in Phyſica eſſentialiter & ſubſtantialiter, quæ eiuſdem ſint ſpeciei moraliter conſiderata?* Prior Corollarij pars patet ex dictis; poſterior, quia qui dicunt aurum argentumque diſtingui ſpecie, non tamen dicunt furtum auri à furto argenti ſpecie morali differre.

DCCXV.

DICES, hanc à nobis non ſolui, ſed inuolui & implicari potiùs difficultatem: dicimus enim carnes ſeminis & capitis diſtingui modaliter aut accidentaliter phyſicè, & eaſdem moraliter loquendo diſtingui ſubſtantialiter & eſſentialiter. Et tu vis rationem huius opinionis doceri, & inquiris, *Quid ſit diſtingui moraliter ſubſtantialiter? & quid diſtingui moraliter accidentaliter, ſeu moraliter modaliter?* quod eſt inquirere, *Quid requiratur, vt aliqua res in ſenſu morali ſubſtantialis aut accidentalis dicatur?*

Fundamẽtũ omnium moralitatũ.

Reſpondeo, moralitates omnes à realitatum cognitione pendere, & illi altiſſimo fundamento inniti: *Oportet vt de realibus realiter; ſic etiam de moralibus moraliter philoſophari*: Ergo, vt ſubſtantiam moralem ab accidenti morali diſtinguamus, operæ pretium erit ſubſtantiam phyſicam, & accidens phyſicum conſiderare. Subſtantia phyſica eſt ens per ſe, quod exiſtit & ſubſiſtit per ſe: Accidens phyſicum eſt entis ens, quod non exiſtit nec ſubſiſtit per ſe, ſed inhæret ſubſtantiæ, & inhærendo exiſtit, quod tamen non repugnat exiſtere ſine ſubſtantiâ. Modus eſt, ſine quo res eſſe poteſt, qui ſine re eſſe non poteſt. Differt ab accidenti: quia accidentis eſſentiæ non repugnat carere ſubiecto, nam in Euchariſtiâ quantitas ſubiecto caret, & tamen modi eſſentiæ repugnat eſſe ſine re, cuius eſt modus. Modus diuiditur in ſubſtantialem & accidentalem: ſubſtantialis includitur intrinſecè in ſubſtantiâ, vt vnio in toto per ſe, & ſubſiſtentia, in eorum ſententia qui aſſerunt, illam eſſe modum; accidentalis autem modus eſt extra conceptum ſubſtantiæ, vt vbicatio, ſituatio, &c. nam Petrus ſine mutatione aliqua intrinſeca poteſt hanc vbicationem & iſtam ſituationem perdere, & aliam diuerſam adquirere. Hinc conuerto oculos ad res præcepta, ſic inquam: Illud eſt præcepti obiectiui ſubſtantia, quod attingitur per ſe à præcepto; hoc eſt, quod attenditur, & reſpicitur propter ſe; illud autem eſt eiuſdem præcepti obiectiui accidens, quod attingitur quidem & intenditur à præcepto, non quidem per ſe, nec propter ſe, neq; vt exiſtat ſubſtantia rei præceptæ, ſed vt exiſtat conuenientiùs, decentiùs, & perfectiùs. Et quid erit Modus moralis ſine quo poteſt eſſe res moralis, & quod ſine re morali eſſe non poteſt? *Et* eſt duplex; ſubſtãtialis, & accidẽtalis; hoc eſt intrinſecus & extrinſecus. In opinione eorũ, qui negant poſſe *Eccleſiam* præcipere actus purè internos, & tamen aſſerunt poſſe eam præcipere actus mixtos, actus internus erit modus moralis ſubſtantialis externi: nam iſte poteſt præcipi ſine illo; non autem ille ſine iſto. Quam ob rem, cùm præcipitur oratio vocalis attenta, & prolatio præcipitur, & attentio; illa vt materia, iſta vt modus ſubſtantialis: ſanè vt modus, quia attentio ſola, ſtando huic ſententiæ, nequit præcipi: ſanè vt ſubſtantialis; quia præcipitur attentio per ſe & ſubſtantialiter; ita vt, qui voce oraret, & animum diſtractum haberet, peccaret, & violaret quoad ſubſtantiam præceptum. Modus accidentalis eſt, quod eſt extra eſſentiam & ſubſtantiam præcepti obiectiui, quod tamen compræcipitur ad ornamentum, nec tamen ſeorſim poſſit præcipi. Sic in Officio Diuino ordo horarũ eſt modus accidentalis; accidentalis, quia præcipitur ad melius, tanquam ornamẽtum Officij Diuini, & ideò tantùm ſub onere peccati venialis; eſt autem modus, quia licet lectio horarum poſſit præcipi, ordine non præcepto, ordo ipſe ſolùm non poterit præcipi ſine re, cuius ſit ordo: non enim poterit poni, niſi res, cuius eſt modus, ponatur.

Quid ſit modus phyſicus?

An accidẽtia poſſint exiſtere ſine ſubſtantia?

Modus duplex: ſubſtantialis & accidentalis.

An vnio, ſubſiſtentia, vbi, & ſitus ſint modi?

Quid ſit ſubſtantia moralis, & quid accidens?

Quid ſit modus moralis?

An actus internus ſit modus moralis externi?

An attentio ſit modus ſubſtantialis moralis lectionis in Officio Diuino?

Ordo horarum eſt modus moralis accidentalis.

Dices, poſſe præcipi ordinem non præceptâ re, cuius eſt ordo; hodie enim non tenetur Presbyter celebrare miſſam, & tamen ex ſuppoſitione, quòd eam celebret, tenetur ſeruare ordinem à Chriſto & ab Eccleſiâ inſtitutum.

An ordo poſſit præcipi re non præcepta?

Reſpondeo, hoc eſſe præceptum hypotheticum, de quo non agimus; ſufficit enim nobis,

Præceptum eſt duplex: abſoluũ & cõditionatũ

Quid ſit ſubſtantia phyſica; quid accidens?

nobis, vt accidens morale à modo morali diſtinguamus, ſcire illud poſſe abſolutè præcipi ſine re, cuius eſt accidens, hunc non poſſe.

DCCXVI. Hinc patet, accidens phyſicum poſſe eſſe ſubſtantiam moralem, & ſubſtantiam phyſicam poſſe eſſe accidens morale. Hinc etiam patet, poſſe eſſe ſubſtantiam vel accidens phyſicum vnita realiter rei præceptæ, quæ, moraliter loquendo, nec ſit ſubſtantia nec accidens, imò ſit nihil. Singula breuiter dilucidabo.

An veſtium color, moraliter conſideratus, ſit ſubſtantia vel accidens?

Quòd veſtes ſint ex lanâ vel ſerico, pertinet ad ſubſtantiam phyſicam: ad accidens verò phyſicum, quòd ſint albæ, nigræ, rubræ, flauæ, violaceæ. Et tamen ſi ſit lex Academica, quæ præcipiat omnes ſtudioſos vti veſtibus nigris, nigredo erit de ſubſtantiâ præcepti, & diſtinctio ſerici vel lanæ aut nullo modo attingetur à præcepto, aut attingetur accidentaliter. In Ordine Benedictino, antequam multiplicarentur Monaſteria & diuiderentur in Congregationes, color erat nihil moraliter, quia nullus lege aliquâ determinatus, imò omnes modeſti & communes permiſſi, iuxta illud Regulæ: *De colore non cauſentur Monachi.* At hodie, Monaſteriorum numero multiplicato, & in Congregationes diuiſo, dari debuerunt præcepta de coloribus veſtium, vt vna Cõgregatio ab alterâ diſtingueretur. Ergo Monachus Benedictinus tenebitur ſeruare ſuæ Congregationis colorem iuxta mores præſcriptos, & communes ſuæ Reipublicæ leges. Quamobrem qui vteretur veſte purpureâ vel cæruleâ, Legem violaret quòad ſubſtantiam: qui autem ſericâ, violaret quidem legem, non autem quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum. Abbates enim noſtri, ſiqui in Germaniâ (nam in *Hiſpaniâ* & *Italiâ* æque Superiores & ſubditi veſtes modeſtiſſimas habent) ſerico vtuntur, reprehenduntur ab omnibus, qui ſtudent obſeruantiæ & modeſtiæ, non tamen appellantur de peccato mortali, quòd ſerici aut lanæ diſtinctio non videatur ad eſſentiam præcepti pertinere.

An moraliter peccent Abbates, qui ſericis veſtibus vtuntur?

DCCXVII. An carniũ & piſciũ diſtinctio ſit moraliter ſubſtantialis.

Quid ſit violare præceptum quoad ſubſtantiam?

An violatio præcepti quoad modũ aliquando ſit peccatum mortale?

His ſuppoſitis, ad quæſtionem reſpondeo *Primò*, violare præceptum quoad ſubſtantiam eum, qui non ponit materiam aut formam, aut modum intrinſecum rei præceptæ per ſe, & ideò peccare mortaliter, ſi quantitas omiſſionis ſit grauis. *Secundò*, peccare leuiter, & non violare præceptum quoad ſubſtantiam, qui ponit omnia quæ ſunt præcepta per ſe, & omittit quæ ſunt compræcepta ad ornatum & ad meliùs, ſiue illa ſint accidentia moralia, aut modi morales extrinſeci. *Tertiò*, violationem præcepti quoad modum, ſi modus ſit ſubſtantialis & intentus per ſe, eſſe violationem præcepti quoad ſubſtantiam, & lethaliter peccaminosam: non autem ſi ſit violatio modi accidentalis, & extrinseci, non intenti per ſe, ſed ad meliùs. *Quartò*, præceptum abſtinendi à carnibus reſpicere formam carnis per ſe, atque ideò vt virtualem & moralem ſubſtantiam, & hoc ſiue carnis forma realiter, & à parte rei ſit ſubſtantialis, aut accidentalis. Quapropter comeſtio carnium in die prohibito non eſt tranſgreſſio præcepti quoad accidens ſeu modum, ſed quoad ſubſtantiam.

An carnes comedantur in Hiſpania die Sabathi?

Hæc ſufficiunt, vt Moralem diſtinctionem carnium & piſcium intelligere valeas; ſed quia de partibus eiuſdem animalis agebatur, et hîc videtur ſpecialis difficultas occurrere, vt mores Hiſpanorum, et morum ratio omnibus innoteſcant, has lineas addo. Die *Sabathi* ex vi præcepti Eccleſiaſtici omnes animalium terreſtrium partes interdicuntur in Hiſpania. Cæterùm ob defectum piſcium inualuit conſuetudo (et diuerſa pro diuerſis locis) comedendi aliquas partes, quæ minoris reputantur ſubſtantiæ. Hæc conſuetudo eſt immemorialis, multorum ſæculorum poſſeſſione præſcriptâ, Principibus Eccleſiaſticis nota, et à Pontificibus tolerata. Ergo hîc oportet partes carnium, pro quibus conſuetudo obtinuit, ab alijs omninò diſtinguere. Ergo die Sabathi præceptum de non comedendis carnibus, ſi agatur de carnibus, quæ non vocantur *ſpolia*, manet in antiquo rigore: ſi autem agamus de illis, quæ vocantur *ſpolia*, ceſſabit obligatio præcepti propter legitimam conſuetudinem, quæ eſt tacita quædam permiſſio. *Hæc* autem partium animalis diſtinctio die Veneris locum non habet; quia cùm nõ detur vlla de comedendis ſpolijs animaliũ illo die conſuetudo, manebit præceptum in ſuâ vi, et qui die Veneris comederit armum in prandio, caput in cœnâ, committet duo peccata mortalia, eiuſdem omninò ſpeciei, quia bis violauit idem præceptum quoad ſubſtantiam.

Animalium ſpolia, quæ dicãtur, iam expoſui ſuperiùs.

Conſuetudo habet vim permiſſionis.

An qui comedit diuerſas carnes, diuerſa peccata cõmittat?

Interrogas, *An qui die Sabathi comedit ſpolia animalium, violet præceptum quoad modum?* Reſpondeo negatiuè, quia conſuetudo præſcripſit, et ideò eadem ſpolia illa die nullo iam interdicuntur præcepto.

DCCXVIII. Dubium primum.

Interrogabas ſub initium, *An qui die Dominica legat Officium de Feria, violet præceptum quoad ſubſtantiam, an verò quoad accidens vel modum?* et modo inquiris, *Quænam ſit fundamentalis ratio, quę debet conſiderari, vt controuerſia decidatur?* Reſpondeo, potuiſſe Eccleſiam intendere, et præcipere per ſe nõ ſolùm, vt legas Officium Diuinum; ſed etiam, vt in eius lectione rubricas ſequaris tui Breuiarij: potuiſſe etiam intendere, et præcipere per ſe, vt legas Officium Diuinum, et compręcipere non quidem per ſe, ſed ob maiorem orationis decentiam, et morum vniformitatem, vt tale Officium legas, quale mores præſcribunt. Si primo modo in hoc præcepto Eccleſia proceſſiſſe dicatur, qui legit de Sancto, cùm debe-

Dubium ſecundum.

Bifariam potuit Eccleſia præcipere lectionem Officij Diuini.

deberet de Feriâ, vel contrà, violabit præceptum quoad ſubſtantiam, & peccabit mortaliter. Quòd ſi dicatur Eccleſia ſecundo proceſſiſſe modo, hæc Officiorum commutatio non violabit legem quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum accidentalem, & ideò non erit mortaliter peccaminoſa.

Si dicas, te non quærere Hypòtheſim, ſed Theſim, & velle ſcire, vtro proceſſerit Eccleſia modo, cùm Diuinum Officium quotidie recitandum inſtituit. Reſpondeo, te deſcendere ad quæſtionem de facto, in quâ ſunt Authores diuiſi & ſubdiuiſi: interim quamdiu mentem ſuam non declarent Pontifices, dici ſecuriſſimè poterit, alterutrum videri probabile.

Quomodo illam præceperit?

FVNDAMENTVM XXV.

De Legum materia quoad Quantitatem.

DCCXIX. An præcepti grauitas à materiæ grauitate ſumatur?

VT Lex, etiam *Diuina*, obliget ad mortale, requiritur magna materia. *In* parua non poteſt Legislator grauiter obligare, nec in magna leuiter. Solet interdùm res, quæ intrinſecè & abſolutè diceretur parua, induere magnitudinem accidentariam, extrinſecam, & relatiuam. *Dantur* res eſſentialiter magnæ: dantur etiam eſſentialiter leues: illæ, ſi præcipiuntur aut vouentur, grauem ſemper obligationem inferunt: iſtæ autem ſemper leuem. Inter iſtos magnitudinis terminos datur materia indifferens, quæ tunc erit grauis, cùm præcepta: & tunc putamus præceptum attingere totam materiam, & immediatas eius partes, non mediatas.

Magnitudo eſt duplex: intrinſeca & extrinſeca abſoluta & relatiua, eſſentialis & accidentalis.

Materia indifferens.

Reſolutio

DCCXX. An eſſe poſſit grauis obligatio in materia leui? An leuis in graui?

PVto, non poſſe hominem in materiâ leui ſubditos ſuos obligare ad peccatum mortale, An in graui ad veniale? Vtrumque probabile eſt. Noto nihilominùs obiter, aliqua videri primo intuitu leuia, quæ ſunt grauia, & alia grauia, quæ ſunt leuia. Quid enim leuius ſcintillâ ignis? Quid leuius voculâ *ſic*? & interim, ſi ſcintilla in dolium pyrij ſulphuris cadat, ædificia ſolidiſſima euertet, & homines multos interimet: Et, ſi poſt informationem ſemiplenam rogeris, an Petrum furari videris, & reſpondeas, quòd ſic; vnicâ contemptibili voculâ, & quæ vnicam ſyllabam habet, eum ad patibulum proferes, & laqueo pendes. Ergo res, quæ intrinſecè & quoad ſe conſideratæ leues ſunt, conſideratæ extrinſecè & quoad effectus ſolent interdùm eſſe graues. Sicut & etiam graues res, ſi in ordine ad leuem aliquem finem ordinentur, (tunc enim à fine quantitatem ſuſciperent) formaliter loquendo, eſſent leues.

Grauitas duplex, intrinſeca & extrinſeca.

Nullus, quem viderim, poſuit tanquam Regulam vniuerſalem: *Actus inceptus, & completus differunt tantùm circumſtantia, vel modo.* At multi, vt ſub initium notabamus, ponunt particulares Aſſertiones, quæ eſſe veræ non poſſunt, niſi hæc vniuerſalis admittatur. Ponamus igitur exercitij gratiâ hanc vniuerſalem, & quid inde inferatur aut non inferatur, videamus. [Nota bene illud verbum *exercitij gratia*: volo enim ponere illam propoſitionem non vt Theologus, ſed vt Logicus, vt inde inferendas conſequentias explorem]

De diſtinctione actus completi, & incompleti.

Quærunt Authores, An qui mille aureos ſit furatus, ſatisfaciat in confeſſione dicendo, *Rem notabilem furatus ſum?* Conſequentia doctrinæ poſtulat, vt reſpondeamus affirmatiuè. Et quidem hoc ipſum po-

DCCXXI. An fur teneatur confiteri, quantum furatus ſit?

terit aliquis dicere,& ſubſcribere Nauarro, Bonacinæ, Vaſquezio, Megalæ, Zanardo, Gipſio, Zerolæ, quos probabiliter loqui aſſerit Diana *part.1.tract.7.reſol* 14. Conſultò illud *probabiliter* expreſſit Diana, quia poſſet probabiliter aliquis dicere, in mille aureorum furto reperiri vnicum furtum phyſicè; at politicè & in foro Ciuili tot furta, quot materiæ ſufficientes ad laqueũ ſecundùm leges loci, in quo furtum committitur:& in foro Dei tot actus, & tot furta reperiri moraliter, quot materiæ ſufficientes ad peccatum mortale. Ergo,ſtando huic doctrinæ, ſi aurei ſint tanti, vt ſinguli ſufficiant ad mortale, qui mille aureos furatus fuit, peccatum commiſit, quod virtualiter loquendo mille æquiualet; imò moraliter loquendo eſt millecuplex: Ergo cùm confitetur & dicit, *Materiam grauem furatus ſum*, non confitetur actum incompletum pro completo; ſed confitetur vnum actum completum in ratione mortalis, & omittit 999. actus mortaliter peccaminoſos,& licèt primò realiter idemtificatos, ab eodem virtualiter diſtinctos: quos etiam exponere deberet.

Vnus actus realis eſſe poteſt moraliter multiplex.

DCCXXII. An idem Dici queat de Officij Diuini omiſſione.

Quæruntetiam Theologi, An qui omiſit totum Officium Diuinum, ſatisfaciat dicendo, *Omiſi partem notabilem*: aut etiam, *Omiſi materiam ſufficientem ad mortale*? Aſſerit Diana *par.1.tract.12.reſol.23.* & citat Squillantem,&c. Et vt hanc opinionem teneat, debet duas ſupponere; alteram nimirùm affirmantem,totum vnius diei Officium cadere ſub vnicum præceptum [Qui enim ſingulas horas ſingulis præceptis ſubijciunt,illo modo confitendi contenti eſſe non poſſunt; quoniam in eorum ſententiâ qui totum Officium Diuinum omiſit, violauit octo præcepta, & commiſit octo peccata mortalia,quæ tenetur exponere] alteram quam expendimus, nempè docentem, peccatum grauiter inceptum & completum differre circumſtantiâ aggrauante.

An illud cadat ſub octo præcepta diuerſa?

Progrediuntur ad materiam fornicationis; & vt conſequentiæ filum teneant, ſic aiunt [Peccatum grauiter inceptum & completum non differt ſpecie, ſed circumſtantiâ aggrauante:ergo ille,qui cognouit fœminam,ſatisfaciet dicendo, *Cum fœmina peccaui mortaliter*;aut etiam, *Fornicationem incepi*. Vt iudicium ferre de hoc diſcurſu poſſimus,proderit audire Dianam, qui *part.3.tract.4.reſol* 88. interrogat, An qui commiſit fornicationem, ſatisfaciat in confeſſione dicendo, *Commiſi graue peccatum in materia caſtitatis cum ſoluta*? & reſpondet [Hanc quæſtionem reperiri apud neminem, niſi nouiſſimè apud ſolum Turrianum,qui *libr.de pœn.quæſt.9.art.2.diſp.2 ad arg.5.* obſeruat, Recentiores aliquot iudicare probabilem eiuſmodi modum confitendi, & eorumdem ſententiam ab eodem (Turriano) iudicari probabilem] Et quid de eorum doctrinâ Diana iudicat? [An ſit verè probabilis,ait, alijs iudicandum relinquo: communis enim vſus fidelium eſt in contrarium]

De fornicatione completa & incompleta.

DCCXXIII. An explicare debeat pœnitens, an fuerit completa, an incompleta?

Hîc ego exiſtimo,cum qui fornicationem commiſit,non explicare ſpeciem ſui peccati,ſi dicat,*Cum fœmina peccaui mortaliter*. Neque etiam,ſi dicat, *Commiſi graue peccatum in materia caſtitatis cum ſoluta*. Quia præter fornicationem, etiam aliæ ſunt peccatorum ſpecies contra caſtitatem, quæ poſſunt cum ſolutâ committi. Ergo minimùm deberet dicere,*Commiſi graue peccatum in materia fornicationis cum ſoluta*: at tunc fornicationem confiteretur, & faciliùs & breuiùs diceret,*ſum fornicatus*.

Quid ſi diceret,*Incepi fornicationem cum ſoluta*?Sic deberet loqui Turrianus: & Diana fortè deberet hunc modum confitendi admittere, vel quæ dixit de omiſſione Diuini Officij partiali & furto partiali negare.

Putarem interim nimis genericè et malè cõfiteri,qui poſtquam completam fornicationem commiſit, ſe incompletam commiſiſſe fatetur:malè enim confiteretur,quia tribunalia differunt a Scholâ, & in illis præciſiones non habent locum iuxta illud:*Nimia ſubtilitas in iure reprobatur*.Et qui aſſerit ſe incompletam fornicationem commiſiſſe, moraliter negat ſe completam cõmiſiſſe,& in noſtro caſu mentiretur, Quod in confeſſione non licet.Confiteretur etiam nimis genericè; quia incompleta fornicatio habita cum animo complendi, ab eâ, quæ habetur ſine animo complendi, ſicut & illa quæ incipitur cum animo decidendi intra vas,& illa quæ incipitur cum animo decidendi extra vas, multùm differunt: prior enim ad naturales culpas pertinet, & altera, cùm non ordinetur ad generationem prolis, imò potiùs ad non generationem ordinetur,ad mollitiem vergit, & ideò in ipſomet vſu inſtrumentorum naturalium contra naturam eſt. Ergo, adhuc ſtando generali illi doctrinæ, quam exercitij gratia poni iuſſimus, in materiâ fornicationis actus incompletus pro completo in confeſſione poni non poſſet.

DCCXXIV. De ſordibus contra naturam.

Sed vberiorIs doctrinæ gratiâ, vt meliùs eſſentiæ moralium formalitatum luceant, licèt id falſum ſit,vt iam diximus, ponamus, bene & ſufficienter confiteri qui rem compleuerit cum fœminâ, & tamen in confeſſione dicat, *Fornicationem incepi*: an etiam ſatisfaciet in Sodomiâ & pollutione, tactibus alienis procuratâ, qui dicat, *Cum viro peccaui mortaliter*, aut ſaltem, *Tangendo alium peccaui grauiter*, non explicando an peccatum fuerit completum aut incompletum? Reſpondeo diminutè confiteri: quia omnia peccata contra naturam, licèt in ſuo genere,ſicut pes & caput in homine,ſoleant

dici

dici completa, sunt physicè incompleta; nam seminis effusio naturâ suâ ordinatur ad generationem, & naturâ sua postulat vas conueniens, quod in peccatis contra naturam non completur: cùm ergo ipsa omnia specie differant à fornicatione, non possunt confundi cum fornicatione incompletâ.

An possint in tribunali pœnitentiæ confundi?

DCCXXV. De mollitie incompleta & completa.

An saltem in materiâ mollitiei (nimirùm, ille qui se voluntariè polluerit) satisfaciet, qui dicat: *Tangendo me peccaui mortaliter*. Aut fortè: *Habui pollutionis initium*. Aut tandem, quia teste Galeno omnis delectatio morosa est initium mollitiei: *Morosè delectatus sum?*

Respondebo, omnem delectationem morosam esse commotionem seminis, & in effusionem tendere: at naturâ sua vas naturale postulare: ergo, rigorosè loquendo, non est pollutionis initium: ergo non satisfacit, qui confitetur dicens: *Morosè delectatus sum*. Præterea, omnis delectatio lasciua natura suâ capax est, vt sit secundùm naturam: at ipsamet effusio seminis in pollutione est huius ordinationis incapax: ergo, si pollutio est intrinsecè contra naturam, & delectatio morosa, & quæcumque spirituum seminalium commotio intrinsecè est secundùm naturam, et extrinsecè indifferens [nempè secundùm naturam, si ordinetur ad copulam, et contra naturam, si fortè ordinetur ad non copulam] non bene confitebitur, qui res tam diuersas confundat.

FVNDAMENTVM XXVI.

De Materia nulla morali.

DCCXXVI.

IN moribus datur materia magna, datur parua, datur nulla. *Duæ priores notiores sunt*, & à nobis expositæ; tertiam explico. Materia moraliter nulla illud est, quod realiter consideratum est aliquid, & tamen prudentum æstimatione nihil fit. Puta, vnum granum tritici, vnum pisum, &c. Quis enim auderet constituere venialem culpam in ablatione vnius folij fœni, vel alius materiæ vilioris? Vt ergo materia nulla dignoscatur & distinguatur, hæc obseruari debet regula. In rebus, quæ pretio væneunt, quidquid minus valet quàm vltima moneta, illud nihil moraliter valet in illa Republica. *In rebus, quæ pretio non væneunt, datæ paruæ materiæ quidquid minus est octaua parte illius, est minus quàm parua materia, ac propterea est nulla materia.*

Materia magna, parua, nulla.

Quo cognosci modo possit materia moraliter nulla?

Admittenda est materia moraliter nulla.

MAteriam moraliter nullam apud neminem legimus, & tamen admittendam putamus, nec videmus, cur possit ab aliquo Theologo reijci: multis illam communicauimus, omnibus placuit. Dari magnam & paruam materiam omnes admittunt; at non omnes illas distinguunt eodem modo. Nemo inuenit regulam generalem, quæ in omnibus verificari possit: cum aliquibus ego limitationibus ad partem octauam recurro, & manutenebo illã Regulam, quousque meliorem & securiorem ponat alius.

Magnæ & paruæ distinctio.

FVNDAMENTVM XXVII.

De Legum materia quoad Qualitatem.

DCCXXVII Materia legum ſuas qualitates & proprietates habet.

SPeciales proprietates & qualitatès habet legum materia: quoniam res aliæ præcipiuntur, aliæ conſuluntur, & aliæ interdicuntur: & quia nec omnia, quæ interdicuntur, poſſunt præcipi, conſiderare oportet res ipſas ante humanum præceptum, vt reſcire poſſimus, quęnam ſint pręceptibiles, & quę non.

Quid ſit rem eſſe intrinſecè malã?

Prima & potiſſima qualitas rei pręceptibilis eſt, quòd intrinſecè mala non ſit: quę enim ſunt intrinſecè mala, ne quidem ob bonum finem poſſunt pręcipi. Sed quę dicuntur intrinſecè mala? Quę habent malitiam Theologicam ante prohibitionem humanam, nempè illa, quę ſunt interdicta à *Deo*calogo: huius enim nomine legem ęternam à *Deo* latam intelligimus, qua per impoſſibile ſublata, malitia Philoſophica non autem Theologica maneret. Sed quid ſi res eſſet probabiliter mala, & tamen ab Homine præciperetur? Puto in eo caſu ſubditum, ſtando Iuri naturæ, non teneri: at puto eum hodie (Sæcularis aut Religioſus ſit) teneri de facto, ſcilicet propter leges & conſuetudines tranquillè receptas & præſcriptas. Etiamſi non eſſent tales mores & leges, deberet ſubditus obedire in materia probabili, ſi fortè iuraſſet aut vouiſſet obedientiam in omni re, quæ mala euidenter non ſit; hoc enim votum emittere potuit, & ſi emiſerit, tenebitur obedire etiam in materia probabiliter mala.

An lex æterna diſtinguatur à Decalogo? De hac materia fusè tracto ſuperiùs à num. 541.

An ſubditus teneatur obedire in re probabiliter mala?

Materia legis debet eſſe bona,

Poſſibilis,

Secunda eſt, quòd ſit poſſibilis (videlicet phyſicè & moraliter) illa enim, quæ realiter repugnant, aut ſummè ſunt difficilia, Communitatibus iuberi non ſolent.

An impoſſibilia poſſint præcipi?

vtiliſque.

Tertia debet eſſe vtilis. Non enim ita deſipimus, vt putemus poſſe ſuperiorem habenas ſuæ laxare tyrannidis, & præcipere quidquid voluerit: Omnis enim Humana authoritas ad aliquid conceſſa eſt, & illud ipſum, ad quod ordinatur authoritas, debent ob oculos habere *Superiores*, quoties Leges pronunciant.

An inutilia?

OMnia hæc, quæ hîc dici poſſunt, ediſſeruimus Capite præcedente, Fundamento XVI. vbi de Legum formalium qualitate tractauimus. Hîc tamen inquirere poſſem, An illæ qualitates, quæ ibi expoſitæ, & hîc poſſent reſcribi, pertineant potiùs ad obiectiuas Leges, quàm ad formales? *Sed* quo fructu huc ingrederer, quando me feſtinare profiteor, & velle plurima valde neceſſaria comprehendere, & edere librum non magnum.

FVN-

FVNDAMENTVM XXVIII.

De Legum materia relatiua.

DCCXX VIII.

ALiqua præcipi propter ſe, & aliqua in ordine ad aliud certum eſt. Prioris generis ſunt, quæ intra datæ poteſtatis ſunt terminos: poſterioris illa, quæ ordinantur ad meliorem & ſecuriorem obſeruantiam priorum. Sunt & aliqua, quæ præcipiuntur ſimul propter ſe & propter aliud; vt quando Superior iubet vnum caput ſeruari Regulæ, vt aliud obſeruetur exactiùs. Vt materiæ grauitas innoteſcat, in rebus, quæ præcipiuntur propter ſe, conſideranda eſt ipſamet materia præcepta: in rebus quæ præcipiuntur propter aliud, conſiderari debet finis: in his verò, quę propter ſe & propter aliud præcipiuntur, debet conſiderari vtrumque. Et hic notari oportet, rem interdum leuem ſecundùm se, grauiter poſſe conducere ad finem grauem: & rem interdum grauem, leuiter: ergo præter quantitatem finis, influxus medij in finem (ſitne leuis aut grauis?) debet etiam perpendi.

In præceptis obiectũ & finis debent conſiderari.

Vnde ſumenda ſit mediorum grauitas?

DE diſtinctione eorũ, quæ propter ſe, & eorum quæ propter aliud præcipiuntur, fusè ſcripſi in Comentario in Regulam D. Benedicti, *tractatu de Obedientia, à num. 690.* vbi legitur Diſputatio I. De rebus, quæ præcipiuntur propter ſe, *num. 694* De Ieiunijs, prout præceptis propter ſe, agitur *num. 711.* de ſilentio *num. 715*, De Caſtitate & paupertate, prout præceptis propter ſe, *numer. 716.* de rebus præceptis non propter ſe, ſed propter aliud, Diſp. *LI. num. 718.* Vide etiam, quæ dixi Capite præcedente, vbi de Legum fine.

Aliqua præcipiuntur propter ſe: aliqua propter aliud

FVNDAMENTVM XXIX.

De Legum materia quoad actiones.

DCCXXIX. Operationis impetus.

EXiſtimo omnem Legem violari actione, nec enim puram omiſſionem intelligo, nec admitto. Sed hæc quæſtio phyſica eſt, & alibi vberiùs tractata. Progredior & impetum actionis conſidero, & hanc Theſin pronuncio: *Interdũ aliquis vno impetu multas actiones elicit, quæ ſunt phyſicè diſtinctæ numero, & tamen vnicum committit peccatum:* nam illæ omnes, tametſi in eſſe phyſico ſint diſtinctæ, moraliter conſideratæ ſunt vnica.

An pura omiſſio ſit poſſibilis? Quando plures actiones phyſicæ ſint vna mortalis?

Eadem

Præcepta alia sunt positiua, & alia negatiua.

Eadem numero actione potest subditus satisfacere duobus præceptis: imò, si præcepta sint negatiua, non aliter satisfacere potest, & ostenditur clarè. Præcipitur abstinentia à carnibus diebus Veneris: præcipitur etiam ieiunium & abstinentia à carnibus S. Petri professo: quid si hoc professum incidat in diem Veneris, debebo-ne aut potero abstinere à carnibus bis? nullo modo. An-ne etiam vnica actione duabus partibus eiusdem præcepti? Vide Fundamentum XXXI.

Eadem actio pluribus præceptis satisfacit.

An & partibus eiusdē præcepti?

DCCXXX. ALio numerantur modo actiones physicæ, alio morales; vt videamus, quando priùs vnicum aut multa peccata commisit, aliqua subscribamus.

I.

An, qui vnica voluntate plures homines occidere voluit; pluries ad mulierem accedere; pluries furari; pluries mentiri, pluries missam aut officium diuinum omittere, teneatur hanc circumstantiam explicare?

An duo accidentia puro numero distincta insint eidem subiecto?

REspondent Suarez & Megala apud Dianam *part.* 1. *tract.* 7. *resol* 17. non posse inesse vnico actui duas aut plures malitias distinctas puro numero, & inferunt eum qui plures occidere voluit, &c. non teneri hanc circumstantiam explicare.

Porrò, si dicatur duo accidentia distincta puro numero posse & solere inesse eidem actui, cessat quæstio, & contraria sententia esset tenenda. At quia putant Suarium & Megalam bene discurrere, supponendo eidem subiecto non posse inesse dua accidentia distincta puto numero, has ego obiectiones subiungo.

An possint duo accidētia extrinseca?

Prima. Tametsi duo accidentia intrinseca dicantur nō inesse eidem subiecto physico, potest adhuc dici duo accidentia extrinseca eidem subiecto physico posse competere: nam potest habere homo vestitus plures vestes, plura indusia, plures thoraces, plures togas, &c. Ergo, si dixerimus moralitates esse accidentia extrinseca, ad huc possent duæ moralitates puro numero distinctæ competere eidem actui.

An Moralitates sint accidentia extrinseca?

Secunda. Tametsi duo accidentia intrinseca absoluta non competant eidem subiecto physico, potest adhuc dici duo accidentia physica relatiua eidem physico subiecto competere: quid enim vetat Petrum habere quatuor filios numero distinctos, & consequenter quatuor distinctas numero paternitates. Ergo, si dicamus moralitates esse formas quasdam relatiuas, adhuc poterunt plures distinctæ puro numero in eodem subiecto reperiri.

DCCXXXI. Quid de accidentibus relatiuis dicendum sit?

An positis diuersis terminis, diuersæ relationes ponantur?

An Moralitates sint accidentia relatiua?

Tertia. Esto duo physica accidentia distincta puro numero (siue sint intrinseca, siue extrinseca: siue sint absoluta, siue relatiua) non possint in eodem physico subiecto reperiri; quid inde? An non poterimus, & fortè debebimus dicere, volitionem illam, quâ quis vult occidere quatuor, esse vnum simplicem actum physicè, quadruplicū verò moraliter? si sit moraliter quadruplicem, cōplectetur quatuor peccata mortalia, & qui talem actum elicuerit, tenebitur in confessione dicere, *quatuor voluisse occidere*, non tamen tenebitur exponere. An id voluerit vnico actu physico, an quatuor physicè distinctis actibus: semper enim manet, id eum voluisse quatuor actibus numero distinctis moraliter.

An in vnico actu physico possimus reperire multos actus morales?

An qui plura peccata commisit, teneatur in confessione dicere illa commisisse vnico physico actu? Corollaria nonnulla.

Hinc patet, quid debuerit respondere Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 40. rogantibus, An testis, qui simul rogatus de pluribus articulis sub iuramento in singulis mentitur, teneatur hanc circumstantiam aperire? quid debuerit respondere *resolut.* 41. rogantibus, An Sacerdos, qui in peccato mortali multis ministrat Eucharistiam, multa committat peccata? quid *resol.* 43. rogantibus, An qui in mortali multorum confessiones excipit, teneatur hanc circumstantiam explicare? & quid *resol.* 51. rogantibus, An qui vnico impetu multas blasphemias profert, commisit multa peccata?

De actuum physicorum identificatione morali.

Vidimus vnum actum physicum posse, imò fortè debere, diuidi in multos morales: videamus modò, an contrà multi actus physici possint aut debeant identificari?

II.

An, qui diuersos actus solo numero distinctos successiuè elicit, vnicum peccatum solummodò, an diuersa committat?

DCCXXXII. Variæ Authorum sententiæ.

ACtuum physicorum repetitio non semper multiplicat actus morales. Hoc certum est: at etiam æquè certum videtur, Authores non semper vti bene hac doctrinâ. *Meum* iudicium insinuaui, illud clariùs & liquidiùs proponam paulo-post: interim proderit illos audire.

Si quis vno continuato sermone ter vel quater peieret, vnicum peccatum committere, & satisfacere, si in cōfessione dicat: *Peieraui.* ait Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 5. & Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 163.

Si

Qui vno impetu pluries hoſtem vulnerat.

Si quis vno iræ impetu ter aut quater inimicum vulneret, vnicum tantùm peccatum committere, & ſi clericum, vnicam excõmunicationem incurrere, inquit Azorius *iam citatus*. Suarez *de cenſuris diſp* 5. *ſect.* 3. *num.* 8. Sayrus *libr.* 2. *cap.* 10 *num.* 9. Vgolinus *tab.* 1. *cap* 16. §. 3. & alij.

Qui vno impetu multas blaſphemias euomit.

An blaſphemiæ diſtinguantur ſpecie?

Si quis vnico impetu multas blaſphemias in *Deum*, multas in Diuos effutiret, vnicum peccatum committere, & ſatisfacere, ſi in cõfeſſione diceret, *ſemel blaſphemaui*, aſſerit Diana *vbi ſupra*, addit hoc eſſe verum, etiamſi verba blaſphemię res varias ſignificarent, & allegat Molinam *to.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 41. *num.* 5. Couarruuium *lib.* 2 *var. Res. cap* 10. *num.* 8. §. *Ego ſanè.*

Qui vno impetu multos occidit.

Si quis vnico furoris impetu tres vel quatuor occideret, vnicum peccatum homicidij committere, videntur Authores citati tenere. Sic debet dici, aut non poteſt conſequentia ſeruari.

Qui vno impetu pluries fornicatur.

Si quis vnico luxuriæ impetu ad multas fœminas accederet & à fortiore ſi pluries ad eamdem, vnicum peccatum committere, videtur doctrinæ conſequentia affirmare. Sic enim dici debet, ſi Dialecticari velimus. Sed quid eſt vnus luxuriæ impetus? Videretur ille, qui vnâ nocte ſuę Amaſię condormit, vnico luxuriæ impetu commotus eſſe. Hanc opinionem tenet Zanardus Dominicanus, qui in *direct. confeſſ. part.* 1. *de Sacram. Pœnit. cap.* 18. *fol.* 204. docet, qui totâ nocte Amaſiam habuit apud ſe, non debere dicere, *Ego eam cognoui tot vicibus*; ſed *Feci*, *quod potui*; modò non habuerit interruptionem mentis, vel operis. Legunt Zanardum aliqui, & neſciunt cur obliget ille Pœnitentem ad dicendum, *Feci quod potui*, cum videatur Pœnitens ex eiuſdem fundamentis ſatisfacere dicens, *ſemel ſum fornicatus*. Legit illum Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſp.* 67. & ait [Sed fallitur; nam opera illa conſumata ſunt diſtincta peccata in cõfeſſione aperienda, nec vnum reſpicit & ordinatur ad alterum: Ergo, &c.] Sed quid Zanardo Diana, ſi referret opinionem docentem eum, qui conſequenter multas blaſphemias euomit, vnicum peccatum committere, & adderet [Ita Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 163. ſed fallitur: nam ſingulæ blaſphemiæ ſunt ſingulæ diuerſæ iniuriæ, diuerſę actiones peccaminoſæ, & diuerſa peccata, & in confeſſione aperienda: vna enim blaſphemia nullo modo ordinatur ad alteram] Ergo vel debet Diana hîc ſubſcribere, vel antecedentia delere.

Quid ſit vnicus luxuriæ impetus?

Qui totâ nocte dormit cum Amaſia, quo modo debeat confiteri.

Diana impugnat Zanardum. An bene?

DCCXXXIII. Opinio cuiuſdam Doctoris.

Ego quidem ſenſi difficultatem, & ne mihi confiderem, hanc Ego P. N. Pragæ & Viennæ S. Theologiæ doctori & Profeſſori, Viro verè erudito, & in Moralibus bene verſato, decidendam propoſui, & iudicauit. eum, qui vno itinere aut coitu bis aut ter concurreret, vnicum peccatum commiſſurum: plura autem, ſi inter fornicationem priorem & poſteriorem intercedat temporis interuallum [Ergo dicere debuit à fortiore, mulierem, quæ antequam vir exoneret, bis concurrit, vnicum commiſiſſe fornicationis peccatum] Et Ego etiam hîc difficultatem invenio; & in re dubiâ & perplexâ *dico primò*. Sicut de periurijs & blaſphemijs, ita de homicidijs & fornicationibus in hac materiâ eſt philoſophandum. Ergo videat Diana, quid dicat de prioribus, & vel inuitus debebit de poſterioribus pariformiter philoſophari. *Dico Secundò*. Sicut de fornicatione, ita de pollutione, ſodomiâ, & alijs ſordibus contra naturam erit philoſophandum: nam, ſi habere totâ nocte vnam fœminam eſt vnicum peccatum mortale, etſi interueniant plures copulę, vnicum erunt peccatum mortale multæ pollutiones habitæ conſequenter & vno impetu.

An, qui in vno coitu pluries concurrit, pluries peccet?

De ſordibus contra naturam.

Si quis vno gulæ impetu multas carnes deuoret, etiam diuerſas, & ex diuerſis diſcis, vnicum peccatum committit. Videtur eſſe vnicus impetus, quamdiu quis aſſidet eidem menſæ: imò ſi ſine interruptione iret ex menſa ad menſam.

De gula.

De furto eodem modo philoſophandum eſt; nam ille, qui vnico impetu conſequenter ab eodem multa & pluries accipit, vnicum peccatum committit.

Et furto.

Ergo, ſiquidem inductione factâ in omnibus materijs hæc doctrina verificatur, poteſt & debet ad Regulam generalem reduci, & vbique admitti, aut etiam vbique negari.

Reſponſio Dianæ.

DCCXXXIV. Qua ratione vtatur contra Dianam Caramuel?

SIc argumentabatur Caramuel [Eum, qui plures blaſphemias euomit; plures confeſſiones audit, &c. vnum peccatum committere, inquit Diana: eum, qui plures copulas cum fœminâ eâdem nocte habet, vnicum peccatum comittere negat Diana: cùm tamen Dialectica poſtulet, vt vel vtrobique vnicum peccatum admittat, vel vtrobique plura, vel diſparitatem oſtendat] Et quomodo reſpondet Diana?

An illam eneruet, aut diſſoluat Diana?

Interrogat ille *part.* 11. *tract.* 1. *reſol.* 2. *An, qui ſucceſſiuè & vno impetu ter v.g. fornicetur, committat tria peccata, vel vnum?* & reſpondet his verbis: *Vnicum tantùm committere, nominatim contra me contendit probare ſapientiſſimus & amiciſſimus Ioannes Caramuel*, &c. At hoc nec ſomniat, nec contendit Caramuel; ſed conatur oſtendere hoc debere admitti à Diana, vel multa, quæ priùs aſſeruerat, negari. Sanè cùm argumentationis vim nolit Diana percipere, opinionem impugnat, quam Zanardus ſtatuit, quam tamen neque approbauit, neque reprobauit Caramuel. Audiam igitur meum amiciſſimum & doctiſſimum Dianam non Caramuelis, ſed Zanardi ſententiam impugnantem, & oſtendam hæc argumenta multas

An iuſtè pro altera parte poſſit citare Caramuelem?

tas Dianæ assertiones, quas sub initium ponebamus, destruere.

DCCXXXV. Ratio 1.

Hanc sententiam (Zanardi scilicet asserentis: *Eum, qui vna nocte Amasiæ suæ condormiuit, tametsi plures habeat copulas, vnicum peccatum committere*) minimè sustinendam esse puto, inquit Diana. Et cur, quæso? quia ideò illam impugnat Eminentissimus Lugo *de Sacram. pœnit. disp. 16. sect. 4, num. 157.* Constantinus de Castro. *Mater. in collectione Theologiæ Moralis tract. 1. cap. 6. art. 4. sect 4.* & Tamburinus *opusc. de confess. lib. 2. cap. 12. §. 8. num. 56.* vbi sic asserit [Qui Sacerdos successiuè audit in peccato mortali plures confessiones vnam post aliam, in sententiâ probabili non committit plura numero distincta peccata; idem dic, si Cõfessarius idẽ modicè deflexerit ad alios sermones minimè facientes ad eiusmodi ministerium: vnde satis erit, si dicat: *Audiui vna vice plures confessiones, absolutionem in statu peccati mortalis ministrando.* Contrà, qui vnâ eâdemque nocte v. g. plures copulas habet cum eâdem: multò magis qui plures copulas; sicut etiam qui plures successiuè occidit, debet numerum explicare copularum, et occisionum; ratio est, quia hîc sunt diuersi omninò actus consumati, nec vnus faciens moralem vnitatem cum alio; in præcedentibus verò illi actus v. g. detractionum ex se faciunt vnitatem moralem, sic enim modo humano æstimari solet] Hæc ille, & communiter Doctores.

Supponit Tamburinus quod quæritur.

Responsio.

Sed hæc ratio nihil omninò probat; quod enim Dianæ, idem dicet Tamburino Caramuel: nimirùm, vel debere vtrobique vnicum peccatum admittere; vel disparitatem ostendere. Et hîc, quæso, oculos aperiat Tamburinus. Nam sicut dicit: *Illæ fornicationes, aut occisiones debent ad numerum reduci, & numerus confessionum explicari non debet, quia illæ sunt diuersi omninò actus consumati, nec vnus faciens moralem vnitatem cum alio, qualem confessiones efficiunt.* cur non potest dicere: *Illæ confessiones debent ad numerum reduci & numerus fornicationum aut occisionum explicari non debet; quia illæ (confessiones) sunt diuersi actus consumati, nec vnus faciens moralem vnitatem cum alio, qualem occisiones & fornicationes efficiunt.* Vbi etiam obiter notari volo, Tamburinum alterâ hîc inconsequentiâ laborare; nam, si vnicum peccatum committit, qui plures confessiones indignè audit, & vnicum, qui vnicam: different circumstantiâ aggrauante hæc peccata, nec tenebitur ille Sacerdos explicare, an vnam vel plures audiuerit. Præterea, in sententiâ, quæ docet eum, qui successiuè plures confessiones audiuit, commisisse plura peccata, satisfacier, si in confessione dicat, *Audiui semel plures confessiones indignè.* &c. ergo Tamburinus confundit duas sententias toto cœlo diuersas. Præterea, si debet dicere *plures*, etiam debet dicere *tot*: vbi enim debet explicari malitiarum pluralitas, debet & numerus.

Secunda inconsequentia Tamburini

Quia disparitas petitur, illam vult assignare Diana, & sic infit [Nec obstant exempla adducta à Caramuele in contrarium, & præcipuè illud de Confessario, excipiente in peccato mortali successiuè plurium confessiones; nam respondeo primò ex Suarez *in 3. part. tom. 5. disput. 5. sect. 3. num. 7.* & Constantino *loco citato*, actionem humanam aut versari circa terminum, in quo perficitur, & completur ipsa actio: aut versari circa terminum indefinitum ac incertum, qui habet extensionem & latitudinem. Si actio peccaminosa versatur circa terminum definitum, & in eo consumatur, tunc multiplicatâ actione multiplicantur & peccata; si verò actio peccaminosa non habet terminum definitum & limitatum, tunc multiplicatâ actione successiuâ circa idem obiectum sine morali interruptione non multiplicantur peccata. Quo sic stante, respondeo ad Caramuelem, fornicationem habere terminum definitum & limitatum, in quo completur & terminatur ipsa actio, quod quidem non accidit in alijs exemplis ab ipso Caramuele adductis. Ergo optimè Diana dixit, fornicantem ter cum fœmina, committere tria peccata, non autem qui vnico impetu tres blasphemias euomit: et ideò non deseram hîc apponere verba doctissimi & amicissimi Patris Escobar *in Theol. Moral. tom. 1 lib. 8. sect. 1 cap. 2. num. 51.* Vbi, me citato, sic ait: *Quando actio versatur circa terminum definitum, & in eo cõsumatur, multiplicata actione multiplicantur peccata, & consequenter tot censurarum es capax subiectum, quot actiones multiplicasti. Id patet in eo, qui sæpius successiuè fornicatur sine temporis mora cum vna ac eadem persona: nam actus fornicationis habent terminum definitum, in quo consumantur; fornicatio enim sequens non continuatur cum præcedente, nec cum ea efficit vnam actionem moralem.* Ita ille. Ad exemplum de Confessario, quod est magis difficile, & facit magis ad confirmationem opinionis Caramuelis; Respondeo primò, illas actiones fieri per modum iudicij ex Concilio Tridentino, & communi Doctorum sententiâ: ergo illæ administrationes Sacramentales, licèt non sint diuersæ, si successiuè fiant, moraliter videntur vniri, & effici per modum vnius à Confessario. Quod quidem non procedit in fornicãte, si successiuè duas fornicationes efficiat. Et quid, quæso, Diana & Escobar dicere possent, si Zenardus resumeret: *Quando actio versatur circa terminum definitum & in eo consumatur, multiplicata actione multiplicantur peccata. Id patet in eo, qui plures confessiones audit: nam hic actus habet terminum definitum*

Ratio II. Datur postulata disparitas: an sit sufficiens?

Vnde peccatorum multiplicatio desumatur?

Fortè, licet sint.

eum

tum, in quo consumatur : confessio enim & absolutio vnius Pœnitentis *non continuatur (imò nec ordinatur) ad confessionem & absolutionem alius, nec cum ea efficiet vnam actionem moralem*, &c.

[Hac retorsione non obstante, perstat Diana: quia communiter in fornicatione natura remanet ita lassa, & viribus destituta, vt egeat aliquo tempore, & nouis incitamentis ad denuò fornicandum: Ergo ex ipsâmet apparet, illam actionem prorsus non habere dependentiam cum aliâ, nec moraliter dici posse cum aliâ vniri, & effici per modum vnius] Sic ille.

DCCXXX VII. Disparitas à Diana assignata non sufficit.

At ego nondum disparitatem video; posset enim Zenardus dicere [Ergo illæ fornications (nempè quæ fiunt in eodem lecto, eâdem nocte) licèt sint diuersæ, si successiuè fiant, moraliter videntur vniri, & effici per modum vnius ab Amasijs]

Præterea, qui verba vltima Dianæ attentè perpendat, ex illis colliget, eo casu, quo natura non maneret lassa & viribus destituta, nec egeret aliquo tempore & nouis incitamentis ad denuò fornicandum, sed bis aut ter semen emitteret eodem coitu & impetu, non commissum iri duo vel tria, sed vnicum tantùm peccatum.

Sanè, si discrimen admittitur, & ideò pluries peccat, qui duas copulas habet, quòd maneat lassus, &c. & ideò semel peccat qui plures confessiones excipit, quòd non maneat lassus, &c. multa consequenter dicentur, quæ Diana non volet admittere. *Primò* enim fœmina non manet ita lassa ac viribus destituta, vt egeat aliquo tempore & nouis incitamentis ad denuò fornicandum: Ergo, quidquid de viro sit, fœmina vnicum peccatum committet. *Secundò*, si arte, medicinâ, aut miraculo, fieret, vt vir post primam copulam non maneret lassus, etc. in tali casu, etiam vir non plura, sed vnicum peccatum committeret. *Tertiò*, si progrederemur vlteriùs, et mutatâ materiâ proponeremus casus, in quibus homo post primum peccatum *non maneret ita lassus, aut viribus destitutus, vt egeret aliquo tempore, aut nouis incitamentis ad eamdem actionem physicam repetendam*, in talibus casibus deberet dici non commisisse multa, sed vnicum peccatum mortale. Plures possem producere: propono pauculos.

I. Fridericus in eodem lecto mansit apud Amaliam totâ nocte, et eam ter cognouit: et inquirit, quot peccata commiserit?

II. Ioannes in eâdem Ecclesiâ mansit apud idem altare totâ die, et celebrauit successiuâ recitatione decem Missas, et instrui vult, et scire, quot peccata commiserit? [& quidem Ioannis nomine non intelligo personam fictam, nam habeo ab Eruditissimo Viro D. Adriano Muleman, fuisse Parochum in patriâ Colonienſi, & totâ illum hebdomade potitasse in tabernâ, & die Dominicâ, vt satisfaceret fundatoribus, et eleemosynis, multas Missas ausu temerario celebrasse]

Vbi permittuntur hæretici, multa mala in Catholicis timore maioris mali tolerantur.

III. Rolandus in eâdem domo, apud eâdem fenestram, dispositis sclopis, tres transeuntes displosionibus successiuis occîdit: & interrogat, vnum-ne, an tria peccata perpetrauerit?

DCCXXX VIII. Respondet Diana negatiuè: & cur?

Respondet Diana ad primum, vt vidimus, tria Fridericum commisisse peccata. Sed cur? dat rationem formalem, vt illum ab eo distinguat, qui plures confessiones indignè & sacrilegè audiuit: *quia post primam fornicationem ita remansit lassus & destitutus viribus, vt eguerit aliquo tempore, & nouis incitamentis ad denuò fornicandum*. Sed hæc ratio in Ioanne & Rolando locum non habet: non ergo plura peccata Ioannes, non plura Rolandus, sed vnicum tantùm commisit Consequentia est legitima, quia sumitur à ratione formali: si enim ideò Petrus est homo, & *Incitatus* Caligulæ non est homo, quia Petrus est, & Incitatus non est animal rationale: quicumque sit animal rationale, erit homo; & quicumque non sit animal rationale, non erit homo. Ergo siquidem consequentia est legitima, & maior admittitur à Dianâ: minorem probo. Quoniam nec Ioannes post primam Missam, nec Rolandus post primum homicidium manet ita lassus aut viribus destitutus, vt egeat aliquo tempore & nouis incitamentis, vi quorum ille possit secundam & tertiam Missam legere, iste secundum & tertium homicidium committere.

Incitatus equus Imperatoris Caligulæ.

Rationis formalis vsus & efficacia.

DCCXXXIX Obiectionē Caramuelis Diana, Opinionem Caramuelis appellat, sed quo iure?

Præuiderat ictum istum prudentissimus Vir, & ideò subiecit hæc verba.

[Non est igitur amplectenda opinio Caramuelis, qui fortasse ex suis principijs etiã inferret & diceret, Sacerdotem celebrantẽ in die Natiuitatis successiuè tres missas, dici solitas, in peccato mortali, non committere tria peccata mortalia, sed tantùm vnũ: sed ego hanc sententiam alibi reprobaui; & nunc iterum refello]

Dialectica tur Caramuel ex fundamentis Dianæ, non ex proprijs.

Sed, quæ opinio quęso est illa Caramuelis, quæ non est amplectenda? Iam vidimus, quo modo ratiocinetur & argumentetur Caramuel. Et quidem ex Caramuelis principijs non infertur, eum, qui multas Missas celebrat successiuè, vnicum peccatum committere; sed sequitur, vt vidimus, ex principijs Dianæ.

Propria mens.

DCCXL. Datur tandem lux ob scuriſſimæ difficultati.

SIc placuit, ingenij exercendi gratiâ cum optimo amico disserere: nunc controuersiam hanc ad vera fundamenta reducamus, & subscribamus Assertiones, quæ debeant securissimè admitti.

Actio, quæ est vnica realiter, solet esse duplex moraliter.

Sit prima: *Vnico actu physico & reali possunt & solent plura peccata perpetrari*. Ostenditur: nam copula habita cũ [Moniali est fornicatio & sacrilegium: & Petrus,

ſi aut medicinas ab ægroto, aut cibos à ſano ſuratur, ſciens illarum aut iſtorum defectu alterutrum omninò moriturum, fur ſimul & homicida eſt.

Actiones multæ reales ſolent moraliter idemtificari.

Sit ſecunda. *Interdùm multi actus phyſici adintegrant vnicum peccatum morale*. Patet: quoniam qui multis vulneribus inimicum confodit, vnicum peccatum committit.

Corollarium. *Ergo interdùm multæ actiones reales & phyſicæ moraliter idemtificantur, & vnica realis & phyſica moraliter eſt duplex aut triplex*. Patet ex præcedentibus.

Fundamentales Aſſertiones. DCCXLI.

Sed quo modo poterimus cognoſcere, An actio ſit vna vel plures moraliter? Vt ſatisfaciam

Sit tertia Aſſertio. *Actio, quæ licèt vnica realiter ſit, nihilominùs terminatur ad plura obiecta diſtincta numero aut ſpecie, eſt moraliter multiplex*. Hinc patet, eum, qui vnico voluntaris actu vult occidere quatuor, elicere vnicum actum phyſicè, qui tamen ſit quatuor actus moraliter; adeoque committere quatuor peccata diſtincta numero.

Sit quarta. *Manente eodem voluntatis actu (moraliter nimirùm, aut realiter) lingua, quæ eum non complet, ſed manifeſtat, ſi pluries æquiualentia verba repetat, pluries peccatum manifeſtat; at ſublato ſcandalo ex hoc præciſè capite, nimirùm, quòd pluries illud peccatum manifeſtat, non plura peccata committit*. Singula breuiſſimè expono. *Primò*, permanentiam aliam eſſe realem, & aliam moralem ſuppono: quod, quia certiſſimum, non indiget vllâ probatione. *Secundò* aio, linguam aliquando complere mentis actum, aliquando inſinuare; nam mendacium compleri ſolet verbis, & votum ſolenne nō fit internis actibus. *Tertio*, qui vult occidere Petrum, ſi decies id dicat (præſcindo ab ſcandalo) non committit decem peccata, ſed vnicum; nam illa verba non complent, ſed teſtantur voluntatem peccandi. Ex hac doctrinâ ſoluuntur clariſſimè omnes caſus. *Iſtos propono, vel repono.*

Permanentia duplex realis, moralis.

Verba interdùm cōplent, interdùm non.

DCCXLII. Caſus I. De multas blaſphemias euomente.

Petrus eodem impatientiæ impetu eamdem blaſphemiam ſæpè dixit: commiſit-ne plura peccata? Reſpondeo, circumſtantiam ſcandali debere neceſſariò perpēdi: ſi enim primâ prolatione Petrum, & ſecundâ Paulū ſcandalizauit, duplicis hinc peccati reus erit. Verùm enim verò præſcindendo ab ſcandalo, ſi pluries dixit eamdem blaſphemiam, commiſiſſe vnicum peccatum, aio, plura, ſi diuerſas. Et ratio eſt: quia verba teſtantur mentem, &, ut dicebamus, non ſunt multa peccata ſæpiùs teſtari ſe habere vnū malum actum, quia illa verba externa, licèt realiter ſint diſtincta, moraliter idemtificātur: & hoc propter impetum impatientiæ: quia aliàs, ſi ſedato animo cum diuersâ deliberatione dicerentur, eſſent plura peccata. Cæterùm, quando verba diuerſas blaſphemias exponunt, reſpondēt actibus mētis diuerſis; diuerſis inquam realiter aut mentaliter [Fortè diceret aliquis omnes blaſphemias coincidere, & eſſe æquipollentes; ſed hoc alibi examinandum: inſinuo, non reſoluo]

An blaſphemiæ diſtinguantur?

DCCXLIII. Caſus II. De eo, qui pluries peierat.

Paulus interrogatus in eodem tribunali peierauit, & decies interrogatus de eâdē re, decies idem mendacium iuramento firmauit. Commiſit-ne multa peccata? Reſpōdeo, Petrum, ſi omnia acciderunt ſimul (nimirùm in eodem tribunali, in eadem ſeſſione, eodem tempore) vnicum peccatum commiſiſſe; quoniam vnicum mentale iuramentum ſe feciſſe, decies verbis teſtatus eſt. Sed quid, ſi de diuerſis articulis interrogaretur? committeret decem periuria, ac per conſequens decem peccata [Nota obiter, interdùm coincidere in proceſſu articulos, qui videntur primo aſpectu diuerſi]

DCCXLIV. Caſus III. De eo, qui excipit multorum confeſſiones indignè.

Ferdinandus audiuit conſequenter quatuor confeſſiones indignè: an-ne quatuor peccata perpetrauit? Videretur quòd non; quia in primæ fortè confeſſionis auditione fuit liber; at cæteras debuit audire neceſſariò: non enim decenter ſe poterat è confeſſionali ſubripere. At reſoluo, quatuor eum commiſiſſe peccata: ſemper enim debuit & potuit actum contritionis elicere, & dignè adminiſtrare. Sanè, ſi indignitas eſſet ab extrinſecâ voluntate dependens & ſecreta, non deberet ſe prodere, & tunc ea poſſet ille facere, quæ ſecretum & honoris obſeruantia requireret.

DCCXLV. Caſus IV. De homicidiis & fornicationibus ſucceſſiuè commiſſis. De diſtributione Euchariſtiæ.

Ambroſius recitauit duas miſſas ſucceſſiuè. Fridericus duobus communicauit Euchariſtiam. Eudoxus duos ſucceſſiuè interēmit, & Paulinus cum eâdem fœminâ habuit ſucceſſiuè duas copulas: Quot ſinguli commiſerunt peccata? Bina, propter doctrinam poſitam & expoſitam [& hîc obiter nota, Euchariſtiam irreuerēter diſtribui ab eo, qui eſt in peccato mortali. An-ne hæc irreuerentia eſt mortaliter peccaminoſa? multi aſſerunt, nos alibi rem diſcutiemus]

FVN-

FVNDAMENTVM XXX.

De Legum materia quoad passiones.

DCCXLVI. De Egoitate agit Theologia Germanica.



Vi in tentatione constitutus nec dissentit ab obiecto proposito, nec consentit, sed suspendit iudicium, non peccat; sed hæc ipsa suspensio videtur esse moraliter impossibilis.

An in tentationibus possit aliquis agere indifferenter?

Fortè omnis actus virtutis in eo cõsistit, quòd homo liberè permittat se agi à *Deo*, & concurrat gratiæ in genere causæ instrumentalis: & omne peccatum in eo, quòd homo liberè resistat gratiæ, & nolit esse instrumentum *Dei*, sed operari vt principalis causa. Sed de hoc speciali Tractatu, cùm de Egoitate disputabo.

Quid sit actio meritoria; quid peccaminosa?

Quid sit passiuè se habere?

Passiuè se habet, qui tolerat quę impedire non potest: nimirùm, aut absolutè, si careat viribus, aut relatiuè, si habeat quidem impediendi vires, sed præuideat maiora mala ab ipsa impeditione, quàm à permissione oritura.

Quid sit agere instrumentaliter & sine libertate?

An fœmina, quæ opprimitur, debeat positiuè resistere? An & vociferari?

Fœmina, quamdiu instrumentaliter agitur, etsi violetur, non peccat: Ergo nihil agere poterit in tali casu, in quo cooperatio principalis reluceat. An tenebitur positiuè resistere? Si sic se euasuram existimet, poterit & debebit, aliàs non. An tenebitur vociferari? Si vel sic possit euadere, debebit. Sed quid, si addantur minæ, & occidenda sit, si vociferetur? Quid, si honorem perditura sit? non puto illam tanto damno teneri.

DCCXLVII Iuris regula.

EST Iuris Regula *XLIII. Qui tacet consentire videtur*; ex quâ possit ista deduci: *Qui non dissentit positiuè, consentit moraliter & interpretatiuè*. At illa Iuris Regula multas patitur limitationes, quæ omnes transibunt ad posteriorem proportione seruatâ. Porrò, in rebus, quæ subsunt Iuri *Humano*, absolutè, potest statui, vt qui non respondeat, habeatur pro confesso; sed hanc legem non reperio in Decalogo, & ideò illam ad actus internos non transfero: imò nec in externis obseruo, nisi magna prudentia temperatam. Agam iterum de hac ipsa Regula inferiùs. Nunc autem dico, quòd stando Iuri puro naturæ, tacere non est mentiri, nec dicere veritatem: adeoque suspendere iudicium non erit consentire nec dissentire, sed neutro modo se habere.

FVNDAMENTVM XXXI.

De Legum materia quoad idem tempus.

DCCXLVIII. EOdem tempore posse subditum duabus satisfacere Legibus, manifestum est. Iubetur Christiano, ne occidat, ne mœchetur, ne furetur, ne mentiatur, & omnibus his Legibus eodem tempore simul satisfacit. Nec distinguendę sunt quoad hoc Leges positiuę à negatiuis: qui enim ex obedientia ire ad talem locum tenetur, si in via legat Horas Canonicas, satisfaciet eodem tempore duabus Legibus. Porrò, actiones, quę eodem tempore consistere nequeunt, ab hac regula sunt eximendę; agimus enim de illis, quę præceptę, & eodem simul tempore componuntur de facto.

Eodem simul tempore satisfacimus multis præceptis?

An possit quis simul satisfacere duabus præcepti partibus?

An-ne & potero eodem satisfacere tempore duabus eiusdem Legis partibus? Asserere necessariò tenentur, qui putant posse simul duas missæ audiri partes: sed quis audeat hanc sententiam probabilę dicere? & quis tolerare audebit absurda, quæ ex illa sequuntur? Ob hæc nos improbabilem esse dicamus.

An possit quis duas missę partes audire simul?

DCCXLIX. Duobus præceptis satisfacere possũ eodem tempore.

An eadem actione?

AN-ne simul duobus præceptis possum satisfacere? Asserit communis Theologorum sententia; nec est, cur certam rem velimus vberiùs pertractare. Si eodem tempore possumus, an & eadem actione? concedunt omnes; nam hodie die S. Philippi & Iacobi hæc scribo, qui *Dominicus* & festus est, & in ipso duo præcepta de audiendo sacro euidenter concurrunt [deberent enim omnes audire hodie missam, etsi non esset horum Apostolorum dies, quia est dies Dominicus, & deberent etiam audire Missam, etsi non esset Dominicus, quia est dies horum Apostolorum] & tamen, qui vnum sacrum audiuerit, vtrique præcepto satisfaciet.

tibus eodem tempore satisfacere possem?

An & eadẽ actione?

I.

De præcepti partibus.

DCCL. An pluribus præcepti eiusdem partibus eodem tempore satisfacere possem?

SI me amas, Lector, & doctrinæ consequentiam sectaris, respondeo, obsecro, mihi, An-ne possim simul eodem tempore duabus eiusdem præcepti partibus satisfacere? asserent omnes, qui tenent, me posse simul tempore audire duas Missæ partes. Vide Dianam *part.* 2. *tractat.* 17. *resolut.* 18. Infero: Ergo sicut de duobus præceptis, sic de duabus eiusdem partibus philosophandum est: Ergo, si eodem tempore possumus, etiam eadem actione. Concedisne omnia? Ergo prosequere, & respondе sequentibus.

II.

De confessione & communione annua. An vnica duorum annorum obligationi satisfaciat?

DCCLI. Quid de hac D. Guillelmi opinione sẽtiendum sit? quid de sequenti etiã, videre poteris inferiùs:

PRæcepit Ecclesia, vt singulis annis confitearis, & sanctam Eucharistiam recipias: & determinat tempus, nimirùm, à Dominicâ *Palmarum* ad Dominicam *Quasimodo*: Ergo his diebus poterit Petrus communicare, vt satisfaciat præcepto anni elapsi: Ergo his etiam diebus poterit, vt satisfa-

tisfaciat præcepto anni futuri: Ergo, si bis communicet, semel pro anno priori, & semel pro posteriori, duobus præceptis & pro duobus annis satisfaciet. Admittuntur istæ tres consequentiæ communiter. Sed quid, si semel tantùm communicet? An-ne vnicâ illâ communione pro duobus annis satisfaciet? Probabilissima est affertiua sententia, iudicata Louanij à Domino Guillelmo ab Angelis, S. Theol. Doctore & Professore, qui illam in publica disputatione, me præsente, defendit.

III.

De confessione menstrua. An duobus mensibus vnica satisfaciat?

DCCLII. Sicut de Religiosis, sic de Parrochis aut Clericis philosophator. Sæpè enim Episcopi menstruam confessionē indicunt.

DOctrinæ consequentia me promouet. Sunt Regulares Ordines, in quibus præcipitur, vt Religiosi singuli vt minimùm semel in mense confiteantur. Potest Religiosus hos menses à die quocumque computare: Ergo incipit à decima Ianuarij, & sic inquit: *Decima Februarij confitebor*; Ergo si faciat, satisfaciet pro elapso mense. Sed eadem dies, quæ est vltima antecedentis mensis, est subsequentis prima: Ergo, si confiteatur illâ die bis (iterùm pro priori mense, & iterùm pro posteriori) satisfaciet obligationi duorum mensium. Concedis. Sed quid, si semel confiteatur? An-non vnicâ confessione duorum mensium obligationi satisfaciet? Qui dicunt, Christianum vnicâ confessione aut communione posse pro duobus annis satisfacere, aut debebunt inconsequenter loqui, aut tenere, Religiosum vnicâ confessione posse satisfacere pro duobus mensibus.

IV.

De lectione diurna. An vnica lectione aliquis duorum dierum obligationi satisfaciat?

DCCLIII. MVltùm debent Dialecticæ cæteræ Facultates, & Theologia Moralis plurimùm; multæ enim opiniones in illâ solâ rationis paritate probantur. Peto igitur, *Vtrùm ille, qui vespere Matutinas & Laudes recitat, duorum dierum satisfaciat obligationi?*

Possumus legere vespere Matutinas & Laudes diei sequentis.

Ante Quæstionis resolutionem *suppono primò*, posse Ecclesiasticos vespere sine mortali culpâ legere Matutinas & Laudes diei præsentis, sequentisque; nam si Philippus hodie non iuerit ad Matutinas, & tamen cæteras horas in choro legerit, si præuideat, die crastinâ se non posse interesse Officio communi, poterit hodie vespere legere Matutinas & Laudes huius diei, & cū absoluerit, poterit legere Matutinas & Laudes diei crastinæ; & sic vespere duplici lectione duorum dierum penso & obligationi satisfacere. Sed satisfaceret-ne utrique penso, si semel tantùm legeret Matutinas & Laudes? Patientiam habe in me, & omnia reddam Tibi.

Suppono secundò, dari duos immediatos dies, in quibus Officium sit, aut possit esse de communi Martyrum, aut Confessorum. Tales sunt in Calendario Cistertiensi Aprilis, vltimus & penultimus; hic enim D. Roberto Abbati, Ordinis nostri Institutori, ille B. Petro Martyri sacer est. In vtrisque Officio ad dictas Horas eosdem Psalmos & Antiphonas legimus, & solùm est differentia in Lectionibus. Non secus in Iunio, cuius vnde-trigesimus dies sacer est D. Petro, vltimus D. Paulo; vtrique, vtpotè Apostolo, debentur ad Matutinas & Laudes ijdem Psalmi. Tandem vigesimus octauus Decembris dies celebrat Sanctorum Innocentium, & immediatè subsequens S. Thomæ Martyris solennitatem. Post Pascha plerumque transfata sunt aliqua Officia, quæ solent esse similia, & legi succeſſiuis diebus. DCCLIV.

Mutare Officium non est mortale.

Suppono tertiò, posse sine peccato graui mutari Officium Canonicum ex Feriali in solenne, aut è contrario. Expendo id & probo in Commentario in Regulam D. Benedicti *num.* 1487.

His positis, dubium proponitur. Sunto Feriæ secunda & tertia duobus Martyribus, aut Confessoribus sacræ authoritate publicâ (hoc est ex præscripto rubricarum breuiarij) aut saltem priuatâ (nempè, si Petrus duobus illis diebus decreuit legere Officiū ciusdem Martyris aut Confessoris) Petitur igitur, An Philippus, si sub vesperum secundæ Feriæ legat Matutinas & Laudes, diei vtriusque obligationi satisfaciat, ita saltem, vt nō peccet mortaliter, nec Feriâ tertiâ teneatur iterùm eadem *Horas* legere? Consultò dixi, *ita saltem vt nō peccet mortaliter*; quoniam, si mutet Officium sine causa, non potest non censeri hæc actio venialiter peccaminosa: & quia varia sunt ingenia Hominum, fortè illum aliqui de mortifero, & alij de veniali arguent.

V.

Sententia asserens.

DCCLV. An vnica actione possim duobus præceptis satisfacere?

OPinio prima affirmat, simplicem Matutinarum & Laudum lectionem, si fiat sub Vesperum, duorum dierum obligationi satisfacere, & probat: quia vna & eadem actione potest Philippus simul satisfacere duobus præceptis numero distinctis eodem tempore concurrentibus. Concurrunt in casu duo distincta numero circa Officium

ficium Diuinum; Ergo potest vnicâ & simplici actione vtrique satisfacere. Maior est certa: nam datur præceptum de audienda Missa diebus Dominicis, datur etiam aliud de audienda Missa in festo S. Petri. Quid si S. Petri solennitas in Dominicam incidat, teneberis-ne audire duas Missas? minimè. Sed hoc clariùs conspicitur in negatiuis, quibus seorsim obedire non solùm non debes, sed nec potes; naturâ enim te cogente vtrique debes simul satisfacere. Dabo exẽplum. Quinto Decalogi præcepto interdicitur homicidium, & hoc etiam lege morali humanâ. Dic, obsecro, si semper ex præscripto legis Diuinæ teneor non occidere, quando potero humanæ legi satisfacere? & ne quæramus materias exoticas & peregrinas, etiam in Officio Diuino reperiemus penetrationes præceptorum. Petro Benedictino mãdatur ab Abbate, vt diebus singulis Officiũ legat sub peccato mortali: promouetur ad ordines maiores, hi inducunt nouam legendi obligationem à prima distinctam, & ita grauem, vt sola sufficiat ipsum obligare sub mortali: tenebitur-ne legere duo Officia? negant omnes; quia duæ illę obligationes sunt numero distinctæ, & vtrique lectione simplici potest satisfieri.

An Iuniores Benedictini teneantur legere horas, si iubeat Abbas? An promoti ad maiores ordines, etsi Abbas nil iubeat?

DCCLVI.

Probatum est, posse vnam & eamdem lectionem duobus præceptis concurrentibus facere satis; superest vt probetur, duo illa præcepta distingui numero, ac simul concurrere.

Distinctionem merè numericam omnes admittent, qui considerauerint obiectum præceptorum; vtrumque enim ordinatur ad Officium Diuinum. Cõcurrentiam non admittent tam facilè: probatur tamen. Obligatio legendi Matutinas & Laudes pro feriâ secundâ incipit à vespere Dominicæ, & vsque ad horam duodecimam noctis diei sequentis protenditur; obligatio autem easdem horas legendi pro feriâ tertiâ incipit à vespere feriæ secundæ, & extenditur vsque ad mediam noctem feriæ tertiæ: Ergo duæ hæ obligationes concurrunt spatio sex vel octo horarum, nempè ab occasu solis (vel ante) vsque ad noctem mediam. Sunt igitur concurrentes obligationes & distinctæ numero: atque ideò poterit Philippus eadem actione vtrique satisfacere.

VI.

Sententia negans.

DCCLVII.

HVic ex diametro opponitur sententia altera, asserens, non posse eadem recitatione satisfieri vtrique obligationi, quod probat,

Primò; quia in rebus moralibus necessarium est agere prudenter & circumspectè: ergo non debet asseri, Philippum sic posse satisfacere, quoniam ex hac assertione multi sequerentur abusus & negligentiæ: plurimi enim, si scirent se probabiliter posse binis diebus semel tantùm Matutinas & Laudes legere, non legerent bis, idque esset magnæ relaxationis occasio.

Opiniones quæ pariunt abusus sunt vitandæ.

Secundò; quia assertiones morales periculosæ sunt & temerariæ, si graui Authoritate careant; atqui nec vnus author propugnat asserentem sententiam: Ergo est improbabilis.

Item illæ, quæ graui authoritate carent.

Tertiò; quoniam præcepta positiua pendent à Legislatoris voluntate, certumq; est, summum Pontificem voluisse Religiosos & Sacerdotes omnes recitare singulis diebus Officium, nec toleraſſe Matutinarũ & Laudum anticipationem in Canonicæ obligationis fraudem: Ergo.

Anticipatio non debet vergere in fraudem.

Quartò; quia lectio Matutinarum ex se indifferens est, vt vni alteri diei satisfaciat; determinatur tamen ab applicatione & intentione legentis: vnde, si Philippus velit satisfacere obligationi feriæ secundæ, iam ista lectio hac applicatione ita modificatur, vt alteri feriæ satisfacere nequeat.

Lectio modificatur intentione legentis.

VII.

Satisfit rationi pro prima sententia militanti.

DCCLVIII.

QVi sententiam posteriorem defendũt, debent concedere, eadem numero actione duobus præceptis numero distinctis, si eodem tempore occurant, posse satisfieri. Hæc duo præcepta distingui puro numero nesciunt; negant tamen ea simul concurrere, quia præceptum de legendis Matutinis diei crastinæ non incipit ab occasu, sed à nocte media. Si enim Petrus legat vespere, solutionem anticipat Ecclesiâ conniuente.

Quando incipiat præceptum de lectione crastina?

Cæterùm, si benè rem examines, hæc solutio est arbitraria; quia vel Philippus vespere legens sequentis diei Matutinas præcepto satisfecit, vel non; si non, ergo tenebitur easdem horas repetere die crastinâ, quod nemo tamen admitteret: si satisfeciſſe dicatur, ergo dabatur tunc præceptum, cui satisfaceret. Probatur consequentia: Audiens Missam Sabbatho non satisfacit pro Dominicâ; & ratio est, quia cùm nondum sit Dominica, nondum incipit præceptum illud obligare: Ergo si Philippus, sese occidẽte, Matutinas sequentis diei legit & satisfacit, signum est, diem sequentem incipere Ecclesiasticè ab occasu solis, et horas triginta aut plures complecti; hoc est diem sequentem incipere sex aut pluribus horis, antequam præcedens finiatur. Hanc esse Ecclesiæ mentem omnes Sanctorum solennita-

nitates oſtendunt, incipiunt à veſperis, & finiuntur poſt completorium alterius diei.

Confirmat Doctor Angelicus, qui *quodlibet. 5. artic. 28.* ait: *Quantum ad Diuinum Officium & ſolennitatem, dies incipit à veſperis*. Ergo ſingulis diebus tenetur legere Philippus horas Nocturnas & Diurnas; hæc tamen eſt inter dies differentia, quòd dies pro Diurnis horis complectantur interuallum temporis à media in mediam noctem, pro Nocturnis verò à veſpere primi ad mediam noctem diei ſubſequentis.

VIII.

Occurritur rationibus alterius Sententiæ.

DCCLIX. PRIMA ratio timet abuſus & morum aliquam deformationem, ſed perperam, quoniam ſequi rationem probabilem nec abuſus, nec relaxatio, ſed virtus eſt; virtus enim eſt obligationi ſatisfacere, & qui operatur probabiliter, ſatisfacit obligationi. Malè igitur exploditur ſententia affirmans quà benigna; cum opiniones ſolùm quæ improbabiles explodi debeant: cæterùm eam eſſe improbabilè in primis oſtendendum eſt. Præterea, demus multos ex illa ſequi abuſus, quid inde? An ideò improbabilis erit dicenda? Minimè: nam ſi ab ipſa pura & manifeſta veritate inconuenientia & abuſus ſequuntur, cur non poterunt à probabilitate?

Sæpè non ſolùm ex probabilitate, ſed etiam ex veritate, certa & liquida abuſus & damna ſequuntur.

SECVNDA ratio Authores potiùs reſpicit, quàm ſyllogiſmos; ſed eſto nemo ſubſcribat aſſerenti ſententiæ, quis hucuſque propugnauit negantem? Ergo æquè ſingularis erit qui negat, atque ille qui aſſerit, quousque Authorum numerus alterutri parti faueat.

TERTIA teſtificatur, certum eſſe Pontifices voluiſſe ad duplicem Matutinorum recitationem in caſu poſito obligare: ſed vnde hoc ſcitur? qui Põtifices demonſtrantur hac de re conſulti? quando & cui intentionem ſuam explicarunt? An non eodem modo dici poſſe in feſto S. Petri, ſi in Dominicam incidat, duas habere Miſſas audiri, eò quòd certum ſit, hanc eſſe voluntatem Pontificis? dicetur equidem, ſed non probabitur. An non & eodem iure poſſem dicere, eſſe falſas opiniones, quæ docent, vna confeſſione aut communione annuâ, aut menſtruâ duorum annorum aut menſium obligationi ſatisfieri: nimirùm poſſem has opiniones reijcere, dicendo intentionem Pontificum fuiſſe ad binas confeſſiones & communiones obligare. Poſſem quidem id dicere, non tamen id poſſem probare.

QVARTA ratio multa ſupponit minùs certa. Requirit intentionem ſatisfaciendi, quod falſum, vt oſtendo in Commentar. in Regul. S. Benedicti *diſp. 113. num. 1415.*

DCCLX. An ſit intentio ſatisfaciendi neceſſaria?

Primò, quia inde ſequeretur, eum, qui vel Miſſam audiret vel Officium ſine intentione legeret, deberet iterùm & Miſſæ aſſiſtere, & Canonicum Officium recitare: quod hodie omnes ferè negamus.

An poſſint actus interni præcipi?

Sequeretur *Secundò*, actus merè internos & ſpirituales Eccleſiæ ſubijci, quæ iuxta communem opinionem de occultis non iudicat: quoniam intentio eſt actus merè internus, vt nullus ambigit.

Tertiò, ſi omnia admittantur, quæ videntur ſupponi, adhuc nihil inde concluditur. Ratio eſt; quia eodem prorſus modo poſſet quis de Miſſa audienda in ſolennitate S. Petri, quæ in Dominicam incidiſſe ſupponitur, philoſophari. Appoſitè diceret Miſſæ auditionem ex natura ſua indifferentem eſſe, vt ſatisfiat præcepto alterutri; debere tamen determinari ab intentione audientis: vnde ſi ab eo determinetur ad ſatisfaciendum ſolennitati S. Petri, iam hæc Miſſæ auditio, affecta hoc modo intrinſeco, illam determinante ad primam obligationem non poterit ſatisfacere ſecundæ.

Præmiſſæ debent eſſe concluſione veriores. Axioma Peripateticum

Vltimò Fundamenta debent eſſe certiora concluſione, quæ eſt certa propter illa fundamenta: teſte enim Stagiritâ: *Propter quod vnumquodque eſt tale, illud eſt magis tale*; Atqui ſententia negans, quemadmodum conſtat ex quarta ratione, vt ſe tueatur, ſupponit intentionem requiri: Ergo magis certum eſſe debet intentionem requiri, quàm vnicam ſimplicem lectionem non poſſe duorum dierum obligationi ſatisfacere. Atqui intentionem requiri ita eſt certum, vt contrarium ſit certius iuxta ea, quæ ediſſero in Commentario in Regulam D. Benedicti *num.* 1415. Ergo ita certa eſt ſententia negans, vt ſit multò certior contraria.

IX.

DCCLXI. Sunt qui illectos libros & homines inauditos condemnant.

NVlla vrbanitas ſufficit, vt Agnus à Lupo, ſi iſte fortior, euadat; nulla, vt doctus ab imperito, ſi iſte audax. Experientiſſimus Dominus N. (etiam Medicis debitor ſum, qui gratias Deo, robuſtâ valetudine præditus illis non vtor) multa ſemel iniuriarum plauſtra exonerauit, quòd in Commentario aſſeruerim, poſſe hominem legendo ſemel Matutinas duorum dierum obligationi ſatisfacere. Aderat ex diſcipulis meis præcipuus D. Ioannes Richart, qui ſi ingenio fauor ſuperiorum accedat, Ordinem noſtrum illuſtrare poterit, & in Vniuerſitate cum magno plauſu & opinione promoueri. Ipſe igitur ſuauiter pugnax ſuppoſuit primò, nec librum nec authorem à Medico lectum aut viſum, ſed illa effundi ex aliorum inſtinctu, qui alienâ abutuntur au da-

audaciâ Medicorum nimirùm, quãdo Theologorum non poſſunt. Fatetur Medicus, ſe nec vidiſſe authorem nec librum, ſed audiuiſſe à neſcio quo, hac vtrumque opinione inquinari. Docuit illum Ioannes nec debere temerè iudicare, nec hominem damnare inauditum, librum illectum; oſtenditque, talem in libro non doceri ſententiam, ſed tolùm ab inuidis affingi. Obſtupuit Medicus, ſuamque ſtupiditatem ad ſtuporem admiratus, cautior eſſe proponit, & intimam cum illo conttahens neceſſitudinem, vult vtriuſque partis fundamenta doceri. Proponit eruditus adoleſcens, quæ hucusque expenſa; & vno aut altero (ſyllogiſmo dicam, an fulmine) partem negatiuam proſternit [Maiori, inquit, ſolicitudine debet Eccleſia procurare, vt Chriſtiani à peccato mortali egrediantur, quàm vt legant Officium; nam ſine hoc ſaluari poterunt, & in illo non poſsunt. Atqui quando præcipit annuam confeſſionem, eſt contenta vna confeſſione pro duobus annis: ergo quando quotidianam Matutinorum lectionem, à fortiori vnâ pro duobus diebus debet eſſe contenta. Minorem probauit, producens è Theſibus defenſis Louanij 3. die Iunij 1641. ſub Eximio Domino Guilielmo ab Angelis has lineas: videlicet. *Ad peccatorum mortalium confeſſionem faciendam obligat nos præceptum Diuinum in articulo mortis, Eccleſiaſticum autem omnes & ſolos mortaliter peccantes, ad eamdem ſemel in anno inſtituendam adſtringit. Hæc obligatio non extinguitur poſt elapſum annum; poteſt tamen eadem confeſſione ſatisfieri anni præcedentis & currentis præcepto. Tenemur etiam circumſtantias omnes, peccatorum ſpeciem mutantes, in confeſſione exprimere, non ita intrà eamdem ſpeciem notabiliter aggrauantes.* Probauit quidem ſic: Quoniam opinio, quæ in vnâ Vniuerſitate ſine contradictione defenditur, improbabilis dici non poteſt. *Confirmauit*: quia magis neceſſaria eſt Religioſa confeſſio menſtrua, quàm lectio Matutinorum quotidiana; at, qui mortaliter ad menſtruam confeſſionem tenetur, vnâ confeſſione duorum menſium obligationi ſatisfacit, vt docet Salas *d.* 20. *de legib. num.* 98. & ex eo Laurentius Forer. S. I. *in Theſibus propugnatis Dilingæ anno* 1620. Ergo & vnâ Matutinorum lectioni obligationi duorum dierum.

Pœnitentia fortiſſima pro aſſerente ſententia.

Vna annua confeſſio ſufficit pro duobus annis.

Confeſſio annua non obligat carentes peccato mortali.

Circumſtantiæ aggrauantes non debent exponi in confeſſione.

Vna confeſſio menſtrua ſufficit pro duobus menſibus.

X.

DCCLXII. Sententia cuiuſdam Doctoris Pragenſis.

AVdimus Medicum, videamus quid dicant Theologi. Propoſui hanc Doctrinam eximio cuidam Doctori Ieſuitæ, Theologiæ Moralis à multis annis Profeſſori, & hîc Pragæ docenti; & reſpondit ſibi videri benignam ſententiam probabilem. Eius nomen non exprimo, ſcio enim malle eum in pace viuere, nec morderi ab indoctis, quàm ab ingenij perſpicacitate collaudari. Ergo pro illa ſit iſte primus Author; fortè alij accedent, & erit aliquando probabilis.

Nec tremenda ſunt inconuenientia: nam ex illa, quæ docet vnicam confeſſionem & communionem pro duobus annis ſufficere, maiora inconuenientia ſequi poſſunt, & tamẽ hæc mirabilis & pernitioſa opinio probabilis à multis iudicatur.

Inconuenientia non reddit opinionem probabilem

XI.

DCCLXIII. An hæc doctrina voto applicari poſſit? an contractus?

HAnc opinionem non volo probabilem dicere. Quid ſi eſset? In hoc caſu dicerem, eam fore tolerabilem in materia obeddientiæ, non tamen in materia voti aut iuſtitiæ. Quia, qui vouit, ſe quotidie lecturum, eo tenebitur modo, quo ſe voluit obſtringere, & ideò eius ſola voluntas eſset examinanda. Et in materia Iuſtitiæ, Canonicus aut Beneficiarius, qui ob laborem legendi precium recipit, ſatisfacere debet contractui, quamobrem, ſi contrahentes de duabus communionibus, aut confeſſionibus pactum inierunt, vnica non ſatisfaciet contractui. Quid ergo de Religioſis dicendum? Si qui in Mundo recipiunt ſtipendium pro Canonici Officij lectione, iſti tenebuntur bis legere: non ſcio eſse aliquos qui tali teneantur onere ad Officium Diuinum. Cæterùm, ſi darentur, ſtando naturæ rei & rigori Dialectico, pluries deberent recitare: at ſtando noſtræ matris Eccleſiæ, & prudentiæ, & clementiæ, ſemel tantùm recitare deberẽt. Conſuetudo enim obtinet, vt qui pluribus titulis tenentur recitare Officium, vnicâ lectione ſatisfaciant.

Nota id bene.

Agitur de Religioſis.

An aliqui teneantur bis legere Officium Diuinum?

XII.

Reſolitio.

DCCLXIV. De diurna Officii Diuini lectione.

VOluimus exercere ingenium, & pro vtrâque parte diſputare: tempus eſt, vt controuerſiam diſsoluamus, & ſententiam diffinitiuam pronunciemus. Sit igitur Concluſio

Prima. *Non licet vnica Matutinorum & Laudum lectione duorum dierum obligationi ſatisfacere.* Probatur clariſſimè: quia conſuetudo & vſus communis Eccleſiæ eſt quædam certiſſima & ſecuriſſima legis interpretatio; Atqui omnes legunt bis Matutinas & Laudes, vt ſatisfaciant duobus diebus; & omnes indicant ſe teneri ad hoc ſub peccato mortali: Ergo iſte eſt verus ſenſus Eccleſiaſticæ legis, nec contrarius poteſt dici probabilis.

Conſuetudo eſt infallibilis legum interpres.

Secunda. *Non licet vnica confeſſione aut vnica communione duorum annorum obligationi ſatisfacere.* Eſt certa: & ſi res bene examinetur, non erit contra D. Guillielmũ

De confeſſione & cõmunione annua.

ab

D. Guillielmus ab Angelis laudatus.

ab Angelis Doctorem Louanienſem, de Eccleſiâ Romanâ bene meritum, & propter labores, quos contra hæreſim Ianſenianam ſuſcepit, ab Hiſpaniarum Rege Epiſcopali dignitate honoratus, tametſi propter hetorodoxorum molimina vix tandem ad pacificam poſſeſſionem peruenerit.

Notanda igitur ſunt Viri doctiſſimi, & eruditiſſimi verba. Illa ſunt: *Hæc obligatio* (nimirùm confitendi mortalia) *non extinguitur poſt elapſum annum: poteſt tamen eadem confeſſione ſatisfieri anni præcedentis & currentis præcepto*, quæ, quia breuia, poterunt ad hæc clariora facili negotio reduci [Tenentur fideles, ſi culpæ mortalis ſint rei, annis ſingulis tempore ſtatuto confiteri. Si non confiteantur, peccabunt mortaliter. Hæc obligatio confitendi non eſt ſimilis obligationi audiendi miſſam die feſto; hæc enim elapſo die exſpirat, illa autem elapſo anno adhuc permanet: & ideò, qui anno 1641 non fuit confeſſus, tenebitur anno 1642. vi præcepti anni 1641. ad tribunal pœnitentiæ venire, & ſua peccata confiteri. Quod ſi anno 1642. confiteatur, tametſi mortaliter peccauerit, confeſſionem differendo vltra tempus, vnicâ nihilominùs confeſſione anni præcedentis & currentis anni (1641. & 1642.) præcepto ſatisfaciet] Ergo ſententia, quæ docet, poſſe aliquem ſine mortali ſemel tantummodò confiteri, & ſic ſatisfacere duûm annorum obligationi, nec Guillielmi ab Angelis eſt; nec toleranda: eſt enim pernitioſa, & in re grauiſſimâ contraria conſuetudini Eccleſiæ, & poſſet eſſe in causâ, quòd multæ animæ in æternum perirent.

De confeſſione menſtrua.

Tertia. *Religioſi, qui ſingulis menſibus confiteri tenentur, non poſſunt vnica confeſſione duorum menſium obligationi ſatisfacere. Idem dicendum eſt de Parrochis ſeu Sacerdotibus, qui à ſuo Epiſcopo ſingulis menſibus confiteri iubentur*. Poſito hoc præcepto, de illo debebimus, ſicut de annuo philoſophari, & dicere, non illud excidere elapſo menſe: ſed eum, qui menſe Ianuario non fuit confeſſus, teneri vi præcepti menſis Ianuarij menſe etiam ſequenti confiteri. Quòd ſi Februario confiteatur, poſſemus adhærentem Guillielmi ab Angelis diſcurrere, & aſſerere, illum, tametſi peccauerit differendo, vnicâ nihilominùs confeſſione menſis præcedentis & currentis (Ianuarij & Februarij) præcepto ſatisfacere.

An detur, aut poſſit dari præceptũ de confitendis peccatis venialibus.

Sed interrogas, *Vtrùm detur menſtruæ Confeſſionis præceptum?* Reſpondeo, illud à multis Epiſcopis in propriâ Diœceſi, à multis Prælatis in proprio Monaſterio imponi: & prudentiſſimè, mé iudice, nam Perfectio Eccleſiaſtica non aliter manuteneri poterit, quàm frequentando Sacramenta: quem enim frequentiſſimè veterum peccatorum pœnitet, longè abeſt, vt noua peccata committat. Interim non grauabor ponere verba Emanuelis Sà, *qui in ſuis Aphoriſmis verb. Confeſſio num.* 12. ſic inquit: *Certum eſt poſſe in Confeſſione taceri peccata venialia, vel omnia vel aliqua; non enim ſunt de neceſſitate confeſſionis, niſi forte ex Regula aliqua Religionis; ſed* (vt ait Medina quæſt. 26. in fin. D. Thomæ. Scotus & alij, quos citat Viualdus de Confeſſ. num. 52.) *nulla talis obligat ad confitendum omnia venialia*. Et hîc attentè nota, aliud eſſe debere eum, qui non habet niſi peccata venialia confiteri, & aliud debere omnia venialia, aut aliqua ſaltem venialia confiteri. *Primò* enim non tenetur confiteri omnia peccata venialia; ſunt enim multa, & præcipuè quæ per ſubreptionem committuntur, quorum non habetur notitia: *ſecundò* nec tenetur confiteri omnia, quorum meminit, nam ſatisfacit aliquod confitendo: nimirùm, aut ab vltimâ confeſſione commiſſum, aut olim confeſſum & deletum. Addit Sà. *Religioſi poſſunt obligari ad venialium confeſſionem & Sæculares vouere poſſunt venialium confeſſionem: Sed adhuc, inquit Medina, nec Monachi nigri ſemel in menſe tenentur venialia confiteri*. Interim Caſſinenſes in expoſitione Capitis XLVI. num. 3. ſic inquiunt. *Quia quaſi continuè delinquimus, & ſepties in die cadit iuſtus, ſtatuimus, vt quilibet Frater confiteatur ſaltem in hebdomade quolibet Dominico die. Quod tempore Sanctiſſimi Patris Noſtri Benedicti ſeruabatur, eò quòd in Capitulo de Hebdomadario Lectore dicit, quòd Lector accipiat mixtum propter Sanctam Communionem, quæ fiebat ſingulis Dominicis, & conſequenter Confeſſio: Contrafaciens dicat ſuam culpam in Capitulo, & comedat in terra in Refectorio*. Aliæ Congregationes habent Conſtitutiones ſimiles: non ergo vniuerſaliter eſt verum, Monachos nigros non teneri ſemel in menſe peccata venialia confiteri, vt dicebat Medina. Sanè de hac obligatione hebdomadali poſſemus ſicut de annuâ & menſtruâ philoſophari, & dicere, debere Monachum vi huius conſtitutionis primâ menſis hebdomade confiteri, & ſi non fecerit, peccare (nimirùm, grauiter, leuiter, aut pœnaliter, prout Conſtitutiones obligare dicantur) & tamen, non obſtante hoc peccato, non exſpirare illud ipſum confitendi præceptum, ſed debere vi illius hebdomade confiteri ſecundâ: & ſi ſecundâ confiteatur, licèt peccauerit confeſſionem differendo, vnicâ nihilominùs confeſſione duarum hebdomadum (præcedentis & currentis) obligationi ſatisfacere.

An venialia teneatur cõfiteri?

An Monachi nigri ſingulis menſibus teneantur confiteri?

An & ſingulis ſeptimaniis?

DCCLXVI. Defenditur Concluſio duobus modis.

Quarta. *In die, duobus titulis feſto, ſufficit audire vnum ſacrum*. Hæc Concluſio debet bene perpendi: quoniam videretur cõtra tres poſitas militare, niſi radicitùs examinaretur. Dico igitur primò, poſſe hanc Concluſionem defendi, ſi dicamus, præceptum de auditione miſſæ non eſſe latum

pro hoc & illo feſto determinato, ſed pro feſto vniuerſaliter & in communi; puta, ſi Legislator dixerit, *Memento, vt diem feſtum ſanctifices audiendo miſſam*: Ergo dies feſtus, ſiue ſit vnico titulo feſtus, ſiue pluribus, non erit niſi vnicus dies feſtus, nec pluribus, quàm vnicâ miſsâ ex obligatione colendus. Iſte modus dicendi ſuas pateretur difficultates, & ideò ſecuriorem adiungam. Dicam ergo ſecundò, ſtando rigori ſcholaſtico, videri die S. Petri, ſi ſimul Dominicus ſit, moraliter concurrere duo feſta, & dari duo præcepta, & duo debere ſacra audiri. Nam, ſi aliquis promitteret ſingulis Dominicis tibi daturum nummum argenteum, & ſingulis diebus Apoſtolorum nummum aureum, certè die illo Dominico *S.* Petro dicato deberet dare argenteum aureumque, & in Vniuerſitatibus hoc videtur quotidie; nam laureandus pendit minerual (*Propina* hodie vocatur) Rectori, Doctoribus, & Profeſſoribus, & Ioanni, ſi ſimul Rector, Doctor, & Profeſſor ſit, tres propinas. Ergo, ſtando rigori, illo die duo ſacra audire tenerentur Chriſtiani. Cur autem non tenentur de facto? Quia Eccleſia eſt ſuauiſſima Mater, & vult eſſe ſuo ſponſo ſimilis, & dicere, *Iugum meum ſuaue eſt, & onus leue*: & quia, conſideratâ hominum fragilitate, fortè aliqui dicerent, quòd audire plures miſſas & magnam diei partem in Eccleſiâ conſumere eſſet durum & graue, eſſe voluit vnius miſſæ auditione contenta. Quæ tamen diſpenſatio, nec ſatis præſumeretur, nec ſatis tutos fideles redderet, niſi praxis & conſuetudo Eccleſiæ accederet, quæ vnicam miſſæ auditionem pro vno die, licèt multis titulis feſto, tantùm poſtulat.

In vno die phyſico eſſe poſſunt plures dies moraliter.

An vnicum minerual dandum illi, cui titulis multis debetur?

Eccleſiæ ſuauitas.

DCCLXVII. Ex Concluſione quarta argumentum deducitur ad omnes præcedentes probandas.

Ex his duobus dicendi modis ſecundus facilior & ſecurior eſt: interim neuter in tres præmiſſas Concluſiones impingit: imò vterque illas roborat & confirmat. Nam ſi, ſtando primo, ſinguli dies feſti reales, ſiue multis titulis, ſiue vnico ſint feſti, auditione integra miſſæ colendi ſunt; ſinguli dies reales à Sacerdotibus ex. gr. integri Officij Diuini ſunt lectione colendi. Et ſtando ſecundo, ſi quando duo præcepta de audiendâ miſsâ in idem tempus matutinum concurrunt, deberent fideles duas audire, niſi Eccleſiæ clementia diſpenſaret: quando duo præcepta de legendis Matutinis & Laudibus in idem tempus veſpertinum concurrunt, debebunt Sacerdotes (& quotquot perſoluere Officium Diuinum tenentur) his eaſdem horas recitare, quia non diſpenſauit Eccleſia, nec datur ratio ob quam illa diſpenſaſſe dicatur; ſed potiùs certiſſima in contrarium. Si enim Eccleſiam die duobus titulis feſto vnica miſſæ auditione contentam eſſe ex praxi & conſuetudine communi manifeſtè colligitur, ex eâdem colligetur conſuetudine & praxi, Eccleſiam non eſſe contentam vnicâ lectione, quæ duorum dierum obligationi ſatisfaciat. Et de confeſſione & communione annuâ & menſtruâ, de quibus ſecundâ & tertiâ Concluſione agebatur, pariformiter philoſopheris.

XIII.

De Miſſa. An auditione vnius poſſit homo Catholicus duorum dierum obligationi ſatisfacere?

DCCLXVII De miſſa quæ nocte Natiuitatis celebratur coram ſummo Pontifice. Vtrùm diſpenſet ſummus Pontifex, vt Cardinalis celebret non ieiunus?

OCurrit mihi hoc dubiũ in libro Eminentiſſimi Cardinalis Lugonis *diſp. 15. ſect. 7. num. 55.* legenti. Agit ibi ſapientiſſimus Vir de nocte Natiuitatis, & quomodo in ea obſeruetur ieiunium naturale, inquirit & ait [Dubitari poſſet de nocte Natiuitatis Domini, in quâ videtur de facto diſpenſare pro Cardinale celebrãte primam miſſam poſt Matutinum in Sacello Pontificio coram eodem Pontifice, nam reuera ſolet miſſa tota abſolui ante mediam noctem, vt poſſint Cardinales opportunè conuenire ſequenti die ad tertiam miſſam, quam celebrat ſolenniter Põtifex in Baſilicâ S. Petri. Vnde tacitè videtur Pontifex diſpenſare cum Cardinale, vt celebret ante mediam noctem nõ ieiunus, nam intra eamdem diem horâ ſolitâ pranſus eſt, alioquin cogeretur aliquando per biduum ieiunare, quando verbi gratia vigilia Natalis eſt in Dominicâ: tunc enim debet ieiunare à prandio Sabbathi, in quo fuit ieiunium vigiliæ, vſque ad feriam ſecundam poſt tertiam miſſam Natalis, quod quidem de facto non fit. Adhuc ego tamen non credo intentionem Pontificis eſſe diſpenſare in ieiunio naturali pro illa vice ſingulis annis; ſed potiùs dicerem, quòd velit pro illo loco & illa nocte anticipare aliquantulum initium diei ſequentis] Hæc Lugo.

Sententia Cardinalis Lugonis.

Nota illa verba. pro illo loco.

Anticipatio diei ſequentis.

Curioſæ & dignæ ponderatione viſæ ſunt mihi iſtæ periodi, dum Pragæ agerem: Romam veni, & quia doceri volo, multos interrogaui, & tandem ab omnibus didici, *nec anticipari diem craſtinum, nec diſpenſari in Cardinalis celebrantis ieiunio*: nam & hoc anno M. DC. LV. hanc celebrauit miſſam Eminentiſſimus Cardinalis Pallottus, nimirùm obſeruato ad illam horam vſque naturali ieiunio: & ſic cæteri ſingulis annis faciunt. Interim eruditionis gratiâ iuxta alterutram Eminentiſſimi Lugonis hypotheſim diſcurramus.

Nota bene

Erat

Erat prima Hypotheſis.

DCCLXVIII. De quantitate diei & noctis, hora ortus & occasus ſolis die Natiuitatis ad altitudinem poli Romani.

Miſſa, quæ illa nocte, hora poſt Solis occaſum quinta dicitur, celebratur in Natiuitatis profeſto [Quota ſit hora ab occaſu quinta, intelligũt Itali & Bohemi, ignorant Hiſpani, Galli, Germani, & plerique Europæi: *Ergo*, vt etiam iſti rem accuratè percipiant, aio Romæ Natiuitatis tempora habere diem *horas* 9. & noctem *horas* 15. addo oriri Solem ab occaſu *hora* 15. à mediâ nocte *hor.* 7. *m.* 30. Solem occumbere ab ortu *hora* 9. à meridie *hora* 4. *min.* 30. Hora igitur tertia ab occaſu erit à meridie *hor.* 7. *m.* 30. Matutinum ſolenne incipietur *hora* 8. à meridie: impendet vt minimũ duas horas; incipiet ergo miſſa *hora* 10. à meridie, & abſoluetur *hora* 11. hoc eſt vnâ horâ plùs, minùs ante mediam noctem. Quæ omnia, cùm à mandato Pontificis & Muſicæ ſolennitate pendeant, variari interdùm ſolent, at nunquam differentiâ notabili] Ex hypotheſi ſic intellectâ & explicatâ orientur Quæſtiones nonnullæ. Erit

De tacita diſpenſatione.

Prima, *An Summus Pontifex in ieiunio, aut in iteratione miſſæ cum Cardinali illo diſpenſet?* Eſt Concluſio: *Nec Pontifex diſpenſat, vt Cardinalis celebret non ieiunus, nec vt celebret bis in Natiuitatis profeſto.* Conſtat ex praxi. Priorẽ partem huius Propoſitionis negat meus Eminentiſſimus Lugo, poſteriorem concedit; cùm tamen deberet aut vtramque concedere, aut vtramque negare. Patet; quia ratio, quâ probat tacitam diſpenſationem, vt celebret ille non ieiunus, æquè probat tacitam diſpenſationem, vt celebret bis illâ die. Sic diſcurrebat Lugo: *Hora ſolita præfuit, & tamẽ iubetur celebrare veſpere: ergo diſpenſat Pontifex, vt poſt ſumptum prandium celebret.* Et cur non ſic: *Hora ſolita celebrauit mane, & tamen iubetur celebrare veſpere: ergo diſpenſat Pontifex, vt poſt dictam mane primam, miſſam, alteram veſpere celebret.* Sanè, ſi res ſic flueret, & Pontifex, ſciens Petrum celebraſſe mane, & prandium ſumpſiſſe meridie, adhuc iuberet, cũ veſpere celebrare, dicendus eſſet implicitè in horâ, in ieiunio, in miſſæ iteratione diſpenſaſſe: at non proceditur hoc modo: nam tempeſtiuè Cardinalis monetur, & ideò, celebraturus veſpere, debet nec celebrare mane, nec meridie prandere; quod & facit.

Ad quem diem pertineat illa Miſſa?

Secunda, *An ſi Natiuitatis in feriam ſecundam incidat, tam ipſe Cardinalis, qui celebrat, quàm fideles qui audiunt, poſſint licitè nullam aliam miſſam audire illa Dominica?* Hanc quæſtionem proponit Leander *part.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 28. & ait [Affirmat aliqualiter Paſqualigus *deciſ.* 311. *num.* 8. &c. Abſolutè reſpondeo, dicendum, quòd per auditionem dictæ miſſæ non adimpleret præceptum audiendæ miſſæ die Dominicâ: quia Pontifex non computat illam miſſam pro Dominicâ, ſed pro ſequenti die Natalis: ergo cenſetur non approbare illam pro præcepto Dominicæ. Sic Dicaſtillus *de Sacram. tract.* 4. *diſp.* 9. *dub.* 17. *num.* 408. & quamuis ex alio fundamento Lugo *diſp.* 15. *de Euch. ſect.* 2. *num.* 56.] Ego autem huic dubio reſpondeo *primò*, illam miſſam eſſe celebratam & auditam die Dominicâ. *Secundò* pertinere ad diem Dominicam, niſi aliter diſponat Pontifex. *Tertiò* potuiſſe Pontificem diſponere, vt illa miſſa dicatur pro die ſequenti: nã ſicut Matutinæ pro die Lunæ poſſunt & ſolent dici die Dominicâ veſpere ex diſpenſatione Eccleſiaſticâ, cur non poterit etiam miſſa pro die craſtino dici & audiri hodie, ſi id conceſſerit Pontifex. *Quartò* (& hic conſiſtit difficultas) velle Pontificem, vt illa miſſa, quæ in vigiliâ Natiuitatis celebratur, valeat, dicatur, & audiatur non pro illâ die, ſed pro ſequenti, hoc eſt, non pro vigilia Natiuitatis, ſed pro feſto.

DCCLXIX. Tertia, *An qui audiat illam miſſam in Natiuitatis profeſto, teneatur die ſequenti aliam miſſam audire?* Affirmat Paſqualigus *deciſ.* 311. *num.* 7. negat Dicaſtillus *de Sacram tract.* 4. *diſp.* 9. *dub.* 17. *num* 404. Diana *part.* 10. *tract.* 15. *reſol* 35. & Leander *part.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 1. *qu.* 22. quibus ego ex doctrinâ paulò ante traditâ libenter ſubſcribo.

De celebratione trium miſſarum die Natiuitatis.

Quarta, *An ille ipſe Cardinalis, non obſtante quòd illam miſſam coram Pontifice celebrauerit, poſſit poſtridie* (hoc eſt, Dominicæ Natiuitatis die) *tres miſſas celebrare?* Tenetur ex ſuis fundamentis Paſqualigus reſpondere aſſertiuè, & poſſet ſuam ſententiam hac ratione firmare. Ille Cardinalis, etſi celebrauerit prædictam miſſam, nullam miſſam legit die Natiuitatis: ergo poterit poſtridie celebrare tres miſſas: Patet; nam tres miſſas celebrandi facultas conceditur omnibus Sacerdotibus: ergo & illi Cardinali. Confirmatur; quia, ſiquis malus Sacerdos tres aut plures miſſas in profeſto Natalis celebraſſet, & tamen verè poſteà pœnitens confiteretur & abſolueretur, nempè non ſolùm à peccatis, ſed à cenſurâ etiam, ſi qua hoc crimen ſequatur, poſſet die Natalis celebrare tres miſſas: ergo à fortiori de Cardinale idem dicendum eſt. Patet; quia miſſam illam, quam dixit poſt matutinas in Sacello Pontificis, non celebrauit in feſto Natiuitatis Dominicæ, ſed in profeſto.

DCCLXX. At ego ex fundamẽtis poſitis contrarium teneo, & conſequenter ad ea, quæ paulò ante dicebam, aſſero *primò*, illam miſſam, vt ſupponitur, eſſe celebratam non in feſto Natiuitatis, ſed in profeſto, adeoque, præſcindendo ab omni Pontificis voluntate, pertinere ad profeſtum, & Cardinalem illum, eidem præciſioni inſiſtendo, poſſe die ſequen-

ti celebrare tres missas. *Secundò* esse Pontificis voluntatem, vt illa missa, tametsi dicatur in profesto, non ad profestum, sed ad festum pertineat. Ergo, qui illam dixerit, non tres, sed duas alias tantùm missas poterit dicere die Natiuitatis.

Hinc patet quid respondendum sit argumento in contrarium. Dico enim, Cardinalem celebrasse vnam missam, si non in die Natiuitatis, saltem pro die Natiuitatis: & ideò non posse celebrare alias tres. Addo paritatem de malo Sacerdote non tenere; quia missæ illæ, priuatâ temeritate lectæ, nõ possunt esse, nec valere pro sequenti die: cùm tamen contrariũ accidat in nostro casu.

DCCLXXI. Dubium valde notandum.

Dices: in quæstione, quæ ius respicit, omnes authores conuenire, & differentiam totam pertinere ad quæstionem de facto, vtrùm, scilicet, *Summus Pontifex* verè & de facto velit illam missam valere, non pro die in quo dicitur, sed pro sequenti? & inquiris, Cur non debeas subscribere Pasqualigo, Viro pio, docto, & diligenti, qui cùm Romæ ab annis multis habitet, mentem Sanctissimi ignorare non valet? Respondeo, me adhibuisse debitam diligentiam, & didicisse, *nec Pontificem anticipare diem*, quod Cardinalis Lugo vult, *nec dispensare in ieiunio*, quod aliqui suspicarentur; *nec velle hanc Missam pro Natiuitatis profesto*, quod asserebat Pasqualigus, & in re certâ & examinatâ me non debere aliorum coniecturis stare.

Notitiæ practicæ.

Erat secunda Hypothesis.

DCCLXXII. *Missa eadem, de qua agimus, celebratur non in Dominicæ Natiuitatis peruigilio, sed in ipsomet festo.* Falsa est: sed quia admittitur ab Eminentissimo Lugone, quid ex eâ sequatur consideremus. *Sit* igitur Esthesis

Prima. *Non requiritur tacita aut expressa dispensatio, vt illa Missa ante mediam noctem celebretur, etsi Cardinalis mane aliam legerit Missam, & in prandio comederit, aut etiam vespere collationem sumpserit.* Patet; quia hæc omnia facta sunt die hesternâ, & dies Natalis incipit non iam à mediâ nocte præcisè, sed tribus aut quatuor horis ante mediam noctem. Consequentia est legitima, & tamen falsum ipsum consequens: ergo vel hinc euidenter colligitur hypotesim ipsam esse falsam, non enim falsa bene colliguntur ex veris.

Secunda. *Ille Cardinalis præter hanc Missam, quam coram Pontifice celebrat, non potest tres alias celebrare.* Et clarissimè ostenditur; quia in Natali Domini tres potest celebrare, non quatuor. Hoc consequens etiã est falsum: at consequentia est bona: Ergo est iterum falsa illa hypothesis.

Petis, *An Romæ ab illa hora, qua incipitur eiusmodi Missa, possit aliquis carnes comedere sine peccato?* Respondebitur, quòd nõ; quoniam anticipatio diei est tantummodo pro illo loco. Inferes: Ergo saltem in Sacello Põtificio poterit aliquis ab illâ horâ comedere carnes sine peccato. Respondeo, anticipationem illam esse quidem in illo tantùm loco, at non in illo pro omnibus rebus, sed pro illo sacro tantùm. Sed Lugo, inquies, hoc non dixit. Respondeo, non omnia Lugonem dixisse, aut exposuisse: & addo, eumdem in hac materiâ, sicut consultò dixit anticipationem diei esse *pro illo loco*, ne illam ad alia loca extenderet, dicturum fuisse *pro illo sacro*, si rogatus fuisset, ne illam aliquis ad alias actiones extenderet.

Sed quid ad casum sequentem respondebimus [Inciderat Natiuitas Domini in diem Lunæ, & Anselmus die Dominicâ mane non audiuit Missam: ante mediam noctem Missæ illi interfuit, quæ coram Pontifice à Cardinale celebratur, & illâ auditâ iuit cubitum, & die sequenti serò surgens, noluit ad Ecclesiam venire] An-ne Anselmus vnicâ auditione vnius Missæ duorum dierum obligationi satisfecit?

An vnica Missæ auditione possit aliquis duorum dierum obligationi satisfacere?

Si diceretur Natalis Christi dies in totâ Ciuitate Romanâ incipere ab horâ decimâ ante mediam noctem, & eodem momento diem profestum finiri, dici consequenter deberet, Anselmum non audiuisse Missam die Dominicâ, sed die Lunæ: DCCLXXIII

Si verò diceretur Dominicæ Natiuitatis priuilegium durare vsque ad medium noctis, & diem ipsum Natiuitatis incipere tribus horis ante medium noctis, & hanc obrem duos illos dies habere tres horas communes: in tali sanè casu posset aliquis sic discurrere. Hæ duæ propositiones sunt veræ: *Anselmus audiuit Missam in profesto Natiuitatis*: *Anselmus audiuit Missam die Natiuitatis*: Ergo neutro die omisit missam: ergo-ne duobus præceptis satisfecit auditione vnius missæ?

Respondeo, Anselmum auditione vnius Missæ duorum dierum obligationi non satisfeciſse. *Primò*, quia duobus titulis debebat Anselmus audire sacrum: ergo standō rigori scholastico, nisi praxis & consuetudo Ecclesiæ dispenset in hac lege, duo sacra. At Ecclesiæ praxis, quæ vnicâ sacri auditione est contẽta die Dominicâ, in quam incidit S. Petri solennitas, nõ est contẽta auditione vnius sacri in Pontificio Sacello celebrati pro die Dominicâ, in quam incidit profestũ, & pro die Lunæ, in quã incidit festum Natiuitatis: ergo, licèt ibi vnicâ sacri auditione duobus præceptis (alteri de audiendo sacro die Dominicâ, & alteri de audiendo die Principi Apostolorum sacro) satisfiat, hîc non satisfiet duabus obligationibus: quia consuetudo & praxis militat in contrarium. *Secundò*, quia illud sacrum, siue dicatur in profesto, seu in festo, seu in tempore tam festo, quàm profesto communi,

ni, est nihilominùs sacrum, quod ex mente Pontificis (ad quem pertinet de huiusmodi rebus absolutè disponere) nec dicitur, nec auditur pro festo Natiuitatis, sed pro festo.

XIIII.

Vtrùm possimus vna & eadem actione duabus eiusdem præcepti partibus satisfacere?

DCCLXXIV Quæstio proponitur.

HAEc omnia inde suborta, quod eodem tempore, eadem etiam actione, aut omissione possimus diuersis præceptis satisfacere: ut patet in eo, qui in vigiliâ, quæ in quadragesimam incidit, carnes non comedit: quia eâdem abstinentiâ & ieiunio satisfacit duabus obligationibus. Modò vlteriùs progredimur, & inquirimus, *Vtrùm sicut duobus præceptis distinctis & diuersis, sic etiam aliquis duabus eiusdem præcepti partibus vno & eodem tempore, vna & eadem actione satisfaciat?*

Hæc quæstio in omnibus materijs locum habet (nam, si in vnâ aut alterâ admittitur, cur non in cæteris?) sed quia in auditione Missæ frequentiùs videtur occurrere, etiam nos de eâdem materia differemus, & quæstionem hanc intra limites eiusdem materiæ illustrabimus.

De Missa.

DCCLXXV. Eadem quæstio ad Missæ auditionem cõtrahitur.

DIana *part.2.tract.17.resolut.18.* interrogat, *An-ne satisfecerit præcepto missæ Petrus, qui sacrum duorum Sacerdotum media ex parte audiuerit: nempè, missam vnius ab introitu ad consecrationem, & missam alterius à consecratione vsque ad finem?* Hæc quæstio diuidi et subdiuidi potest: aliud enim est quærere, *Vtrùm possit aliquis satisfacere præcepto missæ, si audiat duas partes missæ à duobus Sacerdotibus successiuè; nempè vnam ab altero priùs, & aliam ab altero posteriùs?* & aliud omninò diuersum, *Vtrùm possit eidem præcepto satisfacere, si vtramque partem audiat simul: puta si in vno altari fieret eleuatio, quando in altero diceretur introitus, & Petrus audiret illam Missam vsque ad finem, istam vsque ad medium?* Quæstionem igitur in duas sectiones diuidemus, agemusque de auditione successiuâ priùs, & de simultaneâ posteriùs.

Et in duas omninò diuersas diuiditur.

DCCLXXVI Prima Quæstio.

Præcepto *Missæ* audiendæ satisfacere qui audit mediam partem ab vno, & mediam partem ab alio succesſiuè docet citatus *Diana*, allegans Nauarrum *cap.21. num.2.* Emanuelem Sâ *ver. Missæ auditio num.2.* Sotum *in 4. dist.13. quæst.2. art.1.* Henriquez *lib.9.cap.25. num.8.* Barthol. ab Angelo *de Missa* §.782. additque hanc sententiam ab alijs haberi communiter. Authores isti in huiusmodi alteratione modalem aliquam imperfectionem reperiunt, non tamen substantialem, & ideò consequenter affirmant, modum istum audiendi Missam, si sine causâ rationabili fiat, esse venialiter peccaminosum: qui enim hoc modo Missæ assistit, præcepto satisfacit quoad integritatem, & deficit quoad ordinem & modum, non secùs ac si aliquis legeret priùs horas diurnas, & nocturnas posteriùs: hanc enim satisfeciſse præcepto quoad substantiam, & non satisfeciſse quoad modum indubitatum est. Contraria sententia multis placet, & præcipuè Lugoni, Suarez, Fagundez, alijsque.

An aliquis possit prius legere horas diurnas & nocturnas posteriùs.

Hæc quæstio in nonnullas alias subdiuiditur à Leandro de Sanctissimo Sacramento *tract.2. disp.1. à quæst.51.* Rogat enim primò, *An satisfaciat præcepto, qui vnam partem Missæ audit ab vno Sacerdote, & aliam ab alio: v.g. ab vno, à principio vsq; ad consecrationẽ, & ab alio à consecratione vsq; ad finẽ?* Rogat secundò, *An etiã satisfaciat præcepto, qui ab vno Sacerdote priùs posteriorem Missæ partem, & posteà ab alio priorem audit?* Rogat tertiò, *An etiam satisfaceret præcepto, qui audiret integram Missam, audiendo tres aut quatuor partes Missarum trium aut quatuor Sacerdotum?* Rogat quartò, *An etiam ille, qui audit duas partes Missæ successiuè, diuidendo partes principaliores, ita vt in vna contineatur consecratio, & in altera sumptio, satisfaciat præcepto?* Et quod mirabilius est, rogat quintò, *An saltem peccaret uenialiter, qui absque causa mediam Missam ab vno, & mediam ab alio audiret?* Et quo respondet modo Leander? Ad primum ait, asserentem sententiam esse probabiliorem: idem ad secundum respondet; idem ad quartum: idem ad quintum. Ad tertium dicit, vtrumque videri æque probabile.

DCCLXXVII. Quæstionis subdiuisio.

Suarez nihilominùs tom.3. in 3. part. *disp.88. sect.2.* § *Sed tunc inquiri potest.* omninò vult, Missam integram ab vno et eodem esse audiendam, pronunciatque oppositam sententiam sibi semper fuisse suspectam tanquam parum consentaneam Ecclesiastici præcepti intentioni, et Religioni ac reuerentiæ debitæ sacrificio Missæ: vnde optimè aduertit Leander, malè illum citari pro contrariâ sententiâ à Molfesio, Filliucio, & Scottiâ. Patrem Suarez sequuntur Fagundez & Lugo: ille *lib.2. de primo præcepto cap.6. num.12.* iste *disp.22. sect.2. num.8.* Subscribunt etiam Vera, Paëz, & alij apud Henriquez *lib.9. cap.25. num.8. in glos.*

Hæc eadem sententia videtur apud doctos & indoctos communis; contraria enim multis est Doctoribus inaudita, & antè annos

Reſolutio. nos quinquaginta nullis, vel paucis grata; & ideò probabilius iudico, debere miſſam audiri ab eodem Sacerdote, nec ſatisfacere qui audiat mediam partem ab vno, & mediam partem ab alio. Vnde ad dubia propoſita à Leandro dico, ſtandum eſſe contrariæ ſententiæ, & poſitiones, quas ipſe vocat probabiliores, eſſe minùs probabiles, exceptâ quintâ; puto enim eſſe certum & euidens eſſe falſam & improbabilem opinionem, quæ Medinæ attribuitur, & ab Leandro minùs eſſe probabilis aſſeritur: quotquot enim dicunt non eſſe peccatum mortale audire miſſæ partes à duobus vel pluribus Sacerdotibus, ſucceſſiuè tenentur admittere vt minimùm, eſſe hoc peccatum leue, ſi ſine causâ rationabili fiat.

DCCLXXVIII. Proponitur Quæſtio ſecunda.

Vlteriùs progredior & inquiro, *An liceat duas miſſæ partes audire eodem tempore?* hoc eſt, *An Petrus ſatisfaciat præcepto, ſi vnam miſſam ab initio ad medium, ſimulque alteram à medio ad finem audiat?*

Reſolutio.

Qui dicimus, *Miſſam, quam aliquis tenetur audire ex præcepto, debere eſſe eiuſdem Sacerdotis*, facili negotio nos expedimus ab iſtâ difficultate; ſi enim peccat mortaliter, qui mediam audit ab vno, & poſteà mediam ab alio, ſucceſſiuè, peccabit à fortiori, ſi duas miſſæ partes ſimul audiat. Igitur, vt quæſtio habeat locum, debet ſupponi primò, non eſſe de eſſentiâ præcepti obiectiui, quòd partes miſſæ, quam audimus, ab eodem Sacerdote dicantur: & debet ſupponi ſecundò, eſſe veram Leandri ſententiam ſecundùm omnes aſſertiones, quas ipſe quæſt. 51. 52. 53. 54. & 55. ediſſerit, quas paulò ante retulimus, & falſas eſſe iudicauimus. His igitur ſuppoſitis, ad quæſtionem ſobuenio, demonſtraturus Dianę ſententiam ſtare non poſſe, ne quidem ex hypotheſi.

Proceditur in eadem Quæſtione ex hypotheſi.

DCCLXXIX. Prima ſententia, quâ veram & claram iudicamus.

Non licere audire ſimul duas partes miſſæ, aſſerunt Doctores communiter. Ita Reginaldus tom. 2. lib. 19. cap. 2. quæſt. 3. num. 26. vbi ſic ait [Omninò tenendum, miſſæ auditionem non integrari ſufficienter per duas medietates, quando quis vnam medietatem audit ab vno Sacerdote, qui miſſam incipit, & eodem tempore alteram medietatem ab altero Sacerdote, qui eſt in medio miſſæ: nam conſuetudo in contrarium oſtendit, aliam fuiſſe mentem Eccleſiæ præcipientis miſſæ auditionem. Id quod iudicare videntur ver. cap. *Miſſas ſpeciali ordine*; inter partes verò, quæ ſimul ſunt, non ſeruatur ordo]

Conſuetudo eſt infallibilis legum interpres.

[Quantitas duplex: continua, & ſucceſſiua; eius ſpecies.

Nugnus *to.* 1 *in* 3. *p. q.* 83. *ar.* 6. *ad* 3. eamdem propugnat opinionem, & vt ſtrenuè poſſit, ſupponit ex Methaphyſicâ Quantitatem in continuam & ſucceſſiuam diuidi, illamque ſubdiuidi in Lineam, Superficiem & Corpus: & iſtam in Numerum, Tempus, & Orationem. Et his poſitis ſic argumentatur [Actio audiendi miſſam, cùm ſit ſucceſſiua, habens veras partes, impoſſibile eſt, quòd ſit ſimul, atque adeo quando aliquis audit ſimul duas miſſas ſecundùm differentes partes, non poſſunt illę duæ partes reputari, tanquam partes eiuſdem miſſæ, etiã moraliter loquendo, vt reputantur, quando audiuntur in diuerſis temporibus; ſed ambæ ſimul ſumptæ reputantur tanquam vnica pars tantùm; & idcircò, nullo modo poteſt dici, quòd ille audiat integram miſſam, quemadmodum, ſi aliquis homo haberet intellectum Angelicum, ità vt poſſet attendere ad primum verſum horæ Canonicæ recitando illum, & ad ſecundum, qui recitatur ab alio ſocio, & hoc modo, recitaret totam horam Canonicam, res certiſſima eſt quòd non adimpleret præceptum, licèt adimpleatur recitando vnum verſum, et audiendo alterum recto ordine] Hæc Nugnus, quem ſequitur Coninch. *de ſacr. in* 3. *p. qu.* 73. *art.* 6. *dub.* 2. *nu.* 288 Suarez et alij. Ratio Nugni eſt curioſa, et poteſt hoc modo confirmari. Hæc verba, *Arma, virumque cano, Troiæ qui primus ab oris*. ſi ſimul proferrentur, non componerent Carmen: et hæc, *Terra, Aqua & Aer non ſunt ab æterno*, ſi ſimul ſonarent, non conflarent veram propoſitionem; eſſent enim capacia huius ordinis, *Terra, Aqua, & non Aer, ſunt ab æterno*, quem veritas Orthodoxa non tolerat: Ergo introitus, epiſtola, euangelium, oblatio, conſecratio, comſumptio, etc. ſi coexiſtant, non conſtituent miſſam: Ergo de miſſæ eſſentiâ eſt, vt iſtæ partes ſucceſſiuè ponantur.

An ſucceſſiuæ partes poſſint ſtare ſimul?

His tamen non obſtantibus contraria opinio ab aliquibus magno niſu protruditur. Probabilem eam vocat Molieſius, Vir veré piùs et doctus, *in ſum. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 17. *num.* 36. *in fine*; nam Eccleſia non præcipit, vt miſſa audiatur ab vno Sacerdote, ſed ſimpliciter præcipit miſſam audire: duæ autem medietates miſſæ conſtituunt vnam miſſam: et quamuis miſſa debeat audiri ſecundùm ſuum ordinem, tamen hoc non eſt de neceſſitate præcepti, ſicut multi docent de illo, qui horas Canonicas recitat non ſeruato ordine, quem nõ peccare mortaliter certum eſt. Et ideò Io. Azor. *p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *quæſt* 3. dixit, quòd vera eſt illa opinio communiter recepta, et etiam ab ipſo, nempè poſſe aliquem ſatisfacere præcepto miſſæ, ſi in diuerſis temporibus audiat partem miſſæ ab vno Sacerdote, & partem ab altero, erit etiam vera altera opinio, quæ concedit poſſe hoc fieri in eodem tempore. Nam quod pertinet, ait Azorius, ad attentionẽ, poteſt ad vtrumque animum intendere. Confirmant aliqui hanc ſententiam doctrinâ illâ, quam tradit Io. Maior. *in* 4. *diſp.* 12. *quæſt.* 8 *dub.* 1. Ledeſma *in ſum. to.* 1. *de ſacr. Eucbar. cap.* 27. & Sanchez *in Decal. lib.* 1 *cap.* 14. *num.* 12. Scortia *de ſacrificio Miſſæ lib.* 2 *cap.* 20. *num.* 10. & alij multi; nempè, qui duplicem miſſam audire tenetur

An ſuccęſſiuæ partes poſſint ſtare ſimul?

An eiuſdẽ carminis, aut orationis verba, illæſo metro aut ſenſu, poſſint proferri ſimul?

DCCLXXX. Proponitur ſententia laxa.

netur

netur, (puta, ſi alteram audire teneatur ex præcepto, & alteram ex voto) poſſe eas ſimul audire, dum eæ in duplici altari ſimul celebrantur. Addit Diana, Reuerendiſſimum D. Franciſcum de la *Riba*. Vicarium Generalem in hoc Archiepiſc. Panormitano, Virum prudentiâ, morum probitate, ac doctrinâ celeberrimum, de hac quæſtione à ſe conſultum, affirmatiuè reſpondiſſe. Nuper Leander de *Sanctiſſimo Sacramento tract. 2. diſp. 1. quæſt. 56.* hanc putat opinionem probabilem, & pro illâ citat Azorium, Hurtadum, Fauſtum, Dianam, Franciſcum de la *Riba*,, Bonacinam, Molfeſium, Bauny, Dicaſtillum. & Geſualdum, & concludit iubendo, vt legamus Dianam, qui *part. 10. tract. 17. reſol. 3.* licèt iam ſibi contrarius, oppoſitam ſententiam vt probabiliorem teneat, hanc vt probabilem admittit.

DCCLXXXI. Dianæ, Leandri, & aliorũ ſententia impugnatur.

Eſt legitimum & præſcriptum apud Viros doctos Axioma, *Argumentum, quod nimium probat, nihil probat*. Et quia rationes, quæ ſententiam præcedentem probant, nimium videntur aut ſuadere aut inferre, hanc ob rem contra illas argumentor, ratiocinio ab abſurdo deſumpto.

PRIMO' enim argumentabor ſic. Poteſt ſatisfacere Petrus audiendo duas medias miſſas à duobus Sacerdotibus? Ergo etiam poterit ſatisfacere audiendo ſimul quatuor miſſæ quadrantes à quatuor Sacerdotibus: Ergo etiam octo octantes ab octo: Ergo, ſi eſſent multa altaria, quibus ſimul eſſe præſens Petrus poſſet, & in vno Miſſa inciperetur, in altero Epiſtola, in altero Euangelium, in altero Oblatio, in altero Canon, in altero Conſecratio, in altero Poſt communio, & in altero vltimum Euangelium, poſſet Petrus vno quaſi momento temporis integram miſſam audire, Primam conſequentiam negat Diana, concedit *Leander tract. 2. diſp. 1. qu. 63* quæ interrogat, *An item ſatisfaceret præcepto, qui non ſolum à duobus Sacerdotibus duas partes, ſed etiam à tribus vel quatuor Sacerdotibus tres aut quatuor partes miſſæ eodem tempore audiret?* & affirmatiuè reſpondet. Secundam et tertiam ait bene interri Lugo, negat *Leander*; ſed non video, cur non illa æquè bene inferatur, quàm prima. His ergo poſitis progrediar, inſtabo vlteriùs, dicamque: *Falſum eſt, eum, qui ſimul octo miſſæ octantes audiret, præcepto de miſſa audienda ſatisfacere: ſed hoc ſequitur ex Dianæ opinione, quam impugno: ergo illa eſt falſa.* Patet conſequentia: quia ex vero falſum ſequi non poteſt.

DCCLXXX II. An aſſiſtentia & deuotio moralis habeat terminos?

Dices. Omnia, quæ ad mores ſpectant, prudenter & rationabiliter debent aſſumi: Sed quòd Petrus, ſimul duabus miſſæ partibus aſſiſtendo, integræ miſſæ ſatisfaciat, prudentiæ & rationis limites non videtur excedere: quòd autem vel quatuor miſſæ quadrantibus, vel ſex ſextantibus, vel octo octantibus aſſiſtendo, integræ miſſæ ſatisfaciat, id ſanè prudentiæ & rationis limites videtur excedere: Ergo illud prius licet, & iſtud poſterius non licet: Ergo datur manifeſta diſparitas.

Reſpondeo, eſſe hac obiectione certiſſimam petitionem principij: nam quod tibi non videtur limites rationis excedere, ipſimet Dianæ, cum quo diſſerebam, hucuſque videtur probabiliùs excedere, tametſi videatur probabiliter non excedere: & hanc ob rem à tuâ inſtantiâ me expedio, negando minorem poſitionem.

DCCLXXX III. An omnes lectiones & reſponſoria poſſint legi ſimul in choro?

SECVNDO' rationis paritas nos deduceret ad Officium Diuinum. Nam iuxta mores & rubricas Monaſticas in Officio ſolenni habemus duodecim lectiones & reſponſoria, quæ non recitat communitas, ſed audit tantùm: Ergo, ſi ſint viginti quatuor Religioſi in choro, & ſinguli dicant ſimul lectionem aut reſponſorium, ſatisfacient præcepto legendi duodecim lectiones, & totidem reſponſoria. Et quis id, quæſo, admittet? Ergo ſiquidem conſequentia eſt legitima, & falſum conſequens: contra antecedens, vnde illud eſt ſubortum procedamus, & ſubſequens ratiocinium formemus. *Non poteſt quis eodem tempore audiendo plures lectiones & reſponſoria ſatisfacere præcepto de Officio Diuino, & tamen ſatisfacit audiendo ſucceſſiuè: ergo non poterit ſatisfacere præcepto de audienda miſſa, audiendo plures partes ſimul, ſed debet illas audire ſucceſſiuè*. Patet; quia ſicut Officium Diuinum, ſic etiam Miſſa ex partibus coaleſcit ſucceſſiuis.

DCCLXXX IV. An ſocius in lectione Officij Canonici debeat alterum ſpectare? An attendere?

TERTIO' quando duo legunt ſimul, non erit opus, vt alterum exſpectet; ſed poterit alter incipere verſum ſequentem, antequam alter præcedentem abſoluat, quoniam poteſt ſimul ſe, & ſocium audire: nec eſt cur ad attentionem & auſcultationem recurras; poſſet quis dicere, ſe rebus plurimis ſimul attendere (narrant enim de Origene, pluribus Scriptoribus ſimul dictaſſe, quod eſt omninò difficilius) aut poſſet etiã nõ eſſe attentionem internam in Officij Diuini recitatione neceſſariam. Nugnus tamen, quem dedi ſuperiùs, aſſerit, hominem, ſi haberet ingenium Angelicum, non poſſe hoc modo ſatisfacere. Hanc rationem meliorem appellat Diana illâ, quam attulerat ex Reginaldo, & tamen neutri ſatisfacit, cùm vtrique deberet.

An poſſit quis ſimul attendere ad plura? An in Officio Diuino interna requiratur attentio?

DCCLXXX V.

Sanè quando duo legunt, poſſe alterum verſum ſecundum incipere, antequam alter abſoluat primum, omnes Theologi meritò negant: ergo negare debent etiam Dianæ opinionem. Ex hac id neceſſariò deducitur, et nos ex communi illorum & ab omnibus ad miſsâ doctrinâ hoc ratiocinium conformamus. *Quando duo Canonicas horas legũt, debet alter alterum expectare, nec poteſt ſimul primum verſum legere, & ſecundum audire* (quia, vt dicebamus, repugnat vt Ens ſucceſſiuum, quale eſt Officium Diuinum,

An Ens ſucceſſiuum habere poſſit partes ſimul?

habeat

habeat ſuas partes ſimul) *falſum eſt igitur, poſſe aliquẽ eodem tempore duabus partibus eiuſdem præcepti ſatisfacere: Ergo falſum eſt etiam, poſſe eodem tẽpore audire plures partes miſſæ.* Hęc ratio etiam probat contra eos, qui docent, poſſe aliquem audire priùs miſſam vnius Sacerdotis à conſecratione ad finem, & poſteà miſſam alterius ab initio ad conſecrationem: quia oratio ſucceſſiua dicit motum & tempus, & hoc eſt, numerus motus ſecundùm priùs & poſteriùs: ergo partes ordinem neceſsariò requirunt, nec debent priuatâ temeritate verti vel perturbari.

De Oratione, Moru, & Tempore.

QVARTO'in miſsâ ſolenni, poſicâ ſententiâ, quæ docet Sacerdotem non teneri legere Epiſtolam, nec Euangelium, poterit, dum cantatur illa, tractum & verſus dicere, & dum hoc, cætera quæ illud ſequuntur. At hoc militat contra communem Eccleſiæ praxim, nec admitti poteſt: *Ergo* illa Dianæ ſententia, ex quâ hoc abſurdum ſequitur, eſt reijcienda.

Quid de miſſa dicendum ſit?

DCCLXXXVI. An Scythæ duas reales & phyſicas linguas habeant?

QVINTO'ſi vera ſunt, quæ de Scythis nõnullis leguntur, videlicet ſingulos binis linguis præditos & poſſe aut etiam ſolere binas voces formare, & ſimul periodos diuerſas efferre [Et quidem hanc eſſe hiſtoriam impoſſibilem (eſto uera vel falſa) non auderem aſſerere: ſi enim duabus manibus vtitur Organœdus diuerſimodè, cur non etiam poſſet duabus linguis, ſi duas haberet? Accedit, quòd cantorem ruſticum in Galleciâ viderimus, qui duas voces formaret; alteram profundam, & in eodem puncto conſtantem, gutturali ſimillimam; claram alteram, variam, & per modulorum diminutiones percurrentem] Vel omittendo quæſtionem de facto, ſi Deus aliquos homines bilingues conderet, qui dum alterâ linguâ vnam rem dicerent, alterâ poſſent proferre ſeu exprimere aliam: dicendum omninò eſſet, ſtando probabilitati ſententiç, quam impugno, eiuſcemodi homines, ſi celebrarent, poſſe altera linguâ epiſtolam, & alterâ euangelium legere: alterâ conſecrare hoſtiam, alterâ calicem, quod nobis videtur abſurdum. Et veniendo ad Officium Diuinum, eſſet omninò addendum, eoſdem homines duas ſimul horas legendo, obligationi recitandi Officium Diuinum ſatisfacturos. At quia bilingues iſti homines aut non reperiuntur in mundo, aut ſaltem non ſunt in Europâ, hæc conſequentia non videtur concernere praxim, nec debere vberiùs aut ſtrictiùs vrgeri.

An vnaj poſſit homo lingua formare ſimul varias voces?

Quomodo ſit phyloſophandum de hominibus, qui haberẽt plures linguas?

DCCLXXXVII. An Communitas poſſit ſimul duas horas legere? an duos actus celebrare?

SEXTO', hoc ipſum neceſsariò deberet ad Communitates traduci: ipſæ enim omnes ſunt multilingues. Quid enim, ſtando huic doctrinæ, vetaret, magnam Communitatem in decem manipulos diuidi, & cùm vnus recitat Matutinum, & alius Laudes, alium Primam, & alios cæteras horas recitare; & quaſi horæ quadrante graui & moleſtæ publici Officij obligationi ſatisfacere? Negabis conſequentiam: quia horæ Canonicæ dicunt diſcretionem & ſucceſſionem: Ergo idem dic etiam de miſsâ, quæ ſicut ſucceſſiuè dici, debet etiam ſucceſſiuè audiri.

Nulla deberent in Officio Diuino repeti.

SEPTIMO'in Officio Diuino nonnulla pluries repetuntur, An-ne hæc toties deberent repeti? Reſpondi olim, duas opiniones eſſe diuerſas aut etiam aduerſas, quas reſpicere poſſet, qui vellet huic dubio ſatisfacere. Altera probabiliter docet, ſingulas horas Canonicas diuerſis ſubiacere præceptis; altera etiam probabiliter, totum Officium vnico. Alterutram viam ingrediamur, in eam Concluſionem veniemus, quæ docet, omnes verſus, orationes, &c. debere omninò repeti, & toties legi, quoties præcipiunt Rubricæ. Hæc dixi ſtando rationi, & communi doctrinæ: at hodie, ſi hanc Dianæ reſolutionem, quam dilucido, admitterem, dicerem, in Officio Diuino, etſi totum vni præcepto correſpondeat, poſſe dici ſemel tantùm *Pater* & *Aue*; ſemel *Credo*; ſemel *Deus in adiutorium*; ſemel *Gloria Patri*; ſemel Oratio; & ſemel Pſalmus, qui in horis diuerſis ſolet repeti. Et ratio eſt manifeſta: quia ad Dianæ mentem non ſolùm ſimul duobus præceptis, ſed etiam ſimul duabus præcepti partibus poſſumus ſatisfacere.

An Officium vnico præcepto reſpõdeat?

An vnico actu poſſimus duobus præceptis ſatisfacere?

Hinc igitur contra Dianam iſtud ratiocinium efformo: *Non ſufficit ſemel legere in Officio Diuino, quæ pluries legenda iubentur: at ſi eadẽ actione poſſemus diuerſis partibus eiuſdem præcepti ſatisfacere, etiam eadem lectione vnius* Pater & Aue *v. gr ſatisfacere pro omnibus Orationibus Dominicis et pro omnibus Salutationibus Angelicis, quæ in omnibus horis leguntur, &c. Falſum eſt igitur, poſſe hominem vnica actione duabus præcepti partibus ſatisfacere: Ergo falſum etiam erit, poſſe ſimul duabus miſſæ partibus ſatisfacere.*

DCCLXXXVIII.

OCTAVO', ſi cui Roſarium legere præciperetur (hoc eſt quindecies *Pater*, & centies quinquagies *Aue*) legẽdo ſemel *Pater*, & ſemel *Aue* ſatisfaceret, quia ſingula *Pater* & ſingula *Aue* diuerſis præcepti partibus correſpondent, & poſſumus, ſtando Dianæ reſolutioni, eodem ſimul tẽpore diuerſis præcepti partibus ſatisfacere. Et quia de obligationibus ortis à voto, & ortis à præcepto aliqui pariformiter philoſophantur, idem certè de illo deberent, qui vouiſſent Roſarium.

An lectione vnius *Aue*-Maria poſſit aliquis ſatisfacere toti Roſario?

Sanè in Officio Diuino, in votis, in præceptis, quod pluries repeti iubetur, pluries etiam repetendum eſt. Cùm igitur falſa ex veris ſequi non poſſint, dicendum eſt hoc & pluribus alijs titulis, quos dedi, quos & addere poſſem, eſſe falſam Dianæ doctiſſimi Viri ſententiam, è quâ tot abſurda ſequũtur.

An-ne hæc omnia Diana admittet? non puto. Quid ergo? vel hæc omnia debebit tranſglutire, vel à principali opinione diſcedere.

Diana

Dianæ Reſponſio.

DCCLXXXIX. SIc placuit contra Virum doctiſſimum argumentari, vt innoteſcat veritas, & quæſtio radicitùs examinetur. Proderit nunc Dianam audire, qui ſic ait.

An ex duabus miſſæ partibus poſſit fieri vna miſſa moraliter: & non ex pluribus partibus?

[Sed ego nec ab ipſo ſuperiùs dicta tranſglutiam; timerem enim ſuffocari; nec ſententiam, quam vt probabilem docui, relinquam. Et ratio eſt, quia in auditione duarum partium miſſæ quis humano modo dicitur aſſiſtere ſacrificio, & ſatisfacere præcepto, & moraliter audire vnam miſſam; quod negandum eſt poſſe dici, & accidere in exemplis à Caramuel allatis] Et Ego aio, idem per idem reſponderi; pronuncio enim: *Si moraliter audit vnum ſacrum, qui duas medias partes audit ſimul; etiam audit vnum moraliter ſacrum, qui quatuor quadrantes, aut ſex ſextantes ſimul audit.*

Oportet igitur, aut omnia licitè fieri negare, aut omnia licitè fieri concedere, aut ob oculos ponere diſparitatem. Hoc argumentum non urgere inquit Diana, & probat authoritate Leandri, quam his verbis proponit [Ideò nec cùm Leander *de Præceptis Eccleſiæ tract. 2. diſput. 1 quæſt. 56.* docuerit noſtram ſententiam, nempè poſſe aliquem ſatisfacere præcepto, audiendo eodem tempore duas partes miſſæ, tamen poſteà *quæſt. 57* non eſt auſus dicere, imò negauit apertiſſimè in reſponſione primâ, non adimplere præceptum, qui ſex partes miſſarum audiret, vt malè inferebat Caramuel vbi ſupra] Sed ait Caramuel, Dianam, Leandrum in eodem phaſelo nauigari, imò periclitari, nec ſufficere conſequentiam negare, ſed debere oſtendere diſparitatem. *Sanè Leander*, eſt enim ingenio magno præditus, ſentiens conſequentiæ virtutem, & *reſponſ. 2.* illam rotunde admittit, ſubditque [Nec exiſtimes, ô Theologe, hanc noſtram ſententiam eſſe nimis laxam, aut contra bonos mores; quia, cùm omninò, moraliter loquendo, non ſit practicabilis, nec laxa alicui, nec contra bonos mores videri poteſt: eſt igitur ſpeculatiuè, & metaphiſicè ex principijs intrinſecis probabilis; practicè verò, moraliter loquendo, minimè, quia illud, quod ſpeculando aſſerimus, nequit ad praxim moraliter reduci. Vnde ad praxim nec prodeſt, nec obeſt hæc ſententia, licèt proſit ad cognoſcendam ſpeculatiuam veritatem] Hæc ille. Ego autem tria dico: non poſſe Dianam Leandri authoritate propugnari; Verba Leandri nõ eſſe vera nec ad rem. *Non primum*: quia ſicut Dianam, ſic & Leandrum, ſi illi conſentiat, impugnabo. *Non ſecundum*: quia caſus eſt practicabilis (& vtinam propter eorum authoritatem non ſit frequens) quid enim vetat vt vel caſu, vel ex condicto, quando in altero altari eleuatur, in altero incipiatur miſſa? quis enim præter Leandrum audebit dicere, caſum hunc, moraliter loquendo, ad praxim reduci non poſſe? Sanè moraliter impracticabilem eum non dicit Ieronymus Garzia, qui, vt inferiùs videbimus, hanc opinionem conſulit: in eo nimirùm caſu, quo aliquis obruatur negotijs, & feſtinet. *Non tertiũ*: quia ſi hæc ſententia Leandri prodeſt ad cognoſcendã veritatẽ, vt ait, & eſt ſpeculatiuè & ex principijs intrinſecis probabilis, etiã ſpeculatiuè & ex principijs intrinſecis erunt probabilia, quæ ex illâ à nobis inferebantur.

Veritatis & conſequentiæ vis.

An hæc doctrina poſſit reduci ad praxim;

Dialectica me ducit ad Officium Diuinũ, & Diana contra inſurgit & ait [Ad illam verò illationem, quam ſuprà infert Caramuel *in Corollario ſecundo, & tertio*, reſpondet Leander *loco citato. quæſt. 57.* falſum eſſe, quòd quis adimpleret præceptum recitandi horas, qui ſimul audiret à tribus ſocijs tres lectiones et minùs qui à nouem ſocijs, nouẽ lectiones ſimul audiret; ab vno capitulum, ab alio orationes, &c quia, vt quis Diuino Officio ſatisfaciat, vltra attentionem ad Deum debet neceſſariò audire diſtinctè verba recitantium cum illo, aut legentium, quod nullo modo poteſt præſtare audiendo nouem ſocios, lectiones nouem diuerſas recitantes, vt conſtat] Ita Leander.

DCCXC. An etiam ad Canonicas horas extendi?

Sed hîc Diana iterum in ſuas opiniones impingit; ſi enim contentus eſt lectione & attentione extrinſecâ, & *part. 2. tract. 12 reſol. 2.* affirmat eum, qui eſt voluntariè diſtractus, ſatisfacere recitandi præcepto, cur modò cum Leandro vult legentem Officium Diuinum ad attentionem ad Deum, hoc eſt, ad attentionem internam obligare? Et, ſi ego non teneor audire diſtinctè, hoc eſt, attentè, verba, quæ recito, cur tenebor audire diſtinctè, hoc eſt attentè, quæ ſocius recitabit? Sic interpretor illam vocem *diſtinctè*: quoniam, ſi non agatur de attentione internâ, ſed de auditione externâ, me poſſe nouem vel plures ſimul audire diſtinctè certum eſt, & demonſtrat enarmonicus cantus, in quo ſenſus exterior multas voces ſimul reſonantes ita diſtinctè percipit, vt ſi contingat error, poſſit deſignare Director, cuius negligentiâ ille acciderit. Præterea, ſic contra Dianam ſecundum ratiocinium efformo: Tanta eſt vis argumenti poſiti, vt debeat Diana mutare fundamentum, ne concluſionem mutet: ſed facilius eſt mutare concluſionem, quàm fundamentum: Ergo potiùs deberet Diana retractare ſentẽtiam, quæ docet, *poſſe hominem ſimul audire duas medias partes miſſæ*, quàm quæ docet, *attentionem internam non requiri.*

DCCXCI. An interna attentio in Officio Diuino legendo, aut etiam audiendo requiratur?

An poſſimus diſtinctè multas voces ſimul audire?

An concluſionem deberet potiùs Diana, quã fundamentum retractare?

An interna requiratur attentio?

Reſponſio merè probabilis non reddit oppoſitam ſentẽtiam improbabilem.

Addo tertium. Ratio (cùm agitur de probabilitate) non eliditur ſolutione merè probabili: ſed Diana & Leander, vt poſitam rationem enernent, dant ſolutionem merè probabilem; ergo illam non elidunt, nec ſuadent non eſſe probabilem. Conſequentia eſt legitima. Maior certa: quia probabilita-

tem alia probabilitas non impugnat, ſed omninò propugnat; eſt enim bona conſequentia: *Hæc opinio eſt probabilis: ergo & oppoſita eſt probabilis*. Minor etiam eſt certa, quia ſolutio recurrit ad attentionem internam, quam probabilis opinio (nimirùm, reiecta à Dianâ & a plurimis) poſtulat.

DCCXCI. HVcuſque & per iſtas inſtantias mihi placuit cum meo Dianâ diſserere: vult vt quieſcam, & taceam, adquieſco: *Vtrũ meo argumento ſit ſatisfactum, alij viderint*: Dianam modò perorantem audiamus. Sic enim inſit.

Quid ſit in hac controuerſia probabilius?

Adduntur Authores pro opinione Dianæ.

[Relinquendo itaque illationes Caramuelis, deductas ex noſtrâ opinione de auditione duarum partium miſſæ, illam denuò auctoritate ſtabilire conabor: & præter Leãdrum, Azorium, Baſſæum, Dicaſtillum, Geſualdum, Bonaccinam, Fauſtum, Molfeſium, Baunium, Hurtadum, & alios à me alibi adductos, nouiſſimè hanc ſentẽtiam, me etiam citato, docet Remigius ex Clericis Minoribus *in practica Confeſsariorum tract. 7. cap. 3. § 1. num. 4.* vbi ſic ait: *Como puede vno oyr tres miſsas en vn miſmo tiempo, y ſatisfacer con el precepto de la Igleſia con el voto, y penitencia de oyr miſsa, no ay razon para dezir que no ſatisface al precepto de la Igleſia el que en vn miſmo tiempo oye la media miſsa de vno, y otra media de otro Sacerdote; Quia ſicut ſe habet totum ad totum, ita & pars ad partem*. Hanc etiam ſententiam, me citato, tenet Pater Hyeronimus Garzia *in Theol. Moral. tract. 4. difficult. 4. num. 7.* ſic aſſerens: *Pero non obſtante lodicho, algunos tienen por prouable la contraria, de que ſe cumplira con el precepto oyendo las dos mitades iuntamente; lo vno porque la Igleſia ne manda que ſe oyga la miſsa de vn Sacerdote, ſino que abſolutamente ſe oyga vna miſsa; eſt tal oye dos medias, que hazen moralmente vna miſsa; luego cumple con el precepto. Confirma ſe, porque ſi yo tuuieſe obligacion de oyr dos miſsas, podria iuntamente oyr à entrambas, y cumplir con mi obligacion, luego tanbien puedo complir con el precepto oyendo dos mitates de vna. Por todo lo qual ſe vee que eſta opinion tiene prouabilidad, y que en caſo que vno tenga mucha prieſa, ſe puede aprouechar della tuta conſcientia, pues tiene por ſi tantos Dotores, y razones de congruencia.* Ita ille. Vide etiam, me citato, Rocaful. *in praxi Theol. moral. tom. 2. lib. 2. de præceot. Eccleſ. cap. 2. dab. 2. num. 24.* Et hanc ſententiam, me citato, non putat improbabilem Trullench *in Decal. tom. 1. lib. 3. cap. 1. dub. 5. num. 9.* & me citato, probabilem vocat Hermanus Buſenbaum *in medulla Theolog. moral. lib. 3. tract. 3. cap. 1. dub. 3. num. 5.* obſeruandum eſt tamen, quòd licèt omnia à me ſuperiùs dicta de ſatisfactione præcepti, audiendo duas partes miſſæ ſimul à duobus Sacerdotibus, non careant probabilitate; tamen exiſtimo, contrariam ſententiam eſſe probabiliorem, & conſulendam, quam nouiſſimè præter alios docet ex Villalobos Ioannes de Soria *in Epilogo ſummarum par. 2. tract 1. ſect. 5. diſp. 2. de Præcept. Eccleſ. tit. de præcepto audiendi miſſam*] Hucuſque Diana.

Argumentũ à toto ad partem.

An Eccleſia iubeat audiri miſsam ab eodem Sacerdote.

An rationes congruentes ſufficiãt, vbi agitur de ſubſtantia præceptis.

DCCXCIII. Et hîc obiter noto Remigium, quem paulò antè citabat, & Leandrum, quem ſuperiùs produxit, clariùs poſſe impugnari. *Poteſt Petrus* ait Diana, *audire ſimul duas miſſas, & ſic ſatisfacere duabus obligationibus*: addit Remigius: *Poteſt audire ſimul tres miſſas, & ſic ſatisfacere tribus obligationibus; nempè, præcepto, pœnitentiæ, & voto'*. & cur, quæſo, non poterit dicere alius. *Poteſt ſimul audire quatuor, quinque, vel plures miſſas, & ſic ſatisfacere ſimul quatuor, quinque, vel pluribus obligationibus*. Præterea ſic dialecticatur Diana: *Poteſt Petrus ſimul audire duas miſſas & ſic ſatisfacere duabus obligationibus: ergo poterit ſimul audire duas medias miſſas, & ſic ſatisfacere præcepto audiendi miſsam die feſto*. Ergo Remigius debebat ſic argumentari: *Poteſt Petrus, ſimul audire tres miſsas, & ſimul tribus obligationibus ſatisfacere: ergo ſimul poterit audire tres trientes miſsas* (putà in vno altari ab introitu ad ptæfationem, in alio à præfatione ad communionem, & in alio à communione ad finem) *& ſic citò præcepto Eccleſiæ ſatisfacere*. Progreditur vlteriùs Leander, & ſubſumit: *Poteſt Petrus ſimul audire quatuor miſsas, & ſic quatuor obligationibus ſatisfacere: ergo ſimul poterit audire quatuor miſsas quadrãtes, & ſic præcepto Eccleſiæ de miſsa audienda ſatisfacere*. Ergo Diana, Remigius, Leander æquè bene poterunt argumentari ſic: *Poteſt ſimul audire multas partes: ergo, ſi audiendo ſimul tres trientes aut etiam audiendo ſimul quatuor quadrantes ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, etiam audiendo octo octantes eidem præcepto ſatisfaciet*. Atqui conſequens eſt falſum: Ergo etiam eſt falſum antecedens, ex quo illud neceſſariò deducitur.

DCCXCIII Diana, Remigius, & Leander impugnantur.

FVN-

FVNDAMENTVM XXXII.

De Legum materia quoad durationem.

DCCXCIV. Duratio est circumstantia aggrauans.

MEra duratio temporis non multiplicat culpas; est circumstantia notabilis, non tamen quæ mutet speciem. Quanto tempore commissum sit peccatum, non debet in confessione exponi. At debet pœnitens animaduertere, durationem non esse semper meram; solet enim interdùm aut moraliter retractari voluntas, & hinc multiplicari peccata: & solet ignorari peccatorum numerus, & tunc duratio exponitur, vt vel inde plùs minùs numerus illorum colligatur; nam Hæreticus, vel inueterata Meretrix, cùm non possint determinare peccatorum numerum, prudenter dicent, tanto se fuisse tempore in illo peccaminoso statu, vt coniectetur Confessarius peccatorum numerum, quo modo possit.

Quo debeat modo meretrix confiteri.

An aliquando debeat in confessione exponi.

Retractatio voluntatis duplex: realis & mortalis.

Consultò dixi *duratione temporis moraliter retractari voluntatem*, non quòd illa sola voluntatem retractet, sed quòd interdùm secum circumstantias adducat, quibus cum voluntas prior componi non potest: & tunc dicitur retractare moraliter, hoc est, virtualiter; ita enim se habet, ac si realiter voluntatem sisteret, aut retractaret.

DCCXCV. POrrò, si semel libertas concedatur sufficiens, materia grauis, & plenus voluntatis consensus, vnico solo istanti poterit mortale peccatum committi. Sed tu, quia alios Authores etiam legis, interrogas.

An breuitas temporis excuset à peccato mortali?

Dianæ opinio.

An in proprietate tẽporis breuitas excusat.

DIana *part.* 1. *tract.* 6. *res.* 42. agens de paupertate, respondet affertiuè: cuius hæc verba sunt [Notandum est etiam, quòd si talis Religiosus absolutè recipiat pecuniam (nimirùm inscio Abbate) sed ad breue tempus retineat, vt quia expectatur nouus Prælatus, vel scribat statim Generali vel Prouinciali pro licentiâ, peccabit tantùm venialiter] & subscribit, hæc esse valde notanda, quia multùm practicabilia.

At Ego propter alias circumstantias fortè excusari hunc Religiosum posse existimo: at à temporis breuitate posse sumi excusationem non video: illi enim ne vnâ quidem horâ (imò neque vno momento) licet esse proprietario.

An in furore breuitas temporis excuset.

PAulus etiam respondet affertiuè agens de iracundiâ: quoniam homines, furore perciti, non pauca solent facere, quæ rata non habent postea, cùm se sibi restituunt. *ideòque* (verba eius sunt) *breui reuersa vxor, nec diuertisse videtur.* Ita ille *libr.* 35. *ad Edictum.* Vide Tit. *de diuortio.* & me inferiùs *num.* 1178.

An actus primò primi sint liberi.

Sanè in hoc & similibus casibus non excusat breuitas temporis, sed ex temporis breuitate colligimus hominem irâ percitum non processisse liberè; adeoque actus eiusmodi illorum, qui *primò primi* vocantur, censui adscribimus, & quia sæpe tales sunt, semper esse tales præsumimus; inspicimus enim in obscuris, quod plerumque fieri consueuit. Ex Reg. XLV.

Bene ab eo, quod plerũque accidit, argumentũ deducitur.

FVNDAMENTVM XXXIII.

De Legum materia quoad locum.

DCCXCVI.



Vnt Leges de loco, quæ præcipiunt ẽsse in tali vel tali, non ingredi in talem aut talem, & hæ non semper obligant grauiter, nisi locus ratione circumstantiarum grauitatem adquirat.

Vbi nam debeat præcepto satisfieri?

De legibus, quæ non determinant specialiter locum, inquiri poterit, An possint impleri in quocumque? hoc est, An dentur aliqua incapacia aut indigna, in quibus dignioribus non possit præceptis satisfieri? Puto, distingui debere solennitatem publicam ab obseruantia priuata; nam hæc controuersia ex magna parte à prudentum apprehensione dependet.

DCCXCVII.

OCcurrit lex illa sæcularis, quę iubet ut tali die, tali horâ omnes in forum aut Ecclesiam conueniant; talem locum non ineant, &c. quæ stando illi sententiæ, quæ docet, cessante fine adæquato legum in particulari, non cessare ipsas leges, erit obligatoria, si finis, qui intenditur, sit magnus. At, stando sententiæ oppositæ, respiciendus erit finis, examinandumque, An cesset in particulari?

An cessante fine cesset lex.

Occurrit etiam illud dubium, quod inquirit, An Officio Diuino possimus in loco immundo satisfacere? Respondi affirmatiuè *in Commentario in Regulam D. Benedicti nu.* 1326. & tametsi multa audiuerim contrà, nihil omninò quod scribi hîc & dissolui sit dignum.

De loco immundo.

FVNDAMEMTVM XXXIV.

De Legum materia quoad situm, & partium præceptarum ordinem.

An ordinẽ mutare sit mortale?



IN materia præcepta dantur partes, & in ipsis ordo etiam præceptus: si enim aliquando non præcipitur ordo, nullus debet necessariò seruari. Sed quanta est culpa satisfacere præcepto quoad substantiam, & deficere in ordine, puta, agendo priùs, quæ debeant posteriùs? Respondeo, ab his, quæ diximus superiùs *num.* 712. solutionem pendere. Sæpe enim ordo est de essentia rei, vnde in Missa Consecratio essentialiter postulat, vt consumptionem

DCCXCVIII

Ordo est duplex: essentialis & accidentalis.

nem præcedat: quo enim modo poterit Sacerdos corpus & ſanguinem Chriſti Domini ſumere, niſi Conſecratio præcedat? Sæpe etiam ordo eſt de eſsentia & ſubſtantia præcepti. Sic in eadem Miſsa ordo, quem ſeruant Epiſtola, Euangelium, Præfatio, &c. inter ſe eſt modus ſubſtantialis moralis, intentus & præceptus per ſe, vnde qui illum mutaret, mortalis peccati eſset reus. In Officio Diuino benigniùs procedit Eccleſia: præcipit enim lectionem ipſam per ſe, ordinem ad meliùs; vnde ipſamet lectio pertinet ad præcepti obiectiui ſubſtantiam; ordo autem ad accidentalem modum obiectiui præcepti: Eiuſmodi autem modalem defectum in Officio Diuino, ſi ſine cauſa admiſsus ſit, venialis culpæ arguit communis Theologorum Opinio, excuſatque ab omni peccato, ſi interuenerit rationabilis cauſa.

Ordo in Miſſa eſt eſſentialis.

In Officio Diuino accidentalis.

DCCXCIX. Ordo alius eſt accidentalis, & alius ſubſtantialis.

AGimus de ordine: &, vt vitetur hallucinatio & confuſio, oportet eſſentialem ab accidentario diſtinguere: nam vbi ordo ad ſubſtantiam ſpectat, non poterit ille ſine culpâ graui alterari; in caſu nimirùm, quòd hæc ordinis alteratio alicui innocenti præiudicet.

Ordo charitatis.

Rem exemplo dilucido. Charitas præcipit amorem ordinatum, hoc eſt, amare Deum ſupra omnia, ſe infra Deum, ſed parentes, &c. ſupra cæteros. Qui amat amore amicitiæ non amat amicum plùs, quàm ſe; ſed ſe & ſua ordinat ad vtilitatẽ amici: nam Deus amat homines amore amicitiæ, quos tamen minùs amat, quàm ſe. Teneo igitur debere ordinem Iuſtitiæ & Charitatis grauiter obſeruari, quoties contrarium ſine proximi grauiactura fieri nequit.

In Sacramẽtorum partibus datur ordo.

Addo aliud multò clarius Exemplum. In Sacramento Pœnitentiæ ſunt dolor, confeſsio, abſolutio, quæ ordinem neceſſariò requirunt: qui enim priùs abſolueret & poſteà confeſsionem audiret, mutaret eſſentialem ordinem, & peccaret mortaliter.

Ordo duplex, obiectorum & actuum.

Poſſem addere plura exempla, quæ occurrunt, ſed iſta duo ſufficiant, vt ſciamus, ordinem eſſentialem interdùm reperiri in obiectis, interdùm in ipſiſmet actibus, quæ diſtinctio debet bene conſiderari.

Simultas eſſentialis.

Sicut datur eſſentialis ordo, datur etiam eſſentialis ſimultas; nam in Sacramentis coëxiſtere debent materia & forma, non enim conficeretur Sacramentum, ſi materia poneretur hodie & forma cras.

FVNDAMENTVM XXXV.

De Legum materia quoad Habere.

DCCC. Quænam ad hoc prædicamentum pertineant?

VLtimum Metaphyſici Prædicamentum vocant *Habere*, & ad illud pertinent veræ ſubſtantiæ, quæ habentur: & vt videamus, quid habeat legaliter materia præcepta, aut non habeat, volo hic tantiſper hærere. Explicabo igitur *modos Habendi* priùs, & poſteà moralia illuſtrabo: non enim vulgò bene exponitur iſtud Prædicamentum. Attende.

An bene hoc Prædicamẽtum in Schola explicetur.

An ne materia, forma, eſſentia, ſubſiſtentia, exiſtentia, &c. quà habitæ ad iſtud prædicamẽtum pertineant.

Alia habentur intrinſecè & eſsentialiter, alia extrinſecè ſeu accidentaliter: prioris generis ſunt partes phyſicæ (materia & forma) metaphyſicæ (natura & ſubſiſtentia) integrales ſeu partes quantitatis diſcretæ aut con-

Quædam habentur intrinſecè, quædam extrinſecè.

continuæ) & iſta non pertinent ad hoc Prædicamentum, ad quod illæ ſolùm ſpectant ſubſtantiæ, quæ habentur extrinſecè & accidentaliter. At iſtæ multis modis habentur, & præcipuè, naturaliter, artificialiter, mõraliter. Aues naturaliter habent plumas, animalia terreſtria pilos, capillos, etiam vngues, dentes, & cornua, ſi iſta alia anima vegetari, & non pertinere ad ſubſtantiam animalis dicantur. Homines artificialiter habent ueſtes, arma, &c. equi frena et ephippia; clitelas aſini; periſtromata muri; columnę et ſtatuę ornamenta. Habemus moraliter amicos, diuitias, dignitates, famulos, ſubditos, mancipia, etc. *His poſitis*, quę non debent confundi, attentè inſpiciamus moralia.

Quædam naturaliter, quædam artificialiter, quædam moraliter.

Habere naturale.

Habere artificiale.

Habere morale.

An arma & veſtes ad hoc vltimũ Prædicamẽtum pertineant?

ERgo Peripatetici, cùm veſtes & arma ad hoc vltimum Prædicamentum pertinere reſoluunt, & bene pronunciant, & male: bene, quia reuerâ ad hoc illa Prædicamentum ſpectant: male, quia *Syſtema* naturale & artificiale confundunt: & qui egerant de *Subſtantiâ* & Accidentibus naturalibus, debebant etiam agere de Habere naturali. Nos Philoſophiam artificialem ſcripſimus, & in eâ de materiâ artificiali, de formis & vnionibus artificialibus, de accidentibus artificialibus, &c. diſſeruimus; & illam clauſimus Prædicamento habendi artificialiter. Scio, aliquos has artificiales habitudines ad naturam reducere voluiſſe, fingendo, neſcio quos, naturales modos in homine ad induendum veſtes, quos noluerunt brutis & ſtatuis concedere. Sed modorum ſunt prodigi, nec vt habeamus veſtes, capacitate & habitudine à corpore diſtinctâ indigemus. Alij communi Prædicamentorum numero addiderunt duo, alterum pro entibus rationis, & alterum pro moralitatibus, ſed non bene: Moralitates enim (& idem dicito de Entibus rationis, ſi illos admittas) integrum Syſtema conſtituunt, quod eſt aggregatum decem Prædicamẽtorum moralium ſub vno Ente morali. De ſubſtantiâ & accidentibus moralibus multa iam diximus, quæ erunt fundamenta ſæcuriſſima eorum omnium, quæ libris cæteris dictati ſumus: ſed quia ſumus in *Habendi* ignotiſſimâ Categoriâ, adnoto *Habere morale* veteres cognouiſſe & admiſiſſe, & â reali & phyſico diſtinxiſſe; quod nullo meliori modo probare potero, quàm S. Gregorium Papam, ordinis Benedictini gloriam & ornamentum, producendo.

An Habere ſit modus?

An Entia rationis, & moralitates duo noua Prædicamẽta conſtituant?

Non eſt certum dari Entia rationis.

Dantur ſubſtantiæ morales, nec nõ Accidentia moralia.

Metethica S. Gregorij.

IN Moralitatum ſpeculatione S. Gregorius multus eſt: vbicumque, prout locus & occaſio poſtulant de Moralibus, ſicut de Phyſicis philoſophatur, at Homilia 32. in Euangelia (quæ in communi vnius Martyris ſub tertium nocturnum recitatur) & breue quoddam Moralis Philoſophiæ compendium, quod breuiſſimo periodorum contextu ponit ob oculos omnia Prædicamenta moralia. Hæreamus igitur tantisper hîc, & vt promoueatur deuotio & eruditio, lineas aliquas, plenas conceptibus, recognoſcamus.

SVBSTANTIA.

Quia Dominus ac Redemptor noſter, nouus homo venit in mundum, noua præcepta dedit mundo. Vitæ enim noſtræ veteri, in vitijs enutritæ, contrarietatem oppoſuit nouitatis ſuæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo nouerat, niſi ſua retinere, aliena rapere ſi poſſet, concupiſcere, ſi non poſſet.

Homo nouus.

Homo vetus.

Homo ſpiritualis.

Homo carnalis.

Ecce *homo* (ſubſtantia eſt) ſumitur moraliter, cùm dicitur *Nouus homo*, *Vetus homo*, *Spiritualis homo*, *Carnalis homo*: quo etiam ſenſu exuere veterem hominem, et nouum inducere iubemur.

QVANTITAS.

Magni & Magnates vnde dicti.

Opes et dignitates ad Quantitatem moralem pertinere videntur. Vnde *Magni* et *Magnates* dicuntur, qui in Republicâ ſummi. Ergo in declamatione iſtâ diſſerit de morali quantitate Gregorius.

QVALITAS.

Medicina moralis.

Morbi morales.

Medicamẽta moralia.

Vitia & virtutes ſunt qualitates morales.

Contraria curantur cõtrarijs.

Qualitates morales pulchrè componit & opponit: de morbis Animæ, & de remedijs diſſerit, & nouæ Medicinę, vtiliſſimam ſcholam aperit, in quâ Præceptor Summus Chriſtus ſit, & Nos omnes diſcipuli: inquit enim. *Cæleſtis Medicus ſingulis quibuſque vitijs obuiantia adhibet medicamenta. Nam ſicut arte Medicinæ calida frigidis, & frigida calidis curantur; ita Dominus noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis præciperet humilitatem.*

RELATIO.

Inter extrema realia reales relationes ponuntur: ergo analogia poſtulat, vt mutua virtutum connexio, earumque cum vitijs oppoſitio, de quibus hîc Gregorius diſputat, ſint quædam relationes morales.

QVANDO.

De exiſtentia: ad quod illa prædicamentũ ſpectet?

Eſſe duplex.

Non eſſe duplex.

Quando, Prædicamentum eſt non valde notum: ad illud enim aliqui exiſtentiam reducunt, quam alij putant pertinere ad ſubſtantiam. Alij duplex *eſſe* diſtinguunt, ſubſtantiale & accidentale; illud conſiſtit in eſſentialium Prædicatorum exercitio; iſtud in Perſiſtentiâ & Durationc. Ergo dabitur in mora-

Nihil morale.

moralibus duplex *non esse*; aliud, vi cuius homo pius moraliter careat existentiâ: aliud, vi cuius moraliter careat essentia, vi cuius sit nihil moraliter. Huc pertinent illa verba Christi: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*. Huc etiam illa: *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Ibi enim agitur de esse morali substantiali: hic autem de morali accidentali: quod vel ad Quantitatem, quam constituunt diuitiæ; vel ad Qualitatem, quam dignitates occupant; vel ad *Quando*, & existentiam, qui enim rerum sunt indigni, non existunt ciuiliter: vel tandem ad *Habere*, quod possessiones vniuersæ peruadunt. Vtrumque hominum *esse* (substantiale & accidentale) comparat eruditissimè noster Gregorius; illum audi. *Hic dicitur vt abnegemus nostra, hic dicitur vt abnegemus nos*. Et *fortasse laboriosum non est homini relinquere sua: sed valde laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare quod habet: valde autem multum est abnegare quod est.*

Matth. 16. 24.

Relinquere sua.

Relinquere se.

ACTIO. PASSIO,

De actionibus et passionibus moralibus, hoc est, bonis & malis, est totus orationis cõtextus.

VBI.

Agit etiam de loco morali; perducit enim hominem de statu peccati ad statum gratiæ: ex hac valle lacrymarũ ad Empyreũ & gloriã

SITVS.

Situm non negligit; suadet enim, vt stemus, ne cadamus: vt percurramus viam vitæ, & suffixi Cruci, sequamur Christum Dominum crucifixum.

Et quia Habere morale vltimum prædicamentum constituit, claudit discursum suum hoc monito. *Ad se autem nobis venientibus Dominus præcepit, vt renunciemus nostris: quia quicumque ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident: nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam, si uestitus quispiam cum nudo luctatur, citiùs ad terram deijcitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra Diabolum ad certamen properat, uestimenta abijciat, ne succumbat.*

HABERE.

An Dœmones possideant aliquid?

Terrena omnia, quæ habentur humanitùs, sũt vestes morales.

Ecce quantâ Gregorius breuitate omnia decem Prædicamenta composuit & exposuit: quanto acumine dilucidauit. Possem vberiùs commentarium adiungere, sed cur eum gloria breuitatis priuabo. Hæc igitur satis sint de nostri Gregorij Metethicâ.

Ad Prædicamentum *Habere* nos suo discursu reduxit Pontifex Sanctissimus & Eruditissimus: & eiusdem insistendo vestigijs, in præceptis obiectiuis (hoc est, in rebus, quæ præcipiũtur aut interdicũtur) quæ habentur intrinsecùs & essentialiter, & quæ extrinsecùs & accidentaliter, examinemus.

Primò, materia interdicta, si generica sit, habet differentias contractiuas, quæ, si interdictæ etiam sint, transferunt genus ad diuersas species peccatorum; & si non sint specialiter interdictæ, contrahunt genus physicè, sed non moraliter. Illæ debent in confessione exponi; non istæ.

Quæ sint circumstantiæ mutantes speciem.

DCoCI. Est necessarium explicare in confessione iniuriæ speciem.

HAEc resolutio exemplo clarissimo dilucidabitur. Iniuria est ratio generica mala & peccaminosa, & contrahitur ad homicidium furtumque per duas differentias specialiter interdictas; nam homicidia quinto, & furta septimo præcepto Decalogi sunt interdicta. Sed homicidium contrahitur instrumentaliter ad illud, quod fit ense, quod lapide, quod sclopeto, &c. & furtum contrahitur materialiter ad illud, quod est auri, argenti, panni, serici, &c. Sed hæ duæ contractiones vltimæ sunt per differentias non interdictas. Sunt, qui dicunt, virum & fœminam in esse physico consideratos differre quidem specie inadæquata (quod est dicere differre quidem specie; sed debere hanc veritatem verbis moderatis proponi, ne ignorantes causentur) at non dicent occidere fœminam, et occidere virum esse peccata distincta specie, vel inadæquatâ; quia illæ differentiæ, etsi dicantur specificæ, non sunt interdictæ specialiter. Sic etiam nefandum illud crimen, quod vocatur *Bestialitas*, non dicit specie, si cum diuersis brutis committatur, et si hæc distinguantur specie; quia hæ ipsæ brutorum differentiæ specificæ, cùm non sint specialiter interdictæ, non augent malitiam specialem. Sic etiam contrâ philosophandum est: nam sæcularis & sacerdos non distinguuntur specie, & tamen occidere sæcularem, et occidere sacerdotem sunt peccata distincta specie, quia sacerdotij violati circumstantia habet specialem malitiam, ex Canone: *si quis suadente Diabolo*.

De distinctione specifica inadæquata; An debeat in confessione exponi?

Bestialitas.

Sacerdoticidium.

Secundò

DCCCII. Numerus peccatorum eſt in confeſſione explicandus.

Secundò, materia interdicta, ſi ſpecifica ſit, habet differentias indiuiduales, quæ ſemper interdictæ ſunt, & non transferunt rationem communem ad nouam ſpeciem, ſed illam numero multiplicant. Et hæ debent in confeſſione neceſſariò explicari.

De multiplicatione phyſica & morali.

Hic tamen neceſſariò notandum, poſſe multas actiones phyſicas coincidere moraliter, & eſſe vnicum tantùm peccatum: et conſequenter vnicam et indiuiſibilem actionem phyſicè poſſe et ſolere diuidi, et multiplicari moraliter, et multa peccata complecti.

Principium indiuiduationis.

VT hanc Reſolutionem capias, debebis legere Authores phyſicos de principio indiuiduationis diſputantes, & illa omnia ad mores reducere, et tractare de indiuiduatione actuum moralium. Prodeſſe poterunt quæ ſuperiùs ſunt dicta Fundamento XXIX. per totum.

Modus facilis confeſſionem multorum annorum faciendi.

Sed quo ſe explicabit modo, qui bene confiteri vult, & numerum peccatorũ ignorat? Cùm inueteratus aliquis peccator ad meos pedes venit, ſi probabiliter conſtet decem aut pluribus annis ſemper vixiſſe eodem modo, iubeo vt vnius menſis peccata confiteatur, & facta prudenti proportione, iudico de reliquâ vitâ. Hunc procedẽdi modum didici à Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 89. & Authoribus, quos ibi citat.

DCCCIII. De accidentibus interdictis.

Tertiò, materia interdicta ſolet habere accidentia, quæ ratiò ſunt etiam interdicta: et ſi ſint, transfertur peccatum ad nouam ſpeciem accidentalem.

Enumerantur circumſtantiæ.

ACcidentia, quæ ſpecialiter interdici ſolent, ſunt Locus, Tempus, Modus, & quia locus ſpecialiter interdicitur, ſæpe peccata, quod facta in loco ſacro, dicuntur induere circumſtantiam mutantem ſpeciem; adeoque ſpeciem peccati mutantem. Eodem modo de Tempore & Modo philoſophare: & vide in ſummâ Dianæ *verb. Circumſtantiæ*: vbi explicat has, *Quis? Quid? Vbi? Per quæ? Quoties? Cur? Quomodo? Quando?*

Sacrilegium ratione loqui.

DDCCIV. De prædicamento Habendi.

Quartò, materia interdicta ſolet habere materias à ſe realiter diſtinctas, quæ, ſi interdictæ etiam ſint, non transferunt culpam ad aliam ſpeciem, ſed addunt nouam ſpeciem peccati, vt potiùs videatur peccatum duplex, quàm peccatum diſtinctum ſpecie. Et hoc eſt Prædicamentum *Habere*, quod ponitur in Syſtemate materiæ legalis.

Claudus coecum ſuſtentans.

PInxit Poeta Græcus Cœcum, qui humeris Claudum ſuſtentat: conceptum Minois latinè reddidit; Alciatus dilucidauit Emblemate 159. & Didacus Lopes expoſuit; Ego illo concepto aliter impræſentiarum vtar, & eodem exponam quæſtionem toto cœlo diuerſam. Video ibi multos homines, & hîc vnum humeris geſtantem vitellam: & quia diuerſitatem percipio, interrogo, An iſte homo ſit animal eiuſdem ſpeciei cum alijs? videretur, quòd non; eſt enim homo vitulinus; quoniam habet vitellam, quæ etiam eſt animal, quâ cæteri homines carent. At dicam, hoc aggregatũ ex homine et vitellâ non eſſe animal diuerſæ ſpeciei, ſed eſſe duo diſtincta animalia ſpecie differentia inter ſe. Hoc ita clarum puto, vt non poſſit in quæſtionem reduci.

I.

DCCCV. De voto ieiunandi violato.

HInc magna affulget lux obſcuriſſimis difficultatibus: incipiam à minùs obſcuris. Petrus vouerat Deo ſe ieiunaturum die Mercurij, quo aliàs poterat comedere carnes: interim fragilitati humanæ & gulæ ceſſit, carnes comedit, & quærit, quomodo peccauerit? Reſpondeo, feciſſe ſimul duas actiones, vnam indifferentem, & alteram ſacrilegam (nam indifferens erat comedere carnes, & ſacrilegum violare votum) adeoque in confeſſione non debere explicare priorem, ſed poſteriorem; hoc eſt, debere dicere, ſe violaſſe votum, non tamen exponere, an illud violauerit comedendo, aut ludendo.

Ioan-

II.

DCCCVI. *Vnde votorum species desumatur?*

IOannes vouerat Deo, se nunquam lusurum, se diebus lunæ carnes non comesturum, se ex oppido non egressurum: & tamen die lunæ egressus ad domum rusticam ibi lusit & comedit carnes; & modò, quia confiteri desiderat, vult instrui, & scire quomodo peccauerit, & quo aperire suam conscientiam debeat in confessionis tribunali? Videretur alicui, commisisse vnicum peccatum habens multas deformitates; quia quidquid mali commisit, afficit illam peccaminosam egressionem. Videretur alij commisisse tria peccata distincta specie: non enim est idem comedere, quod ludere, aut ambulare. At ego, præscindendo à voto, *dico primò*, Ioannem fecisse tres actiones indifferentes distinctas specie; aliud enim, est comedere, aliud ludere, &c. addo tamen illas non debere in confessione necessariò explicare, quoniam actiones indifferentes non pertinent ad confessionem. *Dico secundò*, Ioannem ter violasse votum, adeoque commisisse tria peccata distincta numero, & in confessione debere dicere: *Ter violaui votum*; non tamen exponere, an ter violauerit idem votum, an semel singula vota diuersa: quia diuersitas, quæ se tenet ex parte rei votæ, si aliàs non est obligatoria, materialiter tantùm se habet: nam & ille, qui semel furatus est aurũ, semelque argentum, satisfaciet si in confessione dixerit: *Bis furatus sum*; nec exponere furtorum materiam debebit.

Resolutio.

De voti violatione.

An omnes violationes sint eiusdem infimæ speciei?

III.

DCCCVII. *De furto cũ ira iuramẽtum.*

SE non furaturum iurauit Fridericus, & nihilominus furatus est; quale igitur peccatum commisit? Dico, commisisse duo peccata, debereque in confessione vtrumque exponere, puta si diceret: *semel promissorium iuramentum violaui, semel furatus sum*: non autem video, cur teneatur exponere connexionem furti & periurii: nam sunt duo peccata diuersa, tametsi alterum sit alterius materia.

IV.

DCCCVIII. *An vota solemnia distinguãtur specie?*

HInc ad Religiosos conuerto oculos, & existimo, omnia vota solemnia quâ vota distingui solo numero, & nihilominus ratione materiæ differre pluſquam numero, & posse, qui omnia violauerit, omittere omnes circumstantias materiales non peccaminosas, & solùm peccaminosas explicare. Vt rẽ meliùs percipias, pono hunc casum [Fridericus præter tria vota solemnia communia omnibus Religiosis, habebat quartum votum solemne de abstinentiâ à carnibus, quintum simplex de audiendâ missâ diebus singulis: interim semel fuit proprietarius, semel mollitiem commisit, semel comedit carnes, semel omisit missam die festo, semel die feriali: quomodo igitur cõfiteri debebit?] Respondeo posse exponere singula, pro vt facta, sed ad hoc non teneri; potest enim vota solemnia à simplicibus non distinguere, & distinguere vota ipsa à materia votorum & dicere; *Semel furatus sum: semel mollitiem habui semel omisi missam die festo; quinquies violaui votum*: at de comestione carnium, & omissione missæ die feriali nihil teneretur subiungere, quia in ipsis præter violationem uoti, quam exposuit, cùm quinquies violasse votum dixit, nulla alia malitia reperitur.

Votum solẽne & simplex non differunt specie.

Omisi inobedientiæ culpam. At fortè debui non omittere: fortè enim Religiosus, qui violauit obedientiæ votum, non satisfacit dicendo: *Violaui votum*, nam inobedientia etiam præscindendo à voto in filiofamilias, qualis est Religiosus, censetur mala: &, si materia magna sit, mortaliter peccaminosa.

An inobedientia Religiosi duas malitias cõtineat?

CAPVT V.

De Sigillis & Clauibus Theologiæ Moralis, seu Regulis Iuris Canonici.

Iam patet accessus. Lector procede: sigillis
Olim septenis Ethica clausa fuit.
Clauibus at dudum reseramus singula paucis;
Tu securè illis vtere: Viue: Vale.

DCCCXI. Theologia Moralis liber scriptus intus & foris.



NTer Reuelationes, quas diuinitùs hausit Ioannes Theologus et Euangelista, mirabilis illa est, quã Apocalypseos sexto scribit. *Vidi in dextera sedentis supra thronum*, ait, *Librũ scriptum intus & foris, signatum sigillis septem*. Et quidem Theologo non debebat alius Liber cœlitùs ostẽdi, quàm Theologicus. Liber igitur scriptus intus & foris, Moralis Theologiæ liber est, vt bene notauit Escobar, quamuis conceptum aliter fuerit prosecutus. Porrò Scholasticæ speculationes, licèt internæ & mentales, nos attingunt exteriùs (eruditionem enim & doctrinam perficiunt, sed forum interius non tangunt) at practicæ Moralitates forum interius & exterius concernunt, & ideò scriptæ interiùs & exteriùs dicuntur.

Pars interior huius libri conscientia est.

Si rem altè cõsiderem, inueniam Libri interiorem faciem (conscientiam humanam subintelligo) debere aperiri, & solere etiam frangi. Olim apud tenebrarum Principem, oraculis circumuenientem populos, solui aut frangi ab Alexandro nodum Gordianũ idem fuit; at apud Lucis Empyreæ Principem aliud est aperire, aliud rumpere; aliud soluere, aliud frangere. Ruptæ homines conscientiæ sunt, quotquot diuini timoris immemores temerè in Theologicas sanctiones impingunt; apertę verò, qui in angustiâ dubiorum constituti clauibus legitimis, interpretando et dispensando, soluerunt legum vincula et viam benignam aperuerunt. Sed quis est dignus angustias relaxare conscientiæ, & aperire librum & soluere signacula eius? Profectò nemo potest in cœlo Angelus, nemo in terrâ Homo, nemo subtus terram Spiritus, non solùm conscientiam strictam soluere, aut confusam componere, sed neque prouidere anxiæ, & prospicere dubiæ, nisi Agnus Leo, aut etiam eius nomine ille, cui claues ipse communicauerit. Sanè Agnus-Deus Regni cœlestis claues Pontifici Summo commisit; at claues Libri scripti intus & foris non solùm ipsi; sed etiam Ecclesiæ Doctoribus, quibus aperire conscentiæ nouas easque probabiles vias diuinitùs concessum est. Cùm igitur ceræ seu sigilla sint septem, multæ erunt claues, quas iuuat proponere & exponere.

Nodus Gordius.

Quis librũ conscientiæ possit aut debeat aperire?

Agnus-Leo.

Agnus-Deus.

Quot sint Libri sigillati? Et quæ?

Sed quę sunt ista septem Sigilla? Quę istæ analogæ eisdem correspondentes claues? Audiamus ipsum Euangelistam.

DCCCXI. Iustitia speculatiua.

E'primo sigillo aperto ab Agno, vt Apocalypseos sexto, Ioannes ait, egressa fuit Iustitia Speculatiua; sed vnde id scio? ex charactere & symbolo: nam si dicebat olim vates: *Phœbus adest; sonuere tubæ, sonuere pharetræ: Signa Deum nosco per sua, Phœbus adest*, cur non petero ex symbolo Iustitiam noscere? sed proponitur symbolum? *Eques, qui habebat Arcum; & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret*: Multa interspicio arcana, quæ alibi vberiùs explicabo: nunc breuiter singula perstringam. Porrò Arcui est similis Iustitia Speculatiua; flecti debet vt scopum attingat; & tamen, si nimiùm flectatur, rumpetur: quo sensu intelligendum est illud Pronunciatum iuridicum: *subtilitas nimia nil valet*. Iustitia postulat, vt

Arcui similis Iustitia est.

leges

Leges flecti poſſunt, rũpi non debent.

leges pietati & publico bono ſe attemperent, & quando ratio poſtulet, inflectantur, non tamen vt rumpantur: dantur enim legum commutationes, ſine quibus tyrannis eſſet, quæ nominaretur *Iuſtitia*: nam, vt eſt in adagio, *ſummum Ius, ſumma iniuria*; & quidem illud eſt ſummum Ius, quod nimium; quod rumpi ſolet & flecti non ſolet: quod nullam Commutationem aut diſpenſationem, quodque nullam interpretationem admittit. Pulchrè Author quidam iunior [Si omnia ad legum rigorem examinentur, iniuria fiet plurimis. Leges enim de factis ſtatuunt nullâ circumſtantiarum varietate definitis: facta verò ſingula circumſtantijs ſuis deſcripta ſunt, quibus vel mitigantur, vel aggrauantur (*imò etiam aliquando mutantur ſpecie*) quarum cùm (*penè infinita*) ſit varietas, nullis vnquam legib. illa comprehendi poſſunt] Si ad alias facultates oculos conuertamus, ſuccurent tres illuſtres Artifices, Polycletus, Lesbias & Vitruuius: primus vtebatur Regulâ ferreâ, quæ frangi priùs, quàm flecti poſſet: ſecundus plumbeâ, quæ ſe omnibus angulis accomodaret, ſed tamen eoſdem retineret: vltimus ligneâ, quæ flecteretur, cùm eſſet opus, at causâ ceſſante ad rectitudinem rediret. Tyranni Polycleto ſunt ſimiles, ferro ſubditos regunt, & malunt crepare, quàm flecti: Lesbiæ autem Principes, quos ignauos & remiſſos vocamus. Ex causâ liberiorem conuerſationem tolerant, & ea ceſſante antiquum rigorem non reſtituunt. Hinc contra leges mores & conſuetudines, hinc præſcriptiones, hinc vſus & abuſus ſunt orti. Ergo peritura eſt Reſpublica, ſi Magiſtratus Regulâ vtatur ferreâ aut plumbeâ. Pereunt Communitates, cùm in plumbum degenerant; non Sæculares ſolùm, ſed etiam Eccleſiaſticæ: Monachi enim, qui plũbeâ Regulâ probantur, D Benedicto teſte, nullâ approbantur; *quoniam ſecundùm plũbi naturam molliti, adhuc operibus ſeruantes ſæculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur*. Ergo ſupereſt, vt Leges ſint ſimiles Vitruuij Regulæ, vt flecti poſſint, cũ ratio & prudentia præcipiunt, & è veſtigio redeant, ſi ceſſet cauſa. Sint arcui ſimiles: habeant inflexionis menſuram, vt, dum retorquentur redeuntque, ſcopum, ſeu finem tangamus. Reſpublicæ, quæ tales Leges habeat, *data eſt corona*, vt ipſa coronetur, & etiam ſuos ciues coronet. Vt coronetur quidem; eiuſmodi enim Communitas erit omnium Rerumpublicarum Imperatrix, vt ſuos coronet; nam ſi præmia abſint, languebit virtus, & animo deſpondebit modeſtia. At hæc ipſa corona non inermi & indigno, ſed homini capaci, qui poſſit militare, debetur; Homini, qui ſit vincens vt vincat: eſt enim militia vita hominis ſuper terram, & in quocunque ſtatu cum improbis pugnandum eſt. Dantur præmia victori, & victuro: ſequuntur enim & præcedunt merita. Sunt enim præmia & præuia: quà præmia virtutes antiquas coronant, & quà præuia excitant & præformant futuras.

Keplerus de Harmonia lib. 3. Digreſ. Polit. p. 93.

Polycletus, Lesbias, & Vitruuius. Eorumdem Regulæ.

Polycletus Tyrannus. Lesbias remiſſus.

Vnde abuſus & morũ corruptio oriuntur?

Benedictus in Regula cap.

Vitruuius Princeps vigilans.

Cur datur corona Reipubiicæ?

E' ſecundo ſigillo Iuſtitia Practica generalis exorta eſt; *& datum ei, ut ſumeret pacem de terra, & ut inuicem ſe interficiant: datus eſt ei gladius magnus*; nam cùm agimus de Speculatiuis, ſumma eſt animorum tranquillitas; at verò vbi primùm venimus ad Practica, incipiunt quæſtiones & lites. Porrò litigantibus datur gladius magnus. An ne vt vicaut? ne crede: nam magni gladij non ſunt homini præſidio, ſed oneri: in cuius propoſitionis cõfirmationem ſuccurrit apopthegma ex Plutarco [Cum enim Lacones non in linguis, ſed & in lingulis (gladijs) etiam breuitatem ſummam affectarent, irrideban tur à nonnullis, quibus fortiter reſpondit Agis: *His breuiſſimis enſibus Lacedæmonij aſſequuntur hoſtes longiſſimis armatos gladijs*] Quæ verba me iuuant, & verbis Cypriani ad Donatum, ſi & iſta iuuentur, iuuãtur. *Paratur gladiatorum ludus*, ait Cyprianus: ſed quando? quando partes inter ſe diſſentientes litem conteſtantur iuridicè. Sed cur? *vt libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet*: omnes enim auari Iudices & Aduocati crudeles ſunt: exſugunt enim clientum ſanguinem. *Homo occiditur*, aut eſpoliatur ſaltem, *in hominis uoluptatem: & qui poſſit occidere*, aut exſpoliare, *peritia eſt uſus: ſcelus non tantùm geritur, ſed docetur*. Ecce lites Aduocatorum ſunt & Iudicum frequentiſſimæ nundinæ, in quibus litigantes magnis vtuntur gladijs hoc eſt, foliis, & tamen ſemper à Miniſtris Iuſtitiæ ſuperantur; nam dum inter te cognatumque tuum ſunt iurgia & priuatæ aliquæ diſſentiones (puta de hereditate) ad vtrum illa pertineat dubium eſt: cùm autem primùm, lite conteſtatâ, incipit tribunalium ſtrepitus, ante omnem ſententiam ceſſat dubium; illa enim iam hereditas non ad te, non ad illum pertinet, ſed ad Iudices & Aduocatos: nam dum vos gladijs magnis Iura propria tuemini, Aduocati, Senatores, Conſules, Iudices, &c. paruis aut nullis vos aſſequuntur, & tandem exuunt. Habet noſtra ætas multos Stratocles & Diocles, qui periti erant Iuris, & ſe, aſſerẽte Plutarco, ad auream meſſem inuitabant: vnde meritò Ludouicus XII. Galliarum Rex, vt in Annalibus Francorum legimus, Tribunalia vocabat *Senatorum nundinas*, in quibus multi ſub haſtâ ſententias & iura mercãtur. Scio eſſe multos Iure-conſultos pios; ſed quæ in auaros dicta, viros probos nõ tãgũt.

Dicuntur Præmia, quaſi præuia.

DCCCXI. Iuſtitia Practica generalis.

Litigantium gladius.

Lites nundinæ. Nomen Oxa apud Hiſpanos ſonat chartam & gladium; dicunt enim, La oxa de vn libro, La oxa de vna eſpada.

Lis aurea meſſis.

Senatorum nundinæ.

Prodijt è tertio Iuſtitia ſpecialis formalis; illa quæ leges ipſas formaliter ſumptas conſiderat, & examinat. *& habebat ſtateram in manu*: vt doceamur debere leges in põdere numero, & menſura proferri. In põdere, nã põderari ſingulæ circumſtantiæ ſæpè debẽt, onera ſubditorum viribus comenſurari; debet conſiderari numerus legum & ciuium,

DCCCXII. Iuſtitia ſpecialis formalis. Legislatoris ſtatera. Legum numerus.

non enim omninò errant, qui dicunt, eò pauciores oportere esse leges, quò plures subditi. Debent leges attemperari & proportionari subditorum viribus & ingenio; omnes enim humana potestas à Deo, & ad publicæ Rei conseruationem & non destructionem data: quâ qui abuteretur, deberet ad Locrensium mores & instituta iudicari: debebat enim apud ipsos legem laturus priùs collum laqueo inserere, & legem posteriùs pronunciare; acclamatione populi honorandus, si tulisset honestam; sin minùs, laqueo constricto suffocandus.

Vnde humana potestas: & quo?

Legis ferendæ mos apud Locrenses.

Egressa ex quarto fuit Iustitia specialis materialis: nimirùm, quæ legum contemplatur materiam. *Et vidi: & ecce equus pallidus* (pauper & languidus) *qui sedebat super eum, nomen illi Mors; & Infernus sequebatur eum.* Ecce verbis paucissimis legum omnium materia comprehenditur. Agitur in Ethicâ de diuitijs, agitur de vita, agitur de animâ.

Iustitia specialis materialis.

Legum omnium materia.

E'quinto sigillo prodijt Iustitia Canonica, Iuris Pontificij Fundamentis insistens. *Et vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant: & clamabant voce magna dicentes: vsquequo Domine Sanctus & Verus non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?* Quoniam Ecclesiastici omnes, si sunt qui debent, mundo mortui viuunt Deo. Habitant apud aras; qui enim supra aras volunt potestatem exercere, nõ Christi Domini, sed Antichristi sunt. Duo sunt Ecclesiasticorum genera, aliorum enim conuersatio est in cœlis, & aliorum in terris; illorum qui cœlestia diligunt, & despiciunt terrestria, vita & mores improrant Deum aduersus illos, qui sub Ecclesiasticorum nomine & habitu despiciunt cœlestia & sola terrena procurant.

Iustitia Canonica.

Ecclesiastici quales?

Huc pertinent Principia etiam Theologica, quæ voco *Axiomata*; huc etiam Regularia, quæ voco *Syntheses*; huc Ciuilia, quæ *Regulæ* vulgò vocantur. Hæ Positiones sæpè fuerunt proscriptæ, sæpè dilaceratæ, sæpè extinctæ ab Heterodoxis, imò & à Catholicis interdùm. Sed clamauimus ad Deum; & iam suscitantur, firmantur, reuocantur. Iam obtinent ab omni malè interpretationis infectione aut suspicione vindicatæ.

Et è sigillo sexto Iustitia Theologica emersit: illa nimirùm, quæ dilucidat & illustrat Decalogum. *Et ecce terræmotus magnus factus est, & sol factus est niger tanquam saccus silicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cœlo ceciderunt.* Quando enim ad Decalogi principia deuenitur, lumen rationis, etsi pulchrum vt luna sit, aut etiam electum vt sol, multa obscuritate eclipsatur. Multa sunt præcepta diuinitùs, quorum obscuræ sunt rationes: quoniam supra humanam illæ sunt, quibus æternus Legislator Mundum rationalem gubernat. Vnde meritò in sacrâ scripturâ esse dicitur Deus absconditus, & qui posuit tenebras latibulum suum, in quo rimemur paucula, & innumerabilia ignoremus.

Iustitia Theologica.

Deliquia & eclipses rationis.

Et tandem ex sigillo septimo prodijt Sacramentalis Lex *Et factum est silentium in cœlo quasi media hora. Si bene intelliguntur Sacramenta, ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Et si malè, vitia pullulant, sylue-scunt peccata, *& facta sunt tonitrua, & voces & fulgura & terræ-motus.*

Iustitia naturalis, hoc est, natiuitalis.

Et quidem mihi à me impositum est moralia dicendi & docendi silentium, non perpetuum, sed quasi mediâ horâ; non enim multis indiges, AMICE LECTOR, vt singulas Propositiones recognoscas; nec ego multis, vt tuas Recognitiones speculer. Emitto in lucem istum librum, & sicut Cous Apelles olim, lateo apud Tabulam, & singulos audire desidero; modò nemo sutor iudicet vltra crepidam; quoniam subaudire Grammaticos de subtilissimis Theologiæ arcanis delirantes, si iocosè res agatur, iucundum, si seriò durum & intolerabile est. Iudicium tuum, quod spero, recipiam: filebo congruo tempore, quousque subtiles meditationes tuas addiscam: & postmodum à te doctus eloquar & singula eruditior resumam.

Non sutor supra crepidam.

Ponuntur Regulæ Iuris Canonici, & Authores præcipui, qui illis vsi.

DCCCXIII. Cur dicantur Claues & Regulæ?

ECclesiastici Iuris Claues dicimus, quas alij Regulas, & vtrumque nomen illis conuenit: aperiunt enim Iuris seras, & Iuristam dirigunt, ne in eius expositione exorbitare & delinquere possit. Ordinem mutaturi sumus, vt methodum faciliorem reddamus. Regulas ad classes reducemus, vt compositio & collatio ob oculos expositionem ponat: tunc enim explicantur solidiùs, cùm singulæ singulis sunt lux. Nunc autem in gratiam eorum, qui Regularum ordini vulgato assueuerunt, illas omnes præscribimus, & iuxta numeros cõmunes damus, & in singula loca & Authores, à quibus explicantur, adiungimus.

De Institutione beneficii.

REGVLA I. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri.* Illam exponit Layman lib. 3. tract. 1. sect. 5. c. 8. n. 5.

De Possessione.

REGVLA II. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Ego in scholio num. 367.

REGVLA III. *Sine possessione præscriptio non procedit.* Layman lib. 3. tract. 1. sect. 5. c. 8. n. 5. & 8.

De Restitutione.

REGVLA IV. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Reginaldus de Prudentiâ Confess. cap. 22. n. 18.

De venia.

REGVLA V. *Peccati venia non datur nisi correcto.*

RE-

An possint impossibilia præcipi?

REGVLA VI. *Nemo potest ad impossibile obligari.* Layman lib. 1. tract. 4. cap. 14. n. 5. & lib 3. tract. 4. cap. 4. nu. 4. Gaspar Manzius qu. 5. num. 86, p. 1. Patrocinij. Reginaldus in Praxi fori pœn. lib. 22, num. 25.

De Priuilegio personali.

REGVLA VII. *Priuilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.* Layman lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 4.

De Præsumptione.

REGVLA VIII. *Semel malus semper præsumitur malus.* Coriolanus Capuccinus par. 2. casu 5. num. 68. fol. 295. In eius opinione qui bis fecit, solitus est facere, fol. 330. §. septimo. Adducit Regulam generalem, quando dolus non debeat præsumi, à folio 363. satis fusè. & fol. 233. docet non esse credendũ testi, qui semel periurus fuit. Hanc etiam Regulam Layman folio 333. nu. 8. in vltimâ editione exponit.

Ex præteritis coniectari possumus futura. Layman de iusta defens. cap. 6. pag. 287.

De Ratificatione.

REGVLA IX. *Ratum quis habere non potest, quod suo nomine non est gestum.* Ego in commentario in Reg. S. Benedicti num. 508. sub fin. Lessius libr. 2, cap. 41. dub. 7. Reginaldus lib. 23. nu. 187. fusè. Layman libr. 3. tract. 3. p. 3. cap. 4. num. 6. Ausonius Noctinot, Crousers, Diana, Coninch Regulâ sequenti citandi.

DCCCXIV. De Ratihabitione.

REGVLA X. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.* Ego in Morali Philosoph. num. 122. Layman lib. 7. tract. 2. c. p. 3. num 3 & tract. 4. cap. 18. num. 10. & lib. 3. tract. 2. cap 6 nu. 3. Reginaldus Praxi fori pœn. lib. 10. num. 83 Bartholomæus à S. Fausto Thesaur. Relig, lib. 1. quæst. 29. & lib 5. quæst. 239. Ausonius Noctinot in Dianæ Summâ verb. Ratihabitio nu. 1. Crousers in Regul. D. Franc. cap 7 lect. 22. Diana part 6 tract. 6. res. 57. Coninch de Sacr. disp. 8. dub. 4. à num. 34.

An sit faue-dum reo?

REGVLA XI. *Cùm sunt partium iura obscura, reo fauendum est potiùs quàm actori.* Reginaldus lib. 24. num. 29. & libro 24. num. 147. & lib. 25. num. 656. & de Prudent. Confess. cap. 3. num 8. Layman, lib. 1. cap. 5. nu. 16. & lib. 3. tract 3. p. 2. cap. 2 nu. 7.

De personarum exceptione.

REGVLA XII. *In iudicijs non est exceptio personarum habenda.* Reginaldus libr. 23. num. 40. & seqq. Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 16. Craesbeck in Reg. S. Bened. pag. 74.

De Ignorantia.

REGVLA XIII. *Ignorantia facti, non iuris excusat.* Filliucius part. 2. fol. 23. num. 378. Comicolus lib. 5. qu. 1. num. 8. Azorius tom. 1. lib 1. cap 13. quæst. 1. & 3. Bartholomæus à S. Fausto lib. 6. Thesaur. Relig. qu. 33. num. 11. Layman lib 1. tract. 4. cap. 20. num. 6.

REGVLA XIV. *Cùm quis in ius succedit alterius, iustam ignorantiæ causam cõsetur habere.* Vide infra num. 872.

De Odiosis & fauorabilibus.

REGVLA XV. *Odia restringi, & fauores conuenit ampliari.* Ego in Commentario in Reg. S. Benedict. num. 787. 791. 791. 1016. 1633. 797. 49. 748. 1747. 589. 706. 1325. 1348. & in Scholio num. 343. 348. & in Motiuo Iuris fol. 80. Layman pag. 7. nu. 4. & pag. 17. num. 2. & pag. 679. num. 6. & lib. 1. tract. 5. cap. 2. num. 3. Reginaldus libr. 23. num. 174. & 159. & 184. & lib. 18. num. 410. Azor ex instituto lib. 2. cap. 11. fol. 98. & 99. & tom. 2. libr. 4. qu. 10. cap. 3. fol. 629. Naldus verb casus reseruat. num. 3. & verb. Sacerdos num. 5. Cruz lib. 2. cap. 2. dub. 2. concluſ. 4 pag. 122. & lib. 1. cap. 6. dub. 10. Posseuinus pag. 576. num. 22.

De Interpretatione pœnarum.

Pœnæ strictissimè debent interpretari. Si excipias vocem excommunicationis, quæ absolutè posita de maiore intelligitur. Azor tom. 1. lib. 2 cap. 11. Layman lib. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. num. 2. & seqq. Reginaldus de Confirmat. & lib. 23. num 174. docens. bis confirmatum non fieri irregularem; qui potest etiam videri fol. 610. num. 35. & de Prudent. pag. 694 & Azor lib 2. cap. 19. quæst. 11. docet, nõ esse irregularem præter eum, qui expressè ponitur in Iure. Multa etiam de hac materiâ reperies apud Bartholomæum à S. Fausto in Thesaur. lib. 5. quæst. 257 258 259. 260. 261. 262, 263. 264. 265.

De Irregularitate.

DCCCXV. De beneficij perennitate.

REGVLA XVI. *Decet concessum à Principe beneficium esse perpetuum.* Layman lib. 1. tr. 4. cap 22, num. 6.

REGVLA XVII. *Indultum à Iure beneficium non est alicui auferendum.*

An tempore firmentur infirma?

REGVLA XVIII. *Non firmatur tractu temporis, quod de Iure ab initio non subsistit.* Layman lib. 3, tract 3, cap. 6. num 4. & lib. 4. tract. 4. cap. 8 num. 3. & lib 1. tract. 4. cap. 22. num. 14. & lib 4. tract. 3. cap 16. nu. 4. Ausonius Noctinot in summ. Dianæ verb. Ratihabitio. num. 2. vbi citat Crousers, Coninch, & Dianam.

De eo, qui alienis negotijs se immiscet.

REGVLA XIX. *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.* Layman lib 3. tract. 3. par 3. c. 10. nu. 3.

De pluralitate defensionum.

REGVLA XX. *Nullus vti pluribus defensionibus prohibetur.*

De Cõstantia.

REGVLA XXI. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Layman. lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 12. fol. 647. lib. 5. tract. 10. p. 2. cap. 7. n. 7. Emanuel Rodriguez quæstionum Regularium qu. 55. a nu 7.

De pœna & culpa.

REGVLA XXII. *Non debet quis alterius odio prægnauari.*

REGVLA XXIII. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Reginaldus lib. 13. cap. 24. num. 256. Bartholomæus à S. Fausto Thesaur. Relig. lib. 6. quæst. 20. Layman libr. 1. tractat. 40. cap. 15. num 2. & libr. 5. tract. 10. p. 2. cap. 7. num. 7.

Obedientia excusat.

REGVLA XXIV. *Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere necesse.*

De Mora.

REGVLA XXV. *Mora sua cuique est noci-*

nociua. Altenſtaius verb. Moroſus.

DCCCXVI. De eo, qui excedit limites ſuæ iuriſdictionis.

REGVLA *XXVI. Illa, quæ fiunt à Iudice, ſi ad eius non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.*

De ſciente & conſentiente.

REGVLA *XXVII. Scienti & conſentienti non fit iniuria, neque dolus.* Reginaldus lib. 30. tract. 3. nu. 200. caſu 5.

De Conſequentia fauorum.

REGVLA *XXVIII. Quæ à Iure cõmuni exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.*

De eo, quod omnes tangit.

REGVLA *XXIX. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Layman libr. 3. tract. 2. p. 1. cap. 5. num. 7. & l. 3. tract. 4. cap. 12. num. 9. et lib. 4. tract. 2. cap. 9. num. 9. fol. 567. et lib. 3 p. 1. cap. 5. num. 7. et lib. 4. tract. 9. cap. 6. num. 7. Reginaldus libr. 4. Bartholomæus à S. Fauſto lib. 6. quæſt. 112. num. 2. Gaſpar *Manzius* Patrocinij part. 1. qu. 1. nu. 54.

De Rebus obſcuris & dubijs.

REGVLA *XXX. In obſcuris minimum eſt ſequendum.* Ego in Comment. num. .... Layman lib. 1. tract. 4. cap. 16. nu. 3.

De Certitudine.

REGVLA *XXXI. Eum, qui certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet.* Layman lib 7. tract. 1 c 5. n. 3.

REGVLA *XXXII. Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit.*

De mutatione opinionis.

REGVLA *XXXIII. Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.* Layman lib. 3. tr. 4. c. 14. nu. 3. & lib. 4. tr. 2. c. 12 n. 10.

De genere & ſpecie.

REGVLA *XXXIV. Generi per ſpeciem derogatur.*

De toto & parte.

REGVLA *XXXV. Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.* Reginaldus lib. 30. tract 3 n. 177.

De Poſſeſſione virtuali.

REGVLA *XXXVI. Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.*

De vtili & inutili.

REGVLA *XXXVII. Vtile non debet per inutile vitiari.* Layman de Votis c. 2. nu. 3. fol. 128. & lib. 1. tr. 5. p. 2. c 2. nu. 13. fol. 128. valde fusè. & lib 4 tr. 4. cap. 5. nu. 3. & lib. 1. tr. 4. c 22 nu. 25. fol. 95. & lib. 1. tract 4. c. 19. n. 7. & c. 21. n. 3. & c. 22. n. 25.

DCCCXVII

REGVLA *XXXVIII. Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus exſtitit impugnare.*

De antecedenti & cõſequenti.

REGVLA *XXXIX. Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.*

De numero plurali.

REGVLA *XL. Pluralis loquutio duorum numero eſt contenta.* Bartholomæus à S. Fauſto in Theſ lib. 2. qu. 181. nu. 3. Naldus verb Miſſa n. 11.

Ad impoſſibile nemo tenetur.

REGVLA *XLI. Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Reginaldus lib. 23. num. 77.

De principali & acceſſorio.

REGVLA *XLII. Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* Layman lib. 4. tract. 7. c 2. num. 5. & 7. fol. 694. & de iuſta defenſione fol. 363. & fol. 247. & in Theolog. Moral fol. 566. Biderinan de delect. morosâ fol. 408. Reginaldus lib. 23. num. 117 & ſeqq. Bartholomæus à S. Fauſto Theſaur. Religioſ. lib 1. q. 11. n. 7.

De conſenſu virtuali.

REGVLA *XLIII. Qui tacet conſentire videtur.* Ego in Morali Philoſophiâ à nu. 49. fusè Layman lib. 1. tract. 2. cap. 3. num. 3. Coſcanus de voluntario 29. Azor lib. 1. cap. 40. Paulus Zehetner de Pœnitent. fol. 390. Reginaldus lib. 25. num. 76. & 284. Pirrus quæſt. 55. Theſ. Relig. & lib. 2. q. 40.

REGVLA XLIV. *Is, qui tacet, non fatetur, ſed neque negare videtur.* Layman lib. 1. tract. 2. c. 3 num. 3. fol. 17. Qui patitur aliquid fieri, quod ad ſuum commodum ſpectat, mandare cenſetur. Layman ibid.

De obſcuris & dubijs.

REGVLA VL. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſueuit.* Layman lib. 1. tract. 4. c. 14. num. 4. ex præteritis coniectura poteſt capi ad futura. Layman de iuſtâ defenſione c. 6. pag. 287.

DCCCXVIII De ſucceſſoris Iure.

REGVLA *XLVI. Is qui in ius ſuccedit alterius, eo iure, quo ille, vti debet.* Ego in Philoſophiâ Morali n. 731.

De ignorantiæ præſumptione.

REGVLA XLVII. *Præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probatur.* Layman lib. 4. tract. 4. c. 20. n 6.

REGVLA XLVIII. *Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura.* Layman lib. 1. tract. 4. c. 20. nu. 7. & lib. 3. tr. 7. c. 3. n. 5. & 7.

De pœnarũ interpretatione.

REGVLA IL. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Ego in Comment. num. 787. & 791. Reginaldus de Prudentia pag. 300. & in foro praxis pœnit. lib. 13. nu. 258. & 260. Azor lib. 2. c. 11. fol. 99. Sed apud eum exceptionem patitur. ibid. Layman lib. 1. tract. 4. c. 18. n. 3.

De legitimis Actibus.

REGVLA L. *Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem.* Layman lib. 1. tract. 5. p. 1. c. 7. n. 1.

De Rebus ſacris.

REGVLA LI. *Semel Deo dicatũ non eſt ad vſus humanos vlteriùs transferendum.*

Non ens nõ impedit.

REGVLA LII. *Non præſtat impedimentum, quod de Iure non ſortitur effectum.*

De toto & parte.

REGVLA LIII. *Cui licet id, quod eſt plus, licet vtique quod minus eſt.* Layman libr. 4 tract. 4. c 8. num. 20. & lib 5. tract; 7. c. 3. num. 2. & libr. 1. tract. 4. cap. 18. nu. 11. & lib. 5. tr. 7. c. 3 num. 1. Reginaldus libr. 18. num. 339. & lib. 30. tr. 3. num. 177. Ioannes de la Cruz libr. 1. cap. 6. dub. 15. concl. 4. Azor part. 2. lib. 4. c. 2. quæ. 11. & 12. fol 621. Laurentius Portel fol. 3. numer. 3. Bartholomæus à S. Fauſto libr. 4. quæſt. 41. Delrius libr. 6. c. 1. ſect. 3. pag. 920. Coriolanus p. 1. fol. 27. n. 22.

DCCCXIX. De prioritate temporis & iuris.

REGVLA LIV. *Qui prior eſt tempore, potior eſt Iure.* Reginaldus lib. 25. num. 95. & 365 Perez ad caput 63. Reg. S. Benedicti. num. 2. Vazquez 1. 2. diſp. 65. cap. 3. Suarez de Religion. tom. 2. libr. 4. c. 5. num. 7. Diana part. 4. tract. 3. reſol. 2. Anſonius Noctinot in *Summa*. verbo. conſcientia. n. 21.

RE-

De commodo & incõmodo.

REGVLA LV. *Qui ſentit onus ſentire debet commodum; & è contrà.* Layman.lib. 1. tract. 4. cap. 10. num. 5. & c. 13. num. 1. & libr. 3. ſect. 5. c. 5. num. 9. & c. 6. num. 4. & lib. 3. tr. 4. c. 20. n 1.

De re communi.

REGVLA LVI. *In re communi potior eſt conditio prohibentis.*

De Lege obſcura.

REGVLA LVII. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.*

De Iuramento cõtra bonos mores.

REGVLA LVIII. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum.* Reginaldus libr. 5. num. 51. 52. 53. & 95. & in Caſib. diſſi. p. 2. quæſt. 8. pag. 51. Layman lib. 3. tr. 4. c. 4. n. 7. & lib. 4. tr. 3. c. 6. n. 1.

De Petitione iniuſta.

REGVLA LIX. *Dolo facit, qui petit quod reſtituere oportet eumdem.* Reginaldus li. 25. n. 151.

De Mora excuſabili.

REGVLA LX. *Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.*

Gratiæ non debent nocere.

REGVLA LXI. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.* Layman lib. 4. tr. 4. c. 8. nu. 25. fol. 650. lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 4, num 4. fol. 134. lib. 4. tr. 4. c. 8. nu m. 27. lib. 4. tract. 3. cap. 6. nu. 8. & libr 1. tract. 4. c 23. num. 7. & tract. 5. p 2. cap. 4. nu. 4. & lib. 4. tr. 3. cap. 5. num. 8. & c. 6 nu. 8.

De Cõſilio.

REGVLA LXII. *Nullus ex conſilio, dummodò fraudulentum non ſit, obligatur.* Reginaldus in Praxi fori pœnit. fol 324. nu. 91. Layman lib 3 tract. 2. c. 6. num. 4. & cap. 8 num 1.

De Exceptione.

REGVLA LXIII *Exceptionem obijciens non videtur in intentione aduerſarij conſiteri.* Et eſt valde neceſſaria iſta Regula, vt limitetur alia valde hodie communis, videlicet: *Exceptio firmat Regulam in contrarium:* qui enim dicit, *Omne animal, excepto homine, eſt irrationale*: iuxta bonæ Logicæ canones dicit, *Homo eſt animal: & homo eſt rationalis: & cætera omnia animalia ſunt irrationalia.*

DCCCXX. Aliqua ſunt facta phyſicè, quæ tamen ſunt infecta moraliter.

REGVLA LXIV. *Quæ contra Ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.* Layman lib. 1 tract. 4 cap. 16. num 3 Biderman de Matrim theſi 22. Intellige de Iure dirimente. Multa prohibentur fieri, ait citatus Layman, quæ ſi fuerint facta obtinent firmitatem. Sà verb. ex comm. Abſol. Bartholomæus à S. Fauſto Theſaur. lib. 1. quæſt. 15. num. 5. Emanuel Rodriguez qq. Reg. tom 4. fol 14. num. 2. Portel par. 2. fol. 74. nu 6. fusè.

Standum eſt pro poſſeſſione.

REGVLA LXV. *In pari delicto vel cauſa melior eſt conditio poſſidentis.* Reginaldus fol. 324. & ſeqq. & lib 10. num. 30. & 291. & lib. 25. num. 93. Sanchez lib. 2. de Matrim. diſp. 31. Bartholomæus à S. Fauſto Theſaur. Relig. lib. 1. q. 23. nu. 4. Layman lib. 1. cap. 5. num. 21.

De Purificatione conditionis.

REGVLA LXVI *Cùm non ſtat per eum ad quem pertinet, quo minùs conditio impleatur, haberi debet perinde ac ſi impleta fuiſſet.*

De nomine proprio & alieno. De Delegatione.

REGVLA LXVII. *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.*

REGVLA LXVIII. *Poteſt quis per aliũ, quod poteſt facere per ſe ipſum.* Layman lib. 1. cap. 5. num. 17. & lib. 4. tr. 3. cap. 10. nu. 1. Stephanus Briel in Magnete Amoris Diuini c. 19. ſ. 7.

De malè promiſſis.

REGVLA LXIX. *In malis promiſſis fidem non expedit obſeruari.* Layman lib. 3. tr. 4. cap. 4. nu. 7. Bartholomæus à S. Fauſto lib. 1. Theſauri quæſt. 37. num. 2 & Iſidorus lib. 2. de Synonymis, & refertur in decret. 22. qu. 4. in cap. in malis.

De alternatiuis.

REGVLA LXX. *In alternatiuis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.* Layman. lib. 3. tr. 4. ſect. 5. c. 5 nu. 5. & lib. 4. tr. 4. cap. 8. nu. 3. nu. 12. fol. 647.

De actione & exceptione.

REGVLA LXXI. *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus.* Layman lib. 3. tr. 4. c. 9. num. 10. & cap. 13. nu. 7. Reginaldus lib. 25. num. 151.

DCCCXXI. De cauſa morali.

REGVLA LXXII. *Qui facit per alios eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum.* Ego in Commentario nu. 1303. Layman lib. 2. tr. 1. c 15. num. 9. Deus etiam regit per alios apud Craesbeck. pag. 143. & poſſumus amare Patrem per Filium & Spiritum Sanctum apud Magnetem Diuini Amoris pag. 418.

De Retractatione.

REGVLA LXXIII. *Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſteà eueniat, à quo non potuit inchoari.* Reginaldus lib. 25. num. 50. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 21. nu. 15.

Gratiæ in conſequentiam trahi non debent.

REGVLA LXXIV *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum.* Ego in Commentario nu. 472. quia in ijs, quæ à merâ gratiâ, ſtat pro ratione voluntas.

De Fidei violatione.

REGVLA LXXV. *Fruſtrà ſibi fidem poſtulat ab eo ſeruari, cui fidem à ſe præſtitam ſeruare recuſat.* Maldonatus in Matth. c. 5. verſ. 32. fol. 123. Grottau de Reſtitut 93. *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Bartholomæus à S. Fauſto Theſauri lib. 6. qu. 226. nu. 6.

Perſonæ crimen.

REGVLA LXXVI. *Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare,* Layman de Iuſtâ defenſione. Epilog. membr. 3. fol. 448. & lib. 3 ſect. 5. tract. 4. c. 11. nu. 4.

De Honóre & onere.

REGVLA LXXVII. *Rationi congruit, vt ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.*

REGVLA LXXVIII. *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.*

REGVLA LXXIX. *Nemo poteſt plus Iuris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur* Azor tom. 2. fol. 622. qu. 14. lib. 4. cap. 3. fusè. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 6.

c.5.nu.6.& lib.3 tract 5.c.7.n.15.

DCCCXXII. De toto & parte.

REGVLA LXXX. In toto partem non eſt dubium contineri. Layman lib.1.tract 4. cap.18.num.11. erat Regula LIII. Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus, illamque videntur Authores cum Regulâ præſenti confundere.

De Generali conceſſione.

REGVLA *LXXXI. In generali conceſſione non veniunt ea,quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Reginaldus lib.25 nu.85. Siculus Pirrus lib.4. Theſ. qu. 25.& Layman lib.1.tr.4.c.5.nu.10. & lib.5. tr.10. p.3.c.5. nu 17. Auſonius Noctinot in Dianæ Summa. verb. Regulares. num.20. conſonans Merollæ tom.3. diſp.6. cap.4 dub.7.nu.64. Portellio, et Dianæ part.6. tr. 7.reſol.39.

De Mala fide.

REGVLA LXXXII. *Qui contra Iura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.*

REGVLA LXXXIII. *Bona fides non patitur,vt ſemel exactum iterum exigatur.*

REGVLA LXXXIV. *Cùm quid vna via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti.*

Contractus eſt lex particularis.

REGVLA LXXXV. *Contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur.* Layman lib.3.tr.3.p.1. cap.5.nu.13. et tract.4. cap.7.nu.3.

De Damno voluntario.

REGVLA LXXXVI. *Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non alijs imputare.* Layman lib.1. tract.5. p.2. cap. 2. num.6.

De Infamibus.

REGVLA LXXXVII. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Reginaldus lib.30. tract 3.cap.11. nu.161 Omnes infames eſſe dicimus, quos leges ſæculi infames appellant, ait Layman lib.1 tr.5. p.5. cap. 4. num.2.

De Legum vero ſenſu.

REGVLA LXXXVIII. Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis uerba complectens, cõtra legis nititur voluntatem. Layman lib.1.tract.4.c.18.nu.4.

DCCCXXIII

HAE ſunt Regulæ Iuris, quas ſi crudè Intelligas, fallaces ſæpiſſime experieris; veras tamen, ſi elimaras pronuntias, nimirùm quales inferiùs dabimus. Authores addidimus, qui ſingulas exponunt & dilucidant; vt plurium collatione iuuêris: Præter ipſos ſunt aliqui, qui in omnes Iuris Regulas ſcripſere, inter quos laudatur S. Antoninus, Hẽricus Caniſius, aliiq; quibus accedet citò D. Georgius VVeimberger, Furſtenveldenſium Prior, qui valde vtile Opus apparat; in quo ad ſingulas, omnes illi Conſcientiæ Caſus, quos varij Doctores ex ipſis reſoluerunt, ponuntur, examinantur, iudicantur.

Authores, qui de hac materia ſcripſerunt.



AEpè contingit vnico addito verbulo plus dici, quàm multis commentarijs poſſet. Multa ſcriptores varij de diuinarum Perſonarum æqualitate, infinitate, æternitate, at plus omnibus verbo vnico Eccleſia cum illas vocauit Homouſias: multa de CHRISTO antiqui æui Prophetæ, multa Apoſtoli, at plus omnibus Iſaias in teſtamento veteri, in nouo Thomas, cum illum vocauerunt *Deum*. Ille dixit: *& vocabitur nomen eius, Admirabilis; Deus fortis; Pater futuri ſæculi: Princeps pacis;* iſte autem, *Dominus meus, & Deus meus*. Præter hos enim cæteri videtur fuiſſe circun locuti; Chriſtum enim *Prophetam*, *Angelum*, *Emanuelem*, *IESVM*, *& DEI Filium* quàm multi dixerant: nemo *DEVM*. Sic ego in clauium harum, & Canonicarum Regularum expoſitione prolixus futurus non ſum, ſed curaturus, vt paucis multa comprehendantur.

DCCCXXIV. Verbo plurima comprehendi ſolent.

vnum verbulum eſſe poteſt legis aut Regulæ obſcura cõmentarius.

Iſaiæ 9.

Breuitati ſtudebo.

DCCCXXV.

Ne aliqua ſubſit æquiuocatio, Lector candide, hic te moror, & paucis alloquor. Interpres ſum, non Legislator: & ideò gloſſas meas à Regularum textu characterum varietate diſtinxi: verba enim Regulæ ſunt Canonica & legislatiua, mea expoſitiua, & authoritate priuata addita, vt meliùs intelligatur Regula: illa, vtpote Apoſtolica authoritate fulta, à nemine reijci debent: iſta poterunt, ſi fortè alicubi, quod humanum eſt, videar non attigiſſe veritatem.

FVN-

FVNDAMENTVM XXXVI.

Clauis I. De Annullatiua Iuſtitia.

DCCCXX VI. Multa exiſtunt realiter, quæ moraliter non exiſtunt.



QVod plenè probari non poteſt (A) moraliter infectum dicitur; ita enim ſe habet in Republica, ac ſi factum non eſſet. (B) Quæ contra leges dirimentes, aut etiam à carente (C) legitima authoritate, fiunt, nulla ſunt. Actus abſolutè legitimi, quales ſunt. (E) Mancipatio (D) Acceptilatio, hæredis Inſtitutio, ſerui Optio, tutoris Datio, Adoptio, ſolemnis Profeſſio, diei Adiectio, Electio, Poſtulatio, &c. Stando Iuri naturæ, inuoluere poſſunt conditionem & diem, non tamen ſemper, ſtando Iuri humano: & Matrimonium nec diem admittit, nec conditionem repugnantem. Conceſſi à Iure aut à Superiore Priuilegij (H) nulla eſt, ſi fiat ab inferiore, reuocatio; nulla etiam legis Superioris authoritate propria diſpenſatio: Illa autem quæ nulla ſunt, (E) nullam conſequentiam inferunt (F) nullum effectum cauſant. Præter res dantur etiam Perſonæ moraliter & ciuiliter nullæ, & in ordine ad Promotiones (G) infames & ſeruiles vniuerſę ſunt tales. Quæ nullæ (I) ab initio ſunt, mero temporis decurſu non ſubſiſtunt.

Res improbabiles. Lex dirimens. Actus nulli. Actus conditionati.

Inferior non reuocat priuilegia concęſſa à ſuperiore perſonæ nullæ quæ?

Ex nihilo nihil infertur.

DCCCXX VII.

HOc *Fundamentum multas Regulas à Bonifacio collectas aut ſparſas cõplectitur; iſtas exponit, iſtis exponitur.*

Quod probari non poteſt, politicè verum non eſt.

A Quod (*plenè*) probari non poteſt, mihi infectum eſt. *Bernardus lib. de Præcepto & Diſpenſatione.*

Leges, aliàs impedientes, & aliàs dirimentes ſint.

B. Quæ contra Ius (*dirimens*) fiunt, debent vtique pro infectis haberi. *Eſt Regula* LXIV. Non omnes leges dirimentes ſunt, multa enim illicitè, ſed validè fiunt. *Sà verb. excomm. Abſolut. Bartholomæus a S. Fauſto Theſaur. lib. 1. quæſt. 12. num. 5. Huc pertinent verba Gregorij in regiſtro, quæ habentur 25. quæſt. 2.* Imperiali conſtitutum eſt ſanctione apertè, vt ea, quæ contra leges fiunt, non ſolùm inutilia, ſed etiam pro infectis habenda.

De eo, qui excedit terminos ſuæ authoritatis.

C. Ea, quæ fiunt à Iudice (*idem dicito de quocumque, qui limites ſuæ iuriſdictionis excedit*) ſi ad eius non exſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt. Eſt regula Iuris VXVI.

Actus abſoluti & conditionati.

D. Actus (*abſolutè*) legitimi conditionem non accipiunt neque diem. *eſt Regula* L. *Actus legitimi alij ſunt abſoluti, alij conditionati: à nobis enumerantur illi, exponuntur, & Pomponij verbis illuſtrantur ſuo loco.*

An res quæ eſt inualida, poſſit habere effectus?

E. Actus moraliter nullus nullam conſequentiam infert, nullum effectum cauſat. *Eſt axioma Iuridicum.* Beneficium eccleſiaſticum non poteſt licitè (*imò nec validè*) ſine inſtitutione Canonicà obtineri. Eſt Regula L.

Exorbitantiæ non debent in exẽplum adduci.

Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda. *Eſt Regula XXVIII.*

Legibus, & non actibus eſt argumentandum. *Eſt adagium Iuridicum.*

F. Non præſtat impedimentum (*neque vtilitatem*) quod iure non ſortitur effectum. *Eſt Regula* LII.

DCCCXXIX De infamibus.

G. Infamibus portæ non pateant dignitatum. *Eſt Regula* LXXXVII.

Neque famoſis & notatis, & quos ſcelus aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, dignitatis portæ patebunt. *Alexander Imperator.*

Moraliter nulli.

Etiam ſunt moraliter nulli, qui periuri, & apud Hiſpanos qui ebrioſi; imò & aliquando apud Germanos.

De priuilegiorum perennitate.

H. Indultum à Iure Beneficium (*Priuilegium*) non eſt alicui auferendum (*nimirùm ab eo, cui non ſubſit Ius; & tunc ex rationabili cauſa*) *Eſt Regula XVII. & non ſolùm in Priuilegijs, ſed etiam in præceptis locum habet.*

An inferior poſſit in Superioris lege diſpenſare?

A' Iure aut à ſuperiore Principe impoſitam legem non poteſt inferior tollere aut limitare, niſi detur ſufficiens cauſa, & habeat ad hoc authoritatem ſpecialem. *Eſt corollarium præcedentis.*

I. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit. *Eſt Regula XVIII.*

I.

DCCCXXIX Improbabilia, virtualiter infecta ſunt.

PRIMVS, is qui fundamentalis Iuris vtriuſque lapis, quo ſubſtruitur Eccleſiaſtica & Ciuilis prudentia, eſt illud Axioma ſecuriſſimum, quod aris AEquitatis inſcribitur: nimirùm *Quod plenè probari non poteſt moraliter* (virtualiter, ciuiliter, & politicè) *infectum eſt.* Hoc reſponſionem ſuam libro de præcepto & diſpenſationem fundat Bernardus meus; nam cùm Carnotenſes vrgerent Prelati ſui electionem tot tricis & difficultatibus implicatam, vt tametſi de eius nullitate coram Deo dubitari non poſſet, non poſſet coram hominibus probari, reſpondit; *Quod probari non poteſt, mihi infectum eſt.* hoc eſt, ita ſe habet, ac ſi factum non eſſet. Vnde Ioannes Phocylides in examine Lansbergianæ Aſtronomiæ pag. 97. *Sed bene res cecidit, quòd non deſint oculatiores, qui ad hæc non magis, quàm ad puerorum crepitacula moueantur, & cognoſcere nolunt, quod probare non poſſunt*; cuius verba, tametſi in alio foro dicta, placuit referre.

Quid ſit moraliter non eſſe.

II.

DCCCXXX. Aliæ leges impediunt, & aliæ dirimunt.

QVæ contra Ius (dirimens) fiunt, debent vtique pro infectis haberi. Vt regulam hanc LXIV. intelligas, adnotato, eſſe Iura, quædam merè prohibentia, & quædam etiam annullantia, ſeu dirimentia; & quæ contra priora fiunt, fieri quidem illicitè, ſed validè; quæ tamen contra poſteriora, ſemper inualidè, tametſi non ſemper illicitè. Prioris generis non multa exempla adduci poſſent; ſed hæc occurrunt. Matrimonium poſt ſimplex continentiæ votum à viro ſæculari contractum, eſt contra Ius, nec tamen nullum; peccat quidem, qui ſic contrahit, ſed validum eſt matrimonium. Idem dicito de quocunque matrimonio contracto cum impedimento impediente: *Ita omnes.* Clericorum ordinatio, Eccleſiæ ab alieno Epiſcopo conſecratio, ſententia Iudicis, ſi dutior, aut ſub conditione lata, vel ſi qua id genus alia expreſſè habentur in Iure, illicitè & legibus prohibentibus fiunt, nec tamen nulla iudicantur. *c. fin nona quæſt. 1. c. Epiſcopus in diœceſin. 7. 9. 1. l. moris. 9. § ſed. ff. de pœnis. l. relegatorum 7. §. ad tempus, ff. de interdict. & relegat. libro primo §. biduum. ff quando appellation. ſit add. Addi poteſt caſus in libro tertio ff. de officio Prætoris. & textum in c. ad Apoſtolicam 16. circa finem. extr. de regularibus.* Præter hos paucos caſus, quos ob particulares rationes Ius tolerat & ſuſtinet, tenendum eſt omnes alios, qui contra Iura, nullos eſſe & irritos, etſi ſint ſimpliciter prohibiti & nulla clauſula derogatoria aut annullatiua addatur: *per textum in l. non dubium. S. C. de legibus & quæ ibidem tradit Iaſon numero decimo ſeptimo capite primo.* non enim addi debent, quæ ſemper iuſſa ſubintelligi Vnde teſtamentum factum ſine ſolemnitatibus debitis omninò eſt nullum. Et quidem Ius Ciuile Regula XLV. aliquos contractus inualidos recenſet his verbis. *Neque pignus, neque depoſitum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt.* Hinc lux caſui difficili. Licitabantur Petrus Ioanneſque de equi pretio, quem Ioannes volebat vendere centum aureis, & videbatur dubium, an Petrus tanti voluerit illum emere. Die ſequenti Ioannes poſtulat ſibi locari à Petro eumdem equum, & Ioannes adnuit, & pro aureo locat; hac locatione Petrum ſe emiſſe equum fateri pronuncio: non enim poſſet Petrus eſſe locator, niſi eſſet equi Dominus; nec Ioannes eſſe locatarius, ſi eſſet Dominus equi.

Votum ſimplex matrimonium nõ dirimit.

Notanda. N. B. Stando rationi, hic, & ſæpè alibi poſſemus aliter philoſophari, at in re purè practica Authoribus eſt ſubſcribendum.

Regula generalis.

Eſt actus prohibitus: ergo nullus. An ſit bona conſequentia.

Teſtamentũ inualidum.

Caſus proponitur. Emptio & venditio implicita.

III.

DCCCXXXI Regula 26.

EA *quæ fiunt à Iudice* (& idem dicito de quocumque, qui limites ſuæ iuriſdictionis excedit) *ſi ad eius non ſpectant officium, viribus nõ ſubſiſtunt* [Nota tamen ex Regula XXI. Iuris Ciuilis, *Non debere, cui plus licet, quod minus eſt non licere.* nẽpè, ſi illud plus contineat illud minus, vt totum partem, iuxta ea quæ dicemus inferiùs] *Sanè hæc Regula XXVI. Iuris Canonici non eſt condiſtincta à præcedenti, nam in eâ clauditur; quicunque enim ea, quæ ad ſuam non ſpectant Iuriſdictionem, facienda aut decidenda aſſumit, contra Iura operatur, quæ vnicuiq; dari quod ſuum rigoroſè præcipiunt; & quæ contra Iura fiunt pro infectis habenda iam vidimus.*

Regula 21.

Hæ duæ Regulæ, tametſi in ſerie veterum Tabularum remotæ, proximæ et concatenatæ ſunt. Quoniam quæ contra Ius,

DCCCXXXII

ad

ad Iudicis non ſpectant officium; & quæ ad Iudicis officium ſpectant, ſecundùm Iura ſunt. Sed quia dantur Iudices *Supremi* et ſubordinati, quo illo modo Iuri ſubſint, examinandum eſt.

DCCCXXXIII. Da Iure ſanguinis.

Occurrit hæc periodus: *Iura ſanguinis nullo iure ciuili dirimi poſſunt.* Eſt Pomponij lib. 4 ad Sabinum et habetur l. 8. ff. de Regul Iur. ergo quæ contra Iura ſanguinis fiunt, ſemper fiunt contra *Ius* dirimens; quoniam ſanguinis Ius omnia Ciuilia et Canonica dirimit, et à nullo Canonico aut Ciuili dirimitur. Ergo quæcumque contra Ius ſanguinis facta, debent vtique pro infectis haberi; nam ad Iudicis hæc non ſpectant officium: et quæ præter officium à *Iudice* tentata aut facta, viribus non ſubſiſtunt. Sed quod eſt iſtud adamantinum Ius, quod à ſanguine denominatur? Ius naturale, ſeu Ius Diuinum; nullum aliud. Sentio, Decalogum eſſe Ius Diuinum, non eſſentiale & ineuitabile, ſed DEO liberum, & quod potuerit non ferri, præcipuè quoad ſecundam Tabulam.

Ius Naturæ & Diuinum humano non ſubeſt.

Quid ſit Ius Diuinum?

DCCCXXXIV. Ius ſanguinis ſacramentale

Quòd ſi agamus de Iure Diuino Sacramentali, de quo non puto cogitaſſe Pomponium, meritò poterit dici *Ius ſanguinis*, quoniam in ſanguinis Chriſti efficacia fundatur, & nullo Iure humano dirimi poteſt: nulla enim apud homines hodie poteſtas aut dirimendi antiqua *Sacramenta*, aut inſtituendi noua: & vt exemplo rem illuſtrem: Nemo Pontifex, nemo *Imperator* poteſt Baptiſmum legitimè collatum dirimere, nemo Confirmationem: nemo Pœnitentiam, nemo Communionem, nemo Extremam-vnctionem, nemo Ordinē, & tandem nemo Matrimonium: facere enim vt Petrus, qui fuit hucuſque Chriſtianus, Sacerdos, &c. Baptiſmi aut Ordinis characterē amittat, impoſſibile eſt Impoſſibile facere, vt peccata iam remiſſa redeant; quòd manentibus ſpeciebus conſecratis Chriſtus recedat; quòd ſoluatur ſacramentalis matrimonij vinculum: & ſexcenta alia, quæ Chriſtus poſuit, nec voluit humanæ voluntati committere.

Sacramenta ſemel collata humanitùs nó poſſunt dirimi.

DCCCXXXV

Hæc omnia dicta, vt Regula illa VIII. defendatur. Quoniam, ſi Pomponius de *Iure* conſanguinitatis agat, illa nimis craſſè exponetur, ſi in ſenſu Phiſico. Quoniam ſi certum eſt *Iura* humana non poſſe facere, vt Petrus non ſit Phyſicus Ioannis filius, hoc eſt, à *Ioanne* genitus; nec poſſunt facere, vt Pictor non ſit Phyſica cauſa picturæ; nec quòd furtum Phyſicè commiſſum, non ſit. Hic ſenſus pinguis omninò eſt, nec in ipſo diſputantur moralia: ſed quærimus, An Ius conſanguinitatis aliquid diſponat, quod non poſſit dirimi Iure ciuili? Reſpondeo, Pomponium, ſi hoc ſenſu fuit loquutus, erraſſe, nō enim erit aſſignabile aliquid, quod politico Iuri non ſubſit. Habet ratione ſanguinis pater *Ius*, vt filio vtatur, & illi imperet; filius obligationem obediendi; at poſſunt Leges emancipare filium, qui eo genere, quo emancipatus fuerit, non amplius ſuberit iuriſdictioni patris, nec tenebitur illi obedire: non enim poteſt pater filio iubere Religioſo, vt ad ſe redeat; non coniugato, vt vxorem dimittat.

An Ius morale ſanguinis poſſit ciuiliter dirimi?

Emancipationis vis.

DCCCXXXVI. An Religioſus teneatur egredi ex Monaſterio, vt ſuſtentet Parentem?

DICES, poſſe Patrem filium ſuum Religioſum è monaſterio extrahere, ſi extremam aut grauem neceſſitatem incurrat; & hoc ſanguinis Iure, non alio.

Reſpondeo, hunc caſum non fuiſſe à maioribus noſtris bene examinatum, & pati innumeras difficultates. Primò enim in rebus-publicis, etiam Mahometanis, vix datur extrema neceſſitas. Secundò, ſi daretur, non ſolùm filium, ſed omnem hominem obligaret: in tali enim caſu omnia communia ſunt, & ex iuſtitiâ ferè omnes, & ex charitate ſinguli fauere tenentur. Tertiò, quia poſita neceſſitate graui, poteſt pater ſuo iure cedere; poteſt obligatio aut ad monaſterium, aut ad hæredes tranſire; & fortè de facto tranſiuit. Quæ omnia humana ſunt, & quæ dirimunt obligationem filij ortam à ſanguine. Notare tamen potes obiter Eminentiſſimum Cardinalem AEgidium Columnam in Quodlibeticis *diſputat. 6. quæſtion. 2 pag. 112.* iuxta editionem Louanienſem anni *1646.* docere, talem filium poſſe veniam egrediendi petere; & ſi hanc non obtineat, non teneri egredi.

An detur extrema neceſſitas?

DCCCXXXVII.

Hæc clara iudicas, & adhuc Pomponium defendis, & vt faciliùs poſſis, ad impedimenta matrimonij recurris. *Iura ſanguinis*; ais, *quæ naturaliter impediunt & dirimunt conſanguineorum matrimonia, nullo Iure ciuili poſſunt dirimi*. Et adquieſco: moneo tamen, me Louanij multis Authoribus ſubſcribendo, poſſe Pontificem diſpenſare, vt ſoror fraterque validè contrahāt, in promotione ad lauream propugnaſſe. Quod ſi hoc ſenſu loquutus eſt Pomponius, hæc verba: *Iura ſanguinis nullo Iure ciuili dirimi poſſunt*, æquiualebunt his: *Iura, quæ inter patrem & filiam, inter matrem & filium matrimonia naturaliter dirimunt, ciuiliter dirimi non poſſunt*, erunt vera in ſententiâ communi.

An matrimonio iungi poſſint frater & ſoror?

DCCCXXXVIII. Condemnandi, & etiam abſoluendi facultas.

Quia de Iudice, qui ſuæ authoritatis terminos transgreditur, agebat Canonici Iuris Regula XXVI. tu ex ciuili Regulam XXXVII. proponis, videlicet: *Nemo, qui condemnare poteſt, abſoluere* (ſi ratio & innocentia poſtulent) *non poteſt*; excedit igitur Iuriſdictionis terminos, qui eum condemnat, quem non poſſet abſoluere: hoc enim diſcrimen reperitur inter Commiſſarium & *Iudicem*, quòd ille ad vnum determinatus ſoleat eſſe, hic autem habeat authoritatem abſoluendi & damnandi; vnde *Ioannis* 18. CHRISTO Pontius Pilatus. *Mibi non loqueris? Neſcis, quia*

Iudicis & cō miſſarij differentia.

potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?

DCCCXXX IX. Dubium proponitur.

QVAERIS, An-ne possit Francisco delegari authoritas, vi cuius condemnare reum possit, si morte dignum iudicet; si tamen innocentem iudicet, absoluere non possit? *Respondeo*, Stando mero Iuri naturæ posse; at stando ciuili non posse. Quoniam eiusmodi comissio videretur crudelitatem Commissoris arguere; & Commissarium periculo malè iudicandi exponere: tanta est enim humana fragilitas, vt homo libentiùs dicat *Ius*, quàm abstineat. Vnde si Bernauuelus apud Hollandos in manus Iudicum incidit, qui eum capite damnare poterant, at innocentem declarare non poterant, quales eiusmodi Iudices fuerint? quales eorumdem Superiores? esto alterius iudicij.

Historia Bernauuelij.

IV.

DCCCXL. Actus nullus meritorius, demeritorius, obligatorius.

ACTVS *moraliter nullus nullam consequentiam infert, nullum effectum causat.* Actus, de quo agimus, est triplex; meritorius, & demeritorius, obligatorius.

Et caret euentu spes bona sæpè suo.

DE PRIMO eamdem Regulam describo sic. *Actus, qui moraliter non est meritorius, nullius est premij dignus*, & in specie, *si consilium fraudulentum per accidens vtile fuit, nullo honorario aut præmio dignus est, qui dedit eiusmodi consilium.* Vnde emanauit Iuris ciuilis Regula LXXIX. *Fraudis interpretatio semper in Iure Ciuili non ex euentu dumtaxat, sed ex consilio quoque desideratur.*

DCCCXLI. An Consiliarius teneatur ad dānum ortum ex suo consilio?

DE SECVNDO rescribo eādem Regulam. *Actus, qui moraliter non est demeritorius, nullius suplicij dignus est*: & in specie. *Si consilium sincerè datum per accidens, aut præter dantis intentionem nociuum fuerit, hic nullo supplicio dignus est.* Imò honorario potiùs, quia tecit quod sapuit & potuit. Hinc oritur Iuris Ciuilis Regula XLVII, quæ ex Vlpiano sic ponitur. *Consilij non fraudulenti* (hoc est, sincerè dati) *nulla obligatio est. Cæterùm si dolus aut calliditas interfit, de dolo actio competit.* Hinc patet, Viros prudētes causas debere, & nōn effectus iudicare. Recenseo nonnulla, quæ vidi. Perdidimus Traiectum, Bredam, & ante Rocroyam cæsi sumus; interim, qui Traiectum tradidit, Marchio denominatus est: & etiam qui Bredam, promotus: & D. Franciscus de Mello, qui aduerso marte ante Rocroyam conflixit, honoratus fuit Regijs litteris, quarum hic erat sensus. *In Rocroyano conflictu multa sunt, ob quæ gratias vobis agere debeam. Res omnes bene disponere, prudenter iubere generosè exequi Principum fortissimorum est. Victorias Regi suo omnes procurare tenentur: nemo dare tenetur, quoniam illas dat* DEVS. Traiectinus & Bredanus Propugnatores sūmam laudem, etiam perditis locis, adepti sunt, quoniam supra omnem spem multis illa septimanis contra numerosissimas copias defenderunt. Marchio de Aytona prudenti & eleganti calamo scripsit Boetij vitam, quam Comes de Rebolledo ante annos paucos euulgauit, & §. 14. ait: *Con mayor gloria, a mi parecer, perdiò Odoacer a Italia, que la ganò.* hoc est, *Gloriosiùs Odoacer, me iudice, Italiam amisit, quam obtinuit*: quoniam gloria non à casu, sed à prudentiâ generosâ dependet.

Non casus, sed consilia sunt consideranda.

D. Franciscus de Mello, etsi victus laudatur.

Dat victorias Deus.

Marchio de Leyden.

Odoacer Italiæ Rex.

De TERTIO hāc Regulā statuo. *Obligatio moraliter nulla nec vinculum, nec impedimentum inducit* Hanc Regulam in duas diuisit Bonifacius, cui est XXVIII. *Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*, vnde optimè in tribunalibus dicitur: *Legibus, & non actibus esse argumentandum*; multi enim actus contra leges hominum ignorantiâ aut etiam malitiâ subrepunt: Vnde Paulus Iurisconsultus: *Quod contra rationem Iuris receptum est, non est ad consequentia producendum.* Cui etiam Bonifacio est Regula LII. *Non præstat impedimentum, quod Iure non fortitur effectum.* Verbi gratiâ. Votum simplex respectu matrimonij est impedimentum impediens; votum solēne est dirimens; quod si probentur fuisse nulla, nec illud impedire, nec hoc dirimere matrimonium poterit. *Sic* etiam matrimonium est impedimentum dirimens sequentem professionem, & tamen, si illud nullum fuisse probetur, hæc erit valida.

DCCCXLII. De consequentijs moralibus.

Professio nulliter facta sequens matrimonium non dirimit.

Inter actum moraliter & validè factum, & inter actum invalidum & infectum moraliter datur actus inceptus: & hîc duo breuiter examinanda sunt; alterum, quando actus incepisse dicendus sit; alterum, quæ iuri dicè ex actu incepto subsequantur l. 13. ff. de reg. Iuris his verbis. *Non videtur cœpisse, qui per exceptionem à (legitima) petitione remouetur.* Addidi illud *legitima*, vt rem dilucidè explicarem, Quoniam, tametsi nemo impediri possit, quin priuatim postulet, multi à solēni legitimâ & iuridicâ petitione remouētur: quod exēplis illustro. Admitti ad Regularem statum postulat Iuuenis sæcularis; postulat Nouitius iuxta leges Benedictinas quarto, octauo, & duodecimo mense. Nouitius, si piè & sanctè procedit, multorum opinione ex iustitiâ, hoc est, legitimè & Iuridicè; adeoque iste talis incepisse dicitur: at ex merâ gratiâ sæcularis; nec dicendus est incepisse esse religiosus, tametsi priuatim centies solicitauerit, & habitum petierit, si remotus fuerit, nec permissus fieri Nouitius, & tunc legitimè Regularem statum postulare. Hinc est, quòd ānos antiquitatis Religiosus non numeret à die, quo incepit solicitare & priuatim orare, vt reciperetur; nō à professionis die, sed à die, quo incepit habere

DCCCXLIII. Actus insectus, inceptus, & completus.

Quisnam non incepisse censēdus?

An Nouitiorum approbatio sit gratia? an iustitia?

Antiquitas in monasterio quomodo possit computari?

bere ius professionem postulandi, hoc est, à vestitionis die. Si dicas esse graues authores, qui tenent, Nouitios non postulare professionē ex iustitiâ, sed ex misericordiâ, respondebo, hanc opinionem esse Sanchezij *in Summa tomo secundo, libro quinto, capite quarto, numero* 54. quam probabilem iudicat Peregrinus *Commentar. ad constit. part. 2. capite quinto, littera B. §. primo*; quam ego cum aliquâ limitatione censeo veram *Theolog. Regul. num.* 472. vbi multis alijs subscribo. Addam eâdem moribus præscriptis firmari; Nouitius enim, qui approbari desiderat, prosternit se in capitulo, & ab Antistite rogatus, quid petat? respondet. *Misericordiam à DEO, & à V. Paternitate, & à toto sancto hoc Conuentu.* Subijciam, esse etiam multas Communitates, in quibus antiquitatis anni à Professione numerantur. Vtcumque res se habeat, dico, omnem Nouitium legitimè & iuridicè admissionem ad Professionem petere, hanc nullum Sæcularem legitimè ac iuridicè petere. Quoniam Sęcularis nondum vestitus nullo iure mensam, cohabitationem, habitumque à Monasterio postulat, quæ Nouitius, si bene se gerat, saltem postulat iure probabili.

An Nouitio dare suffragium sit gratia?

DCCCXLIV. Supplicare ad supplicandum quid?

Hinc patet, quid apud Louanienses, alioſque *supplicare ad supplicandum* sit? Qui enim supplicat, vt supplicare possit, petit priuatim, vt possit publicè & iuridicè petere: quamobrem probabile puto supplicantem ad supplicandum sine causâ repelli posse; at semel admissum vt supplicet, si supplicet, sine causâ repelli non posse.

DCCCXLV. An omnibus liceat litigare?

Hinc etiam, quid sit in Parlamentis lites & causas non admitti. Quoniam, tametsi totalis nihil aliud quàm Iuridica petitio sit, debet peti facultas ad petendum, hoc est, ad litigandum: sæpè enim tam euidens est Actoris iniquitas, vt per exceptionem à petitione remoueatur; qui si non obtineat litigandi licentiam, non est dicendus incepisse.

DCCCXLVI. An actus, qui nullus fuit, nullus sit?

Vides sæpè de præteritorum actuum valore disputare, & interrogas, *An idem sit probare actum nullum fuisse, ac nullum esse?* Respondet Ius Ciuile Regulâ XXIX. *Quod initio vitiosum est, non potest tractu (meri) temporis conualere.* Verba sunt Pauli *libro octauo ad Sabinum*, quibus illud *meri* addidi, quoniam tametsi merum tempus contractus non firmet, solent comitari tempus aliquæ circumstantiæ, quæ firmare sufficiant. Pono vnum aut alterum exemplum.

An tempus contractum confirmet?

DCCCXLVII.

Contractum verè inualidum bonâ fide iniuisti, & pacificè manes in possessione quadraginta annis: te legitimum possessorem hinc ratione præscriptionis iudico, non quòd mera tot annorum duratio aut reddat contractum priorem validum, aut tibi rem adiudicet; sed quia alto imperio Respublica vtens, definit omnem titulum possidendi esse validum, si sit bona fides, & annorum quadraginta possessio. [Fortè non semper bona fides requiritur vide num. 895.] Sit secundum exemplum.

De Præscriptione.

An mutet rerum possessionem?

DCCCXLVIII. An professio inualida filętio quinque annorum firmetur?

Petrus invalidè professus quinquennio nō reclamat; An-ne mero tempotis decursu invalida professio firmetur? Teneo, illam firmari in foro humano, non tempore sed consensu, qui concomitari præsumitur: quoniam qui scit, se debere ante quinquēnium reclamare, nec reclamat, videtur consensum præbere, & vota de nouo emittere. An is validè coram DEO posset fugere, & vxorem ducere?

DCCCIXL.

An impedimenta præsumpta dirimant?

Assero, non solùm potuisse Ecclesiam inter impedimenta dirimentia votum solemne verum enumerasse, sed etiam votum quod humanitùs solemne est.

Queris, An de facto dirimat matrimonium, religioſi professio, quæ humanitùs solemnis sit? cuius nullitas humanitùs probari non possit? *Videretur* fortè alicui Viro cauto, quòd sic: quoniam, si Antonius coram DEO sit non professor, & tamen coram hominibus solemniter professus, sit, & vxorem ducat, separabitur, & illa alteri nubere permittetur: ergo leges humanæ ita sūt exponendæ, vt hæ non accidant exorbitantiæ. *His tamen non obstantibus*, respondeo, quòd professio inualida in foro interno, cuius inualiditas in externo probari non potest, non irritat matrimonium: neque contrarium dici potest, quando quidem nulla extat Lex Ecclesiæ, quæ tale impedimentum dirimens statuerit: & sic vxorem separatam per sententiam Iudicis à tali professo, si transeat ad secunda vota, tuta erit ob conscientiam erroneam inuincibilem, quem errorem non repugnat dari in Iudice: est enim error facti, qui dari potest in Iudice iusto, secundùm acta & probata iudicante.

vide tom. 2 theol. Reg. n. 2541. assert. 8 vbi opposita docet vsq; ad n. 2575.

DCCCL. De dissolutione contractuum.

QVAERIS, An actus semel validus dirimi possit? hoc est, An possit fieri vt actus, qui heri validus fuit, incipiat hodie esse non validus? Respondet Phisicus, rem eisdem à causis intrinsecis & etiam extrinsecis posse destrui, à quibus facta. Nam si Binarius additione vnitatis fit, ablatione eiusdem destruetur; vnde ortum Axioma philosophicum: *Totum dissoluitur in illas partes, quibus componitur.* Et quia Moralia Phisicis sunt similia, est Iuris Ciuilis Regula XXXV. *Nihil tam naturale est, quàm eo genere quidq; dissoluere, quo colligatum est. Ideò verborum obligatio verbis tollitur: nudi cōsensus obligatio, contrario consensu dissoluitur.* Hinc est, quòd obligatio, à promissione acceptatâ (quæ probabiliter à multis admittitur) orta, dissolui possit contrarijs verbis promissarij; nempè, si dicat, se nolle habere rem promissam. Hinc est, dissolui posse contra-

An matrimonium dissolui possit

tractum qualemcunque, si omnes illi dissolutioni consentiant, qui consentire debuere institutioni. In matrimonio cooperantur DEVS, Vir, & Fœmina, iuxta illud: *Quos DEVS coniunxit, homo non separet.* Et si omnes tres consentiant, dissoluetur: vnde in lege veteri per libellum repudij dissoluebatur, quia illum permisit Deus.

An solemnis professio

In Professione solemni reperio Dei, Ecclesiæ, Religionis, & vota emittentis consensum & concursum; & consentientibus his omnibus posse dissolui professionem existimo. Sic in alijs contractibus.

De potentia virtuali ad præteritum

Quæris etiam, *An possit fieri, vt nullus fuerit contractus, qui validus fuit?* Agimus in sēsu virtuali: quoniā si semel fuit validus, vt reuera non fuerit validus, fieri nō potest; potest tamen fieri, ut virtualiter non fuerit validus, hoc est ita se habeat ac si nunquā validus fuerit. Verbi causâ. Vēdis hortum Antonio mille aureis; illū ei tradis, & ipse incurrit obligationē soluendi annuos canones quinquaginta aureorum, quousque congreget illos mille aureos. Post annum colligit Antonius fructus, & agitur de dissolutione contractus; & teneo bifariam illum dissolui posse, nimirùm vt non valeat in posterum, & etiam vt nusquam valuerit. Posterioris dissolutionis vi recuperabis hortum, nec ad aureos mille, nec ad canones annuos Antonius tenebitur. At virtute prioris Antonius retinebit primi illius anni fructus, & soluet primi illius anni canonem. Sed virtute posterioris ita se habebit Antonius, ac si nunquam illum hortum emisset; & ideò nec retinebit fructus, nec soluet canonem.

Contractuū dissolutio duplex.

DCCCLII. Aliud est contractum finiri, & aliud solui.

QVAERIS TANDEM, *An-ne prioris contractus dissolutio nouus contractus sit? An verò sit prioris mera non conseruatio?* Respondeo, aliud esse contractum finiri; & aliud contractum dissolui: & existimo finiri sine contractu nouo, non dissolui. Finiri quidem: nam si loco domum pro triennio, elapsis tribus annis contractus iste sine nouâ solemnitate finitur: at elapso vno anno contractus iste non potest ex naturâ suâ finiri; potest tamen conuenientibus partibus solui, puta, si locatarius ius, quod habet in domum, cedat, aut mihi eamdem iterùm domum pro eodem pretio locet: si primum, erit donationis contractus; si secundum, erit contractus secundæ locationis. Subtilia hæc sunt, sed quæ sæpè disputantur in praxi; & hunc casum propono [Dedisti domum Anselmo in emphyteusin, hac lege, vt quotiescunque illa mutaret dominum vigesimam pretij partem haberes. Vi huius contractus illa domus ab Anselmo vendi potest, at donari non potest. Vendit illam Anselmus Friderico duobus millibus aureis contractu legitimo & valido. At iste pœnitentiâ ductus domum restituit, & Anselmus acceptat: & inquiris, An hîc duæ

Emphyteusis.

Duplex vēditio.

fuerint venditiones, vel nulla? & respondeo duas fuisse; alteram, quæ exuit domo Anselmum, & constituit Fridericum verum eiusdem domûs Dominum: alteram, quæ iterùm dominium trāstulit ad Anselmum; adeoque domum bis mutauisse Dominum, & bis tibi vigesimam partem debere: hoc est aureos centum. Hinc Lex legi c. ff. de Regulis Iuris. *Omnia, quæ iure contrahuntur, contrario iure pereunt.* Clarius: *Omnia, quæ iure contrahuntur, eodem iure finirî possunt, & debent contrario, adeoque Iure positiuo dissolui.*

Præter actus nullos, dantur etiam personæ in Republicâ nullæ, & istæ sunt, quæ infames; vnde

Personæ in Iure nullæ.

V.

DCCCLIII. Infames, non sunt promouendi.

Infamibus portæ non pateant dignitatum. Est Regula LXXXVII. Et eius ratio, quia talibus promotionibus non tam honorantur infames, quàm infamantur honores, vt constat *ex lege 2. c. de dignitat.* Alexander Imperator sic inquit: *Neque famosis & notatis & quos scelus aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt.* Sanè infamiam esse duplicem, iuris & facti scis; & scire vis de vtrâ Regula ista loquatur. Et Respondeo esse certum, eam loqui de vtrâque; & iubere ne promoueantur ad dignitates homines, sententiâ Iudicis honore diminutos, seu priuatos: ne etiam illos, qui apud Viros graues & pios prudenter discurrentes, infamiâ laborare probantur. Prudenter, inquam; quia Viri pij sæpè sunt nimis credulj; & sæpè Petrus ex vnius anûs calumniantis malitiâ, & nimiâ piorum hominum credulitate, contra prudentiæ regulas infamatur; nec enim omnis dicenda est infamia, quæ videtur.

Infamia duplex: iuris & facti.

Viri pij sunt nimis credulj

An fœminæ sint promouendæ? An & pueri?

Ius Ciuile Fœminas etiam & Pueros dignitatum omnium aut ferè incapaces declarat. l. 2. de Regulis Iuris. *Fœminæ ab omnibus officij ciuilibus vel publicis remotæ sunt; & ideò nec Iudices esse possunt, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio interuenire, nec procuratores existere. Item impubes omnibus officijs ciuilibus debent abstinere* [Excipe eas dignitates aut officia, ad quæ iure aut consuetudine speciali fœminæ solent adsumi in Communitate, in quâ degis] Hæc Regula desumpta est ex Vlpiano *libr. 1. ad Sabinum.*

DCCCLIV. Princeps bono ingenio & bona voluntate sit præditus.

Si harum Legum ratione quæris, adnotato, duo omninò requiri, vt quis dignè officio publico fungatur; nimirùm, vt maturitatem iudicij, & bonam voluntatem habeat. Hæc præsumitur abesse infamibus; quia *Infames* sunt, qui grauissimè & sceleratissimè mali, adeoque sine iniuriâ semper censeri possunt mali. Illa verè deest Pueris. Vtraque sæpè Fœminis. Sunt etiam aliqui

Officia infamia.

non

qui non ratione criminis, ſed ratione miniſterij infames ſunt, & his præcluditur aditus ad dignitates, vt hac via omnes ad famam & gloriam inuitentur. Eiuſmodi erat infamia Paſtorum apud AEgyptios; vnde Ioſeph ſuaſit fratribus ſuis, vt ſe Paſtores dicerent, ne cohabitare Agyptijs, & moribus eorum inſici cogerentur. Geneſ. 46.33. ſic ait. *Cùm vocauerit vos* (Rex) *& dixerit, quod eſt opus veſtrum? Reſpondebitis: Viri Paſtores ſumus ſerui tui ab infantia noſtra vſque in præſens, & nos & Patres noſtri. Hæc autem dicetis, vt habitare poſſitis in terra Geſſen; quia deteſtantur AEgyptij omnes Paſtores ouium.* Quâobrem precariò viſi ſunt apud AEgyptios viuere, nec unquam ad Ciuiles dignitates promoti, & poſtea afflicti ab alio Pharaone, qui non cognoſcebat Ioſeph, & vt mancipia furnis laterum adiudicati.

An Paſtor ſit infamis?

Apud AEgyptios honorè perdunt Hebræi, ne ſe periculo peccandi exponant.

DCCCLV. Cur ſerui promoueri ad dignitates nequeant?

Serui & Mancipia à dignitatibus arcentur, quòd hoſtes olim fuerint, & bonâ etiamnum carere voluntate credantur. l. 211. de regul. Iuris Ciuil, *Seruus Reipublicæ cauſa* (hoc eſt ob negotia publica) *abeſſe non poteſt.* Et ibidem l. 22. *In perſonam ſeruilem nulla cadit obligatio* (*videlicet, iuridica & publica*) & ibid. l. 32. *Quod attinet ad Ius Ciuile, ſerui pro nullis habentur, non tamen & Iure naturali. Quia quod ad Ius naturale attinet omnes homines æquales ſunt.* Et ibid. l. 107. *Cum ſeruo actio nulla eſt.* l. 118. eod. tit. *Qui in ſeruitute eſt, vſu capere non poteſt. nam cùm poſſideatur, poſſidere non videtur.*

Serui in Iure ſunt nulli.

Hiuc lux illi periodo: *Eius eſt non nolle, qui poteſt velle.* l. 1. ff. de regul. Iur. non enim Infamis, Fœmina, Impubes, Seruus, cenſeri poſſunt non nolle (imò nec nolle) magiſtratum gerere, aut publica munia adminiſtrare, cùm ipſi incapaces ſint, & velle aut adſpirare ad eiuſmodi dignitates non poſſint. Fortè legendum eſt *non velle*, vt ſenſus ſit, *neminem arguendum, quòd non voluerit facere quod velle non potuit*, vt naturâ libertatis phyſicæ & moralis noſcatur: poſtulat enim arbitrij libertas, vt poſſis rem facere, & non facere: quamobrem non dicêris vnquam nõ voluiſſe tranſuolare Caucaſum, aut Conſtantinopolin reſtituere Chriſtianis; quia neutrum phyſicè potes facere, neutrum velle efficaciter potes. Sic legem corrigo; aliàs enim videretur, An hæc idemtica, & æquiualere huic, Lex ſit *eius eſt velle, cuius eſt velle*, in quâ nihil doctrinale reperio.

An nonnolle diſtinguitur à velle?

Libertatis natura.

An hæc lex ſit idemtica?

DCCCLVI. Furioſi etiã ſunt nulli.

Præter Infames, Fœminas, Impubes, Seruosque etiam Furioſi apud Iuſtinianum nulli ſunt. l. 5. ff. de regul. Iur. *In negotijs contrahendis alia cauſa habita eſt Furioſorum, alia eorum qui fari poſſunt, quamuis actum rei non intelligerent. Nam Furioſus nullum negotium contrahere poteſt, Pupillus omnia Tutore auctore agere poteſt.* Ecce Paulus lib. 2. ad *Sabinum* diſtinguit inter manutenere & contrahere; non negat furioſos (amentes vniuerſos intelligit) poſſe per alium defendere ſua iura legitimè adquiſita: quis enim diceret, eſſe bene gubernatam Rempublicam, in quâ amens licitè expoliaretur? & in hoc furioſos ſimiles eſſe pupillis iudicat; in hoc tamen totam differentiam conſtituit, quòd pupillus medio tutore nouos contractus inire poſſit, quod furioſus non poteſt. Sed me Iudice hæc differentia à placito Reipublicæ, & non à rei naturâ pendet; poſſet enim dari furioſo tutor, qui haberet authoritatem emendi, vendendi, alienandi, bona etiam radicalia ad maiorem furioſi vtilitatem. At huiuſmodi Reipublicæ placitum non dari de facto aſſerit hæc Iuris Politici Regula. Nec contra militat lex 39. ff. de Reg. Iur. *Furioſi vel eius* (prodigi, qui publicè condemnatus eſt, aut cuiuſcumque alius) *cui bonis interdictum ſit, nulla voluntas eſt*, Quia ſi placeret Principi, id quod propriâ non poteſt, aliena voluntate poſſet.

Diſcrimen inter furioſum & infantem.

An furioſus perdere ſua debeat? an adquirere aliqua de nouo poſſit?

An poſſit tutorem habere?

VI.

DCCCLVII. An actus conditionatus ſit legitimus.

Actus (abſolutè) *legitimi conditionem non recipiunt neque diem* (ſi dies conditio-ue addatur, nulli ſunt) Bonifacij Regulam hanc L. non poſſe de omnibus actibus legitimis intelligi manifeſtum eſt; & ideò illos in abſolutè legitimos, & legitimos etiam conditionatè diuidere neceſſarium eſt. Actus igitur abſolutè legitimos appello Emancipationem, Acceptilationem, hæreditatis Aditionem, ſerui Optionem, tutoris Dationem, Adoptionem, Electionem, & Poſtulationem; vel vniuerſaliùs Diri adiectionem; Adde Matrimonium, quod abſolutus Contractus eſt; nam ſi conditio accidentalis ſit, iudicatur non poſita, & ſi ſubſtantialis (hoc eſt contra Matrimonij eſſentiam pugnans) iudicatur contractum totum annullare.

Actus abſoluti.

Porrò, iſti actus non admittunt diem, *in quem*; at verò non video, cur non poſſint recipere *diem a quo*; ſi non omnes, ſaltem præcipui? ſed & ipſi non admittunt conditionem futuram, at neſcio, cur non poſſint præſentem aut præteritam? Et, vt rem meliùs intelligamus, placet aliquot exempla ſubiungere.

Dies in quẽ; dies à quo.

Emancipationis hæc formula: *Ego te hodie eximo à poteſtate patria ſi victurus ſis decem annis*, eſt nulla; quia cum illa conditio non ſit humanitùs ſcibilis, non poſſet ſcire, an iſte eſſet mancipatus; & quia in dubio beatus qui poſſidet, maneret ſub authoritate parentum. Etiam hæc formula eſſet nulla: *Ego tibi concedo, vt ſis emancipatus duobus annis*. Nam moralia tractari debent vt phyſica, & homo non poteſt occidi phyſicè per duos annos, nam vel debet non occidi, aut ita occidi, vt nunquam humani-

Emancipatio conditionata.

Emancipatio ad tempus.

Quid ſit Emancipatio?

manitùs aut lege ordinariâ ſuſcitandus dicatur. Igitur, cũ Emancipatio ſit quædã virtualis parentũ occiſio, vi cuius filius emancipatus ita ſe habet, ac ſi omninò careret parentibus, rationi conſentaneum eſt, vt qui reſpectu filij emancipati, ſuo modo morali & politico, dicuntur occiſi, eodem ſenſu mortui in perpetuum remaneant. At ego non video repugnantiam in iſtâ formulâ. *Si verum eſt, quòd crudeliter tractatur à parentibus, ego Titium ab eorumdem authoritate eximo*; nec ſcio cur non debeat admitti: ſicut nec in hac. *Concedo, vt ab anno ætatis ſuæ vigeſimo quinto filij emancipentur à iurisdictione parentum*. Quæ pariformiter de omnibus alijs contractibus abſolutè legitimis poterunt dici, ſi matrimonium excipias, in quo Iura ſemper deſiderant maiorem claritatem: & fortè hoc ipſum deſiderium tantùm ordinatur ad melius.

Emancipatio conditionata.

Matrimoniũ conditionatum.

DCCCLVIII. Quando cõditio noceat in contractibus.

Hæc ipſa *l. actus legitimi, ff. hoc titul.* optimè explicauit Pomponius vel, vt alij volunt, Papinianus: *Actus*, (abſolutè) *legitimi, qui recipiunt (alij, qui recipiunt) diem uel conditionem ueluti Mancipatio (alij, Emancipatio) Acceptilatio, hæreditatis Aditio ſerui optio, Datio tutoris* (addantur *Adoptio, Diri Adiectio*, nam *Electio* & *Poſtulatio* conditionis adiectione vitiantur; & *Matrimonium*, ſi conditio ſit talis, quæ eius ſubſtantiam deſtruat) *in totum uitiantur per temporis uel conditionis adiectionem. Nonnunquam tamen actus ſuperſcripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehenſa uitium adferunt: nam ſi acceptum feratur et, qui ſub conditione promiſit, ita demum egiſſe aliquid, Acceptilatio intelligitur, ſi obligationis conditio extiterit: quæ, ſi verbis nominatim Acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum*. Senſit ergo Pomponius (Papinianus) & omnes illi, qui eorum verba loco Regulæ l. 77. ff de Reg. Iuris, poſuerunt, non omnem conditionem ex naturâ rei repugnare iſtis actibus, aliàs enim illam ne implicitè quidem admitterent: at ex naturâ rei repugnare multas, & in foro exteriori pleraſque, & inſtrumenta debere fieri clauſulis abſolutis: Iura enim nonnulla, quæ aliquam conditionem ſubintelligi volunt, non patiuntur aliquam expreſsè dici vel ſcribi.

Nota bene.

Non omnis conditio repugnat.

Conditio implicita.

VII.

QVAESTIO INCIDENS

De conditionato contractu. *Hoc eſt, De Teſtamento, Donatione, Profeſſione ſolemni, Voto ſimplici, & quocumque alio actu aut pacto, quod expreſſa aut tacita conditione ſubſiſtat.*

SVmma eſt ſolemnium omnium actuum connexio; ſed quia Regulâria ſpecialiùs tractamus, conditionatam ſolemnem Profeſſionem diſcutiendam proponimus, multa de ſimplicibus votis, multa etiam de matrimonio, & contractibus alijs dicturi. Scimus nos detecturos ſolidiſſimum lapidem, cui multa inniti debeant, in viſum Thomæ Sanchez, Baſilio Pontio, & alijs, qui de Matrimonio & ſolemnibus alijs contractibus; ſed quia non eſt animus dicere, quæ ab ipſis ſcripta, amicos ipſos eſſe nobis, ſed veritatem eſſe magis amicam proteſtamur: & ne proœmio oneremus lectorem, ad rem venîmus.

DCCCLIX. Profeſſio monaſtica conditionata.

Multa Scriptores de nomine *Conditio*, multa etiam de ſignificatione, at inter multa pauca, quæ rem claram dilucident. Vnde liquidem nominis ſignificatio certa eſt, non eſt cur obnubiletur expoſitionibus non neceſſarijs; quoniam aliquando contingit, definitiones, quæ putantur clariores definito, ita eſſe obſcuras, vt illud ruſticus, hanc vix ſapiens intelligat. Notauit hoc Carteſius, noto & ego; quòd vt non ſolùm notem, ſed demonſtrem, pictorem in medio produco. Illi coram te iubeo, *vt qualitate viſibili viſus congregatiua tabulam pingat; & in ea qualitate viſibili viſus diſgregatiua delineet Alexandrum*. An me intelliget? Minimè. Iubebo igitur, *vt in Tabula nigra colore albo Alexandrum efformet*; & ſtatim me intelligens, oſtendet, ſæpè definitiones eſſe obſcuriores definitis, & errare Doctores, dum res claras & vniuerſis notas volunt dilucidare. Nolo igitur quid *ſit Cõditio* exponere; nota, res eſt; nec poteſt clariùs aliter quàm mero nomine repræſentari.

Conditio.

An definitio ſemper ſit clarior definito.

DCCCLX. Profeſſio cõditionata. quæ Conditiones variæ enumerantur præcipuæ.

Profeſſio igitur conditionata illa eſt, quæ conditioni innititur; vt, *Voueo, ſi obijt pater meus. Voueo, ſi tale priuilegium habetis.* Conditio, quæ interuenire ſolet, varia eſt: Neceſſaria, Poſſibilis, & Impoſſibilis; Honeſta, & Inhoneſta; Incompoſſibilis & Conſiſtens; Certa & Dubia; Cognoſcibilis: Præterita, Præſens, & Futura. Omnes iſtas, & alias etiam occurrentes examinabimus,

bimus, & doctrinam matrimonio & alijs contractibus consentaneam ponemus, adnotando, conditionalem positionem, posità conditione, transire in absolutam, & hanc esse optimam argumẽtandi formam: *Donasti Petro aureos centum, si esset Doctor; atqui est Doctor: igitur contractu teneris.*

An conditionalis transeat in absolutam?

VIII.

Conditio NECESSARIA.

DCCCLXI. Conditio necessaria non est conditio

OMnia illa, quæ naturam respiciunt, & ab hominibus certò cognita impediri non possunt, non habere vim conditionum dicuntur; quoniam hæ propositiones: *Voueo, si heri Sol ortus fuit*: *Voueo, si eras sit oriturus*: *Voueo, si mare exsiccatum non est*, & aliæ similes æquiualent huic absolutæ: *Voueo.* Constat ex lege, si pupillus 9. ff. nouat. *Qui sub conditione stipulatur, quæ omni modo extitura est, purè videtur stipulari.* Et cur legem & authoritatem produco in re tam clara? vt morem geram imperitis, qui non credent hanc chartam albam esse, nisi lege & Iurisperito suadeatur.

An omnia Authorum sunt testimonio probanda?

Nota obiter, difficilem esse hanc periodum: *Quæ secundùm rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licèt apud nos incerta sint.* §. conditione. instit. de verb. oblig. Certitudo enim respectiua est, & quæ secundùm rerum naturam necessaria sunt, modò nobis incerta sint, obligationem morabuntur: quoniam iste contractus bonus est *si cras pluat, dabo tibi ocreas*, & tametsi pluuia secundùm ordinem naturæ sit certa, non tenebor hodie ocreas dare, nec cras antequàm pluat, quia mihi pluuia incerta est: & cùm obligatio à conditione oriatur, incerta est.

Certa quoad se, & certa quoad nos.

Obligatio à conditione incerta est.

IX.

Conditio INFALLIBILIS LIBERA.

DCCCLXII. Necessitas, et libertas. Deus solus est absolutè necessarius.

INter necessaria & infallibilia discrimen notissimum est, quoniam illa libertatem excludunt, ista imbibunt. Vbi norandũ est, id, quod vni est infallibile, alteri necessarium esse. Absolutè necessarius solus est DEVS; præter ipsum reliqua illi sunt libera, quoniam vniuersæ Creaturæ ab illius voluntate dependent: at ex his, quæ Deo sunt libera, multa sunt mihi necessaria, quæ impedire non possum; infallibilia aliqua, quæ diuinitùs doctus scio, me infallibiliter facturum esse. Prioris generis sunt ortus Solis, occasus Lunæ, & similia, quæ legibus naturæ obediunt; Posterioris fuisset Petri votum, si post Christi reuelationem, at ante negationem dixisset: *Voueo me talem & tantam pœnitentiam facturum, si hodie Christum ante gallicinium negauero*: Petro enim erat infallibiliter futura negatio, & tamen libera: quia poterat non negare Christum. Quòd, si conditio mihi non sit libera, nec secundùm cursum naturæ necessaria, mihi erit contingens; infallibilis tamen, si certè præuisa; dubia autem, si ignorata. Dubiam contingentiam reperio in hac propositione: *Cras inuisar à Ioanne*, hoc enim pendet à Ioannis libertate, cuius actus certò & infallibiliter præuidere non possum. Contingentiam infallibilem reperio in hac: *Antichristus nascetur.* Huius natiuitas non pendet à voluntate meâ, non à cursu naturali rerum, sed à decreto Diuino, mihi reuelato, adeoque certissimè cognito. De futuris contingentibus infallibiliter & certò euenturis agam nunc; nam de dubiò euenturis acturus sum inferiùs.

Infallibilitas

Conditio necessaria, libera, contingens, infallibilis, dubia

Vt igitur rem meliùs intelligas, horâ tertiâ post occasum Solis (sic numerabant horas Iudæi tempore Christi) reuelauerit Petro Christus negationem futuram horâ nimirum septimâ (nobis primâ post mediam noctem) Petrus futurum suum lapsum diuinitùs edoctus dixerit: *Voueo non ingredi Prætorium, si Christum negaturus sum*: & consulor, an hoc votum, quod grammaticè conditionale est, moraliter sit absolutum & purum? & respondeo assertiuè; æquialet enim huic: *Voueo non ingredi Prætorium*: quia, cùm conditio verè futura sit, futuritio illa iam est, & conditione posità in absolutam, puramque transit conditionalis; quia hæc assertio: *Voueo non ingredi Prætorium, si Christum negaturus sum*, omninò (quod notare oportet) æquialet huic: *Voueo non ingredi Prætorium, si nunc sit futura illa Christi negatio.* Atqui illa est futura, & hoc scit Petrus: ergo illa conditio in verbis solummodò consistens, moraliter loquendo, nulla est.

DCCCLXIII

Infallibilis; conditio est nulla.

X.

Conditio INFALLIBILIS CONTINGENS.

DCCCLXIV Conditio contingens infallibilis est nulla.

DEdi conditionem liberam infallibiliter cognitam: ponam contingentem reuelatam, quam etiam infallibiliter præsciam. *Voueo*, inquam, *si Antichristus nascetur. Contrabo, si Christus iudicaturus est viuos & mortuos.* Illę enim

conditiones, cùm sint certò positæ, ita se habent, ac si adiectæ non essent: quamobrem illud votum est purum, & absolutus est ille contractus. *Ita* Thomas Sanchez *lib. 5. de matr. disp. 2.* Rebellus *lib. 2. quæst. 10 sect. 14.* & teste Basilio Pontio *de matr. lib. 3. cap. 1. num. 13.* communiter sic sentiunt Theologi. At quia ipse Basilius sæpè à communi deuiat, quod & modò facit, quo iure id faciat videamus [*Veriùs tamen est*, ait, *quod docet Couarr. 2 p. cap. 2. §. 2. num. 11. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 12. num. 4. & olim Adrianus quæst. 3. de matrim. dub. 16. & 17. esse matrimonium conditionale*] Si rationem postulet, dicit esse manifestam, quam ex dictis colligit, & ad hanc formam reducit. Nam licèt certum sit Antichristum nasciturum, at incertum est quo tempore & die; & potest contingere, quòd non nascatur viuo legatario (contrahente, vouente) & ita habet effectum suspendendi: quod enim in incerto ponit, non potest non esse conditio suspendens, vt dictum est.

Basilij opinio.

Impugnatur.

At ego à Basilio, quem Salmanticæ sum veneratus, hanc periodum scriptam esse miror; quia polluit clarissimo ille ingenio, & tamen hic res toto cœlo diuersas confundit. Aliud est dicere, *Voueo, si Antichristus nascetur*: Aliud, *Voueo, si ante obitum meum nascetur*. Nam illum nasciturum esse infallibile est; at esse ante meum obitum, dubium aut improbabile: & Basilio subscribendum esset, si ageretur de propositione secundâ; at subscribere nequaquam possumus, quoniam de primâ disputamus.

XI.

Conditio INTRINSECA.

DCCCLXV. Conditio intrinseca, an semper subintelligenda sit?

An sit vera conditio?

CONditio illa nominatur intrinseca, sine quâ poni effectus non potest, quæ semper intelligitur, & ponatur, aut non, perinde est. Tales sunt: *Voueo me cras iturum ad Ecclesiam si vixero; lecturum talem librum, si habuero oculos; daturum tot pecunias, si habuero, &c.* Et dico, hæc vota esse absoluta & pura; non enim potero cras ire ad Ecclesiam, si hodie moriar; non legere, si oculos perdam; non dare, si nihil habeam.

Multa solent huc Authores congerere quæ non videntur multâ disputatione digna, adeoque ad vtiliora transeo.

XII.

Conditio PRÆTERITA, PRÆSENS, INCERTA.

DCCCLXVI

SOlent poni conditiones præsentes aut etiam præteritæ, quæ nobis non sunt notæ, sed poterunt temporis successu cognosci; & modò quæritur, *Quam vim habeant conditiones huiusmodi?* Pono exempla. *Voueo, si meus pater est mortuus. Contrabo tecum, si non es mihi quinto gradu consanguinea. Dono tibi tot aureos, si verè sum Antonio ex asse hæres.* Et teneo, promissiones aut contractus tali conditioni insistentes, si ipsa vera vt supponitur, statim obligare materialiter, tametsi defectu notitiæ sic vouens aut sic contrahens, quousque rem examinet, excusetur. Multa sunt hic obscura; aliqua declarabo.

Obligatio alia materialis, & alia formalis.

Si Petrus dixerit, *Voueo me donaturum hanc domum tali Xenodochio, si nunc sit viuus meus pater*: si quando vouet eius pater incolumis & sanus sit, non tenebitur statim dare illam domũ; non quidẽ defectu obligationis, sed defectu notitiæ. nã statim post emissionem voti, antequã sciat, vtrùm eius pater viuat, vel non viuat, non potest domum illam absolutè vendere, donare, aut alienare, quia se exponeret euidenti & voluntario periculo, non standi voto. Consultò posui illud *absolutè*; posset enim Petrus procedere conditionatè; Videlicet si diceret, *Si pater meus viuit, promisi hanc domum Xenodochio, adeoque si ille viuit, illam tibi non do; at quia Xenodochio, si pater meus est mortuus illam non debeo, eamdem si meus pater est mortuus, tibi do.*

Votũ quoddam exponitur.

DCCCLXVII Aliud etiã exponitur.

Si dicat, *Voueo me singulis diebus daturum tantam eleemosynam pauperibus si nauis Indica feliciter appulsa est*; & tamen nauis appulsa est, quod nescit Petrus, à die voti illius eleemosynæ debitor est, & cùm primùm sciat venisse nauim, debebit à die voti numerando summam, quam dederit computus, erogare.

Aliud simile expenditur.

Si dicat, *Voueo me singulis diebus lecturum rosarium si eadem nauis fuerit appulsa*, non tenebitur legere à die promissionis sed à die notitiæ; nec tenebitur rosaria omissa resumere. Et tota differentia inter rosaria & pecunias est, quòd istæ obligent realiter, illa autem personaliter; adeoque istæ non videantur alligatæ vel personæ vel tempori, vnde si non dentur hodie, debebunt solui cras; at rosaria, cùm personalia sint, obligata sunt personę & tẽpori, & si nõ legantur hodie, non debebũt resumi cras. Quod cõstat clarissimè in Missâ & Officio Diuino; nã, qui illã non audit die Dominica,

Obligationum realiũ & personalium differentia.

ca, non tenetur elapso die festo illam audire; sicut nec omissas canonicas horas die sequenti resumere. Nihilominùs esset limitanda hæc doctrina, si vouens vellet se expressè ad resumendam rosaria omissa obstringere, quia cùm sit suæ volũtatis dominus, poterit se hoc vel illo modo obligare.

Nota id bene.

DCCLXVIII. Aliud votũ exponitur.

Si hoc votum labijs suis distinguat: *Voueo me professurum solemniter, si iam res talis, quam desidero, acciderit.* Si verè illa acciderit, Petrus statim obstringitur voto Religionis; & tametsi non teneatur profiteri antequam sciat, tenetur nihilominùs nõ reddere se inhabilẽ ad profitẽdũ; adeoque non posset licitè cõtrahere matrimonium.

Aliud est votum religionis & aliud votũ castitatis.

Quid si contraheret? peccaret mortaliter contrahendo. Et tamen validè contraheret. Et posteà, si re examinatâ reperiret rem illam accidisse, sciret se voto religionis teneri, non tamen voto castitatis. Aliud est enim religionem, & aliud castitatem vouere. Vnde Coniugatus, si voto religionis sit obstrictus, tenebitur adire religionem cùm primùm possit; at stante matrimonio poterit petere & reddere debitum; at Coniugatus obstrictus voto castitatis non tenebitur religionem adire, etiam si possit, nec tenebitur non reddere debitum, at tenebitur illud non petere.

DCCCLXIX. An qui tenetur ad finem, teneatur ad media?

Quid, si Petro, quem diximus voto Religionis teneri, vxor licentiam transeundi ad religionem verè similiter sit concessura? Tenebitur ne Petrus illam petere? aut tenebitur saltem acceptare illam, si offeratur? Me iudice, ad vtrumque tenebitur; & ratio est, nam qui tenetur ad finem, tenetur ponere media, qui prudenter iudicabuntur efficacia ad consequendum talem finem.

Dilucidatur aliud votũ.

Subijcio examini aliud votum. *Voueo castitatem solemniter*, ait Petrus, *si talis fœmina mortua est.* Et illa verè mortua est, & ipsam Petrus esse mortua ignorat. Suppono disputationis gratiâ votum illud solemne esse ualidum (hoc enim examinabitur inferiùs) & definio, à primo instanti Petrum teneri voto, at suam obligationem ignorare quousque condirio examinetur. An-ne post votum emissum poterit ducere vxorem? Quid igitur, si de facto duxerit? An-ne manebit coniugatus? & dico rem esse difficilem, & quæ petat examen.

De voto solemni conditionato.

An in matrimonio dubio possit aliquis vxorem tangere?

Dico Petrum, si vxorem ducat ante conditionis examen, se exponere periculo contrahendi cum impedimento dirimente, adeoque faciendi contractum inualidum. Addo, eumdem, vxore ducta, vbi Concilium Tridentinum receptum non est, non posse scire, vtrùm sit coniugatus aut non; vnde cùm in dubijs melior sit conditio possidentis, & ante matrimonium dubium sit cœlibatus possessio, debebit credere se esse cœlibem, nec fœminam tangere. Vbi Tridentinum Concilium receptum est, dicendum, illud esse clandestinum, etsi coram multis celebretur, si conditionatum sit & tamen testes non sunt conditionis testes, sed contractûs. Rem valde nouam, valde certam, & valde necessariam tetigi; & volo tantisper hærere, vt illam radicitùs exponam.

Alij sunt testes conditionis & alij contractus. Nota hæc bene.

PRIMO' *enim matrimonia clandestina, tametsi sæpissimè interdicta, ante Concilium Tridentinum erant valida.* SECVNDO' *nunc etiam sunt ualida ubi Concilium receptum non est.* TERTIO', *alibi sunt inualida.* Quod euidentissimè probari poterit ex sess. 24. de Reform. matrim. Cap. 1. & præcipuè ex his verbis: *Dubitandum non est, clandestina matrimonia libero consensu contrahentium facta rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia illa irrita non fecit. Et proinde iure damnandi sunt illi, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera & rata esse negant.* Firmant hanc conclusionem omnia illa, quę Basilius Pontius ediſſerit *lib. de matrim Quinti Capit.* III Secundæ probatio pendet à legum notitiâ; nullam enim posse hoc animùs poni, quæ ante acceptationem obliget, plurimi sentiunt, quos in Theologiâ Regulari nu. 48. allego; quibus ego cum aliqua moderatione subscribo; existimo enim, omnes leges præcisè necessarias in ipsâ Reipublicæ erectione & superioris creatione esse admissas, nec nouâ egere acceptatione; & in hoc distingui ab arbitrariis, quæ à subditorum voluntate dependent. Et adhuc agẽdo de arbitrarijs inter Ecclesiasticas & Sæculares magnam differentiam inuenio. Hinc igitur etiam Tertia probata est. Illam tamen ad maiorem doctrinæ securitatem hac eiusdem capitis periodo confirmo.

An Matrimonia clandestina sint valida.

An lex obliget non acceptata?

An aliter de necessaria, aliter de arbitraria: an aliter de Ecclesiastica & aliter de Politica sit philosophandum?

Qui aliter, quã præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi aut Ordinarij licẽtia, & duobus vel tribus testibus matrimonij cõtrahere attentabũt, eos sancta Synodus ad sic cõtrahẽdũ inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos ac nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat. Ecce aperi oculos, & rem perspice. *Matrimonium clandestinũ, quod sancta Synodus nullũ declarat, illud est quod probari non potest.* Est evidens: non enim volebant Patres contrahentem onerare cerœmonijs, sed obuiam ire inconuenientibus, quæ ex clandestino coniugio oriri solebant. Nam capite illo primo sessionis XXIV. sic inquit: *Cùm sancta Synodus ..... grauia peccata perpendat, quæ ex clandestinis Coniugijs ortum habent; præsertim vero eorum, quæ in statu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clã contraxerant, relicta, cũ alia palã cõtrahant, & cum ea perpetuo adulterio viuunt: cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de occultis nõ*

Cur Matrimonia clandestina interdicta?

An Eccleſia iudicet de occultis.

iudicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcircò, &c. Igitur matrimonia conditione ſundata, tametſi coram Parrocho & teſtibus contracta, ſæpiſſimè erunt clandeſtina; nimirùm, ſi conditionis poſitio probari non poſſit. Quod, vt bene intelligere valeas, pono caſum, in quo ſic contrahat Albericus; *Duco hanc in uxorem, ſi hodie legit roſarium,* & non video, qui poterit Parrochus & teſtes teſtificari contractum fuiſſe matrimonium, ſi ignorent, an conditio illa fuerit poſita; non video, quâ Parrochus conſcientia poſſit dicere: *Ego vos coniungo in nomine Patris & filij & Spiritus Sancti*: qua veracitate poſteà eos eſſe verè coniuges teſtificabitur.

Matrimonij coram Parrocho & Teſtibus celebratum, poteſt eſſe clandeſtinũ.

Hinc ad Petrum reuerſus dico, eius conſenſum debere eſſe conditionatum; non enim volet Petrus eam validè ducere, quã validè ducere non poteſt: Ergo ſi dicat, Ego te duco, ſi non ſum religioſus, ſiue, quod idem eſt, ſi talis fœmina viuit, ſi conditio non poſſit probari, probari non poterit valor contractûs, adeoque erit matrimoniũ, quod probari non poſſit; & ad mentem Tridentinæ Synodi, Clandeſtinum, & ad eiuſdem Synodi decretum invalidum.

DCDGLXX Præcedens doctrina confirmatur.

Poſt iſtas lineas addidi in primâ editione huius libri: *Hanc totam doctrinam recognoſce, eſt enim valde neceſſaria, & a nemine, quem ſciam, animaduerſa*: ſed quia nunc venit ad manus meas Gaſparis Hurtado Tractatus de Matrimonio & Cenſuris, & ipſe ſimilem controuerſiam excitat, ſubſcribere placuit has periodos.

Ille igitur diſp. 7 difficult. 7. inquirit, *Vtrùm, vbi Concilium Tridentinum viget, ad valorem matrimonij conditionati neceſſarium ſit, conditionem coram Parrocho & teſtibus impleri?* &, vt propoſitæ Quæſtioni ſatisfaciat, ſic diſcurrit.

An matrimonium cõditionatum ſit verum ſacramentum: an verò vim habeat ſponſalium tantummodo?

[Difficultas hæc, inquit, quoad matrimonium conditionatum conditione de futuro non procedit iuxta opinionem aſſerentium, matrimonium ſic contractum non purificari impletione conditionis, Sed requiri nouum conſenſum; quia iuxta hanc opinionem ſufficit, & neceſſarium eſt, nouum illum conſenſum exprimi coram Parrocho, & alijs teſtibus, quia tunc ſit integrè matrimonium, & non antea: Sed tantùm procedit iuxta opinionem noſtram, quâ diximus, matrimonium conditionatum conditione de futuro purificari impletione conditionis abſque nouo conſenſu]

An impletio conditionis debeat fieri coram eodẽ Parrocho, & eiſdem teſtibus.

Supponimus autem ſecundùm noſtram opinionem, ſufficere contractum ipſum conditionatum, ſiue conditione de præſenti, aut de præterito, ſiue conditione de futuro, & impletionem conditionis fieri coram Parrocho, & alijs teſtibus, quia eo ipſo matrimonium perfectum, & purificatum fit coram illis; & ad minùs neceſſarium eſſe, contractum ipſum conditionatum coram illis fieri.

Eſt tamen difficultas, An etiam ſit neceſſarium, impletionem conditionnis coram illis fieri?

Sententia negans.

Circà quam Sancius *lib.* 5. *diſp.* 8. partem negatiuam tuetur; quia vt Parrochus, & alij teſtes validè aſſiſtant, matrimonio, quod à Tridentino requiritur, non eſt neceſſarium ita aſſiſtere, vt teſtari poſſint illud fuiſſe validè contractum, quia validè aſſiſtunt matrimonio eorum, quos neſciunt carere impedimento dirimente, & validè aſſiſtunt matrimonio facto per Procuratorem, abſque eo quòd coram eis fiat aſſignatio Procuratorij, & abſque eo quòd eis oſtendatur aſſignatio illius, vt diximus *diſp.* 3, *difficult.* 15. Ergo non eſt neceſſarium, vt aſſiſtant impletioni conditionis, ſub quâ matrimonium fuit celebratum; quia impletio conditionis tantùm eſt neceſſaria, vt matrimonium anteà celebratum fiat abſolutè validum. Et confirmatur: quia ita aſſiſtendo ſatisfit intentioni Tridentini vitandi omnia incommoda; quia ita aſſiſtendo poterit conſtare, matrimonium fuiſſe contractum ſub conditione, & ita neuter permittitur aliud contrahere, niſi conſtet conditionem non fuiſſe impletam.

An in matrimonio per Procuratorem cõtracto Parrochus debeat videre & examinare literas Procutatorij?

An quando ceſſat finis Concilij Tridentini in particulari, ceſſent etiã leges eius in particulari?

DCCCLXXI Sententia aſſerens.

Egidius verò *diſput.* 29. *num.* 15. partem affirmatiuam tradit. Et meritò, quia ad valorem matrimonij, vbi Tridentinum viget, neceſſarium eſt, quòd Parrochus, & alij teſtes aſſiſtant matrimonio eſſentialiter perfecto quoad exterius ipſum, & non ſufficit matrimonio eſſentialiter tantùm inchoato: matrimonium autem abſque impletione conditionis, adhuc de præterito, non eſt eſſentialiter perfectum quoad exterius, quia eâ perficitur; ſed tantùm eſt inchoatum.

Conditionatum matrimonium ante impletionem cõditionis non eſt perfectum & cõpletum, ſed inchoatum. Satisfit argumento contrario.

Ad rationem ergo reſpondemus, quòd quamuis neceſſarium non ſit ita aſſiſtere matrimonio, vt poſſint teſtificari de valore illius, aſſiſtendo omnibus quoquo modo requiſitis ad valorem; eſt tamen neceſſarium aſſiſtere matrimonio eſſẽtialiter perfecto quoad exterius ipſum, in quo conſiſtit eſſentia exterior matrimonij conditionati: perficitur eſſentialiter impletione conditionis, cùm expreſſio conſenſus, in qua conſiſtit, eum alligauerit impletioni conditionis, ideo neceſſarium eſt aſſiſtere impletioni conditionis, & non eſt neceſſarium aſſiſtere carentiæ impedimenti inter contrahentes, nec aſſignationi procuratorij, nec oſtenſioni talis aſſignationis; quia iſtæ non perficiunt eſſentialiter exteriorem expreſſionem conſenſûs, quamuis ſint requiſitæ, vt exterior expreſsio conſenſus ſit valida, & vt habeat effectum.

N. B. Parrochus vt aſſiſtat matrimonio debet contrahentes videre vt eos cognoſcat: quid ſi aliquis diceret, debere illos in Procuratore videri, hunc in procuratorio? Alij viderint.

Et ad confirmationem negamus, aſſiſtendo matrimonio conditionato, ſatisfieri intentioni Tridentini, ſi non aſſiſtatur imple-

N.B. Quid, ſi hic diceret aliquis non ſufficere ſatisfacere intentioni, ſed debere ſatisfacere etiá præceptoſ cùm dubitatur an cõditio ſit impleta vel non, vtri incumbat poſitiua probatio? Stat pro non impletione poſſeſſio.

impletioni conditionis, quâ eſſentialiter perficitur: quia, ſi non aſſiſtatur, vterque permitteretur contrahere aliud matrimonium, quia dum non conſtat, conditionem fuiſſe impletam, neuter poterit impediri ab Eccleſiâ à contrahendo aliud: quia aſſerenti conditionem fuiſſe impletam incumbit probatio: & quamuis forſan non permittatur, dum non conſtet, conditionem non fuiſſe impletam; tamen, ſi de facto cum alterâ contrahat, Eccleſia pro hoc ſecundo contractu iudicabit, dum non conſtet, cõditionem primo contractui appoſitam fuiſſe impletam

DCCCLXXII. Obiectio cõtra ſententiam præcedentem. Quid oporteat examinare, quando Cardinalium Declarationes obiiciuntur? Quid requiratur, vt Declarationes ſint authenticæ?

Huic doctrinæ obſtare, ais, Cardinalium Declarationem apud Ioannem Gallamartium, à quo illam tranſcripſerunt nonnulli, qui contrariam opinionem ſequuntur.

Reſpondeo, examinari debere primò, *An illa Declaratio ſit authentica?* ſecundò, *An militet contra noſtram doctrinam?*

Sanè illa non eſt authentica hoc nomine, quòd citetur à Ioanne Gallamartio, qui quòd multas Declarationes citet, quas Cardinales ſuas eſſe diffitentur, iuſtiſſimè fuit interdictus. Exhibeatur igitur hæc Declaratio in formâ authentica, & tunc illa ſummâ reuerentiâ admittetur, & vtrùm contra nos militet ixaminabitur [Quid requiratur, vt exhibeatur in formâ authenticâ, iam expoſui ſuperiùs *num.* 172. nec eſt neceſſarium eadem iterum, iterumque repetere]

An omnes Declarationes ad caſus ſimiles poſſint extendi?

Quid, ſi Declaraiionem iſtam aliquis in authenticâ formâ producat? Dicat Clementem VIII (vt habetur ibidem) iuſſiſſe, vt caſui tantùm propoſito illa Declaratio cooptaretur; voluiſſe-que, vt non traheretur in conſequentiam, ſed caſus cæteri conſiderarentur ſecundùm propriam qualitatem. Et quidem hæc Sanctiſſimi Domini noſtri Declaratio ſentẽtiam noſtram confirmare videtur.

De Declarationibus futuris.

Nec militabunt contra nos Cardinales, ſi hanc Declarationem ad omnes ſimiles caſus extendant: hîc enim, non queritur, quid ſit faciendum, ſed quid factum: & ſicut hucuſque Pontifex voluit eam non extendi, ſi cras extendi iuſſerit, ſumus obedire parati.

XIII.

Conditio IMPOSSIBILIS VT TALIS COGNITA.

DCCCLXXIII. An Ius naturæ ab humano debeamus diſtinguere?

STando ſoli iuri naturæ, Conditio impoſſibilis contractum nullum reddit; nam, qui contrahit, ſciens illam conditionem impoſſibilem eſſe, caret contrahendi voluntate; & qui putat eſſe poſſibilem non aliter contrahere vult, quàm ſi illa conditio ponatur. Hinc eſt, quòd iſtæ formulæ: *Iubeo vt venias ad me, ſi cœlum manu tetigeris; Voueo caſtitatem, ſi noctilunium non recurrat; Contrabo cum Titia, ſi fiat vera Franciſci filia, cuius modò non eſt. Vota ſolemnia emitto, ſi cras non eſt oriturus Sol.* Et aliæ ſimiles, ſint invalidæ, ſtando rationi & naturæ.

An poſſit Reſpublica facere, vt conditio impoſſibilis habeatur pro non adiecta?

Poteſt Reſpublica in materia fundorum & bonorũ decernere, vt contractus effecti impoſſibili, aut etiam turpi (hæc enim moraliter impoſſibilis eſt) conditione ſubſiſtant; quia, cùm ipſa ſit ſuprema rerum Domina, poteſt bono publico proſpicere, & lites aut etiam peccata vitare, iubendo vt inuitis directis Dominis bona ad alios tranſeant, & ſi conditiones ſint poſitæ in contractu, ratione quarum non deberent tranſire. Hinc eſt, quod hic contractus, *Do Antoniæ aureos centum, ſi in virum conuertatur*, iuxta legem naturæ ſit nullus; hinc quòd poſſit Reſpublica, declarando conditiones impoſſibiles habendas eſſe pro non poſitis, facere, vt etiam donatore inuito, ſit validus, quoniam aurei ſubſunt ſupremæ diſpoſitioni & decreto Reipublicæ.

Conditiones aliquæ in Iure pro nõ adiectis reputantur.

Id, quod Rempublicam poſſe facere aſſeruimus, de facto fecit in aliquibus caſibus, quæ res concernunt, Iure enim Ciuili diſpoſitum eſt, vt conditiones impoſſibiles habeantur pro non adiectis tantùm in teſtamentis fauore vltimæ voluntatis: in legatis nimirùm & fideicomiſſis ſine exceptione vllâ; *l. 3. & l. 6. ff de condit. & demonſt. l. 1. de hæredis inſtitut. & l ab omnibus* 104. §. 1. *ff. de leg.* 1. Et ratio legis eſt; quia tametſi inter viuos aliquando poſſit contingere, vt homo velit contractum inualidũ facere, quia mauult rem retinerè, quàm donare; at hoc non poteſt de morituro præſumi: ergo credendum eſt illum velle verum teſtamentum condere, & validè legare aut donare Igitur dicendus erit Teſtator conditionem illam impoſſibilem, quam appoſuit, iudicaſſe poſſibilem, & aliàs illam non poſiturum fuiſſe; adeoque iudicandam pro non poſitâ. Stet lex: at legis mihi ratio non placet: quid enim vetat, Petrum velle condere teſtamentum invalidum? Cur enim non poterit dari caſus, in quo Petro ipſi expediat, quòd teſtamentum ſit inualidum? Quando aliquis inualidum teſtamentum confiꝛit, tranſeunt bona ab inteſtato ad propinquiorem cognatum, & cur non poterit iſti velle fauere Petrus, quando teſtamentum aliter conficit ob rationes priuatas. Rem dilucido hoc caſu [Pendet Petrus à Friderico, magno Principe, quem deſiderat habere gratum, & interim vult nepoti ſuo prodeſſe: Ergo condit teſtamentum inualidum, aut defectu alicuius ſolemnitatis neceſſariæ, aut adiectione alicuius conditionis aut circumſtantiæ dirimentis, & ſic diſcurrit

Nota hæc omnia: quæ valde communia & certa ſunt, tametſi incerta ſint ratione fundata: nam legum vis à voluntate potiùs, quã à ratione pendent.

ſcurrit. *Superuiuam, aut non. Si primum; ergo Principi charus, quem habere volui ex aſſe hæredem: ſi ſecundum, nihilominùs meus nepos erit hæres, quia teſtamentum non erit validum*] Stat igitur non eſſe euidens, quòd omnes velint homines in articulo mortis condere teſtamentum validum. Vide num. 482. *Cæterùm*, quidquid ſit de inſtitutione hæredis non eſt vniuerſaliter definitum, impoſſibiles conditiones pro non adiectis eſſe habendas. Vt videre eſt apud Baſilium Pontium *de matrim. lib. 3. cap. 3. num. 3.* at in omnibus contractibus conditio impoſſibilis pactum annullat, vt conſtat ex *l. non ſolum*. De *obligat. & action.* Et §. *ſi impoſſibilis inſtit.* De *inutilibus ſtipulationibus*, vbi dicitur, *Si impoſſibilis conditio ſtipulationibus adijciatur, nihil valet ſtipulatio.*

Conditio impoſſibilis, vt talis cognita.

AD VOTA VENIO & exiſtimo, conditionem impoſſibilem vt talem cognitam eſſe dirimens impedimentum, & nullum votum emittere, qui in profeſſione ſimplici aut ſolemni diceret: *Ego uoueo, ſi ſol lucem perdiderit.*

De authotate & poteſtate Eccleſiæ.

An-ne Eccleſia poterit tale votum validum reddere, & decernere, circumſtantiam illam impoſsibilem habendam fore pro non poſitâ? Reſpondebo forum internum à foro externo diſtinguendo. Scio enim, poſſe hominem etiam inuitum cogi ne è monaſterio egrediatur, ne vxorem ducat, ne pecunias habeat, ne opus præceptum intermittat; hæc omnia forum externum concernunt. Imò exiſtimo, poſſe dari caſum, in quo hæc ipſa legitimè poſsint præcipi non ſolùm pœnaliter, ſed & moralitet: at facere, quòd ego nolens voti obligatorij vinculum incurram, Eccleſia Romana non poteſt. Hinc eſt, quòd nolit audire poſt quinquennium inualidè profeſſum, & iſta audientiæ negatio erit ſufficiens, vt ille cogatur agere vitam Religioſam in foro externo, non tamen poterit illum Religioſum reddere; quoniam ſtare aut non vouere in manu promittentis eſt.

Inuitus nemo vouere poteſt.

De inualidè profeſſo poſt quinquennium.

AD MATRIMONIVM doctrinæ conſequentia me transfert. Exiſtimo eſſe materiam valde difficilem, nec tam facilè ſoluendam, quàm vulgus exiſtimat. Sūmi Pontificis decretum tam difficile explicatu eſt, vt Durandus *in 4. diſt. 29. quæſt. 4.* dicat, ſe relinquere Doctoribus rem explicandam: Paludanus *ibid. quæſt. 2. art. 5. concl. 5.* hoc Gregorij IX. decretum eſſe ſatis mirabile. Sotus *ibid. quæſt. 2. art. 2.* aſſerat nihil de hac re ſe certò compertum vidiſſe aut legiſſe. Couarrubias *p. 2. cap. 3. §. 2. num. 9.* ſibi videri mirabile, cur matrimonium contractum ſub conditione impoſsibili valeat, & ſenſum illius capitis eſſe mirè recond tum. Alij voluerunt defendere verba Pontificis, aut exponere ſaltem; & impugnantur à Thoma Sanchez *l. 5. diſp. 5.* & Rebello *lib. 2. quæſt. 10. ſect. 4. à num. 25.* & Baſilius Pontius *de matrim. l. 4. cap. 4. num. 2.* ita textum exponit, vt valorem matrimonij conditionati ne quidem in exteriori foro admittat, ſi de contrahentium voluntate conditionata conſtiterit. Quamobrem ego ſentio, non poſſe Eccleſiam coniungere vero matrimonio hominem inuitum, adeoque, ſi Petrus dicat: *Ego duco in vxorem hanc fœminam, ſi non indigeat ſomno*; nec velit aliter illam habere, cùm matrimonium ſine eius conſenſu fieri non poſſit, dicendum contractum fuiſſe nullum. At Eccleſia, ne matrimonia conditionibus huiusmodi implicentur, vult illas pro non adiectis iudicari, *c. fin. de condit. appoſit.* vbi ait Prudentiſſimus Legiſlator, *Aliæ conditiones appoſitæ in matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, propter fauorem eius debent pro non adiectis haberi.* Sed hæc verba exterius forum & ſolam præſumptionem concernunt; nimirùm, quando fuiſſe conditionatam voluntatem probari non poſſit.

Quid Eccleſia in Materia matrimonij poſſit?

An copulare inuitos poſſit.

XIV.

Conditio IMPOSSIBILIS, POSSIBILIS CREDITA

DCCcLXXIV. Impoſſibilia fæpè eſſe, poſſibilia putamus.

SAEpè contingit, conditionem impoſſibilem poni à credente poſſibilem eſſe. An-ne tunc vitiabitur contractus? Vitiari omnem contractum in tali caſu affirmauit Donellus *libr. 8. cap. 32. §. hac tamen in re*. Et in matrimonij materiâ eius ſequitur opinionem Thomas Sanchez *lib. 5. diſp. 3. num. 8.* Et Emanuel Coſta *Repet. in c. ſi pater. de teſtam. num. 8.* vbi etiam multos citat. Non vitiari contractum, ſed conditionem debere reputari pron non poſitâ cenſuit Gabriel Vasquez *opus. c. de reſtit. c. 7. dub. 10.*

Baſilius Pontius *de matr. l. 3. cap. 3 num. 11.* ſubdiſtinguit; nam vel ſcitur, contrahentem ignoraſſe circumſtantiam illam fuiſſe impoſſibilem, vel de hoc dubitatur. Si primum, vitiatur contractus non ex eo quòd habeatur conditio pro poſſibili, ſed quia quando conſtat de mente contrahentis & illum voluiſſe illi conditioni inniti, nec aliter contrahere, dicendum, ſublatâ conditionis exiſtentiâ contractum non poſſe ſubſiſtere: Cæterùm ſi dubia mens fuerit, conditio pro non adiectâ reputabitur; in dubio enim præſumitur pro teſtamentis, matrimonijſque.

An eodem modo de matrimoniis quo de teſtamentis ſit philoſophãdum.

At Ego *primò* matrimonia à teſtamentis diſtinguo, nam de bonis poteſt Reſpublica diſponere, non verò de perſonis ad matrimonij effectum. *Secundò*, ſi dubium ſit, an voluntas innitatur conditioni illi, aut non, erit dubium, an matimonium ſit vali-

Mirabile.

Incertum: Mirabile.

Mirè recondditum.

Decretum Pontificis: ab aliis explicandum.

Quando verba sunt cõditionata, præsumendum voluntatem fuisse conditionatam, nisi probetur contrarium

validum, an non. Ergo in dubijs standum erit pro possessione, Et quid est, quæso, in possessione? matrimonium? Non quidem; non enim possidet. quamdiu non purificetur conditio: Ergo est in possessione conditio. Ergo stabit pro conditione præsumptio, quousque suadeatur, contrahentes non voluisse illi inniti, nec ab illâ in contractus valore dependere.

Et hîc obiter noto, multos viros, etiam doctos, in præsumptionibus & possessionibus hallucinari; non enim semper stant pro vero possessore in dubio, nec pro præsumptione legitimâ in obscurâ quæstione: sed de hoc alibi.

XV.

Conditio TVRPIS, SEV MORALITER IMPOSSIBILIS.

DCCCLXXV. Quid possimus? Mala etiam sunt impossibilia.

IMpossibilibus meritò turpes conditiones adiungo, quæ in genere morum impossibiles sunt, nam vt constat *ex l. nepos. Proculo.* 125. *de verb. significat.* id possimus, quod iure possimus. Vnde prudentissimè Papinianus, *l. filij.* 15. *ff. de condit. instit.* ait. *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & vt generaliter dicam, bonos mores, ea nec facere, nec posse credendum est.*

Contractus conditionatus est inualidus nisi purificetur cõditio.

Dico igitur primò. Omnem contractum turpi conditione subnixum, eâ non positâ, inualidum. Hinc est, quòd stando soli naturæ Iuri, qui dicit fœminæ, *Do tibi cẽtum, si fornicari vis*, non tenetur centum dare, nisi illa fornicari velit.

Quid Respublica queat?

Dico secundò. In donationibus, venditionibus, commutationibus, & in quibuscumq; dominij translationibus potest Respublica vnam ex tribus legibus pronuntiare, nimirùm, *Contractus turpi conditione subnixus sit inualidus, etiam posita conditione*. Aut, *sit validus, etsi non ponatur conditio; hæc enim haberi debet, tanquam non adiecta.* Aut tertiò, *sit validus, si non ponatur conditio: & si illa ponatur, inualidus*, Et hæc tertia lex videretur moribus formandis conuenientior.

Possunt homines cogi ne contrahant; non autem possunt cogi, vt contrahant.

Dico tertiò. *In materia matrimonij & votorum, cùm Respublica possit facere* (intra proprios terminos Ecclesiastici aut Saeculatis fori) *ne contractus à volentibus fiant, nimirùm inhabilitando personas, & impedimenta dirimentia imponendo; & cùm non possit facere, vt ab inuitis fiant, illos cogendo aut necessitando, tenendum est, posse facere & pronunciare matrimonia, vota, & omnes promissiones taliter conditionatas esse inualidas, ponatur aut non ponatur conditio: at esse validas, & si non ponatur conditio, pronuntiare non posse*

Conditio turpis in testamentis. An turpe sit cadauera proijcere in mare?

Dico quartò. *In testamentis Respublica vult conditionem turpem pro non posita haberi*. Vnde in Iure non pauca Testamenta damnantur. *l. quidam in sua.* 27. *ff de condit. instit.* in testamento illius, qui dixit, *Titius hæres esto, si reliquias meas in mare proiecerit*, habetur conditio pro non adiectâ; turpe enim esset, & hæredi præcipuè, cadauer proijcere in mare. Sic apprehendunt homines, qui cadauera solent igni mandari: sed cur non possint cum magna reuerentiâ, sicut igni aut telluri, sic etiam vndis concredi cadauera? Propter pisces: turpe enim videretur & impium, humanum corpus bestijs deuorandum obiicere. Quod etiam obseruant Nauarchi; quoties enim commodè possunt defunctorum cadauera in litore aut insulâ sepelire, non proijciunt in mare. Cæterùm, si aqua careret piscibus, videretur cessare turpitudinis ratio. Et etiam *l. Seruo alieno de legib.* 1. *& l Titio.* 10. § *centum relicta. ff. de condit. & demonstrat. Vbi legatum relinquebatur sub conditione, ne à monumento discederet.* Quæ Conditio turpis fuit iudicatâ, & pro non positâ debuit haberi. Videatur Basilius *de matrim. lib.* 3. *cap.* 5. Sed quid, si ob illud onus legatum dabatur, quod alias nullo modo daretur? Etiam tunc potest dispensare Respublica in nummorum materiâ.

XVI.

Conditio alienæ voluntatis, an ne sit turpis?

DCCCLXXVI. An possis delegare potestatem Petro vt tuum ille testamẽtum cõdat?

CAsus proponitur. Franciscus moribundus hoc testamentum iniit: *Mihi hæres ille esto, quem voluerit Anselmus*. Et quia hæc hæredis institutio nulla est. *l. illa instit.* 32 *de hæredib. institu. & l. si quis Sempronium.* 68. *ff. eodem.* Cur sit nulla & inualida quæritur?

Basilii opinio.

Basilius *de matrim. libr* 3. *cap.* 5. ideò esse nullam putat, quòd contra bonos mores ipsa sit. Sed cur contra bonos mores dici debeat non video; nec cur potiùs hæc institutio obsit politicæ gubernationi, quàm hæc, *Esto Caius hæres, si Anselmus velit*, aut, *Esto Anselmus hæres, si Antonius Ciuitatem aduenerit*, Nam vtrobique relucet aliena libertas.

Vt suam probet sententiam arguit Basilius PRIMO, quia certum debet esse consilium testatoris, *Instit. qui hæredes instituí possunt.* Atqui hîc non est certum: ergo contra bonos mores est.

Leges definitiuæ & præceptiuæ.

Et ego maiorem distinguo, vt sit secundùm definitiones humanas debere esse certum consilium testatoris, concedo;

vt

vt sit secundùm præcepta humana vel diuina, nego. Vt solutionem intelligas, adnotato, leges diuidi in definitiones & præcepta. Leges definitiuæ nihil præcipiunt, at decidunt, quo debeat contractus modo fieri, vt sit validus; præceptiuæ iubẽt hãc rẽ fieri, illã non fieri. Agit cõtra bonos mores qui cõtra præcepta, non ille, qui cõtra definitiones; nisi fortè hæ præceptæ etiam sint; dantur. n. & leges mixtæ definitiuæ simul & præceptiuæ. Nã si diceretur, omnis cõtractus inualidus esse contra bonos mores, sequeretur non ideò illum esse inualidum, quia esset contra bonos mores, sed potiùs ideò esse contra bonos mores, quia esset inualidus; quod ego nequaquam admittã; tunc enim vox contra bonos mores, nimis laxè sumpta, cum nullitate confunderetur. *Transeo ad minorem*, quam nego; hîc enim certum est testatoris consilium: ipse enim vult fieri, quod Anselmus voluerit, & solùm Anselmi consilium incertum est. Quòd, præscindendo à lege legatum huiusmodi annullante, id non sit contra bonos mores, ostenditur: quoniam maiori curâ actiones humanæ, quàm humanæ pecuniæ dirigantur, & tamen non est contra bonos mores hæc lex: *Obedite propositis vestris*; alijs verbis: *Quæ vobis illi dixerint facite*. Non est contra bonos mores, quòd qui suffragium daturus est, aut aliud graue qualecumque facturus, in vocem cuiuspiam tertij viri boni & prudentis compromittat. Ergo non est contra bonos mores, quòd institutione hæredis, aut legati designatione aliquis rem totam committat arbitrio Anselmi viri probi & prudentis. Quibus consideratis nego absolutè consequentiam, et concludo, illud testamentum non ideò esse inualidum, quia contra bonos mores sit, sed quia lege sic definitum est.

Imò & mixtæ.

Nota & cõsidera bene has causales

Non est cõtra bonos mores se viri boni voluntati subijcere.

XVII.

Conditio, si non nupserit *an sit turpis?*

DCCCLXXVII. An sit contra bonum publicum Virginitas?

IN legatis Iure antiquo credita est turpis hæc conditio, quia oberat bono publico, & hominum multiplicationi. *l. quoties* 22. *l. sed si hoc* 62. §. 21. *l.* 63. *& sequenti. l. cum tale* 72. §. *si arbitratu. l. mulieri.* 74. *ff. de conditionibus & demonstration.* Vbi legimus: *Si cui capienti hæreditatem vel legatum, viduitas iniungatur, legatum, vel hæreditatem capit, siue is vir siue fœmina sit.* Nomen *viduitas* significat statum extra matrimonialem, nam & virgo *vidua* dicitur. *l.* 142. §. 3 *de verb. significat. & l.* 22. *filiæ, meæ. ff. de annis leg.*

Viduus in Iure omnis Cœlebs.

Cæterùm hanc eamdem conditionem turpem esse crediturus non sum; est enim pudicitiæ argumentum non solùm apud me, sed etiam apud ipsos gentiles. Vnde Valerius Maximus *lib.* 2. *c.* 1. *de matrim. ritu* sic ait: *Quæ vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ coronabantur. Existimabantur enim, eum præcipuè matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui depositæ Virginitatis cubile pudicum egredi nesciret, multorum matrimoniorum experientiam, quasi illegitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes.* In quam etiam sententiam abijt Tertullianus lib. de Monogamia, & alij veteres.

Viduæ censentur castæ & pudicæ.

An poligamiæ incontinentis animi sit indicium?

Hinc constat, non esse audiendos Iuris peritos, qui hanc conditionem tanquam turpem reijciunt; sed nec audiendos illos, qui existimant, non posse Rempublicam declarare, hanc conditionem debere haberi pro non positâ, licèt honesta & bona dicatur. Hinc est quod Bartolus apud Basilium Pontium *lib.* 3. *de matr. cap.* 6. *num.* 12. quoad substantiam non malè iudicauerit, legata Petro, *si non nupserit* posse capi, etsi nubat, & quamcumque ille rationem dederit, & quãcunque impugnauerint Couarrubias *lib.* 1. *variar. cap* 19. *num.* 10. Antonius Gomez *tom.* 2. *variarum. resol. cap.* 12. *num.* 78. Molina *tom.* 1. *de instit. tract.* 1. *disp.* 207. *num.* 6. Sanchez. *disp.* 34. *num.* 5. Ego hanc propono. Cùm leges non obligent nisi acceptentur, vbi Respublica sancit inualidè talem circumstantiam apponendam, & populus legem admittit, illa sanctio vim habet. Ergo, si Ius Ciuile talem aut talem circumstantiam voluit pro non adiectâ haberi, pro non adiectâ habebitur, non quòd turpis sit, sed quòd contra Reipublicæ legem: multa enim in legibus sunt, quæ aliter potuissent poni; nam in plerisque stat pro ratione voluntas.

An leges debeant acceptari.

Leges plurimæ sunt arbitrariæ.

Stando Iuri Canonico, legata sub conditione, *si non nubat*, facta, valida sunt, & conditio tenet; &, si hæc non seruetur, illa capi non possunt. *Cap.* 2. *de condit. appositis, &c.*

XVIII.

Conditio si nupserit, *an turpis sit?*

DCCCLXXVIII. Regulæ generales.

ETsi non nubere melius sit, quàm nubere, nihilominùs nubere turpe non est. Quamobrem valet hæc conditio: *Lego centum Antoniæ, si nubat*: item determinando hominem, nimirùm, si nubat *Friderico*. Sunt qui aliquos casus excipiant. I. *Si* Antonia voto sit castitatis obstricta, aut etiam voto Religionis. II. Si sit naturâ suâ incapax, quæ nubat. III. *Si* in conditione nuptiæ clandestinæ, aut illegitimæ ponantur. IV. Si Fridericus sit illi inæqualis, & qui cum hone-

Exceptiones nonnullæ.

honestè coniugi non possit. V. Si sit consanguineus. VI. Si sit impedimentum aliquod, nec spes dispensationis obtinendæ. Quos casus considerare opus est. Primus enim & quintus, si dispensationi subiaceant, nullam inuoluunt turpitudinem. Secundus & sextus potiùs videntur impossibilitatem, quàm turpitudinem inuoluere. Quartus videtur velle inæqualitatem ipsam pecuniâ legatâ compensare, quod possibile est, nec aliquam turpitudinem inuoluet; non enim semper inualida sunt matrimonia inæqualium. Vnde solus videtur casus tertius manere, qui turpem conditionem imbibat.

Et earumdem censuræ.

XIX.

Conditio, si iurauerit, an turpis sit?

DCCCLXXIX. Adiuratio an sit turpis? An vtilis?

IVramentum actus religionis est, nec statim turpe iudicandum; adeoque adiuratio non semper mala est, præcipuè cùm homo vel discedit, vel moritur. Primò enim videretur mihi difficilis hæc legatio: *lego Petro centum, si iuret non occidisse meum filium*; nam licèt ego velim hac satisfactione esse contentus, videor Petro iurandi aut fortè peierandi necessitatem imponere; quoniam, si non occidit, iurare debebit, ne homicidij suspicionem incurrat; & si occidit, etiam debebit, ne suum peccatum detegat. Secundò, si iuramentum sit de futuro videretur illici, vt promittat, quod fortè præstiturus non est. Quamobrem, vt eatur istis inconueni entibus, iurandi obligatio edicto Prætoris remittitur, vt inter alios notat Basilius Pontius *de Matr. lib. 3. cap. 8. nu. 2.*

XX.

Conditio, si concubueris mecum, an turpis sit?

DCCCLXXX. Diuersæ Theologorum sententiæ.

VAriant Doctores; Alij docent illam non esse turpem, quia adueniente copulâ sponsalia purificantur. Sic docuit Couarrubias *2. p. cap. 3. num. 13.* cuius opinionem refellit Sanchez *libr. 5. disp. 16. num. 1.* asserens in locis, vbi Concilium Tridentinum receptum est, nec valent clandestina matrimonia, sustineri non posse. Alij existimant hunc contractum, si intelligatur de turpi concubitu, esse validum & conditionem debere pro non adiectâ haberi: si verò de concubitu licito & matrimoniali, suspendere effectum vsque ad euentum conditionis. Ita idem Thomas Sanchez *lib. 5. disp. 16. num. 3.* cum Cardinale Alexandro de Næuo, & alijs. Alij subtiliùs, si agatur de copulâ illicitâ, putant matrimonium tenere, conditionē esse turpem, atque pro non adiecta vsurpandum; si agatur de copula licitâ non posse matrimonium suspendi, sed omninò esse perfectum. Ita Basilius Pontius *de Matrim lib. 3 cap. 8. num. 5.*

An copula illicita esse possit matrimonii conditio?

Atego, quia scio non posse hominem inuitum matrimonio coniungi, quidquid sit de foro exteriori, existimo, multos posse fieri contractus, qui supponant copulam vt conditionem. PRIMVS: *Promitto me cras ducturum te in vxorem, si mihi condormias hac nocte*, SECVNDVS: *Duco te in vxorem coram Parrocho & testibus, si mihi condormieris hac nocte*. Primus contractus matrimonium non est, sed matrimonij promissio; nec puto illo Petrum teneri, ni Antonia conditionem tametsi turpem ponat; & conditione positâ, illum puto teneri. Contractum secundum multas difficultates inuoluere manifestum est. Dicet Petrus hoc matrimonium fuisse inualidum: quoniam conditio futura est; & cùm debeat priùs conditio poni, quàm contractus conditionalis subsistere, ille concubitus esset antematrimonialis, adeoque turpis & peccaminosus; qui, & alia quæ concurrunt, magnam considerationem requirerent. Sed aio, illum concubitum bifarium esse considerandum; nimirùm, vt futurum, & vt præsentem: primò sensu esse antematrimonialem, non secundo. Quamobrem, si Petrus mane contrahat, & condormitio futura sit, conditio purificatur, & contractus est de facto validus, licèt nondum constet Petro, eum esse validum. An-ne Parrochus & testes debent videre conditionis purificationem? respondeo iuxta ea quæ docui superiùs *num. 866.*

An ipsa futuritio sit præsens? An actu purificetur conditio de futuro, si actu verum est, illam ponendam esse?

XXI.

Conditio contraria contractui.

DCCCLXXXI.

IN matrimonio certum est, conditionem, quæ contrarietur substantiæ contractûs, poni omninò non posse, quòd si ponatur matrimonium esse nullum. Constat ex *c. fin. de condit. appos.* vnde nulli sunt omnes isti contractus: *Accipio te in meam, si nolis debitum reddere; si velis generationem impedire, poculum sterilitatis sumere.* Quæ quidem matrimonia, stando puro Iuri naturæ, paterentur suas difficultates; & stando Canonico, nō statim occurreret, cui potiùs istæ conditiones debuerint à Pōtifice cēseri dirimētes, quā turpes impossibilesue, nā turpes & impossibiles, vt vidimus, non dirimunt contractum, sed pro non adiectis

Contractus nonnulli inualidi.

Vide infe-rius Fundam. 51. §. 2. vbi vberiùs hanc quæſtionem reſumo.

iectis iudicantur. At quia alibi rationes & motiua Pontificis expendimus, nunc ſufficit mentem & reſolutionem explicaſſe.

XXII.

Conditio de futuro.

DCCCLXXXII. Aliud eſt contractus futurus, & aliud contractus præſens cùm conditione de futuro.

OMnia, quæ hucuſque dicta, facilia ſunt; nunc difficiliora aggrediar, & ad conditiones de futuro deuenio. Et vt rem bene intelligas, promiſſionem contractûs futuri à contractu præſenti, affecto conditione de futuro, diſtinguo; aliud enim eſt: *Ego ducam te in vxorem, ſi cras meus pater venerit*, & aliud: *Ego te duco ſub eadem futura conditione*. Poſito primo contractu, certum eſt, non dari matrimonium ratum actuale, ſed promiſſionem meram futuri matrimonij, adeoque poſitâ conditione non eſſe dicendos, ſiqui ſic contraxerunt, coniugatos, ſed vi promiſſionis habere obligationem contrahendi. Et hoc eſt tam clarum, vt non poſſit in controuerſiam rationalem reduci.

At poſito ſecundo contractu (adde teſtes & Parrochum, ne clandeſtina aliqua nullitas nos interpellet) duæ ſententiæ occurrunt. Prima eſſe validum contractum aſſerit, ſecunda negat.

Prima ſententia negans.

Sententiam negatiuam iudicat veriorem Baſilius *lib. 3. cap. 12.* & mentem ſuam ad hanc Concluſionem reducit. *Matrimonio non poteſt apponi aliqua conditio, quæ illius valorem ſuſpendat: ſed ſi ponatur in vim conditionis, tantùm erit contractus ſponſalium, & non matrimonij.* Conſonat Baſilius Gregorio de Valentia *quæſt. 2. punct. 3.* Rebello *lib. 2. de Matrim. qu. 10. ſect. 6.* Cuiacio *cap. 1. de condit. appoſ.* vbi tenet, nullam conditionem apponi matrimonio poſſe: hanc ſententiam probabiliorem cenſuit Petrus de Ledeſma *quæſt. 47. de Matr. art. 5. dub. 1. cond. honeſt. poſt. 2. concl.*

An conditio apponi matrimonio poſſit?

DCCCLXXXIII. Aliud eſt contractus onoroſus, & aliud conditionatus.

Vt ſuam mentem expendant ibi Authores, duos contractus diſtinguunt; primum: *Do tibi centum ſub onere faciendi talem rem*, ſecundum: *Do tibi centum, ſi feceris talem rem*. Vi prioris contractûs exiſtimant transferri dominium, & donatarium non teneri reſtituere centum donatori, etiam petenti, ſed debere facere rem illam: at vi ſecundi contractûs dominium non tranſit antequàm res illa fiat; vnde donatarius non poſſet cogi vt rem illam faceret, bene autem vt reſtituere, ſi centum recepiſſet, & illam rem faceret nollet.

Hinc patet, hanc propoſitionem, *Do tibi domum, ſi eras Francofurtum venias*, æquiualere huic, *Dabo tibi domum, ſi eras Francofurtum venias*; & conſequenter hanc, *Accipio te in meam, ſi eras naues appellantur*, huic, *Accipiam te in meam, ſi eras naues appellantur*. Cùm igitur ad matrimonij veritatem præſens requiratur conſenſus, certum eſt, ſub conditione de futuro matrimonium præſens celebrari non poſſe. Sic eſt definitum *in cap. ſuper eo de conditionibus appoſitis*. Vbi declarat Pontifex Titium, qui per hæc verba contraxerat, *Accipio te in meam, ſi pater meus conſenſerit*, poſito patris conſenſu, non eſſe coniugatum de facto, ſed vi promiſſionis factæ debere ad contrahendum compelli; cuius Pontificis verba fruſtra conantur Aduerſarij in ſenſus peregrinos torquere.

In matrimonio requiritur præſens conſenſus.

Illud, conſenſerit, eſt de futuro.

Et quia fortè Thomas Sanchez fortiter militat pro ſententiâ contrariâ, volunt Authores iſti oſtendere, non ſolùm hæc verba Titij, *Duco te in vxorem, ſi eras Rex venerit*, æquiualere iſtis, *Ducam te in vxorem, ſi eras Rex venerit*, ſed etiam hæc verba Thomæ Sanchez, *Eſt promiſſio* aut *Erit verum matrimonium*; quoniam cùm hæc verba promiſſoria Sanchez matrimonialia dicit, non putat; illis enim non effectum matrimonij, ſed meræ promiſſionis concedit. Petit enim ſecundum conſenſum, nec ſufficere priorem aſſerit, teſte Baſilio *lib. 3. cap. 12. num. 3.* Et quidem, ſi ſecundus conſenſus requiritur, prior ille promiſſorius eſt, & non matrimonialis: ſed hoc ego non vrgeo, quoniam Sanchez ſecundum conſenſum non requirit, vt patet *ex lib. 5. diſp. 8. num. 5.* quem etiam citat Baſilius *lib. 3. cap. 14. nu 1.* Vnde aut primum Baſilij locum non intelligo, aut æquiuocatio aliqua latet. Sed hoc in medium poſito, alias rationes producamus. Quoniam quærenti, An Titius, qui cum duabus ſub conditione contraxit, nimirùm priùs cum vnâ, & poſteà cum alterâ, teneatur primæ, an ſecundæ? Reſpondet Sanchez *diſp. 8. num. 25.* quòd neutri: Ergo contractus ille prior fuit promiſſorius; nam ſi fuit verum matrimonium, ſecundus contractus ſolus fuit inualidus, non ſecùs, ac ſi hodie Ioannes Antoniam duceret, & poſteà ante conſummationem matrimonij duceret Margaritam. Si conditio ſecundi contractûs priùs poneretur, ſtandum ſecundo contractui docet Sanchez *vbi ſupra num. 18.* & iterum illum contractum habere vim promiſſionis, & non actualis matrimonij oſtendit, nam prior contractus verum matrimoniũ conſtituit, à conditionis poſitione, & non à voluntatis reuocatione pendebit. Namqui abſolutè contrahit, licèt ante conſummationem voluntatem mutet, coniux remanet; quoniam ſola promiſſio pendet à futuro conſenſu.

Obſeruatio cõtra Thomam Sanchez.

Ad quid teneatur, qui cum duabus contraxit?

Aſſe-

DCCCLXXXIV. Sententia asserens.

Asserentem sententiam *communem* appellat Basilius *lib.3.cap.12.*& tametsi ille contrariam teneat, hanc docet suaderi multis Canonibus, qui matrimonio conditionem apponunt: tales sunt *in cap. de illis cap super eo, cap. fin. de cond. apposit.* stat pro affirmatiuâ Sanchez *lib.5 disp.8.num.5.*cui addere poteris AEgidium *disp.29. num.11.*Bonacinam, Hurtadum *disp.7.diff.3. nu.10.* Henricum Canisium *in summ. de condit. appos.* Ochagauiam *qu.21. num.3.* Syluium *in 3.par.qu.43.art.1.qu.1.concl.7* qui, cùm sit doctissimus, & velit sequi D. Thomam, censendus est iudicasse, hanc etiam fuisse Angelici Doctoris opinionem. Hanc probabilem iudicat Leander *par.2. tract. 9.disp 9. qu.13.* nam oppositam, quam sequitur, vocat probabiliorem.

Sententia media, vtrũque extremum componens.

Ab hac affirmatiuâ sententiâ non multùm absunt Rebellus *lib.2.qu.10. num.44.* & Corneius *tract 6.disp.3.dub.7.* (male ergo Bonacina citat Rebellum pro opinione contrariâ;) Docent ergo Rebellus & Corneius non fieri statim matrimonium, adueniente conditione, sed nouum consensum requiri, nisi casu (N. B) quo contrahentes expressè pacisc antur, & declarent, se velle, vt aduenie nte conditione matrimonium statim fiat: nam tunc, quia in eodem consensu virtualiter permanent, non requiritur nouus consensus. Subsumo. At semper est præsumendum contrahentes habere hanc voluntatem: ergo semper erit validum matrimonium sine nouo consensu.

Leander *vbi supra* ait: *Affirmant Nauarrus, Paludanus, Petrus, Soto, Rodriguez, quos & alios vsque ad decem & nouem Doctores refert, & sequitur Sanchez.* & paulò post de his nouemdecim Authoribus aliter statuit: nam proponens contrariam opinionem, sic ait. *Sic D. Thomas, D. Bonauentura, Richardus, Sotus, Victoria, Martinus, Petrus, & Bartholomæus de Ledesma, Henriquez, & alij vsque ad decem & nouem Doctores, quos citat Sanchez num.3. quibus addi possunt Basilius, Valentia, Villalobos (qui tamen malè citat pro hac parte Sanchez & sibi contrariatur) Dianam, Barbosam, Gutierrez, &c.*

Aliud est, Ego facio, & aliud Ego faciam.

Ego autem existimo, rem facilem implicari ab Authoribus inutilibus difficultatibus. Aio, has duas formulas donationum differre. Aliud est enim dicere: *Ego do tibi hunc hortum, si anno sequenti habueris filium:* & aliud: *Ego dabo tibi hunc hortum, si anno sequenti habueris filium.* Vi prioris contractùs, purificata conditione, habes ius in hortum & fructus à donationis die: at posterior est clara & expressa promissio.

Ergo similiter de matrimonio est discutiendum. Hæc formula: *Ego contraham tecum, si Pater meus moriatur cras*, promissio pura est: at ista, *Ego contrabo nunc tecum, si verum est, quòd Pater meus est moriturus cras*, non est promissio, sed contractus de præsenti.

Inferes: Ergo Petrus sic contrahens poterit vti suâ vxore. Et ego negabo consequentiam: quia debet abstinere, quousque constet de legitimâ purificatione conditionis: quoniam etiam in casu, quo conditio de præterito esset, deberet exspectare, quousque constaret illam impletam fuisse.

De matrimonii suspensione.

Et hic obiter noto Authores conuenire vbi maximè eos dissentire putamus: qui enim matrimonium suspendunt, bene dicunt, & bene qui non suspendunt: illi enim agunt de rato, & hi de consummato: certum est enim illud, quousque constet de conditionis impletione, consummari non posse.

Argumenta, quæ in contrarium opponuntur, non vrgent; nam debent omnia ad hoc fundamentum reduci [Stando Iuri naturæ nudo non dirimit contractum conditio pendens ab euentu futuro; Ergo nec eadem conditio dirimet contractum matrimonialem. Patet consequentia; quia nulla adsignatur disparitas: quæcumque enim poterit assignari, vsum & consũmationem respiciet, non valorem: & de vsu certum est quidquid omnes Theologi vnanimi consensu affirmant; non enim poterit consummari matrimonium, quousque futura illa purificetur conditio Atqui Ecclesia inter impedimenta dirimentia non posuit conditionem, quæ reddit contractum conditionatum: ergo valet eiusmodi matrimonium. Probatur minor; nam impedimenta dirimentia Franciscus Syluius *in addit. Theologiæ Pastoralis Binsfeldij* §. 12. *de Matrim. pag.* 136. complectitur & exponit his versibus.

Contractus conditionati sunt validi.

In matrimonio non est impedimentum dirimens conditio pendens à futuro.

Quindecim impedimenta dirimentia.

Error; Conditio; Votum: Cognatio: Crimen:
Cultus disparitas: Vis: Ordo: Legamen: Honestas;
Amens: Affinis: si Clandestinus: & Impos:
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.

& tamen inter illa non reperitur contractus factus cum conditione de futuro]

Soluitur primum argumentum.

Primum argumentum sumebatur ex *cap super eo, de condition. appos.* & admitto eum, qui contraxerat per hæc verba: *Accipio te in meam, si Pater meus consenserit*, etsi consentiat Pater, non dici verè coniugatum, vbi Concilium Tridentinum modò, & vbi olim Concilia irritantia matrimonium clandestinum recepta erant; requiritur enim, vt Parrochus etiam & testes sint præsentes contractui, & purificationi conditionis. Vide quæ diximus *num.*880

Soluitur secundum.

Secundum vrgebat ista verba: *Duco te in vxorem, si cras Rex venerit*: volebatque idem esse dicere: *Duco te*, ac *Ducam te*,

Et reſpondeo, id etiam eſſe verum, vbi matrimonia clandeſtina non valent: at poſitâ Parrochi & teſtium præſentiâ, aliud eſt *Duco*, & aliud *Ducam*.

Soluitur tertium.

Tertium producebat Titium, qui contraxerat ſub conditione de futuro cum duabus; & quærebat vtri teneretur? nã dicebatur, neutri teneri Thomę Sanchez ſententiâ.

Cuius nam attendenda ſit, prioritas contractus, an verò cõditionis? De tempore indeterminato.

Ad hoc argumentum poſſet fortaſſis dicere aliquis illi teneri Titium, cuius conditio priùs purificata ſit, quaſi prioritas non ſe debeat tenere ex parte contractûs; ſed ex parte conditionis. Sed non bene: Ergo.

Reſpondeo, Titium ante impletionem conditionis neutri teneri, & nihilominùs teneri vtrique: & eſſe miſeram fœminam, quæ acceptet contractum huiuſmodi, niſi determinetur tempus in pacto. Primò enim, ſi contractus ſit iſte, *Duco te in vxorem, ſi verum eſt, quòd ante mortem meam morietur Petrus*, quouſque Titius aut Petrus moriatur, erit contractus dubius, &, ſi verum eſt, quòd Petrus eſt ante Titium moriturus, validus: Ergo in tali caſu ſecundus contractus erit nullus; ſaltem quoad Petrum: quia vel Titius morietur ante Petrum vel poſt, ſi ante, neutri tenebitur: aut ſaltem nunquam ſciet viuus, ſe primo contractui non teneri, & hanc ob rem non poterit ſeruare ſecundum: ſi poſt, tenebitur primo contractui.

Contractus nullus quoad ſe, & quoad nos.

In ſecundo contractu matrimonium ſubintelligitur tanquam eſſentialis conditio, ſi primũ matrimoniũ non eſt validum.

Secundò, ſi primus contractus ſit iſte, *Duco te, ſi perindie morietur Ioannes*. & ſecundus *Duco te, ſi cras venerit Petrus*. Sanè, ſi cras venerit Petrus, purificabitur conditio poſterioris contractûs, ſed non ideò erit validus, inuoluit enim aliam eſſentialem conditionem, quæ debet etiam purificariæ; quiualet enim his verbis, *Si primus contractus, quem feci, eſt inualidus, quod non ſcio, & ſi eſt verum, quòd cras ſit venturus Petrus, quod etiam neſcio, te in vxorem duco*: Ergo ſi cras venit Petrus, & perindie non moritur Ioannes, ſecundo contractui eſt ſtandum: ſi autem perindie Ioannes moritur, ſiue veniat Petrus, ſiue non veniat, ſtandum erit primo: & denique, ſi neque Petrus venerit cras, neque Ioannes perindie moriatur, neuter contractus erit validus.

XXIII.

De donationibus Condonationis.

DCCCLXX Xr.

TRanſeo ad donationes, de quibus non nihil dixi paulò ante. *Si* quis leget centum aureos Antoniæ, ſi caſtè vixerit, certè puto, illam ad reſtitutionem teneri, ſi luxurietur, & pecunijs legatis contra mentem legantis abutatur. Hinc eſt, quòd patienter videre non poſſim luxum & profanitatem Regularium quorumdam, qui miſerrimo errore ad authoritatem conducere illa putant, ob quæ à Sæcularibus contemnuntur; quoniam meritò ſcandalizantur modeſti homines, cùm ad Abbatum & Epiſcoporum aliquorum menſas profanas (diſtinguo profanitatem à benignitate) vocantur, & cùm veſtes ſericas, calceos oculatos, tibialia punctis ad mentem Zenonis compoſita, induſia linea, pileos caſtoreos, & alia multa vanitatis & luxuriæ inſtrumenta. Hos abuſus peperit ignorantia & opulentia; at Superiores, qui ſic excedunt, tenentur ad reſtitutionem, quia vtuntur abſolutè (aut diſſolutè potiùs) eleemoſynis conditionatis. Si mihi aſſentiri nõ vis, citabo Gaſparum Queſtenbergium, Virum pientiſſimum, Virum doctiſſimum, qui in Paræneſi ad ſucceſſores ſuos Strahouienſes Abbates paulò poſt initium ſic inquit [Olim Prælati (Auguſtinum, Benedictum, Norbertum, Bernardum appello) vix leguminibus menſam inſtruebant, ligneâ ſupellectile contenti, rariſſimè vinum aut carnes inferri ſuſtinebant, ſimplici tunicâ contenti, ipſi ſuis manibus ſibi miniſtrabant. Hêm quantùm mutati ab illis! fermè ad numeros gradimur, irritamenta gulæ ab vltimo Oceano conquirimus, vilis eſt omnis veſtium apparatus, niſi magno vœneat; purpura & byſſo induuntur Miniſtri; ſileo reliqua. Et miramur proiectum ab illis ſemen creuiſſe in gentem magnam, benedictione opus eorum proſequente Deo? Miramur ſi iam opulenti, Principibus immixti ad Regni ſolium fermè progreſſi, exareſcamus? Miramur inquam, quòd antiquiſſimæ Fundationes pereant? quòd Monaſteria ſanctiſſimarum cæteroquin Religionum euerſa iaceant, & vix alibi veſtigia ſuperſint? Ego miror, quòd non alibi terrâ dehiſcẽte abſorbeamur, aut ignibus (N.B) de cœlo proiectis in fauillam & cineres redigamur. *Cum Conditione*, approbantibus Patribus noſtris (N.B) bonorum Fundatorum liberalitas plura contulit, vt expediti videlicet à ſæculi curis, non niſi quæ Dei ſunt, operemur, loquamur, & meditemur; vt pluribus in beatæ vitæ communionem ſollicitatis, magnalia Dei noctium ſimul ac dierum horis concinamus; vt quæ abundant in pauperum vſus partiamur; vt domi & foris, velut candelæ accenſæ ſuper Candelabrum poſitæ, luceamus ad illuminationem omnium, qui tenebris obſcuratum habent intellectum; vt velut Angeli Dei exercituum ſine crimine ſimus, nemini dantes vllam offenſionem. Quid verò? Quouſque pateris ô bone IESV! neque enim flagellis miſericordiæ tuæ commoti digna profeſſione noſtrâ agimus, percuſſiſti nos, nec dolemus, non eſt qui agat pœnitentiam de admiſſis, recogitet dies priſtinos; Vix quæ DEI ſunt in animum dimittimus,

An Eccleſiaſtici poſſint pecunias à ſæcularibus legatas, in vſus profanos cõſumere.

Caſpar Queſtenbergius.

Prælati veteres.

Prælati iuniores.

Sancti viri ſeueriſſima verba.

Eleemoſynæ dantur conditionatè.

Quid in monaſterus de beat fieri de ſuperfluis?

timus, rauca de nare, ſubſellia prementes, vocem damus, velut mercenarij ſolliciti, vt in operis exitum mox procuramus; Pauperibus, infirmis, infortunio præoccupatis, quæ à Prælato conſolatio? quàm parca & tenuis? plus vna die perſæpè prodigunt, quàm toto anno compaſſionis affectu indigentes diuidant. Quis aberrantem reuocat, aut meliorem commonet? Corridemus ſcurris, & familiares nobis facimus. occaſiones ingerentes vt ſpurciſſimas narrationes repetant. Pauperes aſſidere nobis anxiè ſuſtinemus, Ganeones aceerſimus. An non propter nos blaſphematur nomen Domini? non-ne in ſcandalum & lapidem offenſionis ſumus multitudini? Taceo, quia erubeſco] Hucuſque Abbas ille pientiſſimus & prudentiſſimus, quem erraſſe nemo Sæcularibus ſuaſurus eſt

Aliquorum prodigalitas

An-ne verum?

FVNDAMENTVM XXXVII.

Clauis II. De Diſtributiua, Commutatiua, & Poſſeſsiua Iuſtitia.

DCCCLXXXVI.

IN Promotionibus (A) defectus impedientes & dirimentes dari ſolent; illi reddunt promotionem illicitam, iſti nullam; nimirùm ſi præeant, vix unquam ſi ſequantur. Idem dicimus de alijs contractibus. Cùm ſemel bono iure aliquis poſſeſſionem obtinet, (B) non poteſt illa aliter, quàm plena probatione priuari. Pro poſſeſſore (C) habetur, qui dolosè deſijt poſſidere: ſed qui mala fide (D) poſſidet, aut poſſeſſione (E) caret, non præſcribit.

Dirimentes & impedientes circũſtantiæ.

Poſſeſſionis vis.

Circumſtãtiæ ſequentes & antecedentes.

Præſcriptio.

An ſemel malus ſemper ſit malus.

In omni dubio, (F) in pari virtute, in pari delicto ſtandum eſt pro poſſeſſione; & qui prior tempore eſt, potior iure eſt dicendus. Hinc eſt, quòd ſemel malus, (G) ſi emendationem non probet, ſemper (in illo tamen genere) præſumatur malus; quia ſtat in poſſeſſione malitia. Hinc, quòd omnis homo ſemper præſumatur bonus, quamdiù non probetur eſſe malus; quoniam omni actuali delicto prior innocentia eſt. Hinc, quòd in dubio (H) fauendum ſit reo; quia ſtat in poſſeſſione innocentia, quæ tanti fit, vt concedatur (I) accuſato multis defenſionibus vti, non tamen pluribus actionibus accuſatori; quidquid enim (K) actori, licet reo; aliqua tamen conceduntur reo, quæ negantur actori. Hinc, quòd præſumatur ignorantia (L) vbi ſcientia non probatur; quoniam ignorantiæ eſt magis antiqua poſſeſſio. Hinc, quòd ſemel ſacrum (M) Deo non debeat ad vſus humanos transferri, nam eſt in poſſeſſione conſecratio: nec temerè dicendum iure conſecrationis Deum cedere. Hinc, quòd in re (N) communi

Poſſeſſor virtualis.

Pro poſſeſſione ſtandum.

Plura indulgentur reo, quàm actori.

Fauendum reo.

Standum pro aris.

Ignorantiæ præſumptio.

Ius prohibẽdi.

potior

potior ſit conditio prohibentis, quia ſtat pro non facto poſſeſſio: Et quidem prohibere cenſetur, qui rem communem vult diuidi; is enim prohibet rem eſſe communem; & vbi rei communio eſt incerta, eſt in poſſeſſione diuiſibilitas: Hinc, quòd non (O) ſit morоſus, qui dubitat, an rem debeat facere; quoniam in dubio ſauet libertatis poſſeſſio. Hinc, quòd in alternatiuis (P) ſit debitoris electio; quoniam & poſſeſſio ipſius eſt.

Qui ſit morоſus ſolutor?

Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

Poſſeſſor (D) malæ fidei poſſet præſcribere, ſi Reſpublica vellet; in Iure Canonico ſemel tantùm præſcribit: in Cæſareo fortè nunquam præſcribit; Tenetur ad reſtitutionem, ante quam re vel voto exhibitam (Q) peccatum remitti non poteſt. Mala procedit fide, qui exigit (R) quod non debetur, aut (S) plus quàm debetur; & ille qui contra Iura poſſeſſionem (T) ingreditur.

Poſſeſſio bonæ & malæ fidei An ad præſcriptionem ſufficiat.

DCCLXXXVII. Defectus impedientes & dirimentes.

IN promotionibus defectus impedientes & dirimentes dari ſolent; illi reddunt promotionem illicitam, hi nullam.

In contractibus defectus impedientes & dirimentes dari ſoient; hi reddunt contractum inualidum, iſti nullum. Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſteà eueniat, à quo non potuit inchoari. *Eſt Regula* LXXIII.

An & quãdo poſſim poſſeſſione priuari?

B. Qui eſt in poſſeſſione non poteſt aliter quàm plenâ probatione priuari (*nẽpe plena probatione alterius iuris, proprij delicti, aut neceſſitatis publicæ: quoniam etiam ob delicta & publicum bonum homines bonis priuantur*) *Sæpè enim contingere poteſt, vt conducat ad ſecuritatem Reipublicæ, quòd tali fundo caream; rarò, vt compenſationem non habeam*. Hinc Regula LXV. Beatus qui poſſidet. Melior eſt conditio poſſidentis.

Poſſeſſio duplex: realis & virtualis.

C. Pro poſſeſſore habetur, qui dolò (*hoc eſt malitia propria*) deſijt poſſidere. *Eſt Regula* XXXVI.

De poſſeſſore malæ fidei.

D. Poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit. Eſt Regula II.

An poſſit à Republica manuteneri?

An-ne aliter decernit ius ciuile? Non putem. Videtur latere aliqua æquiuocatio, & in re vtriuſque Iuris ſummum eſſe conſenſum.

An ne poteſt concedere Reſpublica, vt quis mala fide præſcribat? hoc eſt, vt præſcribat in re, quam certò ſcit alienam eſſe? Poteſt. Et fecit Eccleſia de facto in vno caſu. fortè Iuſtinianus in multis, fortè in nullo.

Poſſeſſio dubia.

Qui incepit poſſidere conſcientiâ dubiâ, incepit malâ fide, nec poteſt præſcribere. *Quia in dubijs ſtandum eſt pro poſſeſſore certo; non igitur dubius poteſt auferre rem, quam alius poſſidet; ille enim eſt in ſua poſſeſſione relinquendus.*

Certa: probabilis.

Qui incepit poſſidere conſcientiâ certâ vel probabili, incepit bonâ fide: quòd ſi dubia ſubrepant, manet poſſeſſor bonæ fidei, *quia eſt in poſſeſſione bonæ fidei, & non debet, dubio ſuperueniente, priuari.*

E. Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit. *Eſt Regula III.*

Poſſeſſio duplex: phyſica & moralis.

Poſſidet, qui habet rem proprio nomine: nimirùm, qui rem habet phyſicè vel moraliter; vnde poſſeſsio in phyſicam & moralem diuiditur.

Standum pro poſſeſſione.

F. In omni dubio ſtandum eſt pro poſſeſsione. *Vnde datur Regula LIV.* Qui prior eſt te tempore (cæteris paribus) potior eſt iure. *Vnde etiam.* In dubijs & ambiguis beatus qui poſsidet. Quod ſemel placuit (nimirùm, ſi voluntate tua alteri ius adquiſitum ſit) ampliùs diſplicere (in alterius iniuriam) non poteſt. *Eſt Regula XXI.*

Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum (*hoc eſt, iniuriam*) *Eſt Regula XXXIII.*

In pari (*virtute vel*) delicto melior eſt conditio poſſidentis. *Eſt Reg. LXV.*

Debemus de proximo bene ſumere, quouſq; eum conſtet eſſe malum.

Si duo rem indiuiſibilem, quam reſtituere non debeant, æquali virtute, aut etiã delicto adquiſiuerint, melior erit conditio poſſidentis.

G. Homo præſumendus eſt bonus, quãdiu non probatur malus. *Layman l 3 tr. 3. p. 2. c. 2. n. 7.*

Semel bonus, ſi delictum non conſtet, ſemper præſumitur bonus.

Semel malus (*ſi emendationem non probet*) ſemper præſumitur malus. *Eſt Reg. VIII.*

Offendens in vno, factus eſt omnium reus, *nimirùm quoad ius ingrediendi in vitam æternam.*

Cur non credatur periuro.

Periuro nunquam ampliùs creditur. Quia, cùm emendatio ſoleat iuramento probari, periurus ſe eſſe iam emendatum probare non poteſt.

H. Cùm ſunt partium Iura obſcura, faciendum eſt reo potiùs, quàm actori (*quia ante delicti plenam probationem ſtat in*

pro-

poſſeſsione innocentia) Eſt Reg. XI.

Promptiora ſunt Iura ad abſoluendum, quàm ad condemnandum : *Et hoc ob eamdem rationem.*

Fauorabiliores rei potiùs quàm actores habentur.

I. Nullus vti pluribus defenſionibus prohibetur. *Eſt Reg. XX.*

Nemo ex his, qui negant ſe debere, prohibetur, aliâ defenſione vti, niſi lex impediat.

K. Non licet actori, quod reo licitum, non exiſtit. *Eſt Reg. XXXII.*

Ignorantia præſumitur quando?

L. Præſumitur ignorantia (*nempè inuincibilis*) vbi ſcientia non probatur (*videlicet, neque quoad actum, neque quoad debitum*) *Eſt Reg.* XLVII.

Scientia præſumitur, vbi debitum ſcientiæ probatur; quoniam ignorantia vincibilis quoad culpam, aut pœnam virtualiter ſcientia eſt. Qui enim vincibiliter ignorat, ita ſe habet, ac ſi ſcientiam haberet.

De rebus ſacris.

M. Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos vlteriùs transferendum (*quia ſtandum pro poſſeſsione dedicationis*) *Eſt Reg.* LI.

De prohibente.

N. Iure communi potior eſt conditio prohibentis. *Qui ſtandum pro poſſeſsione, & eſt in poſſeſsione non actio. Eſt Reg.* LVI.

Fiſcus eſt ſocius.

Si rem communem velit vnus ſocius (*fiſcus vnus ex ſocijs eſt, cùm aliquid ipſi debetur*) diuidi, ſtandum eſt pro diuiſione; *& oſtenditur; quia ſecundùm communem rei politicæ ſtatum Communitas eſt priuatis perſonis poſterior.*

Communitas eſt priuatis poſterior.

O. Non eſt in morâ, qui poteſt exceptione legitimâ ſe tueri. *Eſt Reg.* LX.

P. In alternatiuis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri (*niſi aliter conuentum ſit*) *Eſt Reg. LXX. & ratio eſt, quia debitor poſsidet.*

De reſtitutione.

Q. Peccatum non remittitur, niſi (*re, vel voto*) reſtituatur ablatum. *Eſt Reg. IV.*

R. Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem (*Quod ſi accipiat erit malæ fidei poſſeſſor*) *Eſt Reg.* LIX.

Dolo facit, qui petit, quod (*neceſſariò*, redditurus eſt, *inquit Paulus* IC.

S. Bona fides non patitur, vt ſemel actũ (*paſsum, datum-ue*) iterum (*niſi fortè nouus accedat exigendi titulus*) exigatur. *Eſt Reg. LXXXIII.*

An aliquis poſſet bis puniri?

Deus non iudicat bis in idipſum. *Regi-naldus de prudent. Confeſſ. p. 632. ergo nec homo poteſt.*

De mala fide.

T. Qui (*ſciens & volens*) contra iura (*dirimentia*) mercatur (*& vniuerſaliùs aliquam rem incipit poſsidere*) bonam fidem præſumitur (*imò conuincitur*) non habere. *Eſt Iuris Regula LXXXII.*

L.

DCCCLXX XVIII. Huius doctrinæ & præcedentis continuatio.

HOmines ad dignitates adſpirant, eas obtinent, poſſident, & defendunt: & vt video, omnia optimè concatenantur; quoniam finis præcedentis capitis, & præſentis initium docet, quinam debeant aut poſsint ad dignitates adſpirare. Quod clariùs reddiderit hæc,

In promotionibus, obijces, impedientes & dirimentes ſolent dari, illi reddunt promotionem illicitam, hi nullam. Et eodem omninò modo de reliquis contractibus & alienationibus eſt philoſophandum. Et ipſi ſunt ſecundùm varias leges & dignitates aut qualitates varij. Vt ſolemniter quis profiteatur, impedimentum eſt dirimens defectus temporis, ſiue iſte ætatem, ſiue probationem concernat; ſi enim ante completum annum ætatis ſextum decimum, aut ante completum probationis annum vota emittas, nec ſolemnis nec valida erit profeſsio. Vt promoueatur quis ad ordines, temporis defectus non eſt dirimens, ſed impediens. In Abbatum, Epiſcoporum, & aliorum Antiſtitum denominationibus, electionibus, & confirmationibus multa illicitè poſſunt fieri, quæ tamen creationem non dirimant; nam, ſicut in matrimonio videmus impedimenta impedientia & dirimentia aliquando ſubrepere, ſic in alijs contractibus & actibus publicis alterutra reperiri poſſunt, & ſolent. Quamobrem conſcientiâ conſultus debet examinare, An in promotione propoſitâ aliquid actũ ſit, quod ſit legi contrarium? & ſi aliquod delictum reperiat, An impediens, an verò dirimens, aut fortè ſit neutrum, examinet. Notandum tamen eſt, impedimenta dirimentia debere plerùmque præcedere; nam matrimonium, exempli gratiâ, non dirimitur, ſi impedimenta dirimentia ſequantur, vnde Regula LXXIII, *Factum legitimè netractari non debet, licèt caſus poſtea eueniat, à quo non potuit inchoari.*

Impedimẽtum dirimens profeſsionem.

Impediens ordinationem.

Electionem.

Impedimẽtum ſubſequens & præcedens.

Hæc notanda ſunt, vt aliquis bono iure & bonâ fide poſſeſsionem obtineat; quâ ſemel obtentâ ſecuriſſimus erit; quoniam argumentum fortiſſimum ab ipsâ poſſeſsione deſumitur; & quidem multa Iuris Regulæ ſunt de manutenendâ poſſeſsione & hoc ipſæ principio: *Qui potior eſt tempore, potior eſt iure.* Reg. LIV. fundantur, quod paucis alteratis proponitur à dicentibus, *Standum eſt poſſeſsione iuſta*; & omnis poſſeſsio *iuſta ſemper cenſenda eſt, quamdiu iniuſta non demonſtratur.* Conſultò *demonſtratur* dixi; nulla enim ratio probabilis tanti momenti poteſt eſſe, vt prævaleat poſſeſsioni. Layman *Theologiæ Moralis lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 3. num* [Nemo Priuatus, *ait*, alterum ſui Iuris poſſeſsione priuare poteſt ob dubias, etiam probabi-

DCCCLXX XIX.

Beatus, qui poſsidet.

Quę ſit poſſeſsio iuſta? Poſſeſsio plus eſt, quã probabilitas.

babiles, non tamen certas rationes, ſicut notat Sanchez *diſp.44. n.3.* & habetur *cap. Inquiſit. de ſent. excomm.* & apud S. Thom. *in 4.d.41.q.1.a.5.q.ad 3*] Nota illud *priuatus*, quia homo exlex, aut legibus vniuerſis ſuperior vti probabilitate contra poſſeſſionem poſſet, ſed leges id non patiuntur, volunt enim & meritò poſſeſſioni bonæ fidei cedere omne dubium, nec non omnẽ probabilitatem.

[Nec poterit ex hac doctrinâ aliquod oriri præiudicium: legibus enim viuimus, & quidquid de iure naturali, aut etiam de homine ex lege eruditè dicatur, noſtros mores alterare non poterit: legum enim cautela occurrit præiudicijs ſuborientibus ab independentia, & libertate]

Sanè, ne poſſeſſio moralis & phyſica cõfunderentur, additur à Bonifacio

II.

DCCCXC. Poſſeſſor inuitus. Poſſeſſor virtualis.

PRo *poſſeſſore habetur, qui dolo* (hoc eſt, malitiâ propriâ) *deſijt poſſidere* REG. XXXVI. Vnde optimè Iuriſconſultus Paulus. l. *qui dolo, ff.eodem ait; Qui dolo deſierit poſsidere, pro poſſidente damnatur, quia pro poſſeſſione dolus eſt.* Et conſequentiæ filo. *l. parem. ff.hoc tit.* Vlpianus: [*Parem eſſe conditionem eius, qui quidquid poſſideat, vel habeat, atque eius, cuius dolo factum ſit, quo minùs poſſideret, vel haberet.* Et idem *l.ad ea quæ. §.1. ff.eodem* clariùs: *ſemper, qui dolo fecit, quò minùs haberet, pro eo habendus eſt, ac ſi haberet.* Et ratio Regulæ ſumitur ex alterâ prudentiſſimâ, & neceſſariſſimâ; nimirùm: *Omnia ſic temperanda ſunt, ne doloſo ſuus dolus commodum, & alteri incommodum adferat*, desũptâ *ex l. 1. §. 1. ff.de doli mali, & met. except.*

Nemo ex delicto debet vtilitatem reportare.

III.

Doc...

POſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit. Eſt Regula Iuris II. Et placet tantiſper hærere in vocum harum expoſitione, vt videamus quàm miſerè errare ſolent, qui ſcrupuloſiores in Grammaticâ.

Grammatici frequenter errant in Theologicis.

Quid fides?

Quid Fides? Aliqui cum Hoſtienſi (de quo *num.* ſum acturus) *Fidei* nomine Catholicam religionem intelligunt, putantque poſſeſſorem malæ fidei, hoc eſt, religionis hæreticæ illegitimum eſſe, nec nullo vnquam tempore præſcribere, reſque tutâ conſcientiâ retinere non poſſe. Quâ vocis exorbitantiâ Hæretici intelligunt illud Pauli ad Romanos; *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: quorum grammatico ſenſui ex Catholicis crudè adhæſit Michael Bayus, & poſt eum Cornelius Ianſenius, vt dixerit: *Omnia Infidelium opera eſſe peccata, & virtutes Ethnicorum vitia*; quia

Michael Bayus: & Cornelius Ianſenius.

corumdem ſententiâ, quod non eſt ex fide Catholicâ, peccatum eſſet.

DCCCXCII. Fides ſignificat dictamen.

At tenendum omninò eſt in vtroque loco, nimirùm Pauli Apoſtoli, & Bonifacij ſummi Pontificis, nomen *Fidei* ſumi pro conſcientiæ dictamine, & poſſeſſorem malæ fidei, hoc eſt, res retinentem contra dictamen, nullo omninò præſcripturum tẽpore. Non enim annoſa & violenta rei alienæ detentio facere poterit, vt ſit legitima, & ſecundùm fidem, ſeu conſcientiam.

Quæſtio incidens.

Poſtulas, *An Reſpublica concedere poſſit, vt poſſeſſor malæ fidei, qui ſcit rem, quam poſsidet, non eſſe ſuam, ſed alterius, præſcribat? An poſsit indulgere, ne teneatur ad reſtitutionem ante ſententiam Iudicis?* & reſpondeo, duas dari probabiles ſententias circà legum acceptationem: primam, quæ docet, poſſe Principem populo inuito leges ferre: ſecundam, eamque probabiliorem, quæ ſeruis inuitis leges ferri poſſe. Porrò, ſi ſtetur priori ſententiæ, neganda eſt Reipublicæ hæc authoritas; non enim ipſa aliquem poteſt expoliare inuitum. At, ſi ſtemus, vt ſtare omninò debemus, opinioni ſecundæ, clara res eſt. *Nam cùm volenti & permittenti non fiat iniuria*, & lex feratur acceptante, hoc eſt, volente & permittente populo, liberè poterit de bonorum poſſeſſione, & dominio diſponere ſine conſcientiæ ſcrupulo. At hîc obiter notare oportet, legem illam, quæ malæ fidei poſſeſſori faueret, & concederet ius præſcribendi, eſſe obnoxiam multis inconuenientibus, & omninò caſſandam: at illâ ſtante poſſeſſor malæ fidei validè præſcriberet, nec contra Iuſtitiam ageret, retinendo bona poſt præſcriptionem: conſenſus enim populi tollit omnem ſcrupulum: ille enim, contra quem præſcribitur, in ſententiam communem compromiſit, & ſententia communis bona illi, qui præſcribit, adiudicat. *Semel* cognito quid Reſpublica poſſit, quid fecerit reſtat examinandum.

De acceptatione legũ. An poſſet eſſe lex, quæ poſſeſſori malæ fidei faueat?

An hæc lex eſſet iuſta?

[DCCCXCIII. Præſcriptio iuxta Canones.

Præſcriptio iuxta Ius Canonicum requirit, vt incipiatur & continuetur bonâ fide: vnde qui ſub initium bonâ fide domum meam poſſederit, ſi tamen ſucceſſu temporis ſciat eſſe meam, tenetur ad reſtitutionem, nec pòteſt contra me quoad forum interius præſcribere. Cùm requiri bonam fidem ad præſcriptionem dico, fidem bonam naturaliter à bonâ ciuiliter diſtinguo: haberet enim bonam fidem ciuiliter, qui certò ſciret domum illam eſſe meam, modò nemo poſſet illum de iſtâ ſcientiâ conuincere. At bonam fidem naturaliter ille ſolummodò habere dicitur, qui ita poſſeſſionem ſuam continuat, vt non ſciat ſe teneri ad reſtitutionem. *Vide cap. fin. extr. de præſcript.*

Bona fides naturalis: & ciuilis.

Cæterùm Iure ciuili receptum eſt, aliquo-

DCCCXC IV. Præſcriptio ciuilis.

quorum ſententiâ ſufficere bonam fidem in initio, tametſi mala poſtea fides ſubſequatur. *l. vnica, cap. de vſu cap. transfer. l. ſi alienæ 10. in princ. ff. de vſurp. & vſu cap. §. diutina. Inſtit. de vſu cap.* Et noſtra erit inquirere primò, An ex hypoteſi, quòd ſic Iure Ciuili ſit diſpoſitum, ille qui bonâ fide incipit poſſidere, & tamen ſucceſſu temporis habuerit malam fidem, in conſcientia præſcribat: & ſecundò, An id iure Ciuili decretum ſit.

DCCCVC. An retineri poſsit lex, quæ ſine peccato obſeruari non poſsint?

Ad primam dubitationem his verbis Caniſius in Regulam II. reſpondet [*Hoc Iure non vtimur propter peccatum, quod prouenit ex conſcientia rei alienæ. Cùm generaliter, ait Innocentius III. in Generali Concilio Lateranenſi: Sit* omni conſtitutioni, atque conſuetudini derogandum, quę abſque mortali peccato nõ poteſt obſeruari. *cap. fin. extr. de præſcription.*] *Sed* non vrgeor: quia ſine peccato mortali poſsum præſcribere, vbi leges, & populi conſenſus permittit. Sed mox Caniſius. [*Ab hac tamen Regula excipitur caſus in cap. 1. de præſcript.* (contra ſeptimũ Præceptum Decalogi nulla eſt exceptio; ergo poteſt dari malâ fide præſcriptio valida & ſine furto, ſi publicâ authoritate, & populi conſenſu fiat) *Vbi Epiſcopus contra alium Epiſcopum triennio præſcribit locum à ſe conuerſum ad catholicam vnitatem* (nimirùm tametſi incipiat, & continuet poſſeſſionem malâ fide, hoc eſt, ſciens Epiſcopatum eſse alius) ſed cur? Reſpondet: *Verùm id fit authoritate ſacrorum Canonum; quibus cùm omnes Eccleſiæ ſubiectæ ſint, & ab ijs certam legem accipiant, id certè conſtituere poterunt, vt res vnius Eccleſiæ alteri ex iuſta cauſa* (imò ex nullâ cauſa, ſi omnes, quorum refert, conſentiant) *adquiri poſsit. Itaque rei alienæ fidem ſuſtinent hoc caſu ſacri Canones in fauorem catholicæ Religionis*] Ergo fidem rei alienæ acceptante populo ſuſtinere ſecundùm ſe malum non eſt; ſi enim malum eſset, non poſset fieri ne quidem Chriſtianæ Religionis intuitu; nemenim mala fieri poſſunt vt bona eueniant. Quod ſi malum non eſt, fieri etiam aliàs poterit, imò & ſemper, ſi iudicetur expedire. Ergo, ſicut Epiſcopus poteſt præſcribere Epiſcopatum malâ fide poſſeſsum, quod id leges permittunt: poteris & tu meam domum, tametſi malâ fide poſſedisſes, præſcribere, ſi hoc leges Ciuiles concederent. Et *hoc* (vtor ad hominem & verbis, & ratione Caniſij) *tunc fieret authoritate ſanctorum politicorum Iurium; quibus cùm omnia bona priuata ſubiecta ſint, & ab ijs certam legem accipiant, id certè conſtituere poterunt, vt domus vnica particularis alteri ex iuſta cauſa adquiri poſsit. Itaque rei alienæ fidem in tali caſu ſuſtinerent Ciuilia Iura ad proſcribendas multas implicatiſsimas lites in fauorem publicæ tranquillitatis.*

Vtrùm præſcriptio malæ fidei ſit ſecure in conſcientia?

Mala fides præſcribitur in Epiſcopatu.

Non poſſunt fieri mala, vt bona eueniant.

Sic placuit diſcurrere contra Caniſium, qui hunc Epiſcopum ſine titulo præſcribere docet: at ego potiùs dicerem, eum habere bonam fidem, & titulum: ſi enim vnus Epiſcopus proprios ſubditos negliget, pietas poſtulat, vt curetur ab alio: & quod piè, & ſanctè fit, bonâ illud fide fit. *Præterea*, poſset dici non reperiri hîc propriè præſcriptionem, ſed ſupplicium, & præmium; alter enim Epiſcopus, ouibus neglectis, priuatur, eaſque alter ob curam & pietatem adquirit. Sed hîc etiam deberet correctio fraterna procedere, ne vicinus Epiſcopus diceretur temerè adminiſtrare.

DCCCXC VI. Omnes leges malæ fidei poſſeſſores excludunt. Et præcipuè Bauaricæ, &

Imperiales.

Conciliantur Ius Ciuile, & Canonicum.

Fides certa, & dubia: bona, & mala.

Cõciliantur Iuriſtæ, & Canoniſtæ.

Ad ſecundam reſpondeo, præſcriptionẽ aut nunquam fuiſse qualem Iuri communi imponunt, aut iam non eſſe: video enim omnes prouinciales Regum, & Principum Conſtitutiones præſcriptionem malæ fidei negantes. Et inter alias Bauaricæ *tit 9 art. 7 & 8.* expreſsè habent, poſſeſsionem, quam non comitatur bonâ fides tot annis extenſa, quot fuerint ad præſcribendum neceſſarij, non poſſe tutâ conſcientiâ præſcribi. Hanc Iuris Canonici ſecundam Regulam in Imperiali Camerâ multis præiudicijs comprobatam contra Ius commune teſtatur Andreas Gail. *lib. 1. obſer 18. num. 7.* & ex eo Henricus Caniſius *ſummæ Iuris Canon. lib 6. Reg. 2.* Et quidem poſset vtrumq; Ius conciliari, ſi dicamus *malam fidem* à Iuriſtis vocari dubium, à Canoniſtis certitudinem iniquæ poſſeſſionis. Tunc enim hæc poſitio: *Qui dubitat, an res ſit ſua, non poteſt poſſeſsionem inchoare, qui tamen ſincerè putando rem eſſe ſuam, inchoauit poſſeſsionem, ſi poſtea dubitet, poteſt illam piè continuare. & præſcribere*, quæ eſt communis, & vera, vt habet Eſcobar *in Theolo. Moral. tract 3. examin. 1 cap 4. n. 7.* Layman. *lib. 3 tract 1. cap. 8. & alij*, tranſcriberetur à Canoniſta his verbis: *Datur bona fides certa, & bona fides dubia. Qui bonam fidem dubiam habet, non poteſt poſſeſsionem inchoare; qui tamen illam inchoauit bona fide certa, tametſi poſtea habeat bonam fidem dubiam, poteſt poſſeſsionem ſuam piè continuare, & præſcribere.* Et à Iuriſta his: *Datur fides certa, quæ bona dicitur, dubia, quę mala; vbi enim ſcitur, rem eſſe alienam, non datur mala fides, ſed infidelitas, & nulla fides. Qui malam fidem habet, non poteſt poſſeſsionem inchoare; qui tamen illam inchoauit bona fide, tametſi poſtea habeat malam fidem, poteſt poſſeſsionem ſuam piè continuare, & præſcribere.* Vbi vides diuerſis verbis, imò aduerſis, idem omninò dici à Iuriſta, Canoniſta, & Theologo.

IV.

DCCCXCV II. *Sine poſſeſsione præſcriptio non procedit.* Eſt Regula III. & in naturâ, & definitione eiuſdem poſſeſſionis fundatur. Eſt enim *præſcriptio rei per continuam poſſeſſionem, tempore a Iure definito, adquiſitio*, vt probatur *ex titulo Decretalium, de præſcript. extr. & in cap. extit. cap. de præſcript. longi temp.* 10. *vel* 20. *ann. cum aliquot tit. cap. ſeqq.* Ergo tam requiritur ad præſcriptionem poſſeſſio, quàm rationalitas ad humanitatem. Videtur hæc Regula deducta *ex cap. cauſam 7. extr. de præſcriptione, ex c. 3. in fin. extr. de probation.* Cui conſonat Textus *in lege ſine poſſeſsione 25. ff. de vſurp. & vſucap.* Porrò poſſeſſio eſt duplex, phyſica, & moralis: hæc vltima ſufficit, & accidit, cùm aliquis rem proprio nomine moraliter poſſidet. Conſultò dixero *proprio nomine*; Colonus enim, Inquilinus, Procurator, Depoſitarius, Commodatarius potiùs res habent phyſicè, quàm moraliter; non enim habent nomine proprio, ſed alieno, atque ideò non poſsunt præſcribere. Hinc patet, efficaciſſimum fuiſse illud dilemma, quo olim in meo Philippo contra Luſitanos, & Hollandos ſum vſus [Vel fuerunt legibus Caſtellæ ſubditi, vel non: ſi ſubditi non ergo liberi; nõ ergo habent poſſeſſionem libertatis: ergo ſunt ſubditi Regi Caſtellæ: Si non ſubditi: ergo legibus Caſtellæ non poſsunt præſcribere. Quibus ergo? proprijs? minimè: non enim antequam in libertate præſcribant, ſetre & habere poſsunt leges proprias. Non ergo potuerunt præſcribere.] Hæc ratio eſt efficaciſſima, ſed debet conſiderari bene, nam lepidiſſima eſt Macedi inſtantia, quâ illam eneruare conatur.

Quid ſit præſcriptio?

An ad illam requiratur poſſeſsio.

Poſſeſsio duplex: realis, moralis.

Proprio nomine, & alieno poſsidens.

Ratio fortiſsima.

V.

DCCCXCVIII. *Semel malus* (ſi emendationem non probet) *ſemper* (in eodem tamen genere, & non alijs) *præſumitur malus*. Et ratio eſt; quia in omni dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione, quæ fuerat ante dubium; vnde, ſi ante dubium ſit malitia, ſtandum erit pro ipsâ, quouſque correctio, & emendatio comprobetur: ſi ſit bonitas, ſtandum erit pro eiuſdem poſſeſsione. Huic Regulæ datur altera ſimilis, videlicet: *Semel probatus bonas, ſemper præſumitur bonus*, quæ fundatur *in c. mandata 6. extr. de reſcript.* cui addam alteram meliorem, benignioremque: *Homo præſumendus eſt bonus quamdiu non probetur malus*: & illam fundo in ipſa naturâ Decalogi; eſsem enim Iudex temerarius, ſi eſse malum Franciſcum præſumerem, & omni ratione præſumendi carerem.

An ab vno ad omnia valeat argumentatio?

Hanc ego octauam præſumptionis Regulam ad idem peccati genus contraxi, & tu ampliandum iudicas, & aliam obijcis, nimirùm: *Defleat peccatum, quia offendens in vno factus eſt omnium reus*. Et infers, eum qui in furto peccauiſse conuincitur, omnibus vitijs infectum præſumendum. At Innocentius *in c. fin. de pœn. diſt. 5.* negat conſequentiam, & ait: *Offendentem in vno fieri omnium reum, non quidem in quantùm ad vitam æternam.* Et reſponſionem ſuam exponit: *ſicut enim ſi peccatis omnibus eſſet inuolutus, ita ſi in vno tantùm maneat, æternæ vitæ ianuam non intrabit.*

Regulæ octauæ moderatio.

DCCCIC. Obijcis periurum, cui, etſi correcto & emendato, ampliùs non creditur, c. *teſtimonium 54. extr. de teſt.* Reſpondeo, periurum ipſo crimine reddi iudicialiter nullum, adeoque non mirum, ſi ei non credatur: quia ſicut non creditur pſittaco, quia phyſicè homo ipſe non eſt, ſic nec periuro (addit Hiſpanus ebrioſum) quia virtualiter quoad hunc effectum homo non eſt. Sed quia ſuos patronos etiam habet ebrietas, & dicunt *debere peritos, qui fuerint Romæ, Romano viuere more*, adeòque ebrietatem in ſolâ Hiſpaniâ maculare, & in Germaniâ ad authoritatem conducere; ſubiungo, me videre ebrioſos in ipſamet Germaniâ contemni, nec ad ſublimes qualitates adſumi; imò adſumptos deponi. Nã & hodie bibit Monachij clariſsimus Dominus N. tantæ apud Iuriſtas opinionis, vt nullus cliens putet bene procedere, nullus aduocatus bene patrocinari, nullus Iudex bene reſoluiuere, illo inconſulto, & tamen ob ebrietatem ita miſer, vt fuerit omni publicâ qualitate exutus, nec ſuis conſilijs ſubſcribere nomen permittatur; Iuris enim motiua, quæ ipſe ſcribit, ſemper nomine alterius præſentantur; & tametſi plus laboret, plus lucretur, quàm reliqui, nihilominùs in foro politico eſt nullus. Et hoc in ipſamet Germaniâ, in quâ quidem ſobrietas ſuam laudem habet; & ſi hauſtus liberalior permittitur, nunquam toleratur ebrietas. *Noto tamen eum, qui ſemel malus fuit, etſi emendetur, ſemper habere aliquid notæ, etiam in alijs generibus, quo caret ille, qui nunquam fuit malus: at nolumus hinc argumentum tale ſumi, quod ſufficiat ad præſumptionem, aut probabilitatem.*

Periurus virtualiter homo non eſt. An idem de ebrioſo dicendum?

Contemnũtur ebrioſi in Germania.

Nota bene.

VI.

CM. *Cum ſunt Iura obſcura, reo fauendum eſt potiùs, quàm actori.* Eſt Regula XI. & certiſſima; quoniam actore non probante, reus abſoluitur, tametſi in ſe iſte ſuſceperit poſitiuam innocentiæ ſuæ probationem, & in probatione defecerit. *l. 4. de edendo. cap. fin. §. de iureiurand. l. circa 15. ff. de probat. & ibi Gloſſa, & Bartolus.*

Actori incũbit probatio. Aequitas nõ debet eſſe pura æqualitas, ſed ſimilior fauori, quàm odio.

Sed non ſtatim occurrit, cur potiùs fauendum

Cl ſeruatio cigniſsima.

uendum ſit Reipublicæ, & hic in fauorem boni publici agat. Tu daturus rationem Regulas has aſsumis: *Promptiora ſunt Iura ad ſoluendum, quàm ad condemnãdum.* Itemque: *Fauorabiliores rei potiùs, quàm actores habentur, illam deſumptam ex c. 3. verſ. 1. ſi ambarum extr. de probation. l. Arrianus 46. ff. de oblig. & act.* hanc verò *ex lege fauorabiliores 125. ff de Regulis Iuris.* Sed hoc eſt æquipollentia Iura adducere, & idem per idem probare. Ego quidem hanc Regulam ſic breuiter ſuadeo. In dubijs ſtandum eſt pro poſſeſſione ſuæ famæ, ſuæ opinionis, ſuæ libertatis; imò, & ciuilis ſuæ innocentiæ: ergo per probationem dubiam non eſt priuandus famâ & commoditate certâ: vnde in criminalibus, ſi actor nihil probarit, dimittendus eſt reus; & ſi probatio vtrimque æqualis fuerit, etiam eſt dimittendus: non enim informatio ſemiplena ſufficit, vt aliquis à ſuâ pacificâ poſſeſsione eijciatur. In ciuilibus ſtandum etiam poſſeſsioni eſt, cui credit omnis probatio, quæ plena non eſt.

Idem per idem.

In dubio Beatus, qui poſsidet.

CMI. An Iudex ſemper poſſit ſequi opinionem probabilem?

Hinc oritur, quòd in varietate opinionum teneatur Iudex ſequi etiam minùs probabilem, ſi reo fauorabilior ſit: quia debet facere pro reo quantum poteſt, & habere illam ſententiam poteſt. Coriolanus 380. Nota hoc, quod non bene intelligitur à multis Ethicis.

An in æqua probabilitate res debeat diuidi?

Obijcis tamen, ſolere Iudices in æquâ probationum obſcuritate aut rem controuerſam diuidere, aut ſorti committere. Et reſpondeo hoc ipſum laudabiliter fieri, vbi neuter collitigans in poſſeſſione eſt: iniquè, ſi alter in poſſeſſione ſit.

An bene à Salomone infans iuſſus diuidi?

At inſtas. Salomon, ortâ quæſtione de filiolo inter duas mulieres, ſi ſtetiſſet huic Regulæ, debuiſſet illum reæ & poſſidenti adiudicare, & tamen potiùs diuidi iuſsit: *textus in c. afferte. extr. de præſumption.* Ergo diuiſio etiam contra poſſeſsionem habet locum; & reſpondeo, illam Salomonis ſententiam non fuiſſe vltimam & definitiuam, ſed quaſi interloquutoriam & præparatoriam, probationes ipſas diſponentem ad rigidius examen: non enim ipſe poterat præcipere, vt infans innocens verè occideretur. Quamobrem, ſi vel vtraque mulier adquieuiſſet ſententiæ, vel neutra, iterùm, manentibus iuribus vtriuſque partis obſcuris, debuiſſet infans adiudicari poſsidenti. At quia altera ceſsione ſui iuris ſe eſſe veram matrem oſtendit: altera pertinaciâ ſuâ ſe prodidit, prudentiſsimè Salomon infantem adiudicauit veræ matri.

Multa interdum iubentur prudentiſſimè, quæ non debent nec poſſunt exſequutioni mandari; Cautè in ſimilibus eſt procedendum.

VII.

CMII. De reuocatione priuilegiorum.

INdultum a Iure beneficiũ (priuilegiũ) *non eſt alicui auferendum* (nimirùm, ab eo, cui non ſubſit Ius, & tunc nonniſi ex rationabili causâ) vel clariùs: *A Iure aut a Superiore Principe conceſſum priuilegium non poteſt Iudex inferior tollere, aut limitare; niſi detur ſufficiens cauſa, & habeat ad hoc authoritatem ſpecialem.* Hanc Regulam XVIII. ſic eſse intelligendam conſtat *ex l fin. c. de legib. l. 2. l. 5. c. ad SC. Macedo. l. fœminis. 9. l ſi mulier. 22. cum ll. ſeqq. c. ad SC. Velleian. l. nemo 13. de ſent. interloquutor. l. fi. in fi. c. ſi contra ius, vel vtil. c. 1. extr. de ſent. & re iud. l. 4. §. ſi quis condemnatus. ff. de re iudicat.*

De reuocatione legũ.

Corollarium. *A Iure aut a Superiore Principe impoſitam legem non poteſt Iudex inferior tollere, aut limitare; niſi detur ſufficiens cauſa, & habeat ad hoc authoritatem ſpecialem.* Sed quid faciendum mihi, cui Rex aliquid iuſſit, ſi iam modò Prorex iubeat contrarium? Hæc eſt apud Hiſpanos praxis. Excuſabo me vrbanè apud Proregem, & mandatum Regis inſinuabo; quòd ſi, non obſtante meâ excuſatione & inſinuatione, Prorex adhuc velit ſibi obediri, ad ſecuritatem meam petam, id ab eo mihi in ſcriptis mandari, & recepto mandato illo, Proregi obediam; ſed copiam ad Regem trãſmittam. Sic diſponunt noſtra Iura, & mores ciuiles continuâ religione ſeruati. Sanè, præcepit Rex, vt non obſtante inſtructione, quam habeo, Prorege obediam, ſi contrà iuſserit; interdùm enim occurrunt nouæ rationes, & debent per epiKeiam leges communes alterari. Ergo, ne temerè proceſsiſſe ego dicar, petam vt mihi in ſcriptis Prorex præcipiat, ne in tali caſu Regi obediam: &, ne Prorex temerè procedere audeat, monebo ſtatim Regem, vt ſciat ſuam iuſsionem non ſeruari, & approbatione aut reprobatione Prouintiam in obedientiâ & tranquillitate confirmet. Sed hæc raro accidunt, nimirùm, quando eſt in morâ periculum, & tunc ex Regis ſpeciali conſenſu.

Quid faciendum ſi inferior contra Superiorem præcipiat?

Mores apud Hiſpanos.

VIII.

CMIII. Tempus nõ dat valorem contractui inualido.

NOn firmatur tractu temporis, quod de Iure ab initio non ſubſiſtit. Eſt Regula XVIII. Nam ſi loquamur in ſpecie, teſtamentum, ſi probetur eſse falſum, priuilegium, ſi oſtendatur fuiſse ſubreptitium, non reddentur valida ſucceſsu temporis, ſi præter temporis decurſum nulla noua addatur circumſtantia. *l penult. ff. eodem, §. Prætereà. Inſtitut. quibus non eſt permiſ fac. teſt. cum ſimul. l. inter ſtipul. §. 3. §. Sacram. ff. de verb. oblig. l. à marito. 18. C. de donat. inter virum, & vxorem. c. 1. extr. de ſent. & re Iudic. l ſi expreſſim. 19. ff. de appellat. cap. 1 de reſcript. lib 6. l. quoties 6. ff. qui ſatiſdar. cogantur, c. quæ*

In furto non præſcribitur.

contra. l. obligationum ferè 43. §. placet. ff. de obligat. & act. Res furto ablata non poteſt habere à ſolo tempore, & retentione diuturnâ, quod adquiratur; oſtendimus enim ſuperiùs, poſſeſſorem malæ fidei non præſcribere æterno tempore. Septennio minores non poſſunt inire ſponſalia; nec impuberes contrahere matrimonium. An-ne illorum ſponſalia, aut horum matrimonium defluxu temporis reddentur valida? minimè: merum enim tempus inualida ſponſalia aut matrimonia non firmat, & valida reddit. Quòd ſi accedat nouus conſenſus, vi illius noua ſponſalia aut nouum contrahetur matrimonium, non tamen fiet vt validus fuerit ille contractus, qui de iure non ſubſiſtit. *c 1 de de ſponſ. impub. lib. 6.*

Quę ætas ad ſponſalia & matrimoniũ requiratur?

CMIV. An religioſus profeſſus poſt quinquennium poſſit reclamare?

Obijcis. Concilium Tridentinum iubet, vt Religioſus, qui putat ſuam profeſsionem eſse inualidam, aut quòd ante legitimam ætatem, aut incompleto probationis anno, aut ex metu cadente in virum conſtantem profeſsus fuerit, intra quinquennium audiatur: non tamen quinquennio elapſo. Iudicarunt igitur Patres, profeſſionem inualidam ſolo quinquennij fluxu validam fieri.

Quæ profeſſio eſt inualida?

Reſpondeo, ex duplici capite poſſe emergere inualidam eſse profeſſionem, vel defectu conſenſûs, vel defectu alicuius circumſtantiæ Iure Eccleſiaſtico ad ſolemnitatem eſsentialiter requiſitæ. Dico igitur, profeſsionem defectu conſenſûs inualidam ſucceſſu temporis non reddi validam ſine nouo conſenſu: Patreſque iubentes non audiri, qui intra quinquennium non clamauerit, non voluiſse declarare, eum iam reddi validè profeſſum; ſed voluiſſe eum punire, vt non profeſſus inter profeſſos vitam agat profeſſi. Quæ pœna videtur prudentiſſima, & ad tollendas inutiles lites neceſſaria. An iſte tenebitur votis? Porrò nunquam ipſe ligabitur voto, quod non emiſit: at poſſet ſolemni ligari præcepto, quali in aliquorum opinione Sacerdotes, qui ad Caſtitatem ſolemniter tenentur, vel ratione voti ſolemnis impliciti, vel præcepti ſolemnis: tametſi illud priùs mihi verum videatur. Cæterùm, An ſine conſenſu profeſſi, poſt quinquennium teneantur vi præcepti Eccleſiaſtici omnia illa obſeruare, quæ ratione voti tenerentur, alibi examinabo.

Quinquennium non ſit nouus cõſenſus.

Inualidè profeſſus inſtus manere, non ligabitur votis. An ſaltem obſtringetur præceptis?

CMV. De defectu circumſtãtiali.

Quòd ſi defectus fuerit in circumſtantiâ aliquâ à Iure requiſitâ? Reſpondebo tibi, ſi tu mihi priùs reſponderis interroganti; Quid reſolui deberet, ſi diceretur contractus ipſe fuiſſe conditionatus? Quid ſi illæ leges eſſent latæ iſtis verbis: *Defectus ætatis, aut etiam integræ probationis, ſi reclametur ante quinquennium dirimat profeſsionem non aliàs*. Profectò in tali caſu, qui fuiſſet ante ætatem aut finem anni ſe-

An impedimenta canonica ſint cõditionata?

uitiatus profeſsus, & tamen integro quinquennio (à die notitiæ numerando) non reclamaſſet, eſset verè profeſsus. Quid, ſi diceretur, mentem Eccleſiæ fuiſse qualem depinximus iſto paragrapho? nullum ego inconueniens reperio. Nunquam enim hinc educetur, Regulam iſtam XVIII. quam exponimus eſse falſam, quia profeſſionis valor non oriretur à ſolo tempore, ſed à contrahentium voluntate hoc tempus vt conditionem requirente. Quoniam tametſi Profeſſio ſolemnis actus abſolutè legitimus eſse dicatur, multæ in huiuſcemodi actibus ſolent conditiones ſubintelligi, tametſi nullæ ob maiorem claritatem inſeri permittantur. Inſtruor à Pomponio, quem *num. 11. d.* citaui. Sed an abſolutè inualida eſset conditionata profeſsio, ſuperiùs ſpecialiter examinaui.

Nota bene.

Alienatio nec firmatur, nec valoratur tempore.

Obijcis, etiam alienationem, quæ temporis decurſu firmatur. *l. penult. & vlt. c. ſi maior facto alien. l. vnica, c. de contr. Iudic.* & reſpondeo, alienationem inualidam non accipere nouum valorem à tempore fluente, ſed à conſenſu, quem tempus illud manifeſtat; nam, vt optimè ait Iureconſultus Paulus, *vix eſt, vt non videatur alienare, qui patitur vsu capi.*

IX.

CMVI. *NVllus (reus) vti pluribus defenſionibus prohibetur (tametſi contrarijs, modò ſucceſſiuè: at actor debet vnam ſolam actionem vnius rei intentare)* Regula Iuris XX. Sed hæc ipſa inæqualitas non eſt iniquitas; iniquitas enim dicitur omnis inæqualitas, quæ in iudicio admittitur, & non intuitu æquitatis aut æqualitatis: ponere enim inæqualitatem, vt inæqualia ad æqualitatem reducantur, ponere æqualitatem eſt. Cùm igitur actoris, & rei ſecundùm ſe partes omninò inæquales ſint; nam in illius poteſtate eſt omittere aut differre actionem, aut nõ; hac vel illâ viâ ingredi; conſulere præſentes & abſentes; non tamen ſimilia in iſtius, qui prouocatus & accuſatus debet comparere, & reſpondere; non quidem quando vult, ſed quando iubetur, etiamſi imparatus ſit, nec habeat aduocatos, quos conſulat. Vt igitur hanc inæqualitatem Iura tollerent, conceſſerunt reo, vt pluribus vti defenſionibus poſſet; interdixerũt actori, vt plures actiones inſtituere poſſet; vt velſic æquè ſit difficile agere, & reſpondere.

Non omnis inæqualitas eſt iniquitas.

Actoris & Rei partes ſunt inæquales.

CMVII. Quòd pluribus vti poſſit defenſionibus etiam contrarijs, conſtat *ex l. is quis, ff. de exception. l. de exception. l. nemo prohibetur 8. ff de tit. exception.* Quamobrem Antonius de homicidio accuſatus, primò, ſi prudens ſit, negabit ſe commiſiſſe homi-

micidium. Quòd ſi convincatur, adhuc fateri poterit, & ad ſecundam defenſionem recurrere, aſſerendo, ſe hominem quidem occidiſſe, ſed inuaſorem ob vitæ ſuæ neceſſariam tutelam. *Decius ad c. paſtoralis, num. 15. extr. de except.* Dixi defenſiones iſtas contrarias, ſi ſimul ponerentur, inutiles. Nec debebit dici in iudicio mentitus, ſi priùs homicidium negauit, & poſteà confitetur: non enim negauit homicidium, quod modò fatetur, ſed aliud; negauit enim homicidium peccaminoſum & ſceleratum, quod etiam modò negat, nam ſanctum, iuſtum, & legitimum homicidium fatetur.

Quo reus modo reſpondere poſsit?

Non occidi, & occidi an ſint contradictoria?

Huic vigeſimæ eſt ſimilis alia Iuris Ciuilis Regula: *Nemo ex his qui negat ſe debere, prohibetur etiam alia defenſione vti, niſi lex impediat.* Et deſumitur *ex lege, nemo ex his, 43. ff. hoc tit.* Dantur pauci caſus, in quibus, quibus ſe debeat defenſionibus reus tueri exponitur, & ipſi in gloſſa ad hanc Regulam, & ad hanc legem *Nemo ex his*, recenſeri ſolent. Quæ omnia confirmat alia Iuris Canonici Regula nimirùm XXII. *Non licet actori, quod reo non licitum extitit*: vt doceantur Iudices, actorum petulantiam cohibere, nec plus ipſis deferre, quàm reis ſoleat aut debeat. Conſonat huic Regulæ *l. non debet actori ff. hoc titul.* Vlpianus dicens: *Non debet actori licere, quod reo non permittitur.*

Et quo Iudex procedere.

X.

CMVIII.

QVod ſemel placuit (ſi voluntate tua alteri ius adquiſitum ſit) *ampliùs diſplicere* (in alterius iniuriam) *non poteſt*. Eſt Regula XXI. cui conſonat Regula XXXIII. *Mutare conſilium, quis non poteſt in alterius detrimentum* (hoc eſt, iniuriam) quæ deſumitur *ex cap. mutare, infr. eod. l. nemo mut. ff. eodem tit.*

Diſtingue damnũ ſeu detrimentũ ab iniuria.

Solent Canoniſtæ contra hanc Regulam multas exceptiones obijcere, quæ non militant contra ipſam, prout à nobis expoſita eſt, dicunt

Primò, hanc Regulam pati exceptionẽ, ſi vtriuſque partis conſenſu à placito diſceſſum eſt: & ponunt in venditione exẽplum: Emiſti domum meam; quatuor millia dediſti, domum habes, quod ſemel placuit, ſemper placiturum ais, nec poſſe alterum altero inuito contractum reſcindere, at poſſe ex communi conſenſu. *Et reſpondeo*, contractum illum ſolemnis venditionis non poſſe annullari, & ſi annullaretur non falſificari noſtram Regulam. Nõ poſſe annullari demonſtratur; quia legitimus & validus fuit; & nemo facere poterit, ne fuerit validus. Poſſumus quidem facere, vt tu iterùm recipias illas pecunias, ego domum; ſed hoc non erit priorem contractum dirimere, ſed nouum facere. Rem exemplo expono. Madriti Eberhardus amicus meus emerat vnam domum à Ioanne iure Emphyteuſeos Titio ſubditam, & Ioannes aſſerit non debere Titio vigeſimam: ſoluit pecuniam Eberhardus, domum recipit, moneturque non debere quidem vigeſimam, ſed decimam. Sub hoc onere illam non voluit, & receptâ ſuâ pecuniâ, Ioanni reſtituit. At Titius, qui Emphyteuſim dederat, duas venditiones obijcit, & bis poſtulat decimam, ſemel à Ioanne, & iterùm ab Eberhardo. Debuitque iſte omninò oſtendere, priorem venditionem fuiſſe inualidam, ne ſecundam validam teneretur admittere, oſtendit, dolum adæquatè probando; non enim erat domus immunis à vigeſima, quæ decimã debebat ſoluere. Stat igitur poſt venditionis ſolemnitates requiſitas, non eſſe in poteſtate contrahentium priorem venditionem reſcindere, ſed nouam facere; quod omninò debent Emphyteutæ notare. *Præterea*; eſto poſſit ille contractus prior communi voluntate reſcindi, non derogaretur noſtræ Regulæ; non enim reſcinderetur in alterius iniuriam detrimentumque quod ex communi voluntate; ſcientibus enim & liberè conſentientibus nec dolus nec iniuria fit.

An commuui conſenſu poſsit annullari contractus?

Caſus proponitur & exponitur.

Scienti & permittenti non fit iniuria.

Hinc oritur doctrina vtilis, nec vniuerſis nota; & oſtenditur, cur non poſſit verum matrimonium diſsolui? Et reſpondeo, nullum contractum ſolemnem poſſe aliter, quàm ſecundo eoque contrario contractu diſsolui; & matrimonij contractum ſolemniſſimum eſſe; ergo, vt poſſet diſsolui contractus matrimonialis prior, deberet ſecundus iniri, in quo maritus traderet vxori ius in corpus vxoris, & reciperet ius in corpus ſuum; qui præter difficultates philoſophicas laboraret nullitate politicâ. Sanè illas omitto, hanc oſtendo. Poſſet dici, poſſe ſuo iure cedere coniugatos, & ſi renunciarent ſuo iuri, ex naturâ rei diſsolueretur matrimonium. Sed hìc reponeretur id quod quæritur: quod ipſum, ſtando Iuri naturæ ſolitario, non violeretur abſonum. Et poſſet etiam dici, maritum habere ius in corpus vxoris, non quidem vt illud det, ſed vt illo vtatur: neminem habere ius in corpus ſuum, nec illud recipere poſſe, tametſi poſſet dare: poteſt enim concedere ſe tangi à coniuge, qui tamen ſe tangere nequit; ſed hæc ſubtilia ſunt & oculos clariores peterent, & tempus liberius; venio ad nullitatem.

CMIX. An, & cur non diſſoluatur matrimonium?

Qualem in corpus ſuũ, & in corpus coniugis homines habeant poteſtatem?

Dico igitur, omnem contractum ſolemnem Iure publico fundari, adeoque non poſſe contrahere matrimonia homines iure interdictos & potentiâ morali contrahendi priuatos, quales ſunt ſolemniter profeſſi, & ad ordines maiores promoti. Ergo ſecundus ille contractus, vt

eſſet

Qui non poſſint contrahere?

eſset ſolemnis, & priorem reſcinderet, deberet Iure etiam publico fundari; at nō fundatur: Ergo. Probatur minor: quia, Iure diuino interdicitur, nam quos Deus coniunxit, homo non ſeparat. *c.* 1. *c.* 4. *extr. de Conuerſ. coniug. cum ſimul.*

Quos Deus coniunxit, homo non ſeparat.

CMX. An poſsit reuocari teſtamentum?

Secundò putant hanc Regulam pati exceptionem in teſtamentis; nō enim poteſt facere teſtator, vt ſuum reuocare teſtamētum non poſſit. *Et reſpondeo*, teſtamentum eſſe donationem virtualiter conditionalem, in quâ hæredi, aut etiam legatarijs non aliter ius adquiritur, quàm morte teſtatoris. Vnde (legi hoc omninò volo) Petrus, ſi à mortuis reſurgeret, teſtamentum legitimum conditum ante mortem non poſſet reuocare; quoniam poſitâ morte purificata fuit illa conditio, & teſtamentum in donationem certam & abſolutam tranſijt.

Quid ſi à mortuis teſtator reſurgeret.

An contractus aliqui exiſtant vtriuſque voluntate?

Tertiò, in contractibus innominatis, in quibus ante impletionem ius alterius voluntate reſcinditur. *Et reſpondeo*, huiuſmodi contractus, vtpote minùs neceſſarios, eſſe conditionatos? & incompletos, & vtriuſque voluntate indigere. *l. ſi pecuniam. 5. ff. de condict. cauſ. data. Cæterùm* contractus nominati, & ſolemnes non reſcinduntur alterius voluntate, *l. ſicut l. ratas. 7. c. de reſcind. vena.* excipe tamen depoſitum. *l. 1. §. cum autem. ff depoſ.* mandatum. §. *mandatum. inſtitut. de mandat. ſocietatem.* §. *manet inſt. de Societ.* in quibus, re adhuc integrâ (hoc eſt antequam alterius intereſſe cœperit) alterius-utrius diſſenſus & pœnitentia admittitur. Etiam hæres *ſuus*, recuſationem hæreditatis paternæ alienatæ non ſint. *l. ſi. c. de repud. ver. de abſtin. hæred.*

An ſponſalia ſint contractus ſolemnis?

Quartò, ſponſalia excipiendi iudicant; Nec *tamen* puto talem eſſe contractum ſolemnem; ratio enim poſtulat, vt altero leuiter recedente ſubſiſtat, dirimatur tamen ſerio diſſentiente; coactæ enim nuptiæ miſerabiles exitus ſolent habere, quod poſſet multis ijſque lachrymabilibus exemplis confirmari. Huic igitur vigeſimæprimæ conſonat.

An nuptiæ coactæ ſint ſuadendæ?

XI.

CMXI. Impedimēta dirimentia debent præcedere: aut concomitari.

Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſteà eueniat, à quo non potuit inchoari, hoc eſt; *Quod ſemel placuit, & validè conſtitutum eſt, non dirimitur ſuperueniente impedimento dirimēte, quod videlicet omnia dirimeret, ſi præceſſiſſet.* Eſt Regula LXXXIII. Sic matrimonium, quod ſemel legitimè contractum, non dirimitur, etiam poſitis omnibus & ſingulis impedimentis. Sic etiam in teſtamento, quod concomitans dirimeret phreneſis, non tamen ſubſequens. In donatione, emptione, aut venditione factis a Petro ante profeſſionem, tametſi profeſſio ſi præceſſiſſet, valorem ipſarum impediret.

XII.

CMXII. virtualiter rem ſcire diceris, quam ſcire debes?

Præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probatur (Sed quomodo ſcientia probatur? Equidem probatur quoad actum, vel ſaltem quoad debitum. Quoad actū quidem, ſi probetur rem ſciri: quoad debitum, ſi non probetur ſciri, ſed ſciri debere) Eſt Regula XLVII. & ipsâ poſſeſſione fundatur: quia, cùm ignorantes naſcamur, & aſſerente Ariſtotele, tanquam Tabulæ raſæ, in quibus nihil ſcriptum, ſtat pro poſſeſsione ignorantia, quæ excludi non debet, niſi probetur diſcendi commoditas, & obligatio. Inuincibilis enim ignorantia inculpabilis eſt, & ſolùm culpanda vincibilis, cùm quis aut ſcire poteſt illa, ad quæ ex officio tenetur, aut ſaltem cedere officio, ſi incapax ſit, vt neceſsaria addiſcat: ignorantia enim voluntaria eſt tam in illo, qui indiget ſcientia, & cùm poſſit adquirere, negligit; quam in illo, qui caret ſcientiâ, quam adquirere nequit, & nihilominùs acceptat qualitatem, officium-ue, quod ſcientiam illam prærequirit.

Homo naſcitur vt tabula raſa, in qua nihil ſcriptū eſt. Ignorantia vincibilis, & inuincibilis.

Nota bene.

XIII.

CMXIII. De rebus ſacratis & ſacris.

Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos transferendum. Eſt Regula LI. Porrò Deo ſacra ab hominum commertio exempta non ſunt vilius hominis, ſed ſolius Dei, *c.* 2. *de immunit. Eccleſ l. 6. §. nullius eum, & ſeque. inſtitut. de rerum diuiſione.* hæc profanis vſibus non ſunt aptanda. Nota tamen eſſe res ſacras, ſacratas, eccleſiaſticas, eccleſiaſticorum, ſæculares, ſæcularium, & inter ipſas ſummam omninò reperiri differentiam, quam ſæpè expoſui.

XIV.

CMXIV. Beatus, qui poſsidet.

Qui prior eſt tempore, potior eſt iure (videlicet, cæteris paribus) quoniam *Beatus qui poſſidet*, & nemo poteſt alteri, iam in iuris adquiſiti poſſeſſione exiſtenti præiudicare. Eſt Regula LIV. conſultò illud *cæteris paribus* addendum cenſui; quoniam, vbi eſt iurium diuerſitas, prior ſolet poſteriori poſtponi: nam in concurſu plurium creditorum præcedit, qui habet pignus, ſequitur qui inſtrumentum publicum, poſteà qui chirographum, tandem qui teſtes. Sed inter ſe, qui ſunt eiuſdem claſſis, vti poſſunt hac Regulâ. *l. eos. 9. c. qui potior in pign. l. creditor. §. ſi primus. l. priuilegia. 16 ff. de priuileg. credit. l. fin. cap. de bonis auctor. iud. poſſit.*

In creditorum concurſu quis præcedat?

l. ſcri-

l. scripturas c. qui potior in pignor.

XV.

CMXX. An in omni dubio standum pro præcepto sit?

IN re communi potior est conditio prohibentis. Est Regula LVI. quam legerunt aliqui Theologi, & inuexerunt nouas sententias in scholam, scrupulis exoticis plenas, voluerunt que illâ probare, in omni præcepto dubio standum esse pro prohibente; adeoque putarunt, delendum illud *prohibentis*, & reponendum *præcipientis*, vel saltem prohibitionis vocabulo omne præceptum intelligendum; nam qui actionem præcipit, omissionem prohibet, & è conuerso. At ipsi longè à veritate & mente Bonifacij vagantur; non enim, stando puro naturæ Iuri, & à legibus humanis præscindendo, teneor obedire Superiori dubio; nam stare licitè potero pro meæ libertatis possessione contra authoritatem dubiam. Et posito Superiore legitimo, impossibilis est materia dubia, frequens probabilis, & in istâ stabo pro arbitrio: nec erit potior conditio prohibentis aut præcipientis, sed possidentis, nisi fortè promiserim obedientiam Superiori etiam dubio vel probabili; aut etiam Superiori certo in materiâ probabili, quod facere videntur PP. Iesuitæ, saltem quoad vltimum: & quoad vtrumque Prior & omnes Ministri cõmunitatis in Ordine Benedictino.

Nota singula attentè.

An obediẽdum sit Superiori in materia probabiliter mala?

Nec ex hac Regulâ inferas generaliter, te non debere obedire Superiori legitimo in materiâ merè probabili: quia esto id sit verum ex naturâ rei, quod multi negant: tamen stando legibus præscriptis non licet. Acceptauimus Iura Canonica, ergo concessimus Ius Superioribus, vt iubeant in materiâ probabili. Vide Regulam XXIV. *Quod quis mandato Iudicis facit dolo facere non videtur, cùm habeat parere necesse.* Et quidem nunquam erit quæstio, An dolo fecerit, nisi vbi materia sit probabilis: ergo in istâ habet necessitatem obediendi. Accedit, quòd consuetudo habeat vim legis, & stet pro Superioribus possessio obligandi in materiâ probabili. Sed de hoc sæpè redibit sermo.

Exponitur Regula.

Porrò, hæc Regula LVI. intelligenda est de bonis possessis à duobus, in quibus nihil potest fieri, quod in alterius aut vtriusque detrimentum veniat, illo qui damnum patitur prohibente. *l. non debet alteri. l. factum cuique ff hoc titul. l. cuius 22. ff de seruit. verb prę. d. l. inst. 10 ff. de instit. & iure § iuris præcept. eod tit. in instit. in proœmio Decretal. Gregor. IX. l. parietem. 7. ff. de seruitut. vrb. prę. d. l. inuito. l. quidem 12. §. fin. ff de seruitut. vrb. prę.* At in fauorem Fisci poteris rem communem vendere. *l. 2. c. de comm rerum alien. l. 1. c. de vend. rer fisc.*

Priuilegia iur. Fisci.

CMXVI. Vter sit prohibens?

Quid si velim rem communem diuidi, & tu prohibeas? Respondent Iura, te res ex naturâ suâ politicâ diuidendas, velle in vnitate, expositâ litibus & difficultatibus, violenter conseruare; & me hanc violentiam prohibere, adeoque, cùm melior sit conditio prohibentis, standum esse pro diuisione. *l. fin. cap. commun. diuid. l. cum pater. 77. §. dulcissimis in fin. ff. de legat. 2. l. sancimus. 34. §. ne autem. c. de donatio* [Nota hunc casum; quoniam terminis, grammaticè sumptis, ille videretur prohibere, qui manutenet, & ille manutenere qui prohibet; sed non est nouum, Grammaticos abuti vocabulis. Nam *Immateriale & Infinitum* nomina negatiua sunt, & *Materiale & Finitum* positiua, cùm tamen Spiritualitas & Infinitas sint formalitates positiuæ, & Materialitas & Finitudo negatiuæ, & possemus exempla millenalia proferre; sed hæc obiter adnotasse sit satis] Quid si, stante bonorum communione, ego aliquid fecero, quod posset in tuum præiudicium videri, & tamen vidisti & tacuisti? An qui tacuisse, etiam consensisse fuit visus? An, scienti & volenti fit iniuria?

Grammatici abutuntur vocabulis.

Immateriale, & infinitum sunt positiua.

An qui scit & permittit consentire dicatur?

Respondet PecKius *hic num. 1. in fin.* socium, qui scit, & patitur, nec contradicit, & mandare & permittere *per l. qui patitur. ff. mandati.* & quidem *ex Sabino l. Sabinus 18 ff. cõmun. diuid.* sic olim respondit Papinianus. *Sabinus ait, in re communi neminem Dominorum iure facere quidquam inuito alieno* (altero) *posse, vnde manifestum est prohibendi ius esse: in re enim pari potiorem esse causam prohibentis constat. Sed etsi in communi prohiberi socius à socio, ne quid faciat, potest; vt tamen factum opus tollat, cogi non potest, si cùm prohibere poterat, hoc prætermisit. Et ideò per communem diuidundo actionem damnum resarciri poterit. Sin autem facienti consensit, nec pro damno habet actionem, quod si quid absente socio ad læsionem eius fecit, tunc etiam tollere cogitur.*

Quæstionem hanc proponit Henricus Canisius *in huius Regulæ expositi*, & ait: *Existimat PecKius, &c. aliter Papinianus, &c.* nec tamen eam decidit. At ego existimo eum, qui tacet, in materiâ odiosâ non videri consentire, nisi teneatur loqui. Cùm igitur ostendi non possit, socium habere contradicendi & loquendi obligationem, videtur clarum, An Papiniano subscribendum sit, & non PecKio.

Quæstio resoluitur.

XVI.

CMXVII. Quis sit morosus in Iure?

NOn est in Mora, qui potest exceptione legitima se tueri. Est Regula LX. & etiam manutenendâ possessione fundatur; quoniam mora & possessio distinguuntur, quòd mora sit possessio rei, quâ carere debeas, siue rem tenearis dare vel facere. Doceor ergo à Regula, quòd vbicunque habeo rationem fortem & probabilem,

Quid sit mora?

quâ

quâ poſſum obligationem elidere, & contra aduerſarium excipere, non eſt dicenda mora, meæ libertatis poſſeſſio: nam ſi dicar debere dare pecunias, potero exſpectare, quouſque ſatisfiat exceptionibus & rationibus, quibus mihi perſuaſum habeo illas non debere, vel ſaltem non debere nunc dare; ſi dicar debere aliquid aliud agere, poſſum manutenere meæ libertatis poſſeſſionem & hærere, quouſque meæ rationes & exceptiones examinentur, & authoritate publicâ lis decidatur. *c. mora ſua ſupr. eod. & etiam tit inſtit. & ff de except. l. 1. §. 1 cum ſeqq. ſi quis cautionibus c. penult. circ. fin. extr de pignor.*

XVII.

CMXVIII. An meretrici, aut aſſeſſino pretio conducto, ſit ſoluendum?

IN pari delicto vel cauſa melior eſt conditio poſſidentis. Hanc Regulam LXV. ſic aliqui exponunt: Vbi pretio aliquod peccatum commiſſum eſt pari conſilio, ſi agatur de pecuniâ, melior eſt conditio poſſidentis: quamobrem, ſi Petrus cum Paulâ in materiâ fornicationis aut homicidij conuenerit, & flagitium commiſſum ſit centum aureorum pretio, exiſtimant, Petrum non debere dare illos Paulæ, ſi nondum dederit; & ſi dederit, Paulam non teneri illos reſtituere; quia commune peccatum illud fuit, & pecunias illas poteſt retinere, qui poſſidet.

Ego quidem teneo, poſſe Rempublicam concedere, ne teneatur quis ſoluere iniquitatum pretia, & legem ferre, qualem expoſitores putant *l. 3. l. 4. c. de condict. ob turp. cauſ & l. 2. c. de tit.* Teneo eſſe probabile, quod tulerit. At exiſtimo probabiliùs nunc de facto, nullam legem tam ſeueram eſſe latam, adeòque Petrum debere Paulæ ſoluere illos centum aureos ſui corporis aut ſuæ militæ pretium: & Regulam aliter expono.

Dico igitur: *Inter duos, ſi rem indiuiſibilem, quam reſtituere non debeant, æquali malitia, aut peccato, aut etiam æquali virtute adquiſierint, meliorem eſſe conditionem poſſidentis.*

Alij hanc eamdem Regulam generaliori verbis pronunciant, dicuntque: *Beatus qui poſſidet.* Quæ quidem Regula abſolutè eſt vera in materia Iuſtitiæ, & in reliquis tutior & probabilior.

XVIII.

CMXIX. De alternatiuis.

IN alternatiuis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri (niſi aliter conuentum ſit) Eſt Regula LXX. & patet; quia vbi ſcitur alio eſſe modo cõuentũ, cõcordiæ debemus ſtare. Eſſe potiorẽ partem debitoris oſtendo; quia in ambiguis melior eſt conditio poſſidentis, qui non poteſt ſuâ poſſeſſione aliter quàm conuictus priuari; nam, ſi tenear annuatim dare bouem, arietem-ue, neutro potero ſpoliari iure dubio, quia vtrumque poſſideo; ergo penes me erit deliberatio.

An potero mutare cõſilium?

An-ne hoc anno bouem dare potero, & ſi maluero anno ſequenti, mutato conſilio, dare arietem? Reſpondeo, me poſſe dare vtrum maluero, & ſingulis annis ſine cauſa, ſolo arbitrio & voluntate, ſi voluero, mutare. *l. eum, qui 138. §. 1 ff. de verb. oblig. iuncta lege qui ex plurib. 106. ff. eod.* & repetere alterum, quem maluero, ſi vtrumque caſu aut errore dedero *l penul. de condict. indeb.* Quod ſi volui arietem dare, & tu moras traxiſti, & interim ille aries naturaliter obijt, à debito illo liberor; mora enim tua non debet mihi eſſe onero ſa. *l. ſtipulatus ſum damnum 105. ff de verb. oblig.*

Nota & hoc.

Mora alienâ nemini debet eſſe nociua,

Egimus de poſſeſſore bonæ fidei, ſed quia dantur etiam malæ fidei poſſeſſores, de ipſis etiam aliqua ſubijcienda ſunt.

XIX.

CMXX. Poſſeſſio malæ fidei.

POſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit. Sed hanc Regulam II. iam ſuperius expoſui, vt bonam fidem & poſſeſſionem, quæ in illa fundatur, explicarem.

XX.

Quæ contra leges.

QVi (ſciens & volens) *contra Iura* (dirimentia) *mercatur* (& vniuerſaliùs, aliquam rem incipit poſſidere) *bonam fidem præſumitur* (imò conuincitur) *non habere*. Eſt Regula LXXXII. cuius ratio à ſingulorum obligatione deſumitur; ſingulorum enim eſt ſuas actiones ad leges publicas, ſub quibus viuit, elimare; quod ſi nolit, creditur contra dictamen operari, adeoque malam fidem ſeu conſcientiam habere *l. leges ſanctiſſimę 9. c. de legibus. cap. 1. cap. 5. extr. de conſtitut. l. dolus 44. ff mandati.*

Qualis in dubio præſumenda ſit?

Si dubium ſit, an ſciens & volens contra iura proceſſionem adieris, quid præſumam? An-ne ſtabo Regulæ XLVII. *Præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probatur*? cur non? modò non ſolùm intelligatur de actu, ſed etiam de debito. Quia, cùm omnes teneantur ſcire neceſſaria, quæcumque in rebus agendis neceſſariæ ſcientiæ carentia voluntaria præſumitur, maximè cùm nemo ignorare poſſit dari leges, quibus actus regantur, & poſſit viros doctos conſulere. *per textum in d. l. dolus. 44. ff. mandati.*

XXI.

CMXXI. De repetitione & repunitione.

BOna fides non patitur, vt ſemel actum (paſſum datum-ue) *iterum* (niſi forte nouus

nouus accedat exigendi titulus) *exigatur*. Eſt Regula LXXXIII. exiguntur ab hominibus actiones in ſeruitutibus, paſſiones in pœnis, res in debitis; nec tamen bona fides patitur, vt ſi Petrus ex contractu ſeruili & oneroſo tenetur centum laureorum pretio pingere vnam tabulam, feceritque, vt ſecundò exigatur vt ſecundam tabulam pingat vi prioris contractûs, & ſine nouâ compenſatione: ſicut nec ipſe pro vnicâ illâ picturâ poterit bona fide exigere duas ſolutiones: ſic etiam in delictis ſi lege conſtitutum, vt primum furtum centum flagellis luatur, ob vnum & idem furtum non poterit Antonius bis centenis flagellis excipi.

XXII.

CMXXII. An reſtituendæ petri poſſint?

Dolo facit, qui petit quod reſtituere oportet eumdem (quod ſi accipiat, erit malæ fidei poſſeſſor) Eſt Regula LIX. quam minùs clarè & minùs bene *l. in condemnatione* Iuriſconſultus Paulus, repoſuit dicens: *Dolo facit, qui petit quod redditurus eſt.* Non enim repugnat, vt poſtulem quod meum eſt, cum intentione donandi. Hæc Regula præcipuè habet locum in vſuris, nam cùm vſurarius teneatur ad reſtitutionem, dolosè agit, cùm illas recipit.

XXIII.

CMXXIII. De reſtitutione;

Peccatum non remittitur, niſi reſtituatur ablatum. Eſt Regula IV. & ex verbis D. Auguſtini deſumitur, quæ videri poſſunt *in c. cum tuis extr. de vſuris*: & vniuerſaliſſima eſt, & ſic intelligenda, quòd quando aliquis alteri damnum peccaminosè intulit, teneatur ad reſtitutionem, qualem in ſuis locis præſcribimus; pronuncio enim, peccatum non condonari diuinitùs rem malâ fide poſſidenti, hoc eſt, reſtituere debenti, & potenti; quoniam impotentia liberat ab obligatione, & poteſt veniam impetrare à Deo, qui ſatisfacere non poteſt, modò doleat ſe damnum intuliſſe, & ſe ſatisfacere poſſe deſideret, proponatque ſe ſatisfacturum, cùm poſſit.

Qui non poteſt reſtituere, non tenetur.

FVNDAMENTVM XXXVIII.

Clauis III. De expoſitiua Iuſtitia.

CMXXIV.

Modus exponendi omnes leges.

Iura, Leges, & Priuilegia debent, ſi fieri poſſit, ad pronunciantis mentem (A) explicari: non enim (B) in generalibus verbis dicendus eſt aliquis illa voluiſſe, quæ non fuiſſe voliturus certò cognoſcitur. Si de mente non conſtet, hæ Regulæ ſeruandæ ſunt.

Pars in toto.

Pars continetur in toto (C) actuali, & (D) poteſtatiuo. Acceſſorium (E) ſequitur principale. Quale (F) eſt quod plerùmque fieri conſueuit, talis præſumitur actus, de quo dubitatur: Pluralis (FF) in lingua Latina loquutio duobus contenta eſt, tres in Græca requirit.

Acceſſorium in principali.

Numerus pluralis.

Fauores ampliandi.

Fauores ſunt ad latiſſimam verborum (G) ſignificationem, congruam tamen, ampliandi; ſed ſine (H) præiudicio tertij, tametſi cum (I) tertii incommoditate. Adeoque in dubio cenſendi reales (K) perpetui, non (L) reuocati. In fauorabilibus, qui tacet (M) conſentire videtur. Priuilegio (N) nemo tenetur vti: nec fauebit (O) rationis

Iniuria diſtinguitur ab incommoditate.

Rationis paritas.

paritas illi, cui illud non ſit conceſſum.

Odia reſtrin genda.

Odia ſunt reſtringenda (P) ad minimam, congruam tamen verborum ſignificationem: ideo (O) & pœnæ. In Odioſis, qui tacet (R) non videtur conſentire, ni loqui debeat, poſſitque. Qui loquitur conditionatè, non (S) confitetur abſolutè.

An qui tacet, conſentire dicendus ſit?

Nota id bene.

Nulla Iuris (T) admittenda eſt interpretatio, quæ ſuum authorem Iniuſtitiæ aut Stultitiæ arguere debeat. Semper (DD) contra eum, qui potuit clariùs loqui, eſt interpretatio facienda.

CMXXV.

Plurimas, illaſque varias Regulas ad pauciſſimas lineas reduximus; nunc illas vberioris doctrinæ gratia proferamus.

Legislatoris mens.

A. Certum eſt, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem (*hoc eſt contra legislatoris mentem, & verborum legitimam intelligentiam*) *Eſt Regula* LXXXVIII. *& à me ad omnia alia Iura priuilegia extenditur.*

Quid ſit leges ſcire?

Scire leges non eſt verba earum tenere, ſed vim & poteſtatem. *Acurſius, Bartolus.* Bona eſt lex, ſi quis ea legitimè vtatur. D. *Paulus Apoſtolus primæ ad Timotheum primo.* An ne lex, ſi quis ea illegitimè vtatur, hoc eſt, ſi ea abutatur, mala eſt? Lege abutitur, qui ſub verborum obſeruantiâ contra legis ſenſum procedit.

Lex bona quæ;

Conceſſio generalis, quæ importet.

B. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veteſimiliter conceſſurus. *Illud veresimiliter certitudinem moralem importat. Et eſt Regula* LXXXI.

De toto & parte.

C. In toto partem non eſt dubium contineri. *Eſt Regula* LXXX. *& intelligi poteſt de vtroque Toto; actuali & poteſtatiuo.*

Argumentum à maiori ad minus.

Cui licet, quod eſt plus (*ſi cætera ſint paria*) licet vtique quod eſt minus (*modò alterius pars aut attributum ſit*) *Eſt Regula* LIII.

Qui poteſt maius, poteſt & minus. *Eſt axioma luridicum, & verum, ſi intelligatur eodem ſenſu.*

Qui poteſt totum poteſt & partem, ſi illud totum indiuiſibile non ſit.

De genere & ſpecie.

Generi per ſpeciem (*hoc eſt, toti per partem, vniuerſali per particulare*) derogatur (*niſi in genere aliquis adquiſierit ius.*) *Eſt Regula* XXXIV. *Ait Pomponius.* In toto Iure, generi per ſpeciem (*hoc eſt, toti per partem, vniuerſali per particulare*) derogatur (*nec interest, An ſpecies, an genus ſubſequatur, modò ius nulli fuerit adquiſitum*)

D. Sùb genere comprehenduntur ſpecies, & ſub ſpecie indiuidua.

De lege obſcura.

DD. Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda. *Eſt Regula* LVII.

De conſequentibus.

E. Acceſſorium (*niſi violenter impediatur*) naturam ſequi congruit principalis. *Eſt Regula* XLII.

Cùm aliquid licet, etiam licent omnia, quæ ſequuntur ex illo.

Datur prohibitio inhibens, & prohibitio annullans.

Cùm quid prohibetur (*nimirùm prohibitione dirimente, & annullante*) prohibentur, annullanturque omnia, quæ (*neceſſariò*) ſequuntur ex illo. *Eſt Regula* XXXIX.

An aliqua Regula Iuris ſit falſa.

Cùm aliquid vnâ via prohibetur alicui, ad id aliâ viâ non debet admitti. *Eſt Regula LXXXIV. nec vera, niſi æquipolleat huic*, Cùm aliquid abſolutè, & vniuerſaliter prohibetur lege bene intellectâ, tametſi verba videantur vnam viam ſonare, omnes viæ clauſæ ſunt; nec permittendus vnâ viâ excluſus, aliâ ad id ipſum aſpirare.

Aliquando prohibetur res ipſa, aliquando via: Indocto enim probibetur Epiſcopatus; docto via ſimoniaca ad Epiſcopatum.

An probabiliora neceſſariò admittenda?

F. Impicimus in obſcuris, quod eſt vere ſimilius (*adeòque ſtamus conſuetudini, facimusque aut credimus*) quod plerumque fieri conſueuit. *Eſt Regula* VI.

Pluralianumerus quâtus?

FF. Pluralis loquutio (*vbi non conſtat clarè, de quo numero intelligenda ſit*) duorum numero eſt contenta (*nimirùm in lingua latina*) *Eſt Regula XL. In lingua Hebræa, & Græca datur dualis numerus à ſingulari, & plurali diſtinctus.* Pluralis etiam loquutio vno ſingulari eſt contenta, vbi tertio præiudicatur *axioma XIX.*

Odia, & fauores quomodo intelligendi?

G. Odia reſtringi, fauores conuenit ampliari. *Eſt Regula Iuris XV. Ampliandi ſunt, inquam, fauores pro illo, cui conceduntur: eſt enim Regula LVII.* Contra eum, qui potuit legè dicere apertiùs (*adde, & priuilegium concedere limitatiùs*) eſt interpretatio facienda.

An Ius cõmune limitandum?

H. Priuilegium non debet ſemper limitari à Iure communi, ſed Ius commune interdùm potiùs à priuilegio, modò non præiudicet alteri. Vide *num.* 944.

An Priuilegia ſint perpetua? An realia, aut perſonalia?

I. In priuilegio, quod non eſt contra tertij Ius, tametſi ſit contra tertij commoditatem, latiſſima admittitur interpretatio. *Layman. l. 1 tract. 4. cap 23. num. 5.*

Decet conceſſum à Principe beneficium (priuilegium) eſſe manſurum. *Eſt Regula XVI. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 22. n. 6.*

K. Si dubitetur, an priuilegium ſit reale,

An reuocata? Concessiones perpetuæquomodo intelligēdæ? De consensu tacito?

le, aut personale, reale potest censeri.

L. Si dubitetur, an reuocatum priuilegium sit, censebitur non reuocatum.

Hæc Propositio: *Hanc immunitatem in perpetuum concedimus*, æquiualet huic: *Hanc concessio volumus æternùm valere, nisi fortè aliquando per accidens cõtingat, illius valorem esse in destructionem, & pernitiem Reipublicæ.*

Idem per idem.

M. Is, qui tacet, non fatetur, sed neq; negare videtur. *Est Regula XLVI. & quid illa regulari possit, non video; rem enim dubiam, dubiam etiam relinquit.*

Qui tacet (*si materia fauorabilis sit*) consentire videtur. *Est Regula XLIII.*

Fauor non fit inuito, nec iniuria permittenti.

N. Quod in gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum. *Est regula LXI.*

Fauor inuito non fit. Si inuito fiat, fauor non est. Scienti, & renenti non fit fauor, nec scienti, & consentienti iniuria. *Ago de consentiente, qui & consentire possit; sunt enim multa, in quibus consensum præbere non possumus.*

Paritas rationis in moralibus non valet.

O. Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum. *Est Regula LXXIV.*

Quod conceditur vni, conceditur omnibus illis, sine quibus ille frui priuilegio honestè, & congrue nequit. *Nota hoc bene.*

P. Odia sunt restringenda. *Est ex Regula XV.*

Q. In pœnis benignior interpretatio est facienda. *Est Regula IL.*

In obscuris (*si agatur de peccato contra Deum, aut iniuria contra proximum*) minimum est sequendum. *Est Regula XXX.*

De' responsione virtuali.

R. Qui tacet (*vbi tenetur loqui, & potest*) consentire videtur. *Est Regula Iuris XLIII.* Scienti, & volenti (*realiter, aut virtualiter*) *hoc est, liberè consentienti*, non fit iniuria, *Est Regula XXVII.* Si plures res tangat, plurium requiretur consensus. *Vnde est Regula XXIX.* Quod omnes concernit, debet ab omnibus approbari, & *quidem per modum vnius corporis concedit approbationem suam Communitas.*

De rebus, quæ plures concernũt.

Si quæras rationem, ob quam priuilegia debeant latissimè explicari? dicet tibi Layman fol. 921. esse causam latè explicandi, non dari causam restringendi. *Sed quid si aliquis diceret esse causam strictè explicandi, non dari causam ampliandi? Impingeret in Regulam XV. quam iam dedi.*

De Præceptis.

Obligationes, & præcepta strictissimè interpretanda sunt. *Layman compendio de Votis. c. 3. n. 4. Reginaldus de Prud. pag. 694. Naldus verb. Sacerdos num. 5.* Ita tamen, vt cum effectu intelligantur. *Layman. lib. 1. tract 4. cap. 18. num. 3. Nota bene hanc vltimam limitationem.*

CMXXVI. Huius doctrinæ, & præcedentis continuatio.

MAgnæ esse solent in exponendis legibus, & Iuribus difficultates, & ne in obscuro Labyrintho cœca premeremus vestigia, conditæ fuerunt Regulæ, quibus dirigeremur. Et quidem meritò possessionem sequitur expositio; Supponimus enim Iura haberi, cùm modum, quo intelligi debeant, indagamus.

I.

An semper standum sit literæ?

LEges, Iura, & Priuilegia debere exponi ad mentem pronunciantis. Regula LXXXVIII. *Certum est, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem* (hoc est, contra Legislatoris mentem, & verborum legitimam intelligentiam) Quamobrem, si de mente Legislatoris constet, non est verborum rigori Scholastico standum; Scire enim leges non est verba earum tenere, sed earum cognoscere potestatem, asserente post Acursium, & quidem doctissimè, Bartolo *ad l. contra 29. ff. eod.* quòd si aliunde Legislatoris mens non constet, adhærendum est verbis, *per legem adigere 6. §. quamuis ff de iurepatron. & l. non aliter ff de legat. 3.* Et quid quæso, *si verba legis sint æquiuoca, & Legislator illa pronũciet vno sensu, & Communitas illa acceptat alio?*

Quid sit scire leges.

Quæstio de legc æquiuoca.

An leges debeant acceptari?

Supponit quæstio, esse penes Communitatem Ius acceptandi leges, & non acceptatas esse inualidas. Hypothesim examinauimus superiùs, nunc illam supponimus, & ex illâ responsionem paramus. Dicimus igitur, *legem in tali casu non valere.* Et ratio est: quia lex non consistit in verbis, sed in sensu, atqui illa sensu à Legislatore intento est inualida; sensu à Communitate intento inualida: ergo est absolutè inualida. Esse inualidam sensu intento à Legislatore patet: quia illo sensu non est acceptata: esse inualidam sensu intento à Cõmunitate patet: quia illo sensu non est lata. Ergo cùm ad valorem quòd sit simul lata, & acceptata postulet, eiusmodi lex erit inualida.

Legis anima sensus.

De contractu æquiuoco.

Turca quid significat.

De contractu eodem modo philosophãdum est. *Turca* enim in Belgio vocatur Gallus indicus, in alijs locis homo Saracenus: ergo si mihi vendas *Turcam* (auem) & ego emam *Turcam* (hominem) nullus erit consensus, ac propterea nullus erit contractus.

II.

CMXXVII. Quomodo debeant leges, & testamenta intelligi.

QVando lex est æquiuoca, si constet, quo sensu sit lata & acceptata, illo est seruanda, & alius est sensus negligendus.

Hinc ad testamenta possumus procede-

re, in quibus interdū maximæ ſunt æquiuocationes, & omnes colluntur, ſi inſtrumenti verba in dialecto, & lexico teſtatoris intelligamus. Vnum aut alterum caſum propono.

Vox Clericus quid ſignificet?

Xetafæ (oppidum eſt prope Madritum) legauit Clericis centum aureos Franciſcus, diues ruſticus, & ſtatus Eccleſiaſtici amās. Erant ibi Sacerdotes duo, vnus Diaconus, tres Subdiaconi, & aliqui ad ordines minores promoti. Cùmque, ſtando vocabuli rigori, vniuerſi ſint Clerici, primo intuitu illa ſumma videretur in octo, vel plures diuidenda; at Sacerdotes inſtant totam ſibi ſolis deberi. Agunt coram Nuntio Apoſtolico, aſſeruntque dialecto ruſticâ, imò & aulicâ apud Hiſpanos ſolos Sacerdotes vocari *Clericos*. Hæret ille, curat ad ſe vocari primos ruſticos obuios, & interrogat de quodam illis noto Diacono, an eſſet Clericus? Negant illi, aſſeruntque non eſſe Clericum, ſed Euangeliſterum, hoc eſt, Diaconum adeoque teſtamentum ruſtici dialecto ruſticâ fuiſſe conditum prudenter ſupponens, centum illos aureos (pono determinatum numerum pro indeterminato) ſolis Sacerdotibus adiudicauit.

Euangeliſterus apud Hiſpanos, quis?

Et quidem, vt huius vocis Hiſpanicam ſignificationem meliùs percalleas; & vt ſcias, quo debeas modo intelligere linguas peregrinas, volo vnam, aut alteram periodum exſcribere ex Benedicto Hæſteno, qui vitam S. Benedicti Commentario illuſtrauit, & ad caput XVI. *nu.* 2. ſic inquit [Mirum eſt Antonium de Yepz appellare hunc Clericum *Presbyterum*, cui, ait, à S. Benedicto vetitum, ne Miſſæ celebraret ſacrificium, quod & contra prohibitionem fecerit: cùm tamen tam ex Gregorij hâc narratione, quàm Græcâ interpretatione, planè conſtet, hunc tantùm Clericum fuiſſe, prohibitumque illi, ne ad ſacros ordines accederet. Quod manifeſtè etiam innuit Petrus colloquutor] & quidem mirari deſineret Hæſtenus Belga, ſi ſciret apud Hiſpanos omnes, & ſolos Sacerdotes *Clericos* nominari. Et hinc æquiuocationi occaſio, verbo Latino, aut Græco in Hiſpanicâ ſignificatione deſumpto.

Antonij de Yepez æquiuocatio.

CMXXVIII. Teſtamentum Doctoris Paz.

OBijt Bruxellæ Doctor Paz, Principum Bulgij Protomedicus, & ſuam Bibliothecam legauit Religioſiis hâc lege, quòd Carmelitani excalceati primùm ducenta librorum corpora eligerent, poſt eos totidem Ieſuitæ, tot Dominicani, tot alij. Et dubitatum quid *Corpus librorum* ſignificet? nimirùm An Oceanus Iuris ſit vnum librorum corpus? An etiam opera omnia Suarezij, omnia Abulenſi, &c. An libri ſinguli? & quidem erant multi, qui illud priùs aſſerebant, nec ratione videbantur deſtitui; at hæc dubitatio hâc fuit Regulâ Iuris eliſa. Nam ſupponendum eſt, Doctorem illum voluiſſe aliquos libros Ieſuitis, Dominicanis, & etiam alijs Religioſis legare, vt conſtat ex eius teſtamento: At ſi omnia Opera vnius Authoris nomine *Corporis librorum* intelligerentur, vix pauci manerent libri pro Ieſuitis, nulli pro Dominicanis, Auguſtinianis, alijsque. Ergo certum eſt, nomine *Corporis* intellexiſſe vnum librum compactum, ſiue multos complectatur Authores, ſiue partem vnius. Steterunt huic expoſitioni, & reperti ſunt ſufficientes in Bibliothecâ libri, vt ſatisfieret vniuerſis.

Quid ſignificet Vn cuerpo de libros.

In teſtamẽtis verba accipienda ſunt in ſignificatione, qua illa accepit Teſtator.

III.

HInc patet, ſimul pientiſſimè, & doctiſſimè Theodoſium, & Valentinianum Imperatores pronuntiaſſe: *Nec pœnas legibus inſertas euitabit, qui ſe contra Iuris ſententiam ſæua prærogatiua verborum excuſat.* Ita *in l. non dubium 7. c. de legib.* Conſonant Diuo Paulo Apoſtolo, & Ciceroni hanc doctrinam accuratè expẽdentibus. Paulus diuinitùs illuminatus primo capite primæ epiſtolæ ad Timotheũ ſic ait: *Bona eſt lex, ſi quis ea legitimè vtatur.* Et quidem legitimè vtitur, qui bene intelligit; ergo ad mentem Apoſtoli lex, ſi malè eponatur, non eſt bona. Et veterum Rhetoricorum lib. 2. Cicero. *Nulla eſt lex*, ait, *quæ aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri velit. Omnia ſupplicia, quæ à legibus proficiſcuntur, culpæ aut malitiæ vindicandæ cauſa conſtituta ſunt. Nullæ res, neque legibus, neque Scriptura vlla denique, neque in ſermone quotidiano, atque imperijs domeſticis poſſunt adminiſtrari, ſi vnuſquiſque velit verba expectare, & non voluntatem eius, quæ ea verba habuerit, accedere.* Accedere debet ad verba Imperantis mens, & voluntas, imò accendere, quoniam *Lex* videtur dicta, quaſi *Lux*, & lux non eſt, ſi conſtet in obſcuritate verborum, & non potius verâ intelligentiâ accendatur. Vnde in Pſalmo 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Hoc ſenſu videtur dici: *Litera occidere, Spiritus viuificare.* Neminem enim nuda legis litera à legis ſententiâ etiam capitali liberabit, niſi accedat legis ſpiritus, hoc eſt, verus ſenſus, & intelligentia.

CMXXIX. An quis literæ rigore contra Legislatoris mentem iuuari poſſit?

Legum neceſſitas?

Lex quaſi Lux.

Litera legis occidit ſpiritus legis viuificat.

IX.

SIcut legum verba, ſic & contractuum exponi debent. Ipſi enim ſunt priuatæ quædam leges, quas ſibi contrahentes imponunt. Et in ipſis verba interpretanda ſunt iuxta cõtrahentiũ mentẽ, intra terminos iuſtitiæ, prudentiæ, & poteſtatis. Vnde Regula LXXXV. *Contractus ex conuentio-*

De expoſitione contractuum.

Contractus ſunt leges priuatæ.

ne

ne legem accipere (in legem transire) *dignoſcuntur*. Exempla obuia ſunt, & frequentia. Operarius vltra horas duodecim laborare non tenetur, quòd ſi pactus fuerit de labore ſexdecim horarum, cõtractus erit illi lex. Depoſitarius non tenetur rem reſtituere, ſi citrà grauem ſuam negligentiam perdatur, quòd ſi tecum conueniam, vt ſi res pereat etiam ſine tuâ culpâ, mihi debeas valorem conſignare, fortè imprudenter onus iſtud admittes; at ſi admittas, teneberis ſtare legi priuatæ, ſeu contractui. *l.1.§.conueniat. l.contractus. ff hoc tit. c.2.*

Operarius quot horis laborare debeat?

Depoſitarius an teneatur deleri culpa?

V.

De ijs, quæ in maioribus Clauſulis ſubintellecta.

CMXXX. De generali cõceſſione.

IN generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet vereſimiliter in ſpecie conceſſurus. Eſt Regula LXXXI. Sed quid ſignificat illud vereſimiliter? Reſpondeo, te poſſe dubitare, probabiliter opinari, aut etiam certò ſcire, Titium non cogitaſſe talem in ſpecie rem verbis illis generalibus ſignificari, & aliàs contractiùs pronuntiaturum fuiſſe. Si dubitas, ſta literæ; ſi certò ſcias ſta menti; Si probabiliter opineris, alterutri ſubſcribe parti, & hoc ſtando iuri naturæ. At ſtando iſti Regulæ, & foro externo in vereſimilibus, hoc eſt, probabilibus ſta pro poſſeſſione, pro conceſſore, dicaſque in generali conceſſione non comprehendi, quæ probabiliter fuiſſent negata, ſi ſpecialiter poſtularentur. Sed quomodo in generalioribus clauſulis res particulariores comprehenduntur? dabunt ſequentes Iuris Regulæ.

Nota ſingula.

VI.

CMXXXI. De toto, & parte.

IN toto partum non eſt dubium contineri. Sed quia datur totum actuale, & potentiale, Regulam hanc LXXX. intellige de vtroque. Hæc eſt certiſſima, & clariſſima; quoniam qui dat arietem, etiam pellem & oſſa dediſſe iudicandus eſt. Excipe, ſi antequam ius alicui adquiratur in totum, partem alteri dederit, iuxta Regulam XXXIV. *Generi per ſpeciem derogatur.* Vel vt explicatiùs *l.in toto iure ff. eod. titul.* ait Pompeius: *In toto iure generi per ſpeciem* (hoc eſt toti per partem, & vniuerſali per particulare) *derogatur; & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt.* Neque intereſt an ſpecies, an genus ſubſequatur. *c. Abbatem 40. extr. de reſcript. l. vxorem. 41. §. codicillis cum §. ſequenti ff. de leg. 3. tex. elegans in l. ſanctio 41 ff. de pœnis.* Modò inter primum vltimumque nemini ſit ius adquiſitum. Hinc fit, vt ſi penus Petro legata ſit, Paulo vinum, hoc ab illa extrahendum & dandum Paulo ſit, tametſi vinum in penu contineatur; nam limitatio illa fuit facta antequam Petro ius adquiſitum ſit. *l.3. ff. de tritico vino, & c. l.3. ff. de penu legat.* Quòd ſi eadem penus aut vendita aut donata fuiſſet, & poſt traditionem & finem contractûs vinum daretur aut venderetur, hæc vini donatio aut venditio eſſet inualida, nec in ipſa per ſpeciem generi derogaretur. Hinc fit, quòd ſi eadem penus loco pignoris fuiſſet Petro tradita, non poſſet vinum Paulo loco pignoris dari; nam iam Petrus adquiſierat ius in penum, nec poſſet iure adquiſito priuari. *l.generaliter 6. c. qui potior in pign.* Huic ſimilis eſt alia Iuris Regula; videlicet XXXV. *Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus.* Debet intelligi cæteris paribus, ita vt coincidat cũ præcedente, aut vix vllam diſtinctionem admittat; nam vbi eſt rationis diſparitas, hæc Regula locum non habet.

Nota hoc.

Totum duplex: actuale: & potentiale.

Plus & minus.

VII.

CMXXXII. Sæpè poteſt maiora, qui minora non poteſt.

CVi licet quod eſt plus, vtique quod eſt minus licebit. aut alijs etiam verbis. *Qui poteſt maius, poteſt & minus.* Regula LIII. videlicet in eodem genere, & cæteris paribus. Poteſt quidem abſoluere à venialibus, qui à mortalibus; non autem à contracto pecuniario debito, qui à peccatis, tametſi hoc ipſum maius ſit. Pono clariùs. *Qui poteſt totum, poteſt & partem, ſi illud totum indiuiſibile non ſit.* Hinc patet in bonis vinculatis, quæ ſeparari non poſſunt, debere hæredem aut totam adire hæreditatem, aut totam relinquere, nec poſſe partem; illa enim indiuiſibilia iam ſunt. Videntur ſuo modo omnia bona, quæ ad hæreditatem pertinent, eſſe vinculata. | Henricus Caniſius ſummæ Iuris Canonici lib. VI. | Regula XXXV. *Permiſſa eſt hæredi tota hæreditatis aditio vel repudiatio, non autem huius aut alterius partis hæreditariæ l.1. & l.2 ff. de ac. vel omitt. hæred. idque facit ſuccedendi ius, quod pro parte agnoſci vel refutari non poteſt, præcipuè ex teſtamento, ne defunctus pro parte teſtatus & pro parte inteſtatus deceſſiſſe dicatur contra Iuris regulas. l. ius noſtrum ff hoc tit. & §. non autem Inſt. de hæred. inſtituend.*

De bonis vinculatis & indiuiſibilibus.

Sed lex Iure Bohemiæ videmus ſæpè hominẽ obire partim teſtatum & partim ab in teſtato

Sed hæc ratio apud Bohemos non vrget; ſæpè enim defunctus ex parte teſtatus, & ex parte inteſtatus diſcedit. Teſtamenta, quæ contra leges patrias facta, non admittuntur, etſi facta iuxta leges loci, in quo obijt teſtator; Ergo ſi Petrus habet bona in Auſtria & Bohemia, & moritur Pariſijs, condito teſtamento iuxta leges Gallicas, illud admittet Auſtria, reijciet Bohemia: ergo Petrus quoad bona, quæ

habet

habet in Austriâ discedet testatus; & quoad bona, quæ habet in Bohemiâ, intestatus.

VIII.

CMXXXIII. De contumelia & morte, vtra grauior?

AN, *qui occidere potest Adulterum, poterit illum iure contumelia afficere?* Asserit Papinianus, alijque *l. nec in ea 22. vers sed qui. ff. ad legem Iul. de adult.* quòd plus sit illum occidere, quàm afficere contumeliâ. Negant alij; tum quia plus putant esse contumeliam morte: tum quia sunt in diuersis generibus.

IX.

An fe mulier possit obligare pro alio?

AN mulier, quæ potest sua bona donare vel distrahere *l. 4 ff ad SC. Velle. l. 7. c. eodem* potest bona obligare pro alio? Respondeo negatiuè, *ex dicta lege 4. sub finem*. Nec vrgebor, si dicas, plus esse dare, quàm obligare; quia in diuersis generibus est. Quamobrem hæc est bona consequentia: *Quæ potest donare mille, potest centum*, non autem hęc: *Quæ potest donare domum, illam potest pro alio obligare*; illa enim prior est intra terminos donationis, & in posteriore materia permutatur.

X.

CMXXXIV. Non satisfit toti per partem.

AN *qui tenetur dare plus, possit dare minus?* hoc est, *an qui tenetur dare centum, satisfaciat dando quinquaginta? An qui tenetur dare totum, faciat satis, si dederit partem?* Respondeo negatiuè iuxta *cap. cui 17. de præb. lib. 6.* Obligationes enim non sunt potestates, sed vincula; at qui potest recipere totum, potest esse cõtentus parte, nam penes ipsum arbitrium & potestas est.

XI.

De principali & accessoria.

ACcessorium *naturam sequi congruit principalis.* Subintellige, *nisi violenter impediatur* [consonat huic axiomati physico: *Modus sapit naturam rei*] Est Regula XLII. Nomine *accessorij* aliqui partes rei ipsius intelligunt, nec tamen castè loquuntur; tametsi falsam conclusionem non doceant, *partes enim sequi congruit totum*; at accessorij nomine intelligenda sunt omnia priuilegia & grauamina realia, quæ rem ipsam afficiunt, non personam. Sic, cùm alicui Iurisdictio data est, ea quoque omnia concessa esse censentur, sine quibus Iurisdictio stare non potest. Sic etiam cùm dispensatio conceditur, fauor ille extenditur ad necessariò connexa. Layman *lib. 1. tr. 4. c. 23. num. 7.* & sic cui concessum est principale, non consectaria modò, sed & præparatoria conceduntur, Layman *lib. 3. tr. 1 sect. 7. c. 6. nu. 8.* Et sic tandem cùm venditur domus, in emptorem non solùm illa transit, sed omnia ipsius realia priuilegia & grauamina. Quam Regulam expositionemque confirmant duæ aliæ Iuris eiusdem Regulæ; quarum prior est LV. *Qui sentit onus sentire debet commodum, & è contrà*: et posterior est LXXVII. *Rationi congruit, vt succedat in onere, qui substituitur in honore*; quas inferiùs dilucidabo. Sed bene examinãdum vbique est, An fortè principale sit id, quod accessorium; sæpè enim contingit, vt videatur accidens aut attributum, quod ad rei substantiam spectat; & in tali casu aliâ re, quæ principalis vocabatur, excidente, posset accessorium subsistere nec illam sequi, quod, tametsi dicatur accessorium, sit principale. Rem illustro & aliquos casus expono.

Accessoria aliquando præcedunt, aliquando sequuntur, & aliquando concomitantur.

Principale interdùm videtur accessorium.

XII.

CMXXXV. De vsuris.

AN *teneor soluere vsuras vsurario?* Minimè, quia illas non debeo. Quòd si illas dem & ille recipiat, ad restitutionẽ tenebitur; vt constat ex Regula LIX. *Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem.* An tenebor, si me soluturum iuramẽto firmauerim? Respondent communiter Viri docti, hîc dari duos titulos, nimirùm, contractum, & iuramentum. Contractum esse inualidum, & quia accessorium sequitur suum principale, etiam vsuras esse inualidas & non obligatorias. At iuramentum esse validum, & respectu iuramenti vsuras esse principales, & me ratione iuramenti teneri; quia ex iuramento specialis nascitur obligatio. *cap. debitores. in ver. domino reddere iuramen. c. si peccatum. 22. q. 1. Matth. 5. paulò post med. c. cum contingat 28. extraord. de iureiur. cap. 2. de pactis lib. 6.* Vnde generaliter à sacris Canonibus seruari iubetur iuramentum, quod non uergit in dispendium salutis æternæ, nec redundat in alterius detrimentum. *in c. cùm contingat in fin. & in c 2. in fin. adde. c. 2. de iureiur. in 6.* At contra hoc ipsum iuramentum aliqua excipi possent. PRIMO' LIBERTAS; fortè enim, qui vluras promittit, est metu cadente in Virum constantem perculsus, si nimirùm ita pecunijs illis egeat, vt debeat aliàs summam rerum iacturam aut periculum personæ incurrere. Sed hic metus naturalem non tollit libertatem, tametsi illam diminuere videatur. Consultò *naturalem* dixi; quia eiusmodi metus tollit ciuilem, quam ex benignitate Ecclesiæ professio solemnis supponit; quamobrem metus, qui in constantem caderet Virum, vota solemnia dirimit, non verò vota simplicia aut iuramenta: hæc enim solum modò dirimuntur timore, qui naturalem auferat libertatem.

An semper sit iuramẽtum obseruandum?

Vt iuramẽtum sit validum requiritur libertas.

Non ciuilis, sed naturalis.

SECVNDO' *Politica verborum significatio:*

Et ciuilis verborum figurificatio.

ficatio: aliud enim eſt donare, aliud ſoluere: qui contraheret ijs verbis: *Ego recipio mille aureos, & poſt annum ſoluam hos mille, & gratis donabo quingentos*, poſſet vrgeri iuramento; At, qui iuramento firmaret hunc contractum: *Recipio mille aureos & poſt annum ſoluam mille quingentos*, ſubintelligi vult; *Si debuero*: Soluuntur enim quæ debentur, & quæ non debẽtur non ſoluuntur, ſed dantur. Vt ſcias quo debeant modo exponi Iuramenta Auſonij Noctinot ſecuriſſima verba ſubijcio [*Pandectæ antiquæ taxantes ſtipendia notarijs, & commiſſarijs modò non obligant; quia latæ fuerunt tempore, quo pecunia carior erat, & res viliores. Nec refert, quòd tales jurent ſeruare taxas; nam Iuramentum exponitur, quatenùs juſtæ ſunt.* Ita Sanchez *Opuſc tom. 1. lib. 3. c. 14. nu. 14.* Diana *par. 2. tract. 17. reſol. 60.* & ex eo Auſonius *in Summa verbo. Lex. nu. 16*] Ergo ſimiliter non referet, quòd pauperes iurent ſe ſoluturos vſuras, quia Iuramentum exponetur, *quatenùs iuſtæ ſunt* [Notari volo me, vt dixi, inter dare & ſoluere diſcrimen magnum reperire]

De Cõmiſſariorum, Notariorum & Miniſtrorum aliorũ ſtipendijs.

Nota iſtam conſequentiam.

XIII.

CMXXXVI. De contractu pupilli.

AN contractus factus cum minore ſine tutoris licentia ſit validus, præſertim ſi fideijuſſor, aut pignus accedat? Videretur quòd non, nam acceſſorium ſequitur naturam principalis; cùm igitur contractus ſit res principalis, & fideiiuſſor, aut etiam pignus ſit res acceſſoria, ſequi debebunt contractûs valorem, & ingeniũ. At ille contractus aut non eſt validus, aut poteſt ad tutoris voluntatem reſcindi: Ergo nec valebit fideijuſſio, nec oppignoratio. *Sed contrà eſt*: quoniam tutor poteſt reſcindere contractum pupilli, non tamen aut repetere pignus. *l. etſi is. 9. c. de præd. & alijs rebus minor.* aut reddere fideijuſsionem inualidam. *l. ſi pupillus 127. ff. de condict. indeb.* Hæc ſunt certa, & moribus & praxi conſona: ſed quia violentur non carere difficultate, aliqua Scholæ ſcribam, quæ in tribunali recenſeri non debeam. Quæram igitur, *Cur pupillus ſe non poſſit obligare contractu, & tamen poſſit pignore, aut fideiiuſſore?*

Au tutor poſſit annullare contractus? An repetere pignora. An dimittere fideiiuſsionem?

Sanè ſtante lege, quæ ſine vllâ limitatione (notaiſtam circumſtantiam) declaret viros ante vigeſimum quintum annum eſse minores, hoc eſt, carere libero arbitrio politico in ordine ad alienandum, & contractus ſolemnes & validos celebrandum, reſpondebo, oppignorationem fore inualidam: non enim ego tutâ conſcientiâ retinere pignus poſsem, quod quinquennis puer traderet, & tamen eadem hîc ratio eſset: quia cùm tutor ſit liberum arbitrium pupilli, quidquid & non per tutorem tradit, liberè non tradit, hoc eſt, libertate politicâ, qualis requiritur, vt poſſint dominia transferri. At in ſolamen eorum, qui cum pupillis agere debent aut ſolent, lege ſpeciali, fuit expreſsum poſse illos, ſi non verbi aur contractûs, ſaltem pignoris ratione obligari; etiam ratione huius legis tenet oppignoratio. *Cur tamen* tenet fideiiuſſio? Henricus Caniſius ſummæ Iuris Canonici libr. 6. Decret. Reg. 42. ait: *Rationem verò ego hanc video, quòd minores ex ſuo contractu naturaliter obligentur (l. 1. ff. de nouatio) & naturali obligationi fideiiuſſor rectè accedit.* Sed ego hanc naturalem obligationem non intelligo. Qui enim dicunt, poſse pupillum conſiderari, vt minor eſt, & etiam vt homo eſt; cur non etiam docebunt fœminam poſse conſiderari prout coniugata eſt, & prout mulier eſt, & monachum prout Religioſus eſt, & prout homo eſt? Nam ſicut pupillus, & ſeruus, in quantùm homines ſunt, contractus dicuntur poſse inire, quos vt pupilli aut ſerui non poſſent. Sic etiam vxor poſset nubere, non quidem in quantùm coniugata eſt, ſed in quantùm fœmina eſt, & Religioſus poſset habere proprium, quâ homo eſt. Sanè iſtæ omnes reduplicationes in mente manẽt; & effectus à cauſa poſa prout eſt à parte rei oriuntur. Vnde optimè animaduerſum *textu in l quòd Pupillus 41. ff de condict. indebiti*, vbi dicitur, *Pupillum promittentem ſine tutoris authoritate, ne natura quidem debere.* Hunc ſibi non refragari ait Caniſius; at textus eſt expreſsus, cui non reſpondet, ſed ſuccumbit, & nouam ſolutionem opponit.

CMXXXVII. De Fideiuſſione.

An minores naturaliter obligari poſſint?

Nota ſingula.

Ego quidem in hac materiâ ſic diſcurro. Aio, alios eſse pupillos ſimpliciter, & abſolutè, alios ſecundùm quid: illis nihil à legibus concedi, his aliqua interdùm permitti, licèt pleraque omnia negentur. De illis oratio videbatur procedere: nam ipſi nec ſe poſsunt obligare contractu, nec pignore, nec fideiiuſsore: ſed hoc vltimo non obſtante, potero contrahere cum Petro, vt ſi pupillus non ſoluat, ipſe ſoluat: & vt hoc vltimum intelligas, has lineas accuratè ſubſcribo. Qui contraheret cum tali pupillo, & contractum ad fideiiuſsorem extenderet, non eſset vllo modo ſecurus, nam inualidus eſset contractus, & ſicut nec pupillum, vt etiam nec fideiuſsorem obſtringeret. Atqui, non cum pupillo, ſed cum Petro contraheret, vt eo caſu, quo pupillus non daret, ipſe daturus ſit (vocetur iſte contractus *Fideiiuſſio*, vel non) eſſet ſecurus; Petrus enim contractu conditionato teneretur, et purificatâ conditione pecunias numerare deberet.

Reſolutio.

Minorennis ſimpliciter, & minorennis inadæquatè.

In votorum materia nõ ſemper reperitur tota litas: nõ ſemper æqualitas.

Agendo de pupillis ſecundùm quid, pronuntio illa, eos poſse facere, quæ iura permittunt: idem dicam de Religioſis

Tutor eſt pupilli voluntas.

qui

qui non emittunt votũ paupertatis totalis (alii enim vi voti nihil possident in cõmuni, et nihil in particulari: alii omnia in communi, & nihil in particulari: alij etiam aliqua in particulari) idem de illis qui non vouent castitatem totalem (alii enim virgineam, & coniugalem alii vi suæ professionis obseruant) idem de illis, qui non pollicentur obedientiam totalem (alii enim obseruare Regulam, & alii obedire secundùm Regulam profitentur) idem dicerem de matrimonio veterum non totali (nam Patriarchæ, qui habuerunt plures vxores, nulli dabant ius totale, quod excluderet aliam) idem dicerem de seruitute (sunt enim aliqui serui secundùm quid) His igitur præmissis, pronunciabo: *Omnes istos illa omnia posse facere, quæ leges permittunt: & illa omnia non posse, quæ leges non permittunt.*

De matrimonio secundũ quid.

De seruitute secundũ quid.

Conclusio.

Hinc ad fideiussionem veniendo, tres species reperio & expono: aliàs enim contrahimus cum conciue, aliàs cum pupillo, aliàs cum Rege. Cùm contrahimus cum conciue, non timemus, ne velit stare contractui; iure enim illum cogere possumus; sed timemus an sit satisfaciendo, volumusque compromissorem habere, vt si conciuis ille soluendo non sit, iste soluat. Cùm contrahimus cum Rege, non timemus, quòd ipse non sit satisfaciendo, sed quòd ipse fortè non volet satisfacere, adeoque volumus compromissorem habere, vt si Rex non voluerit soluere, iste soluat. Tandem cum contrahimus cum pupillo, vtrũque timere possumus, & inimus contractum cum compromissore, vt si pupillus non possit, aut non velit tutor stare contractui, stare debeat compromissor. Adeoque fideiussor transit in personam principalem, in primo contractu, si conciuis soluendo non sit; in secundo, si Rex noluerit soluere; in tertio si tutor noluerit illum contractum approbare: & si approbet, si postea soluendo non sit.

Fideiussio triplex.

Contrahimus vel cũ viro priuato.

Vel cum Rege.

Vel cum pupillo.

Et hæc iuxta Iura communia: nam iuxta Bohemica fideiussor à primâ contractûs die debitor principalis est, & creditor, si statuto tempore solutionem non habeat potest liberè, aut contra debitorem, aut fideiussorem procedere.

Quàm sit graue onus fideiussoris in Bohemia.

XIV.

CMXXXVIII Regulæ secunda expositio.

HOc Iuris Principium: *Accessorium sequitur suum principale*, solet aliis verbis exponi, videlicet positiuè sic; *Cùm aliquid licet, etiam licent omnia illa, quæ necessariò sequuntur ex illo*, & negatiuè: *Cùm quid prohibetur (nimirùm prohibitione dirimente, & annullante) prohibentur annullanturque omnia, quæ (necessariò) sequuntur ex illo.* Et hoc vltimum est Regula *XXXIX.*

Vt rem intelligas adnotato, duas dari prohibitiones; alteram interdicentem, alteram annullantem [hanc veritatem sæpiùs debui notare, est enim valde necessaria; cuius, vt video, ignorantiâ aut neglectu multi errores committuntur interdùm] Porrò ex actione interdictâ non semper quod sequitur, interdictum est; ex nullâ tamen semper est nullum. Prioris generis sunt multa matrimonia illicita, sed validâ; posterioris inualida, & illicita. Imperatores Theodosius Valentinianusq; *Nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsequutum, qui contrahant lege contrahere prohibente (subintellige, non solùm interdicendo, sed annullando contractus)* Et post pauca: *Si quid fuerit subsequutum ex eo, vel ob id quòd interdicente (annullante) lege factum est, illud quoque cassum ac inutile esse præcipimus.* Et ad doctrinam specialem descendentes, & ad praxim omnia applicans inquit; *Secundùm itaque prædictam Regulam, quacunque vbicunque nõ seruari factum lege prohibente* (annullante) *censuimus, certum est, nec stipulationem huiusmodi tenere, nec mandatum vllius esse momenti, nec sacramentum admitti.* Henricus Canisius rationem adiungit, *ex l. cum principalis. ff. hoc titulo in c. accessorium.* Vide *l. non dubium, S. C. de leg.* Vide *num.* 11. *b.*

Prohibitio est duplex.

Decretum Theodosij & Valentiniani Cæsarum.

XV.

CMXXXIX. Obiectio.

COntractus turpis est nullus, & tamen res in accipientem ita transit, vt eius repetitio cesset. *l. 2. cap. de condict. ob turpit. cauf in l. Si ob turpem 8. ff. eod.*

Huic obiectioni conatur respondere Henricus Canisius, & sic inquit [Id accidit propter aliam Iuris Regulam, videlicet; *In pari delicto, vel causa, potior est cõditio possidentis*, adeóque turpitudo efficit, ne res data repeti possit. *cap. in pari infra. eod. l. in pari. & l cum par ff. hoc tit. l. 2. & l. 8. ff. de condict. ob turp. cauf*

Canisij mẽs.

Sed neque solutio, nec Iuris Regula, quo sensu ab Henrico ponitur, placet. Puto enim hunc contractum: *Dabo tibi centum aureos, si occideris Petrum*, esse illicitum ex naturâ rei, sed validum: quòd si Petrũ occidas, puto, me dare illas pecunias teneri, nimirùm ex naturâ rei. Nec posse mihi dicere in pari delicto, potiorem esse conditionem possidentis. Admitto tamen, posse Rempublicam lege hunc contractũ annullare, & in tali casu existimarem, nihil tibi post illud homicidium deberi; quod si tu illo titulo auferres, debere restituere, nec posses tutâ conscientiâ retinere. At Henrici Canisii solutio staret, si daretur lex, quæ his terminis pronunciaretur: *Contractus, qui inter offerentem pecunias, & occisorem qui-*

An contractus de re illicita inualidus sit.]

initur, eſt illicitus, & nullus etiam. Occiſori nihil alter debet, quòd ſi occiſor pretium recipiat, aut ſubripiat, ad reſtitutionem ne-tenetor. Sed hoc modo Regulam illam eſſe intelligendam, multi docti Iuriſperiti affirmant. Hoc aſſertum neceſſariò debet admitti: *Sub genere comprehenduntur ſpecies, ſub ſpecie indiuidua, ſub vniuerſali ſingularia.* Vnde ſacerdos, cui concederetur vxorem ducere, poſſet quãcunque. Et Carthuſianus, cui Pontifex indulgeret carnis comedendæ licentiam, quaſcunque comedere poſſet. Hinc ſequitur, valere argumentum etiam negatiuè; quia cui interdicitur vxorem ducere, illam ducere poteſt; & cui præcipitur, ne carnes comedat, non poteſt comedere boũinas; quia ratio ſuperior continet inferiorem, vnde & *totum potentiale* vocatur: & cùm genus conceditur, omnes ſpecies cõceduntur; cùm prohibetur illud, etiam iſtæ prohibitæ cenſendæ ſunt.

De genere, & ſpecie.

De toto potentiali, & actuali.

XVI.

AN ne hæc aſſerta ſunt vera? nimirùm: *Cui conceditur pars, conceditur totum, aut ſaltem alia compars? Cui conceditur ſpecies, conceditur genus, aut ſaltem alia conſpecies? Cui conceditur indiuiduum, conceditur tota etiam ſpecies, aut ſaltem aliud indiuiduum?* Et reſpondeo negatiuè; non enim cùm datur pars datur totum; aliàs daretur totus mundus; ſingula enim ſunt mundi pars.

CMXL. Examinantur aliquæ conſequentiæ.

XVII.

REquiris, An ne hæc ſaltem aſſerta valeant negatiuè? hoc eſt, An admitti debeant hæc: *Cui negatur ſaltem alia compars? Cui vnum indiuiduum etiã reliqua indiuidua?* Et etiam negatiuè reſpondeo; quia poſſum vnam veſtis partem pauperi, aut amico concedere, alteram compartem negando.

XVIII.

CMXLI. SI hoc igitur verum, quî intelligi poteſt, illa LXXXIV. Regula Iuris: *Cũ quid vna via prohibetur alicui, ad id alia nõ debet admitti?* Reſpõdeo sẽsũ *eſſe, Cũ aliquid abſolutè, & vniuerſaliter prohibetur, lege bene intellecta, tametſi verba videantur vnã viam ſonare, omnes viæ clauſæ ſunt, nec permittendus vna via excluſus, alia ad id ipſum adſpirare.* Oſtendam enim euidenter, eum, cui aliquid vnâ viâ prohibetur, ad id ipſum aliâ poſſe, & debere admitti. Petrus enim, cui prohibetur ad Canonicatum viâ Simoniæ peruenire, viâ legitimæ collationis poterit, & debet admitti. Et hæc quidem LXXXIV. Regula facilis eſt, & dicenda falſa, niſi torqueantur verba, vt reddant ſenſum, quem propoſui. Vnde, vt verbo rem teneas, notandum eſt, aliàs rem interdici, aliàs viam hanc: Si res ipſa, nullâ viâ haberi poterit: Si non iam res ipſa, ſed via, hac res viâ obtineri non poterit, aliâ poterit.

Nota bene.

Hinc oritur dubium, *An qui habet priuilegium erigendi domi Oratorium, poſſit illud erigere, quocunque transferat domicilium?* Reſpondeo poſſe, ſi domus non determinetur. Puta, ſi non dicatur: *Concedimus tibi licentiam erigendi Oratoriũ Panormi.* Sed quid, ſi domûs taleitas exponatur? Non poſſe, docet Merolla *tom. 3. diſp. 6. cap. 8. dub. 22. num. 126.* poſſe autem Grauetta *conſ 87. num. 11.* & Zambellus *verb. miſſa num. 46.* aſſerentes, illam taleitatem poſſe poni diſpoſitiuè, & exemplificatiue; primo modo effectum ſortiri, non ſecundo: nec credendum diſpoſitiuè poſitam, niſi detur ratio aliqua ſpecialis, quæ illam circumſtantiam poſitam ex conſilio conuincat. Hinc patet, quid dicendum fuit Friderico Abbati, qui indulgentias pro tali altari petijt, & poſtea decentiùs poſſe in alio altari poni dicauit; dictum nimirùm fuit, ad Septennium vniuerſis concedi, nec ſolere contra poſtulantis voluntatem limitari, adeoque illam altaris demonſtrationem eſſe exemplificationem, nec credendam diſpoſitionẽ, ni detur particularis ratio; nec videtur hanc dari, ſi totum altare ex vna Eccleſiæ parte in aliã transferatur. Vide Dianam *part. 4. tract. 4. reſol. 210. & par. 6. tract. 8. reſol. 11.*

CMXLII. De Oratorio domeſtico.

Taleitas bifariam ſolet poni.

An indulgẽtiæ poſſint ex altari ad altare tranſferri?

XIX.

De amplificatione fauorum.

MAteriam eſſe dubiam, & leges incertas ſupponimus; vbi enim illa certa eſt, aut hæ claræ, non eſt locus interpretationi, & ampliationi.

CMXLIII. An ſemper habeat locũ ampliatio. Secunda ſententia.

Regula VI. eſt prudẽter ſcripta, & multas poterit controuerſias ſedare, ſi ſemel intelligatur bene. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt vereſimilius, & quod plerùmque fieri conſueuit.* Qui eſt optimus, & probabiliſſimus diſcurrendi modus. Probabiliſſimum eum modum dico, non certum; eſt enim receptiſſimum Theologorum axioma (mihi) LXI. *Non probat hoc eſſe, quod quandòque contingit ab eſſe.* Ego puto has Propoſitiones eſſe certas. I. *Reſoluimus probabilius in obſcuris, cùm id quod eſt vereſimiliùs, & quod plerùmque fieri conſueuit.* II. *Reſoluimus certò moraliter in obſcuris, cùm id, quod eſt indubitatum, & moraliter euidens, aut quod ſemper fieri conſueuit.*

XX.

CMXLIV. ESt apud Scriptores valdè communis, & celebris Regula XV. nimirùm: *Odia restringi, fauores conuenit ampliari.* Sed quia succurrit alia Regula: *Correctio Iuris semper est odiosa*, & suas ipsa patitur difficultates, petis, An possint fauores ampliari contra Ius commune, aut etiam Religionum Regulas, aut contra Ius tertij? Henricus Canisius negat; ait enim [cùm Ius commune adeò fauorabile sit, quòd publicæ tranquillitatis causâ in commune sit constitutum, necesse est, vt statuta, quæ huic aduersantur, strictè accipienda sint, & redigenda quantùm fieri possit ad Ius cõmune. *c. cum dilectus 8. circ. finem, extra. de consuetud.* Nam & si quid in statutis desideratur, à Iure communi suppleri solet. *per text. in l. 2. c. de noxad. actio.* Idem in dispensationibus, quæ odiosæ sunt, quòd aduersus Ius commune concedantur, ac proinde strictam quoque interpretationem recipiunt. *per text. in c 1. c. 2. de filijs presbyt. in 6. c. 3. ext. de consang. & affin.* Quâ ratione & decimæ in feudum olim laicis concessæ ad decimas noualiũ non producuntur. *c. tua 15. §. fi ext. de decimis.* Quippe Iuri communi aduersum est, vt laici decimas possideant. *c. causam 7. ext. de præscriptio.*

An fauores sint contra Ius commune?

An laici possint decimas possidere?

Similiter omnia priuilegia, & rescripta odiosa dicuntur, quæ tendunt in præiudicium alterius, atque idcircò hoc sensu accipienda sunt, vt quàm minimùm alteri noceant: *c. quamuis 8. de rescript. in 6. & l. 2. §. si quis à Principe. ff. nequid in loco publico. l rescript. 7. c de prœcibus Imperat. offerend.*] At hîc optaret aliquis rem meliùs, & specialiùs decidi, materiam personasque legum aut priuilegiorum distinguendo. Considerando personas diceret, fauores esse ampliandos respectu illius, cui conceditur fauor, cui imponitur lex; prudentia enim postulat, vt credamus, voluisse multum fauere, qui aliàs expressisset, si voluisset fauorem limitare: & voluisse parùm grauare, qui aliàs clariùs fuisset locutus, si voluisset strictiùs, & seueriùs procedere, iuxta Regulam LVII. *Contra eũ, qui potuit legem dicere apertiùs (adde priuilegium concedere limitatiùs) est interpretatio facienda*: nimirùm iuxta sensum verborum communem; qui enim laborauit æquiuoco, id ipsum debebit probare. Putat igitur Henricus Canisius, vt vidimus, priuilegiorum sensum, cùm militet contra Ius commune, esse coarctandum, & strictissimè accipiendum.

An priuilegium in fauoré Principis, An vero in fauoré subditi sit exponendum?

Quid Canonum nomine in Diplomatibus intelligendũ?

Sed contrà Hieronymus à Sorbo Capucinus in Compendio Priuilegiorum Alfõsi Casarubios edito Coloniæ anno 1619. verbo *Priuilegium*. pag. 285. ait [Est etiã aduertendum quòd per illam clausulam apponi nunc solitam in confirmatione priuilegiorum: *Dummodò sint in vsu, & sacris Canonibus, & Decretis Concilij Tridentini non aduersentur*, non est intelligendum, vt quidam malè opinari videntur, de sacris Canonibus summorum Pontificum in Decretis, & Decretalibus contentis; sed de sacris Canonibus, & Decretis Concilij Tridentini, cùm clarè pateat, Concilium ipsum & canonibus & decretis constare: & illud operatur illa *copula & coniungendo* canones decretis Concilij Tridentini. Adeò vt malè mihi sentire videantur, qui aiunt, sub illâ particulâ *Canonibus* intelligi decreta, & decretalia summorum Pontificum, & sub illâ aliâ *Decretis Concilij Tridentini*, ea quæ sunt in eodem Concilio Tridentino. Et quòd proinde nulla, aut paucissima remanerent mendicantibus priuilegia, & ita esset equidem, si illorum valeret opinio. Sed quantum sit hoc absurdissimum, & à mente, & à verbis supradictorũ summorum Pontificũ alieniissimum, quis mente compos non videt? &c.] Ecce Sorbo cõcludit in casu, quo dubitemus, An priuilegium debeat limitari decretis solius Tridentini Concilij, An vtriusque, nimirùm Concilij & Iuris communis, standum esse pro priuilegio contra Ius commune, tenendumque non Priuilegium Iure communi, sed Ius potiùs commune eo priuilegio limitari. Ergo à fortiori, cùm dubitatur an plus an minùs deroget Iuri communi, standum est pro priuilegio.

In dubio, An priuilegium debeat limitari?

Sequutus est speculationem Sorbo, praxim Canisius: & quia communis sententia à Canisio stat, tu Iura communia, & præscripta contra priuilegia manutene, nisi & illa inserta sint (realiter, aut virtualiter) in corpore Iuris. Sanè realiter inseruntur, quæ in corpore Iuris leguntur; virtualiter, quibus conceditur, vt ita se habeant, ac si realiter essent inserta.

Resolutio.

Priuilegia vel sunt in corpore Iuris inserta, vel non: & si inserta, aut realiter, aut virtualiter.

De cæteris, quæ non præiudicant Iuri communi, minor est difficultas.

In priuilegio, quod non est contra tertium, latissima debet esse interpretatio: non enim ratio occurrit, ob quam debuerit Ecclesia, aut Princeps fauorem limitare. Filliucius *tract. 8. c 10. n. 261.*

In priuilegio, quod est contra commoditatem tertij, non verò contra illius adquisitum ius, debet esse latissima interpretatio in fauorem illius, cui priuilegium cõceditur; non enim est credibile in materiâ meræ gratiæ voluisse Principem esse melioris conditionis illum, cui priuilegium non conceditur, altero cui conceditur. Cæterum, si priuilegium vergat contra Ius adquisitum à tertio, ita debet interpreta-

CMXLV. Alia sunt, contra Ius, & alia contra commoditatem.

Priuilegia nunquam sunt contra Ius adquisitum.

tio

tio fieri, vt non dicatur Princeps vel Pontifex, aut alteri iniuriam feciſſe, aut ſuæ Iuriſdictionis limites exceſſiſſe. Ergo vel ita eſt contrahendum, & limitandum, vt cum æquitate conſiſtat, vel ſubreptitium nominandum, ne iniuſtum & iniquum dicatur: Vnde conſultò ſub initium aſſerui: *Leges, & etiam priuilegia debere exponi intra limites iuſtitiæ, prudentiæ, & poteſtatis pronuntiantis.* Sed de hoc inferiùs.

NOTA.

De priuilegiis conceſſis Ordini vel Communitati.

VOlo adhuc vnam aut alteram periodum addere.

Priuilegia, quæ toti Ordini, vel Cõmunitati in perpetuum conceduntur, licèt alijs ſint odioſa, extendenda tamen ſunt, quia habent vim legis, ac ſi eſſent in Iure expreſſa; cùm ſint Conſtitutiones perpetuæ, quæ non conceduntur vni vel alteri perſonæ, ſed Communitati, quæ eſt perpetua. Martinus Bonacina *tom. 2. d. 1. qu. 6. pag 7. num. 4.* An nihil eſt, quod obijciatur Bonacinæ? An nobis conceſſa priuilegia coacturi alios ſunt, vt dicant; *Fauores eſſe reſtringendos, odia amplianda?* Non credo: tu conſidera.

XXI.

CMXLVI. De priuilegio dubio. An reale vel perſonale credendum ſit?

INquiris, *An in dubio priuilegium cenſendum reale vel perſonale*. Henricus Caniſius *in ſumma Iuris lib. 6. Decretalium Regula XV.* ſtat pro Iure communi contra priuilegium, & iudicat perſonale. Sanchez *lib. 8. diſp. 27. num. 4.* ſtat pro præſumptione contra priuilegium; adeoque etiam perſonale eſſe exiſtimat. At placet Auſonius Noctinot, in ſummâ Dianæ, verbo *Priuilegium, num. 3. qui ſic ait* [Cum Pontio *lib. 8. cap. 18. §. 1. n. 7.* dicendum eſt, quòd cùm priuilegium reale ſit magis extenſum, quàm perſonale, ſi priuilegium eſt omninò fauorabile, & nulli præiudicet, debet extendi & cenſeri reale; ſecùs reſtringi & cenſeri perſonale. Si autem dubium vinci non poſſit, & ex parte habentis priuilegium ſtet poſſeſſio illius vt realis, vt tale cenſeri debet. Vide etiam Paulum *tom. 1. tract. 3 diſp. 4. punit. 2. §. 1. num. 6.* & Dianam *par 4. tract. 3. reſol. 51.*] vbi non reſolutionem modò, ſed & rationem conſiderandam iudico.

XXII.

CMXLVII. An & quando dicendũ ſit priuilegiũ eſſe reuocatum?

INquiris etiam, *Vtrum qui dubitat, an ſit priuilegium reuocatum, poſſit illo vti?* Reſpondeo, priuilegium eſſe in poſſeſſione, nec ab illâ deijci poſſe propter reuocationem dubiam. Ita Pariſius *lib. 2. conſ 61. nu. vlt.* ita Diana, & ex eo Auſonius Noctinot *in Summa verb. Priuileg. num. 4.*

XXIII.

An priuilegio Domini frui poſſit familia?

INquiris tertiò, *An Si Petro concedatur priuilegium celebrandi, aut audiendi Diuina Officia tempore interdicti, cenſendum ſit id conceſſum toti eiuſdem familiæ?* Reſpondo affirmatiuè; fauorem enim amplio & ſubſcribo Caniſio *in ſummæ lib. 6. regul 15* id probanti *ex c. licet 11. de priuil. lib. 6.* Sed qui *familiæ nomine intelligendi ſunt?* Maritus, vxor, filij, filiæ, nurus cohabitans, ſerui, ancillæ, commenſales. Diana *par. 4. tract. 4. reſol. 208. in fine.*

Quid ſit familia?

XXIV.

CMXLVIII.

INquiris quartò, *An ſi Pontifex aut etiam Epiſcopus habeat talis parrochia decimas, & tibi illas concedat, fauor iſte ad noualium etiam decimas ſit ampliandus?* Reſpondeo affirmatiuè. Ita Caniſius *vbi ſupra ex par 27. ext de decimis.* Ago de decimis, quas poſſidet, qui priuilegium concedit: quoniam ſi poſſiderentur ab alio, deberet ita priuilegium exponi, vt nulla iniuria fieret alteri; ita reſtringi & contrahi, vt non cenſeretur Pontifex (aut quicumque conceſſor) imprudenter, aut iniuſtè in conceſſione proceſſiſſe.

De nouali decimis.

XXV.

De Priuilegio temporaneo.

INquiris quintò, *An qui dubitat, vtrum priuilegium ad tempus vel perpetuum ſit, teneatur illud temporaneum credere, an poſſit perpetuum iudicare?* Reſpondeo ex communi Regula *XV.* Fauorem ampliando & ex ſpeciali, nimirùm *FVI* aſſerendo, *Decere conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum.*

XXVI.

CMIL.

INquiris tandem; *An conceſſum priuilegium, ſi litera anceps ſit, debeat iudicari perpetuum, an verò ſolum temporaneum?* Reſpondet Regula Iuris *XVI. eſſe manſuram.* & Layman. *lib. 1 tr. 4 c 22. num. 6.* Cætetùm, ſi illud conceſſum in perpetuum ſit à Principe, poterit reuocari? Diſtinguunt communiter Authores, docentque conceſſum ſubdito poſſe, conceſſum non ſubdito reuocari non poſſe. Caniſio in ſummæ Iuris *lib. 6. reg. 16.* probabiliùs videtur, ne quidem ſubdito poſſe tollere Principem priuilegium ſine cauſâ. At ego rem puto clarioribus oculis intelligendam; exiſtimo enim non dari in Mũdo authoritatem concedendi priuilegium perpetuum abſolutè, ſed vniuerſa priuilegia perpetua ſubiacere tranſcendentali

De priuilegiorum reuocatione.

An dentur Priuilegia perpetua?

morbo eaduco, cui omnia humana. nec tamen puto, p ſſe Principem priuilegia reuocare temerè & pro arbitrio, ſed debere in eis manutenendis aut caſsandis ſecundùm regulas iuſtitiæ & prudentiæ procedere. Vt igitur rem intelligas, & ego meam mentem exponam, ſic diſcurro. Rex Catholicus Toletano Archiepiſcopo talem e.g. immunitatem in perpetuum conceſſit; & inquiris, Si contingat, quòd ſucceſsu temporis hæc ipſa immunitas ſeu priuilegium in pernitiem Reipublicæ vertat, voluerit aut potuerit Rex etiam illud in hoc caſu concedere? Reſpondeo, quòd non voluit: ita enim teneor interpretari Regis mentem, vt iuſta euadat, & eſset omninò ille iniuſtus, ſi vellet ſuis Priuilegijs Rempublicam ſæcularem deſtruere. Quod, ſi ipſe Rex dicat ſe velle, reſpondebo eum non poſse; quia nec à Deo, nec à populo habet authoritatem ad deſtructionem, ſed ad ædificationem. Sed quia hæc raro contingunt, ne dicantur nunquam contingere, caſum propono [Theodoretus miles fortis & ſtrenuus erat Arcis N. Gubernator, cùm Ciuitas ab Hollando cincta ad ſummas fuit auguſtias redacta Habebat argenti regij, notabilem vim, ſed hanc bellum paucis diebus exhauſit; ciues ſpontanei dederunt vltra vires, malebantque ad inopiam redigi, quàm in manus Hæreticorum deuenire. Eccleſiaſtici erant pauci, & pauperes, & ſolus vnus Abbas theſauros ſuos in vrbem maioris ſecuritatis causâ inuexerat. Poſtulat aſſiſtentiam Gubernator; clamat ille immunitates, priuilegia, cenſuras, & de facto diuitias ſuas occultat, & pecuniarum defectu pyrium ſulphur non emitur, & Ciuitas in manus Hollandorum venit. Agitur de articulis, vult Abbas habere fauorabiles, excluditur à ciuibus tanquam publicæ miſeriæ cauſa, & qui vniuerſos deſeruit, deſeritur ab vniuerſis. Ingreditur Auriacus Princeps: ad eius pedes Abbas prouoluitur; an mori debeat conſulitur à clementiâ inimici; tandem ſtatuum Princeps nomine. *Non morieris*, ait, *Abba, gratias agimus tibi, quòd nolueris paucos nummos dare Gubernatori: ecce iam nos habemus vniuerſa* Habent hodie locum inimici, & in ipſo ſutor manet ſutor, ſartor, ſartor, & vnuſquiſque ſæcularis artem ſuã exercet; at nec Epiſcopus manet Epiſcopus, nec Abbates Abbates. Hîc tantiſper meum morabor lectorem & inquiram, An hoc priuilegium *concedimus Abbati ne ſoluat contributionem aliquam*, reddat hunc ſenſum: *Volumus potiùs, quòd ciuitas veniat ad Hæreticos, Abbatia deſtruatur, & prædicantes ſacrilegia boent in Dei Eccleſia, Religioſi ſint exopliti gladio, et volũtati inimici, & quòd tota patria & fides Catholica periclitetur, quàm quòd talis aut talis Eccleſiaſticus, vt defendatur ipſe, vt propugnetur patria, paucos nummos contribuat*. Aut amens ſum, aut hæ poſitiones non ſunt æquipollentes. Hæc dicta ſint contra Eccleſiaſticos nimis auaros, non tamen in fauorem aliquorum Principum, qui Eccleſias titulo detenſionis exſpoliant: quàm enim certum eſt debere potiùs Eccleſiaſticos contribuere, quam prouincias Hæreticis & inimicis cedere, & ipſoſmet Eccleſiaſticos perire; tam eſt certum Principem, qui indiget denis aureis, vnde nos extorquere non poſse. Stat igitur, hanc propoſitionem: *Hanc immunitatem in æternum concedimus* æquiualere huic: *Hãc volumus æternum valere, niſi fortè aliquãdo per accidens contingat illius valorem eſſe in deſtructionem & pernitiem Reipublicæ*, aliàs enim Princeps illicitè & inualidè concederet; illicitè, quia contra ſuum officium; ſua enim intereſt Rempublicam manutenere: & inualidè, quia excederet limites ſuæ iuriſdictionis & poteſtatis; omnis enim humana poteſtas ſiue à Deo immediatè, ſiue mediatè per populorum cõſenſum oriatur, ad ædificationem, & non ad deſtructionem eſt. Et hæc de priuilegijs non ſubditis conceſſis ſint ſatis.

PORRO' ſi concedantur illa ſubditis, notandum ea poſſe bifariam concedi; ex iuſtitiâ, & ex gratiâ. Ex iuſtitiâ, cùm in ſtipendium & pretium præſentis laboris, aut præteriti præmium; & hæc reuocari non poſſunt, niſi per accidens ſint pernitioſa bono publico. Cæterùm, quæ conceduntur ex gratia, debiliora ſunt, & videntur non habere maiorem perennitatem, quàm qua habuerint à perennante concedentis decreto: et poſſunt duobus modis concedi. Nam cùm dicitur his aut æquiualentibus verbis: *Notum ſit vniuerſis, nos velle hanc gratiam æternum perennare*, voluntas concedentis exponitur, ſed non ligatur; at cùm dicitur: *Concedimus vobis vt hac immunitate in æternum fruamini*, iam priuilegium habet donationis virtutem, et donatio non poteſt reuocari, niſi ex cauſis in Iure deſignatis.

Ex fauoribus et priuilegijs venis ad pœnas et inquiris, An ſint reſtringendæ aut ampliandæ? Fortè huic decidendæ controuerſiæ Regula XV. ſufficeret, nam ſi odia reſtringenda ſunt, reſtringendæ ſunt pœnæ. At quia poſſet ſtatim obijcere aliquis, illas eſse inſtitutas in fauorem Reipublicæ, et ideò ampliandas, addita fuit Regula II. *In pœnis benignior interpretatio eſt facienda*, vt Iuris conſultus Paulus *l. factum cuique §. fin. ff. eod.* loquitur, *In pœnalibus cauſis benigniùs interpretandum eſt*. Cui æquipollet

Regula

An Eccleſiaſticæ perpetuæ ſint?

Ciuitas, cuius hic memini-; nero, eſt Vol duc, id eſt, Sylua Ducis. cæter- nomina intermitto, ne Abbatẽ confundam, quem multi cognoſcimus.

An in articulis concordiæ cõprehendi debeat, qui noluit ad Ciuitatis defenſionem concurrere?

Bella hodie Hereticorũ contra Eccleſiaſticos & Regulares.

Quo ſenſu Anticaramuel & alii exponant donationes perpetuas.

Aliqui Eccleſiaſtici nimis auari ſunt, & aliqui ſæculares nimis rapaces.

Vetus ſenſus donationis perpetuæ.

Quid poſſit & non poſſit Princeps concedere?

De priuilegio conceſſo ſubditis.

Ex gratia.

Sine promiſſione.

Aut cum promiſſione.

De pœnis.

An ſint reſtringendæ

XXVII.

CML. Quid resoluendum sit in rebus obscuris?

REgula XXX. *In obscuris minimum est sequendum*. Puta si materia odiosa, pœnosa, aut peccaminosa sit. Nam qui dubitas, An tenearis reum damnare flagellis, vel cruce, debes sequi benigniorem sententiam. Qui putas te peccaturum, si reum absoluas, te æquè peccaturum, si condemnes, debes absoluere: quia cæteris paribus minimum odium sequeris. At qui putas te peccaturum, si condemnes, & grauiùs peccaturum, si absoluas, sequi debes id, quod minus peccatum iudicas, damnandus aliàs Theologorum sententiâ de excessu peccaminositatis, adeoque in talî casu teneris condemnare reum. *Et quia* omnia iura cõcatenata sunt, ex hac doctrinâ otitur Regula XL. *Pluralis locutio* (vbi non constat liquidò de quo numero intelligenda sit) *duorum numero est contenta*. Et ratio est, in obscuritate numerorum pluralium minimus est sequendus, & iste complectitur duos. In linguâ Græcâ, in quâ inter singularem, pluralemque datur dualis numerus, pluralis locutio tres vt minimum postulat, vt distinguatur à singulari, & à duali. An aliquando sufficeret vnus, vt pluralis locutio saluaretur? vide axiomate *XIX.* vbi *testium* nomine, *testis* absolutè intelligitur.

Quando tacet, qui lo. qui tenetur.

An silentiũ habeat vim confessionis in materia Iuris naturalis?

De numero plurali.

De duali.

XXVIII.

De *Silentio, quod consensui æquiualet*.

CMLI. Hæc consequentia: Non interdicuntur: Ergo concedantur: non est bona.

INquiris, *An ne in priuilegijs concedi dicantur omnia, quæ non interdicuntur? An in iudicijs dicendus sit, consensum præbuisse, qui tacuit?* Et respondeo, argumentum, quod sumitur à negatiuâ authoritate esse nullum, aut debile; multa enim hominibus non occurrunt. Cæterùm, cùm taciturnitas ipsa conniuentia nonnumquam sit, & quidam moralis assensus, dandæ sunt Regulæ, quæ tempus à tempore distinguant.

XXIX.

CMLII. Regula vigesimaquarta non est Regula.

IS, qui tacet, non fatetur, sed neque negare videtur. Lego clariùs, *Is, qui tacet, non semper fatetur, sed neque negare videtur*. Aut aliter: *Qui tacet, tacendo aliquando fatetur, & aliquando etiam negare videtur*. Et hæc Regula XXIV. non tam respondet controuersiæ, quàm eamdem proponit. Sit igitur Regula XLIII. *Qui tacet, consentire videtur*. Hanc ego dilucido *in cursu Philos.* & nunc illi alterã æquipollentem adiungo: *Qui, cùm tenetur loqui, tacet, & in sibi fauorabilibus etiam qui non tenetur loqui, consentire virtualiter dicendus est*. Hinc est, quòd non videatur consentire, qui tacet, interrogatus extra iudicium, aut in iudicio, sed non à Iudice; iste enim respondere non tenetur. *cap. 2. vers. verum si de confess. l. 1. 6.* cõtrà tamen, si interrogetur à Iudice; tunc enim respondere tenetur. Sic intelligimus hanc Regulam in materiâ ciuili, cuius valor humanæ voluntati subest.

Quado silentium cõfessioi æquiuleat?

Sed quid si agamus de Iure Diuino, aut naturali? Ponamus casum, qui ante mẽses paucos accidit, de quo multi fuerunt Viri docti consulti [Maria accusat Antonium de impotentiâ; vult nubere alteri; ille vocatus non comparet; interrogatus non respondet: An-ne condemnari poterit ex Regulâ: *Qui tacet consentire videtur*? & maximè, quia habet obligationem respondendi. Quid si & respondere nolit, & in contumaciâ condemnetur? An-ne ideò matrimonium Mariæ, & Antonij erit nullũ, & poterit illi alteri nubere? Quid ergo? Hîc ego, sicut & sæpè alibi, iuuari ab amicorum ingenio, & doctrinâ desidero] Sanè duæ grauissimæ difficultates occurrunt: altera, *An sit, Antonius in contumacia condemnandus?* altera, *An sit illi, si fateatur, credendum*? Pone matrimonium fuisse validum; An illud contumacia dirimet, & inualidum reddet? Pone iterùm fuisse validum; An illud inualidum reddet impotentiæ confessio? An non poterunt mutuò colludere Coniuges, vt hac viâ matrimonium in foro externo dirimant, & ad alias nuptias alter (aut fortè vterque) transeat: quod aliàs non permitteretur ab Episcopo? Omnia, quò magis examinantur, & discutiuntur, obscuriora videntur. Multi fuerunt in casu, cuius memini, Theologi, & Iurisperiti consulti. Isti sententiam pronunciandam ad legum humanarum apices existimabant, sed illos impugnabãt isti, supponentes naturas rerum non subijci legum humanarum arbitrio: hæserunt Iudices procedere ad sententiam non ausi.

De impedimento impotentiæ.

N. P.

An Coniugibus credendum sit?

Ius hic naturæ respiciendum est, & non leges humanæ.

XXX.

MAteriæ similitudo postulat, vt hunc casum proponam [Antonia sponsalia contraxit sub hac conditione, videlicet, *Si Pater consentiat*. Ille nec dicit se consentire, nec dissentire, et quæritur, An censendus sit consentire; quoniam, qui tacet, consentire videtur] Hunc casum proponit Leander *par. 2. tract. 9. disp 9. q. 12* illumque resoluit his verbis.

An Parentũ taciturnitas sit virtualis consensus.

Negant Nauarrus *in Summa Latina c 22. num 63*. mutans sententiam, quam Hispanè defenderat. Angelus *matr. 3. de impedim. 3 num. 3*. Ledesma *quæst. 47. art. 5. dub. 7.* & alij Moderni. Sed probabiliùs respondeo, censeri esse impletam conditionem; quia regulariter loquendo filius

Prima sententia.

per

per illam adiectam cõditionem ſolùm intendit, ne patri diſpliceat: at hoc ſufficienter iudicatur per eius taciturnitatem, iuxta Regul. Iuris: *Qui tacet*, &c. ergo. Sic Nauartus *in Sum. Hiſpana cap. 22. num. 63.* Sylueſt. Roſella, Veracruz, Lud. Lopez, & alij, quos affert, & ſequitur Sanchez *lib. 5. diſp. 7. num. 12.* Cornejo *loc. cit.* Bonacina *quæſt. 2. punct. 10. num. 26.* Ochagar. *tract. 3. quæſt. 20. num. 3* Baſilius *lib. 3. fine* Qui bene addunt, ſecùs dicendũ caſu, quo mens contrahentium eſſet alia, aut conditio poneretur ſub hac formâ: *Si Pater dicat ſe conſentire?* quia tunc non eſſet ſufficiens eius taciturnitas, ſed neceſſaria eſſet expreſſio conſenſûs.

Vera ſententia.

Sic Leander. Putarem ego certam eſſe Nauarri, Angeli, & Ledeſmæ ſententiam: quia *Nullum reſponſum, maximum eſt reſponſum*. Et Pater, cùm reſpondere filio, non debeat (non enim filius eſt ipſi ſuperior, nec illi indicere poteſt, vt reſpondeat) non dicendus conſentire, quia tacet: imò potiùs dicendus eſt non conſentire, & hoc iuxta præſentem Regulam: nam, ſi conſentire videtur, qui tacet, quando poteſt, & tenetur loqui, non videbitur conſentire qui tacet, quando non tenetur loqui, & fortè non expedit loqui.

An nullum reſponſum ſit reſponſum.

Ex eadem potiùs Regula deducimus concluſionem contrariam.

XXXI.

An eiuſmodi moralitates locum habeant etiam in Diuinis?

HVc pertinet quæſtio mirabilis, & noua, quæ à nemine propoſita, quæ à nullo Scriptore reſoluta: *An videlicet in caſu aliquo Spiritus Sanctus, ſi taceat, conſentire dicendus ſit?* Propono caſum.

Omnes Hæretici docẽt ſuam eſſe doctrinam Auguſtini.

Abutebantur Romanæ Eccleſiç benignitate Ianſeniani: blaterabant hinc inde; ſuos errores eſſe doctrinam Auguſtini dicebant, antiquam ſententiam (ſiue illam ad mentem D. Thomæ intendas, ſiue ad mentem Scoti dilucides, ſiue ad mentem Molinæ remittas) Pelagianam vocabant: inſultabant Eccleſiæ: non curabant Pontificem vt Patrem, ſuauia remedia morbo contagioſo adhibentem. Quid rebus ſic diſpoſitis Spiritus Sanctus? Eminentiſſimus Dominus Cardinalis de Lugo nonnullis Eccleſiæ Romanæ Principibus Innocentium X. venturum ad definitiuam prædixit. Erat enim eò deducta cauſa, vt tacendo videretur hæreſim Ianſenianã adſtruere: at erat lingua infallibilis Spiritûs Sancti, & iſtam non poterat adſerere: ergo, ſiquidem tacendo eam adſererat, tacere Innocentius non potuit. Paucis diebus poſt Innocentius, ad nullius inſtantiã (non enim ſe regi patiebatur) ſolius Spiritûs Sancti ductum ſequens, ſedens pro tribunali, definitiuam ſententiam pronunciauit, & dixit: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, has* (expreſſit illas) *in doctrina Ianſenij Propoſitiones condemnare*. Vide Bullam, & multa digna lectu reperies.

An qui tacet, conſentire dicendus ſit?

Spiritus Sancti lingua, et Pontifex.

XXXII.

De exceptione.

CMLIII. Dialectica moralis.

AXioma illud commune, *exceptio firmat Regulam in contrarium*, verum eſt: nam, ſi dicas, animalia, excepto ſolo homine, eſſe irrationalia, affirmas hominem eſſe rationalem, & cętera viuentia ſenſibilia eſſe irrationalia.

Exceptio eſt duplex: adęquata, & inadæquata.

Quæris, *An hæc Iuris Canonici Regula ita connaturalis ſit, vt in definitionibus, & verbis Diuinis locum habeat?* Reſpondeo habere, ſi exceptio adæquata ſit: &, ſi non ſit adæquata, ſolere hoc ipſum explicari, nec lector erret.

Vt reſolutionem intelligas adnotato, *Exceptionis adæquatæ* vocabulo intelligi illam, quæ omnia excipit, quæ ſunt excipienda: & *inadæquatæ* vocabulo illam intelligi, quæ non excipit omnia.

Vtra obtineat in dubio?

Etin dubio, *Qualis debet intelligi exceptio: in adæquata, an adæquata?* ſolet adæquata cenſeri, niſi contrarium innuatur. *Sequentia Sacræ Scripturæ teſtimonia perpende.* Geneſ. 14. 24 Exod. 10. 16. Leuit. 23. 38. Num. 6. 21. & 35. 6. Deut. 29. 11 & 30. Reg. 3. 18. & ibid. 10. 13 & 4 Reg. 4 14. & 1. Paral. 8. 4. & 29. 3. & 2. Paral. 17. 19. & 31. 16. & 1. Eſdr 1 6. & 2. 65. & 2. Eſdr. 5. 18 & Dan. 2. 11. & 11. 4. & 14. 9. Matt. 14. 21. Act. 26. 29. & 3. Eſdr. 5. 41. Vide etiam & examina, ſi ſuppetit tempus ſequentia. videlicet, Geneſ 9 4. Num. 5. 8. Deut. 18. 8. Ruth. 4. 4. & 1. Regum. 13. 22. & 2. Reg. 2 30. & 3. Reg. 3. 3. & 10. 15. & 15. 5. & 2. Par. 27. 2. & 1. Eſdr. 1 4. Eſther 17 14. Eccli. 22. 27. Hierem. 37. 20. Danielis 3. 95. & 1. Machab. 12. 36.

Ianſenij doctrina hæreſeos condemnatur.

Et ex Sacræ Scripturæ verbis ad definitiones Pontificias deueniens, aio, in illis Regulã in contrarium exceptione firmari: & oſtendo. Anno M. DC. LIII. pridie Calendas Iunias, Innocentius X. Pontifex Maximus Bullam edidit, in quâ quinque Propoſitiones in libro Cornelij Ianſenij condemnabat. Et quia præuidit, Ianſenianos argumentaturos eſſe hoc modo [Liber decennio ſolido ſufficit Theologorum examini, & tandem in illo iſtæ quinque Propoſitiones condemnantur: ergo cæteræ approbantur: nam exceptio firmat Regulam in contrarium] hanc ob cauſam prudentiſſimus Pontifex, ne errori locus eſſet, mentem ſuam verbis expreſſis declarauit. Rogatus erat ab Epiſcopis Galliæ, vt definiret, quales eſſent illæ quinque Propoſitiones, quales eſſent cæterę non fuit rogatus: reſpondet directè interrogantibus; illas hæreticas eſſe definit, et ne fortè aliquis hiſtoriæ inſcius reſponſionem exceptionem putaret, Bullam ſuam clauſit his fortiſſimis verbis. *Non intendentes*

Vt intelligatur Reſponſio, eſt conſiderata interrogatio.

tamen

tamen per hanc declarationem & definitionem ſuper quinque Propoſitionibus factam, approbare vllatenùs alias opiniones, quę continentur in prædicto libro Cornelij Ianſenij. Et cur Innocentius tantâ curâ has lineas addidit? Quia, niſi illas poneret, curreret Moralis Dialectica, et ſtaret illud Canonici Iuris Axioma, *exceptio firmat Regulam in contrarium.*

Note bene.

XXXIII.

Multa ſolét, à Canoniſtis dici hic, quę docti reijciunt.

SEd quo intelligenda modo Regula LXIII. *Exceptionem obijciens, non videtur in intentione aduerſarij confiteri?* Hæc Regula debet limari, nec videtur conſentanea rationi, ſi, vt ſonat et iacet, admittatur. Vt illam explicet, Caniſius hunc caſum frequentem proponit, Paulus poſtulat ab Antonio debitum, quod nunquam contraxit, & Antonius, vt faciliùs ſe expediat, obijcit ſolutionem, vel pactum de non potendo, vel aliam exceptionem ſimilem, & inquiris, *An cenſendus ſit Antonius debitum confiteri?* Reſpondet negatiuè Caniſius; & ſuam reſolutionem probat ex hac Regulâ, quam nos laborare morbo graui aſſeruimus; & ne ratione carere dicatur, ſic inquit [Porrò in eo conſiſtit, quòd exceptio non aliâ mente obijcitur à reo, quâ ad excludendam actoris intentionem, non ad eam fundandam; non igitur contrarium effectum operari debet exceptio; actus enim noſtri (dici ſolet) non operantur vltra intentionem noſtram *l. non omnis 19. in princ. ff. ſi cert. pet.* Neque in dubio credendus eſt reus eam viam ſibi eligere voluiſſe, vt ſeipſum impugnaret & aduerſarium iuuaret *l. 3. ff. de milit. teſtam.*] & tamen hæc ratio nulla eſt; quia qui fatetur aliquid, non poteſt negare id, ſine quo non eſſet verum, quod fatetur; aliàs aut fateretur falſum, aut duas ſimul contradictorias admitteret. Fatetur ergo debitum, qui ſe ſoluiſſe teſtatur, aut ſimilem aliam exceptionem obijcit, quæ ſine debito ſtare non poteſt. Nec habet vnde Caniſius ſic diſcurrat, niſi textum Regulæ crudæ, quam deberet lumine rationis concoquere.

Caniſius vti tur regula, quæ non eſt omninò directa.

Cur excipiat reus?

Actus humani non debet vltra intentionem operari.

Sed veritatē quærit Iudex, & non intentionem accuſati.

Qui aſſerit aliquid, aſſerit omnia, quæ ſunt cōnexa cum illo.

Caniſius reiectus.

XXXIV.

CMLIV. An damnādus, qui crimen fatetur, & nequit probare excuſatura n circumſtantiam?

POnit alterum caſum, & inquirit, *An qui hominem defendendi ſui cauſa ſe occidiſſe fatetur, homicidium eo ipſo confiteatur, & tanquam homicida plectendus ſit, ſi defenſionem non probet?* & reſpondet non videri, ſi æquitatem Regulæ iſtius ſequamur, vultque, videri Decium, alioſque *ad c. 6. extr. de excep.* At ego reſpondeo non videri, ſi Regulæ corticem & literam crudam ſequamur: at videri, ſi Regulæ æquitatem & ſenſum. Subiungit ille: *Omnium tamen tutiſſimum erit, ſi reus exceptionem ſuam conditionaliter obijciat, dicendo: Nego me tibi debere; ſed ſi debui ſolui tibi* (Nego me occidiſſe Titium; ſed ſi occidi, cum inculpatæ tutelæ moderamine, & ex defenſionis merâ neceſſitate occidi) *& ita in cæteris, vt hac ratione oneretur aduerſarius ad probandam intentionem ſuam l. ſiquidem 9. C. de except.* Ergo ex hac doctrinâ exponatur illa Regula Iuris, & eſſe dicatur: *Exceptionem conditionalem obijciens non videtur in intentione aduerſarij confiteri.* Suaderem tamen reo, vt potiùs homicidium negaret, quouſque conuinceretur. Si ſemel eſſet de homicidio conuictus, tunc demum exciperet dicens: *Si occidi, cum moderamine inculpatæ tutelæ proceſſi*, & ſic in alijs.

Confeſſio conditionalis an admittetur?

Caniſiana interpretatio.

XXXV.

CMLV. De priuilegio, ſi præiudiciale reddatur?

HIc obiter notandum eſt, mutatis tēporibus & circumſtantijs aliquando contingere, priuilegia in præiudicia permutari, & tunc ita reſtringenda ſunt, vt non maneant præiudicialia, iuxta Regulam *LX^I. Quod in gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum*; quæ conſonat legi, *quod fauore. 6. c. de legibus.* Proſtant exempla *in cap. ad apoſtolicam 16. extr de regularibus. in l. non eo minùs. 14. c. de procuratoribus. in l. ſi iudex 42 ff. de minoribus.*

Nemo vti priuilegio tenetur.

Hinc patet, neminem inuitum debere vti priuilegio; non enim eſſet fauor, ſi obſtringeret etiam inuitos. Layman *fol. 134. & 650 n 27.*

De extenſione fauorum ad alios.

Petis, *An fauores ita ampliandi ſint, vt ad alias perſonas extendantur?* Reſpōdeo, eſſe Regulam LXXIV *Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum.* Puto tamen alijs tantum concedi indirectè, quantum eſt neceſſarium, vt ſuo ille priuilegio fruatur, cui directè conceditur; nam quod conceditur vni, conceditur ſuo modo alteri relatiuo; nam ſi ſacerdoti conceditur, vt ducat vxorem; fœminis conceditur, vt poſſint eidem nubere; ſi Carthuſiano conceditur, vt poſſit ad alium ordinem tranſire, alijs etiam ordinibus concedetur, vt eum poſſint admittere.

Priuilegia alijs concedunrur directè, & alijs indirectè.

XXXVI.

De reuerentia in omni Iuris interpretatione ſeruanda.

CMLVI. Decentia poſtulat, vt plurima aliter exponātur. Sed quo modo?

ALiqua huc concernentia tetigi ſuperiùs, plura inferiùs ſubijciam; pauca interim hîc, ſed valde neceſsaria, propono. Dico igitur, ſi Lex habeat duos ſenſus, alterum proprium, & regulis grammaticalibus conſonum, alterum verò improprium,

prium,& ſi velis coactum ; ſi tamen iſte ſecundus nec iuſtitiæ, nec prudentiæ opponatur, nec vltra Legislatoris poteſtatem aut iuriſdictionem vagetur, & ille prior ſit talis, vt inde neceſſariò ſequatur, Legislatorem aut fuiſse iniquum,aut ſtultum, aut exceſſiſse limites ſuæ poteſtatis ; in tali caſu reuerentiam debitam Legislatori poſtulare,vt ſenſus honoris & integritati Legislatoris congruens, vel inuitâ grammaticâ,accipiatur. Tunc enim tantùm propriè intelligenda ſcriptura aliqua eſt, cùm ſine abſurdo poteſt. Reginaldus *lib.* 27. *nu.*10. Quam doctrinam eſse valde neceſsariam ſcimus, qui Pontificum & Regum Diplomata, à Secretariis interdùm imperitis ſcripta,examinamus.

Quando ad ſenſum rigoroſum ſit recurrendũ

FVNDAMENTVM XXXIX.

Clauis IV. De Commiſſiua Iuſtitia.

CMLVII. Perſonales actiones.

ACtiones (A) perſonales alteri committi non poſſunt. Tales ſunt naturales, ſupernaturales, ferè omnes ſacramentales, miſſæ auditio, horarum recitatio, teſtamenti conditio, corporales pœnæ, paſſiuum examen, & alia id genus. Priuilegia (AA)perſonalia non communicantur.

Actiones communicabiles:

Reales.

Committi alteri (capaci tamen)poſſunt (B) omnes actiones reales. Potes enim tantum ac tale ius in alium transferre, quantum & quale tibi competit, non aliud (C) diuerſum, non (D) maius, non diuturnius; & hoc delegatione, ſucceſſione, & (E) alienatione. Commiſſio eſt duplex,realis (F) & virtualis;expreſſa & implicita ; vtraque eumdem effectum parit ; at virtualis poſtulat (G) ratihabitionem.

& incommunicabiles.

CMLVIII. Obligationes & priuilegia perſonalia.

HVc *multæ Leges, multæ Regulæ pertinent;præcipuas dabimus.*

A. Obligationi perſonali nemo poteſt per procuratorem ſatisfacere : *pleraſque actiones perſonales enumerauimus in textu.*

B. Priuilegium (*ſeu Ius*) perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſonâ. *Eſt Regula VII.* Obligationi reali poteſt quicumque per procuratorem ſatisfacere. *Sunt euidenter veræ, & in ipſa verborum ſignificatione fundatur.*

Et realia.

Cur Procuratores admiſſi?

Poteſt quis (*ſi opus ſit reale & non perſonale*) per alium (*capacem*) quod poteſt facere per ſe ipſum. *Eſt Regula LVIII.*

Vſus Procuratorum perquam neceſsarius eſt,vt qui rebus ſuis ſupereſse (*intereſſe*) vel nolunt,vel non poſsunt, ſaltem per alios poſſint agere vel conuenire.

Actio realis & virtualis in Iure coincidunt.

Qui facit (*realem actionem*) per alium, perinde ac ſi faciat per ipſum. *Eſt Regula* LXXII.

Qui crimen committit per alium, perinde ac ſi committeret per ſe ipſum: *Infertur ex antecedente.*

An ſit æquiuoca iſta Regula?

C. Quod alicui ſuo non licebit nomine,nec alieno licebit. *Eſt regula LXVII. & vix vera. Admitti poterit, ſi dicatur æquipollere huic:* Quod non poteſt aliquis licitè facere per ſe & ſuo nomine,frequentiùs non poterit interpoſito procuratore : multa tamen licitè & valde facimus nomine alieno,quæ proprio non poſsumus.

De Procuratoris poteſtate.

Relego hanc Regulam, & aliquid æquiuocationis reperio : video enim ſenſus duos, qui inter ſe differunt toto cœlo. Primus

De Procuratoris poteſtate.

mus eſt: *Quod Petrus nõ facit perſonaliter, non poteſt per Vicarium, & Procuratorem facere.* Secundus: *Quod Petrus non poteſt facere ſuo nomine, & perſonaliter, non poterit facere nomine alterius, cuius ſit Vicarius.* Primus ſenſus impugnari poteſt hoc exemplo. Nam Iudex, qui recuſatur, ſolet vices ſuas alteri delegare, adeoque per alium facere, quod per ſe non poteſt. Iſto dilucidatur: vir enim non poteſt perſonaliter viro nubere: ergo nec per procuratorem nubere poterit: ſecundus impugnatur, quia vir qui perſonaliter nubere viro nequit, ſi ſit mulieris procurator, nomine mulieris poterit contractum firmare: nam Albanus Dux Ferrariæ coram ſummo Pontifice cum Alberto Archiduce Auſtriæ nomine Iſabellæ Claræ Eugeniæ contraxit; erat enim Infantis Iſabellæ procurator. *Hinc patet*, Regulas generales multis limitationibus, & expoſitionibus obnoxias eſſe.

De Iudice recuſato.

An vir eſſe poſſit procurator fœminæ in matrimoniali cõtractu?

De iure trãſlato.

Is, qui in Ius ſuccedit alterius, eo iure quo ille, vti debet (*non enim aut alio, aut maiore*) *Eſt Regula XLVI.*

Qui in Ius dominium-ue alterius ſuccedit, iure eius (*reali*) vti debet.

D. Nemo plus iuris poteſt transferre in alium, quàm ſibi petere dignoſcatur. *Eſt Regula LXXIX.*

Vlpianus: Non debeo melioris conditionis eſſe, quàm author meus, à quo Ius in me tranſit, &c.

E. *Pomponius*: Alienatio cùm ſit, cum ſuâ cauſa dominium ad alium transferimus, quæ eſſet futura, ſi apud nos ea manſiſſet.

Commiſſio realis & virtualis.

F. Licentia aut commiſſio realis, & actualis, & quæ verè & realiter conceditur, virtualis, & implicita quæ præſumitur: videlicet euidenter, aut probabiliter ſaltem.

Ratihabitio.

G. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari. *Eſt Regula X.*

Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine geſtum non eſt. *Eſt Regula IX.*

Poteſt quis rata habere grauamina.

Nemo dat, quod non habet. *Layman de iuſta defenſione folio* 248. Nec contrà militant cauſæ æquiuocæ; quia fortè iſtæ non dantur, ſed ſemper latet aliqua vniuoca, quam non omnes præcipiunt, aut modo, quem non omnes percipiunt. Nec militat cauſa prima: hæc enim non eſt æquiuoca, ſed eminens, & eminenter habet omnes perfectiones, quas producit.

CMLIX. Ceſſio & delegatio.

PErmittunt Leges, vt homo vices ſuas alteri committat, & hoc bifariam, aut dignitatem cedendo, aut authoritatem delegando; & tametſi vtrumque permittant, multas ipſæ & valde neceſſarias limitationes addunt, ita vt hæc Iuſtitiæ pars multis ſcateat ſalebris, & debeat accuratè explicari,

I.

De actionibus perſonalibus.

Actus perſonales.

MVltæ ſunt actiones perſonales, in quibus illicitè, & inualidè quis alteram perſonam ſubſtituat.

Naturales non poſſunt fieri per procuratorem.

Primò enim actiones naturales elici per Vicarium non poſſunt. Tales ſunt comedere, bibere, lotium, & reliqua excrementa reddere, ſudare, expuere, pharma recipere, purgare, &c. Scio in Monſtris, ſi duobus inuicem ligatis, aut inſertis corporibus vnicus ſit ſtomachus, ſufficere, vt altera perſona pro vtraque comedat, aut egerat, vt viſum eſt in compacto illo perſonarum binario, qui Genuæ natus anno 1617. an. 1629. Madritum aduenit, & fuit in cauſâ, vt Ioannes Euſebius Nierenbergius ſuæ Philoſophiæ curioſæ librum III. adiungeret.

Notanda de Monſtris.

Supernaturales ſunt etiam perſonales.

Secundo nec actiones ſupernaturales cõmitti alteri poſſunt: non enim licet, vt vel ego Deum amem per procuratorem, vel per alium credam, vel ſperem: nam & ruſtici, cùm credunt quod Sacra Romana Eccleſia, verè credunt, nec fide aliena, ſed propriâ, & propriâ charitate ſaluantur.

CMLX. Sacramentales; an ſint perſonales.

Tertio ferè omnes ſacramentales actiones perſonales ſunt, quoniam matrimonium per procuratorem poteſt contrahi, nihil aliud: diſcurrendo per ſingulas, omninò debet aſſeri, ſacramentum Baptiſmi neminem poſſe alterius nomine recipere; neminem alterius nomine conferre: quoniam tametſi certum ſit, illud à quocunq; viro vel fœminâ conferri poſſe, non tamen ita debet conferri, vt vnus ſubminiſter nomine alterius miniſtri aut aquam effundat, aut proferat formam ſacramentalem; aut alium liquorem loco aquæ naturalis ſubſtituat. Idem de ſacramento Confirmationis eſt dicendum; idem de reliquis. Non poteris nomine alterius confirmari, non delere de peccatis, non confiteri, non abſolui, non ſatisfacere Cõmunionis præcepto, non recipere Ordinem, non extremam Vnctionem: ſicut nec poteris nomine Epiſcopi confirmare, aut nomine Confeſſarij abſoluere, aut nomine Sacerdotis miſſã legere, aut Laicus nomine Parrochi Matrimonio, ne ſit clandeſtinum, intereſſe; aut illud nomine mariti conſumare, aut debitum petere; nec extremam Vnctionem conferre nomine miniſtri legitimi.

In Baptiſmo.

In Cõfirmatione.

In Communione: Ordine: extrema Vnctione: In Matrimonio.

Quarto de feſto; nemo enim poteſt audire miſſam per procuratorem: hæc enim lex eſt perſonalis, nec procuratorem admittit

In Præcepto.

mittit. Idem dicito de Officio diuino, quod tenentur Sacerdotes, aut alii Eccleſiaſtici recitare.

An poſſis teſtamentũ condere per procuratorem?

Quinto, vt conſtat *ex l. illa inſtit.* 32. *l. ſiquis Sempronium*, 68. *ff. de hæred. inſtit.* & ex iis, quæ tradũt Doctores *ad c. cum tibi* 13. *extr. de teſt.* teſtamentum per procuratorem fieri nequit; non enim poteſt moribundus concedere, vt Ioannes eius nomine condat teſtamentum: poteſt tamen ex naturâ rei, ſi non impediretur his legibus.

Nota bene.

CMLXI. Pœnales actus.

Sexto, pœnas corporeas debet quis ſubire perſonaliter, non enim damnatus flagellis aut capite poſſet, interpoſito tertio, ſententiæ ſatisfacere. Scio aliquando concedi, vt damnati ad triremes alios mittant; ſed tunc damnatio ipſa realis, non verò perſonalis fuit.

Nota hoc.

Doctrinales actiones.

Septimo non poteſt in examine doctrinæ vnus alterius loco reſpondere; diſputationes enim academicæ, & quæcumque aliæ actiones literariæ omninò perſonales ſunt. At in multis caſibus iudicatur eſſe ſatis doctus, qui ſcit regi ſapientum conſilio, ſed hæc ipſa doctrina (hoc eſt, ſcire regi) omninò perſonalis eſt.

An ſit ſatis doctus, qui ſcit à doctis regi?

An ſententia poſſit per alium pronunciari?

Octauo dantur aliæ actiones, quæ in Iure perſonales habentur, & poſſunt creſcere, & diminui. Nam ſententia debet perſonaliter proferri à Iudice, *l. 1. 2. & 3. C. de ſentent. ex breuic. recit.* tametſi receptum iam ſit, illuſtriores perſonas ſententiam per alios pronuntiare.

II.

De actionibus realibus.

CMLXII.

SIc intelligenda eſt illa Iuris Canonici Regula LXVIII. *Poteſt quis* (ſubintellige, *ſi opus ſit reale & non perſonale*) *per alium* (*capacem tamen*) *quod poteſt facere per ſeipſum.* Quò ſpectat titulus vtriuſque Iuris de procuratoribus. *Vſus procuratorum*, inquit I. C. *perquam neceſſarius eſt; vt qui rebus ſuis ſupereſſe* (*intereſſe*) *vel nolunt, vel non poſſunt, ſaltem per alios poſſint agere, vel conueniri. lib. 1. §. penult. de procurator.* Conſultò poſui illud *capacem*; quia tametſi gubernare ſit quid reale, quod poteſt delegari, & committi, nunquam admittam validè proceſſiſſe Gunnarum, & Attilum, qui regiam authoritatem Canibus delegarunt; canes enim authoritatis incapaces ſunt.

Cur procuratores introducti?

Debent eſſe capaces.

Cauſa duplex: realis, & moralis.

Conſonat Regula LXXII. *Qui facit per alium* (*capacem intelligo*) *perinde eſt, ac ſi faciat per ſeipſum.* Quæ primò habet locum in contractibus, & in ijs omnibus, in quibus iure permittitur interponere procuratorem. Secundò in nocumentis illatis proximo; perinde enim eſt, ſi dominum Petri manu propriâ incendas, an manu famuli; ſi Ioannem manu occidas propriâ, an per ſicarium. Alexander III. *ad caput: Poteſt quis*, ſic ait: *Qui non per ſe ipſos, ſed eorum authoritate, vel mandato alij violenter iniecerunt manus in Clericos, ad Sedem Apoſtolicam ſunt mittendi, cùm is committat verè* (non tamen realiter, ſed moraliter & virtualiter) *cuius authoritate, vel mandato delictum committi probatur.* Nota iſtud *probatur*, vt diſcas verè à Bernard. *lib. de præcept. & diſpenſ.* dictum: *Quod probari non poteſt, mihi* (ciuiliter & politicè) *infectum* (ſeu non commiſſum) *eſt.* Conſonat *lib. 1. par. de ieciſſe. ff. de vi, & vi arm.* Vlpianus, qui ſic ait: *Deieciſſe* (ſi non realiter ſaltem virtualiter moraliterque) *etiam is videtur, qui mandauit vel iuſſit, vt aliquis deijceretur; parui enim* (& ſtando iuri, *nihili*) *referre viſum eſt, ſuis manibus quis deijciat, an verò per alium.* Et iterum *l. non ſolum* 11. *ff. de iniur.* idem Iuris peritus: *Non ſolùm autem is iniuriarum tenetur, qui* (perſonaliter) *fecit iniuriam, hoc eſt qui percuſſit: verùm ille quoque continetur, qui dolo* (*moraliter & virtualiter*) *fecit, vel qui curauit, vt cui mala* (*gena*) *pugno percuteretur.* & etiam conſonanter *l. non ideò. 5. C. de accuſ.* Gordianus: *Non ideò minùs crimine ſiue atrocium iniuriarum iudicio tenetur is, qui iniuſtam accuſationem incidit, quia dicit alium ſe huiuſmodi mandatorem habuiſſe; namque hoc caſu prætor principalem reum, mandatorem quoque ex ſua perſona conuentri poſſe ignotum non eſt.* Vocat *principalem reum* occiſorem phyſicum, & *minùs principalem reum* occiſorem moralem; & ſtando rigori philoſophico, aliter loqui deberet: nam ſi Petros Ioannem per ſicarium occidit, cauſa huius homicidij principalis Petrus eſt: inſtrumentalis aut minùs principalis ſicarius. At Gordianus contrà, ſicarium magis principalem appellat, quòd fuerit cauſa realis, & poſſit faciliùs conuinci: nam contra homicidam realem primariò in iudicio proceditur, & poſteà contra mandatorem ex rei confeſſione venitur.

Quod probari non poteſt politicè commiſſum non fuit.

Quantum differat agés reale & morale.

Nemo excuſatur iniquo alius mandato.

Cauſa principalis & minùs principalis. Cauſa inſtrumentalis.

III.

CMLXIII. Torquetur tantiſper Regula, vt vera cuadat.

HInc intelligenda eſt Iuris Regula LXVII. *Quod alicui ſuo non licebit nomine, nec alieno licebit*, quæ reddit hunc ſenſum, *Quod non poteſt aliquis licitè facere per ſe, & ſuo nomine, nec poterit interpoſito procuratore.* Priuatus enim, qui non poteſt Petrum occidere manu propriâ, non poterit delegare authoritatem Antonio, vt eum occidat. Religioſus, qui non poteſt perſonaliter ducere vxorem, non poterit per procuratorem. Cæterùm

terùm hæc Regula in multis caſibus fallere poteſt: ſæpè enim quod ego non poſſum facere nomine meo, non prohibeor facere nomine alterius, niſi mihi ſit ſpecialiter interdictum, vt ſubeam vices procuratoris: Sic igitur Religioſus, qui nomine proprio non poteſt res emere aut vendere, poteſt nomine ſuæ Communitatis; ego, qui non poſſum ducere in vxorem meam ſororem aut conſanguineam, potero illam alterius nomine. Vir non poteſt viro nubere: at poteſt eſſe procurator ſpõſæ, & ſponſæ nomine matrimonium inire. Vide, quæ de Alberti, & Iſabellæ, Belgarum Principum, matrimonio diximus *numer. 958.*

An vir virũ in vxorem ducere poſſit.

IV.

CMLXIV. De iure trãſlato.

HVic eſt ſimilis Regula XLVI. *Is, qui in ius ſuccedit alterius, eo iure, quo ille, vti debet* (non autem, aut alio, aut maiore) cui conſonat alia Iuris Ciuilis Regula: *Qui in ius, dominium-ue alterius ſuccedit, iure eius vti debet. in l. qui in ius. ff. eodem.* Differt à delegatione ſucceſſio; quòd in delegatione vnum, & idem ius, ſiue authoritas in legante, ac legato maneat; in illo propriè, & primariò; in hoc impropriè, & ſecundariò; in illo principaliter, in iſto inſtrumentaliter: at in ſucceſſione totum ius, tota authoritas tranſit ab vno in alterum, ita vt iam non ſit in priore, ſed in poſteriore eodem ſit omninò modo, quo in priore fuerat. Porrò ſuccedere dicitur Hæres. *l. hæres 37. ff. de adquir. vel om. hæred.* Fiſcus, quoad bona confiſcata. *l. 2. eap. ad l. Iul. de vi publ.* & in dominium rerum particularium Donatarius, Legatarius, Emptor, & ſimiles. *l. hæres.* Hic tamen notandum eſt in iura perſonalia non ſuccedi, nam ſi defunctus habebat aliqua perſonalia priuilegia, quæcumque illa ſint, ad hæredem non tranſeunt. Vnde tametſi ſacerdos poſſit miſſas dicere, eius hæres non ſuccedit illi in iſtud, ius quoniam perſonale eſt; nam vt habet Regula Iuris ſeptima, *priuilegium* (ſeu ius) *perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.* Vnde appoſitiſſimè, *l. in omnibus 68 ff hoc tit* Paulus Iuris Conſultus: *In omnibus eauſis obſeruatur*, ait, *vt vbi perſonæ conditio locum facit beneficio* (ſeu priuilegio) *vti deficiente ea beneficium quoque deficiat.* Caniſius hanc ſeptimam Regulam his exemplis & verbis illuſtrat [Maritus dotis nomine vel aliter conuentus ab vxore, & è contrà vxor à marito conuenta, item ſocius vniuerſorum bonorum, vel etiam vnius rei; parens, patronus, patrona, liberique eorum & parentes, donator, miles (*adde Studioſum in nobilioribus Academijs*) eatenus condemnantur, quatenus facere poſſunt; ſcilicet, ne egeant. *l. ſunt qui 16. cum aliquot ll. ſequentibus ff. de re iudic. l. maritus 74. ff ſolu. matrim. l. in condemnatione 173 ff hoc tit. §. præterea inſtitut. de action.* at hoc beneficium, cùm perſonale ſit, non producitur ad fideiuſſores ipſorum, vel hæredes. *l. maritum. 12. cum l. ſeq. ff. ſol. matrim. legverum 63. circ. princip. ff. pro Soc. l. ſi fideiuſſor. 24. cum l. ſeq. de re iudic.* Exceptis tamen filiis mulieris, qui patri hæredes exſtiterunt, quibus idem beneficium à iure communicatur, vt, ſcilicet, & hi nonniſi in id, quod facere poſſunt, condemnentur *l. etiam. 18. ff ſol matrim.* Nec mirũ, ſi id receptum eſt inter ſocios, propter ius quoddam fraternitatis, quod inter ſocios intercedit; profectò multò magis recipiendum eſt inter matrem, & filios propter ius neceſſitudinis naturale. Sic priuilegium immunitatis perſonæ conceſſum cum eâdem exſpirat. *l. 3. in fin. ff. de cenſibus*, & de non ſoluendo vectigali in rebus ſuis, ad emptorem earumdem rerum non porrigitur, *l. licitatio 9. §. fin. ff. de publica*] Sic ille. Cæterùm ſucceſſoris ius non eſſe iure Anteceſſoris maius probat.

Succeſſionis & delegationis differentiæ.

Succedunt Hæres; Fiſcus.

Donatarius. Legatarius. Emptor.

Iura perſonalia ad hæredes non tranſeunt.

An ſupra vires aliquis condemnari poſſit?

Sociorum fratrum iura.

V.

CMLXV. Quo modo res & iura tranſeant ad alios?

REgula LXXIX. *Nemo plus Iuris poteſt transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.* & conſonat legi, *Nemo plus iuris. ff. hoc tit.* Hinc eſt, quòd res tranſeat ad hæredem, ad emptorem, ad donatarium affecta omnibus oneribus, quibus fuerat apud priorem poſſeſſorem.

Subijciam aliquas periodos, quæ dilucident doctrinam præcedentem. *l. in ijs. 175. §. 1. ff. hoc tit.* ait Vlpianus: *Non debeo melioris cõditionis eſſe, quam author meus, a quo Ius in me tranſit.* Excipe tamen, ſi ille author habuerit aliquod perſonale gratiamen, aut ego aliquod perſonale priuilegium; iam enim non de perſonalibus, ſed de realibus agitur. Et iterùm *l. traditio 20. ff. de adquir rer. domin.* idem Iuris Conſultus: *Traditio nihil aliud transferre debet, vel poteſt ad eum, qui accipit, quam quod eſt apud eum, qui tradit. Si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert; ſi non habuit, ad eum, qui accepit, nihil transfert: quoties autem dominium transfertur ad eum, qui accipit, tale tranſfertur, quale fuit apud eum, qui tradidit. Si ſeruus fuit fundus, cum ſeruitutibus tranſit; Si liber, vti fuit, &c.* Conſonatque *in l. alienatio 67. ff de cõtrab. emp.* Pomponius ſic inquiens: *Alienatio, cùm fit, cum ſua cauſa dominium ad alium transferimus, quæ eſſet futura, ſi apud nos ea res manſiſſet.* Hinc ortum ſuit illud Iuridicum principium, quod poſteà ad phyſicam feliciter translatum eſt, nimirùm,

Author apud Vlpianum ille eſt à rem recepi.

Quæ & qualia transferri poſſint.

Nemo dat quod non habet.

Nemo dat (subintellige, *proprio nomine vt quod, & vt principalis causa*) *quod non habet*; nã si ego fundũ alienũ, & nõ meũ dare posse; aut si possiderẽ fundũ seruũ, & tamẽ liberum vendere possem; aut fundũ, quem non habebam aut saltem libertatem, quâ in ipso carebam, illud omninò, quod non haberem, darem.

Aliud est dare vt quod, aliud; vt quo.

Obiectio.

SED OBICIT legem. *Non est nouum* 46. *ff. de adquir. rer. domin.* in qua Vlpianus sic ait: *Non est nouum, vt qui dominium non habeat, alij dominium præbeat; nam & creditor, pignus vendendo, causam dominij præstat, quam ipse non habet*. Sed non vrgeor, nam cùm pignus venditur, à creditore venditur *vt quo*, à debitore *vt quod*; ab illo vt causâ instrumentali, ab isto vt principali; ab illo debitoris nomine, ab isto proprio. Quòd si pacti fuerint, vt debitore in talem diem trahente moras, pignus fiat creditoris, tunc iste esset verus pignoris dominus, possetque illud proprio nomine vendere, aut retinere.

Quo pignora modo vẽdantur.

Vendere vt quod, & vt quo.

VI.

CMLXVI. Quid sit procuratorium?

PRocuratorium reale, & actuale est delegata potestas, vi cuius Procurator est virtualiter dominus principalis; virtualiter quidem, quoniam tametsi non sit verè, & realiter principalis dominus, ita se habet, ac si verè, & realiter principalis dominus esset. Huius procuratorij virtute æquè potest Antonius, Franciſci procurator, domum, & hortos Franciſci vendere, ac potest ipsemet Franciſcus. At procuratorium, seu delegata potestas est duplex, expressa & implicita, certa & probabilis, data & præsumpta, aut, vt omnia colligam (hi enim termini impræsentiarum sunt similes) actualis, & virtualis. Dico igitur expressam, certam, realem, actualemque delegationem, seu domûs vendendæ potestatem non indigere ratihabitione, nisi fortè limitata sit, & vsque ad ratihabitionem concessa.

Et quotuplex?

An requirat ratihabitionem?

Addo, implicitam, probabilem, præsumptam, & virtualem æquè fortem, & potentem esse, modò eiusdem probari possit; & quia non aliter quàm ratihabitione potest, ab hac, vt à conditione *sine qua non* habere (non tamen verò tanquam à ratione formali) quòd sit valida.

Probatur hoc Regula *X. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*. Si enim vi procuratorij virtualis Antonius (iuuat retinere idem exemplũ) domum, hortos, & vineas Franciſci Calendis Ianuarij donauerit Eliphonſo, & postea Calendis Nouembris Franciſcus (præsens fuerit, aut absens, nã ad ratihabitionẽ præsentia realis non requiritur, *Bartholus ad l. Pomponius. num. 1. ff. de negot. gest.*) hanc eamdem donationem ratam habuerit; hæc ratihabitio non erit donatio, vi cuius Eliphonſus à Nouembris Calendis incipiat esse domûs, hortorum, & vinearum dominus; sed erit conditio, *Sine qua non* donatio illa facta per Antonium subsisteret, & posita faciet, vt retrotrahatur effectus, & Eliphonſus inceperit à Calendis Ianuarijs esse domûs hortorum, & vinearum dominus, adeoque possit fructus toto anno perceptos retinere. Consonant hæc omnia capiti *penult. de sentent. excommun. lib. 6. cap. fin. de iureiurand. eodem lib. & cap. si tibi 17. de præ. 6. eodem. Et etiam legi hoc iure 195. ff hoc titul. & l. vero 12. in fin. ff. de solutionibus. l. si fundus. §. 1. l. fin. C. ad Senatus Consult. Macedo. l. donationes 27 C. de donat. inter vir. & vxor. l. 3. § hæc autem actio. ff. de negot. gestis*. Circa ratihabitionẽ adnotato, eam fieri debere politicè, hoc est ita, vt probari possit; nec tamen refert, an fiat scriptis, an verbis, an factis. Qui fieri in scriptis, aut verbis possit, non ignoras: qui factis intelligere vis. Iubeo legi Paulum Iure-Consultum, *l. Paulus 7. ff. rem ratam hab. l. Paulus* 9. 1. & sic discurro. Ipsâ inquam, ille quod suo nomine gestum ratum habet, qui facit aliquod, quod subsistere nequit omninò, si illud quod gestũ suo nomine dicitur, esset inualidum. *Sic* igitur, si Fridericus inchoauerit litem tuo nomine, & tu illam persequaris, quod Fridericus fecit, ratum habes, non enim persequi posses, si illud esset inualidum. Si domum implicitâ licentiâ tuâ venditam loces, aut equum tuo venditum nomine pretio conducas, videris ratihabere venditionem domus, & equi. Si etiam acceptis à filio tuo literis ratione pecuniæ mutuò acceptæ, continuò contestationem nõ interponas contrariæ voluntatis, ratihabere videberis; qui enim tacet, cùm tenetur loqui, consentire videtur, iuxta Regulam XLIII. Et tu exlege, *Si filius familias 18. ff. ad Senatus Consultum Macedo.* in hoc casu loqui omninò teneris, ne tuo silentio creditor decipiatur.

Ratihabitio vel est realis.

Vel virtualis.

Quomodo ratihabitio virtualis probetur, & cognoscatur?

An aliquando tenearis loqui?

Circa Procuratoris præsumpti personã etiam notari oportet, non referre, an ille post traditionem rei venditæ, vel donatæ mortuus fuerit, furare aut delirare inceperit, aut etiam actionem ipsam retractarit, & facti omninò pœnituerit.

CMLXVII. De Procuratore.

Circa tempus notandum, illud aut à lege publicâ, aut in ipso præsumpti Procuratoris contractu potuisse limitari: quòd si intra præscriptum tempus ratihabitio nõ sequatur, priora omnia erunt nulla, nec poterunt serotinâ, & intempestâ ratihabitione (*l. penult. & vltim. §. 1 ff. rem ratihabit.*) confirmari.

De tempore.

An ad ratihabitionem realis præsentia requiratur.

Nota obiter, ratihabitionem non habere lo-

Ratihabitio, si sit contra leges, non valet.

re locum, si lege publicâ excludatur, aut Respublica solẽnitatem aliquam postulet ad valorem cõtractûs, quam ponere præsumptus procurator non potest.

Videndi sunt aliquot textus, & præcipuè *cap. nonnulli 28. ext. de rescrip. §. tutor autem Instit. de auct. l. quid ergo 13. ff. de his, qui nota. infam.*

VII.

CMLXVIII. Quid ad ratihabitionẽ requiratur?

EX hac doctrinâ infertur Regula IX. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine gestum non est*, quæ desumpta fuit ex *c. penultim. de sent. excom. lib. 6.* & consonat legi *si pupilli 6. §. sed si ego ff. de negotijs gestis*. Vt res intelligatur, aliquot casus breuiter decisos subiungo.

Rata habere non possum, quæ meo non sunt nomine facta.

Ambrosius emit ædes à Petro non meo, sed suo nomine, & petitur, quòd ratum ego contractum illum habeam; & respondeo, meam ratihabitionem fore nullam, hoc est, nullius valoris; non enim pendere à meâ voluntate, poterit contractus illius initi independenter à me, valor; nec illum potero firmare consentiendo, neque dissentiendo rescindere; quoniam ille nec me, nec mea concernit. *l. si pupilli 6. §. 1 ff de neg gest. l. si seruus 12. ff. de præcario iũcta l. non omnis 19. ff si cert. pet.*

CMLXIX.

Cæterùm, si vel Ambrosius meo illas ædes nomine emeret, aut ædes ipsæ, quas emit proprio nomine, essent meæ, & à Petro meo nomine venditæ, contractus ille me tangeret, & ratum possem habere, si vellem. Nota tamen in omni contractu, qui non vergit in damnum meum implicitum, meum consensum subintelligi, illumque ratihabitione firmari: quia, tametsi contractus nomine meo factus non sit, nomine meo concessa est hoc modo contrahendi potestas, & requiritur ratihabitio, vt consistat. Quod expenditur. *l. 3. C. de rei vin. c. l. alien. 20. in prine. ff. de pignor. act. l. 1. §. fin. C. ad Senatus Consult. Maced. l. fi. c. seruum 21. ff. si cert. petat.* Nam si Petri fundus mihi seruus sit, & tamen Petrus illum Paulo immunem ab omni seruitute vendiderit, censendus est fundum nomine suo, immunitatem nomine meo vendidisse. Adeoque ego potero, aut non habere ratam venditionem, sed velle mihi fundum esse seruilem; aut, etiamsi placeat, ratam illam habere, & fundo libertatem donare, vel gratis condescendendo Petro, aut cum ipso conueniendo de aliquo pretio, ne damnum patiar. *l. 3. l. si c. de negot gest. & l. si c. seruum 21. ff. si cert. petat.* Si ego ratam habeam, illam venditionem, tametsi seruitutem illam mihi priùs debitam amittam non potero conqueri, aut me læsum clamare; hîc enim habet locum Regula XXVII. *Scienti, & consentienti* (nimirùm, potenti consentire, & tamen liberum assensum præbenti) *non fit iniuria, neque dolus*. Consonatque hæc Iuris Canonici Regula legi *Nemo videtur fraudare ff. eod.* Sed quia hæc Regula ab aliquibus impugnari solet, obiectiones nonnullas videamus.

An tu censendus sis, semper concedere alijs facultatem, vt tibi faueant, & tuas res ad statum perfectiorem promoueat.

Si fundus venditur, etiam ad emptorem transit fundi seruitus.

Permittenti non fit iniuria.

CMLXX. An qui sacerdotem volentem percutit, fit excommunicatus? An quj prouocantem?

Primò arguis sic. Qui Clericum volentem (puta, si prouocaretur à Clerico) percutit, excõmunicatur; ergo scienti, & consentienti fit iniuria, & probas antecedens ex *c. contingit ext. de sentent. excommun.* Et respondeo, non sufficere consensum quemcunque, sed personæ, quæ illum possit præbere. Hinc est, quòd te volentem, & petentem occidi nemo occidere possit; quia tu non potes dare licentiam, vt occidaris: hinc etiam, quòd adulter, marito etiam scienti & consentienti, fit iniurius; quia ille non potest licentiam mœcho concedere, vt ad suam vxorem accedat: & doctrinæ paritate Clerico volenti percuti fiet iniuria; non enim potest ipse licentiam concedere, vt percutiatur.

In adulterio fit etiam Sacramento iniuria; in percussione Clerici etiã statui Ecclesiastico.

Accedit, quòd sicut in adulterio ab aliquibus dicitur iniuriã fieri non solùm marito, sed & sacramento; posset dici in Clerici percussione iniuriam non solùm fieri percusso, sed Ecclesiæ, & toti statui Clericali; qui enim percutit filium, patrem & totam familiam dehonestat.

MCLXXI. An furiosus, aut pupillus possint aliquid donare?

Secundò. Qui aufert rem à furioso aut pupillo sciente & consentiente, facit iniuriam, & tenetur ad restitutionem. *l. 1. in §. impuberes C. de falsa moneta*. Ergo non subsistit data Regula. Respondeo iuxta sensum Regulæ à me traditum, requiri consensum liberum, & furiosum carere libero arbitrio physico, & pupillum morali, adeoque nec illius consensum valere, nec huius, aliter quàm per tutorem (hic enim est pupilli politicum liberum arbitrium)

Tutor pupilli est voluntas.

Tertiò arguis. Qui rapiunt fœminam honestam etiam volentem puniuntur. *l. vnica c. de rapt. virg.* ergo raptæ scienti & volenti fit iniuria. Respondeo, eos si ex domo paternâ extrahant, iniurios parentibus esse, adeoque reos, & præsumi esse iniurios raptæ; non enim credi potest, honestam fœminam aliter voluisse rapi, quàm coactam deceptam-ue. Cùm certũ sit in coactione aut etiam deceptione non dari liberum consensum; nam nimiis persuasionibus maiorem vim tribuit Vlpianus *l. 1. §. persuadere. ff. de seruo corrupt.* quàm coactioni. Et quidem leges ita malesuada hominum verba detestantur, vt etiam ob illa homines puniant, etiãsi non subsequatur effectus. Constat ex lege *Si quis seruo, 20. C. de furt. & seruo corrupt.* nam si aliquis suadeat seruo tuo, vt furtum committat, licèt posteà istud non committatur, imò licèt ille non assentiatur, peccatum scandali in materiâ furti com-

De raptu fœminæ Volentis.

Virgines volunt rapi inuitę.

Verba etiam cogere possunt.

Mala consilia etiam pœna sunt digna.

commiſit,& debet puniri ob peccatum.

Exponitur Pontificis mens.

Hæc poſita,vt intelligatur,quo ſenſu dictum à Bonifacio ſit;*Scienti & conſentienti non fieri iniuriam*, addo modò, non ſufficere,vt vnus conſentiat, vt legitima & valida ſit actio, quæ in multorum iniuriam & detrimentum vertit; quod optimè animaduertens doctus Pontifex, Regulam XXIX.ſubiunxit,videlicet:*Quod omnes tangit,debet ab omnibus approbari (adeoque quod duòs, à duobus, quod plures à pluribus)* eamdem omninò Regulam admittit Iuſtinianus *in l fin. C. de authoritate.* Pulchra ſunt verba Vlpiani,qui *l. in concedendo 8 ff. hoc titulo*, ſic inquit: *In concedendo iure aquæ ducendæ non tantùm eorum,ad quos eius aqua vſus pertinet,voluntas exquiritur, id eſt, eorum quibus ſeruitus aquæ debeatur; nec immeritò; cùm enim imminuatur ius eorum, conſequens fuit exquiri, an conſentiant.* Non enim debet eſſe voluntas aliena ſufficiens,vt ego priuer iure meo.Vnde, ſi duo ſtudioſi cohabitent in eodem cubiculo, non licebit alteri fœminam illuc inhoneſtam conducere ſine alterius conſenſu,vt optimè notat Acurſius *ad leg.non aliter.7. ff. de vſu & habitu.* Si in eâdem domo duæ familiæ cohabitent, ſi in alterâ adulteria aut ſimilia crimina committantur,alteri familiæ iniuria fit;qui enim ſcandaloſos homines ingredi & egredi vident,non ſciunt ſtatim,cuius reatu tales exorbitantiæ committantur. Si in rhedâ duæ aut plures honeſtæ fœminæ per plateas vehantur, non erit liberum vni ex ipſis, fœminam ſuſpectæ caſtitatis, aut virum aliquem in rhedam inducere; quoniam hæc actio in omnium detrimentum vergeret, nec poteſt pendere ab vnius voluntate.

Quod multos tangit, multorum fieri debet conſenſu.

De cohabitantibus in eodem cubiculo.

Aut in eadē domo.

De vectis eodem curru.

VIII.

CMLXXII. INquiris, *An hæc Regula vniuerſaliter vera ſit,an verò exceptiones patiatur?* Vniuerſaliter veram reſpondeo, & ne æquiuocationi ſit locus, me præparo & tuis obiectionibus occurro.

Obiectio.

Arguis ſic. Vbi res Capituli vel Collegij tractantur, ſufficit maiorem partem conſentire, reliquis licet diſſentientibus. *c. quia propter. 42. cap. quod ſint. 28. in fin. ext de elect.* non ergo quòd omnes tangit, ab omnibus approbari debet.

Senſit vim huius obiectionis Caniſius, & ſic ait [*Eſt vna limitatio huius Regulæ noſtræ, vt ſcilicet non obtineat in rebus Collegij, ſed quæ ad ſingulos priuatim pertinent*]at ego limitationem exceptionemque non video, ſed dico mei monaſterij Religioſos bifariam poſſe conſiderari, vel vt vnum corpus myſticum, vel vt plures priuatas & independentes perſonas. Primo modo non pertinere ad hanc Regulam XXIX. ſed ad XXVII. et poſteriori modo non pertinere ad XXVII. ſed ad XXIX. Sunt vnum ſecundùm Regulam D.Benedicti:ergo quotieſcunque tractentur aliqua, quæ ſunt ſecundùm Benedictinam Regulam, non ſunt plures, ſed vnum corpus myſticum, habens vnum intellectum, & vnam voluntatem, cui ſcienti & conſentienti non fiet iniuria. Congregamur igitur in Capitulo, & quia compromiſimus omnes,ſtaturos nos fore plurium conſilio, vbi deciſiuæ ſunt voces, quid omnes per modum vnius facturi ſint,hoc eſt, quid Communitas ſit factura, quæritur, præſtò eſt prima ſolutio, nimirùm illam eſſe facturam, quod plures conſulant; ſed examinandum ſolùm eſt,quid ſit illud,quod plures conſulunt. Pono Exemplum. Ante annos aliquot in territorio Monaſterij *N.* Patres Brigittini Eccleſiam & Monaſterium ſuum ædificabant; congregamur omnes filij Monaſterij,quod damnum patitur, non vt videatur quid vnuſquiſque velit (non enim in illâ Cōmunitate dātur multæ voluntates ſed ſimplex) ſed vt communi cōſilio illud fiat,quod plures iudicent. Nos relinquendos iudicamus, tu eijciendos, & quia numero vocum præualuimus, manſuri & manutenendi declarantur. An contra uoluntatem tuam? minimè: tu enim nihil aliud vis fieri, aut velle potes, quàm quod velit Communitas;ſed manent contra conſilium tuum; bene enim ſtat vnum & eumdem hominem phyſicum, poſt variarum aut etiam oppoſitarum rationum conſiderationem & ponderationem, habere vnicam reſolutionem & volitionem: adeoque idipſum myſtico homini negari non poterit.

Communitas eſt vnum corpus.

Modus dādi ſuffragia in Communitate.

Sicut Religioſi in rebus,quæ ſunt ſecundùm Regulam, conſtituunt vnum corpus myſticū; ſic ipſi in rebus præterregularibus ſunt plures,nec vnitatem habent,adeoque in rebus huiuſcemodi locum habet hæc XXIX. Regula: *Quod omnes ſeorſim tangit, debere ab omnibus & ſingulis ſeorſim approbari.* nec erit valde facilè reperire aliquod exemplum omninò præterregulare. Pono hoc. Proponitur in Communitate Ordinis S Benedicti,An debeant emittere votum de abſtinentia à vino; in Regulâ enim vinum permittitur, nec huiuſcemodi votum ſuadetur,diſſuadetur-ue.Dicam in hac materiâ, Religioſos eſſe plures priuatas perſonas, nec teneri pauciores ſtare plurium conſilio, ſed quia hæc abſtinentia omnes tangit, deberi approbari non ſolùm à pluribus, ſed ab omnibus etiam & ſingulis Cùm homo moritur, ſicut non relinquit hæreditates, ſed hæreditatem; ſic nec relinquit debita,ſed debitum Volunt enim Iura, vt omnes creditores per modum vnius corporis agant cum hærede, & in contractu pauciores debere ſtare plurium

In quibus rebus non componant corpus omnes ſimul?

De abſtinentia à vino.

Hæc doctrina vera eſt, & contraria falſa adfingitur Caramuelis à Diana part.7. tr. 11,reſ 23. Vide ſuperiùs n.453.

Monaſterij Religioſi bifariam debent conſiderari.

Creditores sunt vnum corpus.

rium iudicio & voluntati, & hoc tam rigidè, vt conuentio maioris partis creditorum de remissione debiti hæredi faciendâ, paucioribus reliquis noceat. *l. suum. 8. §. Marcellus. cum tribus legibus seqq. ff. de pactis.* Hoc ipsum habet locum, vbi creditor ad tantam est paupertatem redactus, vt debeat bonis omnibus cedere, ni clementiam creditorum suorum experiatur. *l. fin. C. qui bonis ced. poss.* Sed hanc ipsam doctrinam solent temperare priuatæ consuetudines & prouinciarum iura particularia. Si plures rem communem possideãt, puta agrum, arcem, fluuium, & alter grauetur ære alieno, vt satisfiat Fisco, res cõmunis venditur, etiam condominis inuitis. *l. vnica C. de vend. res fiscal.* vt alijs autem satisfiat, non tam facilè: at æquitas semper postulat, ne creditor ob moras debitoris patiatur.

An res communis vendi possit aut debeat, vt satisfiat Fisco.

IX.

CMLXXIII. De institutione Ecclesiastica.

PRo coronide huius Capitis, & maiori successionum notitiâ ponenda est Regula 1. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè (imò nec validè) sine institutione Canonica obtineri.* Nec est specialis Regula in Ecclesiâ, nam nec Officia secularia validè obtinentur aliter, quàm iuxta Institutionis leges. *Nomine Beneficij Ecclesiastici*, non solùm intellige Pontificatum, Episcopatum, Abbatiam, Decanatum, Præposituram, Canonicatum, Parrochiatum; sed etiam quæcumque Ecclesiasticorum inferiora & dependentia Officia, qualia sunt Prioratus, Supprioratus, Oeconomia, &c. quæ omnia non possunt aliter quã iuxta leges Ecclesiasticas obtineri. Vnde Pontifex, qui denominaretur ab Imperatore, Episcopus qui à secularibus eligeretur &c. Præpositus Monasterij Benedictini, qui eligeretur decisiuis vocibus Religiosorum, non essent canonicè instituti, adeoque nec possent aliquid ex officio operari; quod enim moraliter nullum est, nullos effectus habet.

Quid sit Ecclesiasticum beneficium?

Quod est nullum, nullos effectus habet.

FVNDAMENTVM XL.

Clauis V. De præceptiua & Obseruatiua Iustitia.

CMLXXIV. Quod sit impossibile.

AD impossibile (A) nemo tenetur. Impossibile dicitur quod inuincibiliter est (B) præter scientiam, supra potentiam, contra conscientiam, contra prudentiam.

Nec Deus, nec homines præcipere possunt impossibilia.

Insuperabilis ignorantia.

Ignorantiam (C) inuincibilem ille habet, cui scientia humanitùs impossibilis est. Inuincibilis Ignorantia (D) præsumitur, vbi scientia non probatur. Ignorantia inuincibilis (E) excusat. Inuincibilem habere creditur, qui alienas priuatas (F) actiones ignorat, qui in Ius (G) succedit alterius; vincibilem (H) qui ignorat Ius, qui (I) suas actiones, qui alienas (K) solemniter promulgatas, imò sacras (L) priuatim, si toti Reipublicæ notæ.

Quid singuli teneantur aut non teneantur scire.

Superabilis.

Impotentia insuperabilis.

Impotentia (M) habet, cui res impossibilis, aut si possibilis, modo impossibili iubetur. Ad neutram (N) potest homo præcepto, voto, iuramento, promissione, stipulatione, emptione, ven-

Impossibilis circumstantia habetur pro non posita quando?

vendítione, aut quocumque alio contractu obligari. In vltima (O) voluntate circumſtantia impoſſibilis, ſi ponenti fuit nota, in dubio habetur pro non poſita, & ex inaduertentia irrepſiſſe præſumitur. Ad præteritum non datur (P) phyſica, & humana potentia.

De potentia ad præteritum.

Conſcientia tuta.

Conſcientiam habet bonam, adeoque legitimam excuſationem, (Q) qui ſine peccato (*etiam ueniali*) ſtare præcepto aut contractui non poteſt. Excuſatur igitur, qui non obedit ludici præcipienti contra Deum, contra Superiorum leges, extra limites ſuæ authoritatis: In dubio (R) excuſatur, qui obedit; ſed vix ſuccurrit dubium in materia obedientiæ.

'Excuſatio ſincera.

In dubio.

De imprudentia.

Imprudentiæ notam nemo (S) tenetur incurrere; incurreret, qui inutilia (T) faceret. DEVS & creatura (V) nihil fruſtra præcipiunt. Fruſtra ponuntur plures leges, ſi pauciores ſufficiunt. Plenè certus (VV) dicitur, qui, quoties Iura ſtatuunt, admonitus: qui plenè certus (X) eſt, certior reddi non debet.

De notitia.

De legum numero.

Quænam carere conſequentiis dicantur.

In argumentum (Y) trahi non poſſunt neceſſaria, hoc eſt, quæ priùs ob aliquas rationes non potuerunt non fieri: tolerata, quæ tametſi mala, non (Z) potuerunt proſcribi: inutilia (*a*) hæc enim non debent aut fructum aut damnum inferre, nec vitiare rem inutilem. Inſtrumentum (*b*) tametſi authenticum, inutile redditur non legalitatem, ſed fidelitatem impugnanti, niſi curator aut tutor ſit, aut ante ſententiam reſipiſcat. Contractus (*c*) poſita concordia, leges fiunt.

Leges priuatæ.

CMLXXV. Impoſſibilia à Deo præcipi ſalua fide dici nõ poteſt.

A. *TAm certum eſt neminem teneri ad impoſſibile, vt contraria ſententia, quæ ſaltem Deo conceſſit authoritatem præcipiendi impoſſibilia, fuerit à multis Pontificibus in Luthero, Caluino hæreticis, in Baio & Ianſenio Catholicis damnata. Optimè Regula XLI. Bonifacius*: Imputari non debet, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum erat faciendum.

Actus ſtulti.

Nota bene hanc limitationem.

Cùm non ſtat per eum ad quem pertinet, quòd conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet (*nimirùm, quoad culpam, non item quoad vtilitatem*) *Eſt Regula LXVI.*

An omnes actiones ſint ſtultæ, quæ videntur?

Impoſſibile quotuplex? Caſus in quibus impoſſibilitas excuſat.

B. *Quatuor præcipuè impoſſibilia cognoſcuntur in Iure, ad quæ nemo tenetur.* PRIMO *enim ignorantia eſt radicalis impotentia; & quicumque ignorantia excuſatur, modò legem inuoluntarius ignoret: voluntaria enim ignorantia vincibilis eſt, & nullum excuſat.* SECVNDO *excuſatur impotentia ille, cui præcipitur res ſupra vires, ſiue impoſſibilitas in ſubſtantia, ſiue in circumſtantia conſiſtat.* TERTIO *ille, qui vrgeretur ad actionem vel venialiter peccaminoſam. Comitolus libro tertio quæſt. quinta numero tertio & Rodriquez tom. 3 fol 187.* QVARTO *excuſaretur prudentia, ſi deberet actionem ſtultam & inutilem facere. Vnde Hieronymus Platus lib. 1. cap. 4. §. Verum.* Quod iure & legitimè non poſſumus, verè non poſſumus: *& tamen ſtultæ & imprudentes actiones legitimæ dici non poſſunt. Nota tamen, non eſſe imprudentes omnes illas, quæ tales videntur. Sæpè enim Superiores cautiſſimè & prudentiſſimè præcipiunt res, quæ primo intuitu dicerentur inutiles, quæ tamen ſunt vtiles aut neceſſariæ ad ſubditos humiliandos & mortificandos.*

Ignorantiæ gradus.

C. *Omnis ignorantia vincibilis eſt voluntaria. Craſſa ſupina, & affectata videntur differre ſicut magis & minus.*

Ignorantia præſumpta.

D. Præſumitur ignorantia (*inuincibilis*) vbi ſcientia non probatur (*nimirùm quoad actum, aut quoad debitum*) *eadem enim apud Deum & homines eſt, ſi Petrus peccet ſciens & volens, quàm ſi peccet ex ignorantia, quam cognoſcit & uult. Eſt Regula XLVII.*

CMLXXVI.

E. Nemo peccat in hoc, quod inuincibiliter ignorat: *aut eſt de fide, aut fidei proxima, & a nullo Catholico negari poteſt.*

Facti & iuris ignorantia an ſit inuincibilis? An excuſet?

F. Ignorantia facti (*ſi alieni nec ſolemniter promulgati, nec omnibus noti, præſumitur eſſe inuincibilis*) non Iuris (*ignorantia*) excuſat. *Quia ignorantia Iuris ſemper præſumitur uincibilis, ni contrarium probetur. Eſt Regula XIII. Quando aliquis non eſt doctus, nec habet quem conſulat,*

conſulat, etiam Iuris ignorantiâ excuſatur; quia tum præſumitur habere inuincibilem

Succeſſorẽ habere ignorantiam præſumimus.

G. Cùm quis in Ius ſuccedit alterius, iuſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere; *poteſt enim pro honore ſui Anteceſſoris ſtare, quamdiu contrarium non probetur. Eſt* Regula XIV.

In materia officii ignorantia eſt vincibilis.

H. Omnis ignorantia in materiâ officij & profeſſionis proprtiæ eſt vincibilis.

Ignorantia legum & iuris, vbi datur copia doctorum, qui poſſint conſuli, eſt vincibilis.

I. Actiones proprias præſumitur vnuſquiſque ſcire.

K. Præſumitur quis ſcire omnia, quæ ſolemnitate conſuetâ ſunt promulgata.

An ſit bona conſequentia: cæteri id ſciunt, ergo & Petrus?

L. Præſumitur quis ſcire, quod omnes ſciunt. *Vnde Chriſto diſcipuli*: Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & hæc ignoras? *ac ſi loco miraculi habendum ſit, vnum illa ignorare, quæ vniuerſis ſunt nota. Vnde eſt Regula* VL. Inſpicimus in obſcuris, quod eſt vereſimilius (*adeoque ſtamus communi curſui rerum, & facimus, credimuſque*) quod plerumque fieri conſueuit.

Impotentia inuoluntaria.

M. *Vide ea quæ notauimus litera* A. Omnis impotentia inuoluntaria à debito perſonali excuſat: imò etiam voluntaria, ſi cauſa impotentiæ ſit honeſta, & ad vtilitatem publicam aut priuatam conducens. *Suarius* lib. 4. de hor. Can. cap 25. nu. 35. *exemplum ponit in docto, qui actum academicum tota die habiturus eſt, quem tamen intermittere poteſt*; Scholaris, ſi velit, *ait*, publicam actionem literariam per integrum diem habere, & recitare non poſſit, non tenetur actionem dimittere, etiamſi abſque peccato poſſit. *Vide ea quæ doceo in mea Regulari Theologia, Comment. in Regulam S. Benedicti nu.* 1436.

An qui habet actum academicũ teneatur horas recitare?

CMLXXVII

N. Nemo ſe poteſt ad impoſſibilia obligare.

Potentia ad præteritum, an concedẽda Deo?

P. Non datur humana phyſica potentia ad præteritum. *Poſui conſultò illud humana, quoniam exiſtimo dari diuinam vt ad futuram.*

Ratum quis habere non poteſt, quod ſuo nomine non eſt geſtum. *Aliter.* Non poteſt quis facere, vt ſuo nomine & conſenſu geſtum ſit, quod nec ſuo nomine, nec ſuo ſaltem probabiliter præſumpto conſenſu factum eſt: *quia aliàs daretur potentia phyſica ad præteritum. Regula* IX.

Q. Impoſſibile Chriſtiano Viro eſt, quidque tutâ conſcientia non poteſt.

Inobedientia ſancta, quæ?

Præcipienti contra Deum, aut contra leges ſuperiores, in quibus diſpenſare non poteſt, debes non obedire. *Nota tamen, poſſe hominem ſe obligare ad obediendum etiam in materia probabiliter bona.*

Obedientia in materia probabili, dubia, aut indifferenti.

R. Si obediendo in materiâ dubiâ aut indifferenti deliqueris, obediẽtiâ excuſaris.

Obedientia excuſat.

Quod quis mandato Iudicis facit (*ſi nec euidenter ſit contra Deum, nec contra indiſpẽſabilia Superiorum mandata, nec euidenter extra iuriſdictionis limites*) dolo facere non videtur; cùm habeat parere neceſſe. *Eſt Regula* XXIV.

Inobedientia dolosa.

Non poteſt dolo carere, qui (*in materia poſſibili & honeſta*) imperio Magiſtratus (*legitimè præcipientis*) non paruit.

Impoſſibilia moraliter.

Papinianus: Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & vt generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt: *Ergo nobis hæc & ſimilia impoſſibilia ſunt.*

Iuramentũ non ſemper obligat.

Non eſt obligatorium (*de re quæ*) contra bonos mores præſtitũ iuramentũ. *Eſt Regula LVIII. Illud* contrà *afficit materiam.*

CMLXXVIII Iuramentũ iniquum impleri non debet.

In malis promiſſis fidem non expedit obſeruari. *Eſt Regula LXIX. præcedenti æquipollens Iſidorus.* In malis reſcinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incautè vouiſti, ne facias; impia enim eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.

Votum ob malum finem amiſſum obligat: non autem ſi ſit de malo obiecto.

Qui propter malum finem vouit rem bonam, tenetur voto; non tamen, qui vouit ſe propter malum finem rem illam bonam facturum. *Eſt veritas notatu digna; & hinc collige, votum & iuramentum eſſe obligatorium, tametſi ſit formaliter contra bonos mores, non tamen ſi obiectiuè, hoc eſt, de re quæ contra bonos mores. Sed hæc valde ſubtilia ſunt, nec poſſunt paucis verbis exponi.*

Omnis virtus prudẽtia, & omne vitium imprudentia eſt.

S. *In Philoſophia Morali oſtendo, omnes virtutes eſſe vnam, & ſimplicem prudentiam diuerſimodè conſideratam: adeoque conſequenter, omnia vitia eſſe vnicam imprudentiam. Euripides in Medea.* Maximum illorum quæ ſunt inter homines vitiorũ omniũ imprudentia eſt: *adeoq; nec mirùm, ſi dicamus, neminem teneri ſtulti ſtupidi aut imprudentis notã incurrere.*

CMLXXIX. De fruſtraneis actionibus.

T. Inutilibus adlaborare imprudentia eſt.

V. Deus & Natura nihil faciunt fruſtra. *Eſt axioma phyſicum, cui ſimile iſtud ethicũ*: Deus & creatura nihil præcipiunt fruſtrà.

Fruſtra fiunt per plura, quæ poſſent fieri per pauciora, æquè bene. *Et hoc axioma tam in naturalibus, quàm in moralibus admitti debet. Ergo fruſtra præcipiuntur plura, cùm pauciora ſufficiunt.*

De excommunicatione.

VV. Excommunicationẽ eſſe ferẽdã, aut clericalia priuilegia abrogãda, nemo certò cognoſcere dicitur (*nimirùm certitudine plena iuridicè*) niſi tertiò admoneatur. *Nota tamen, excõmunicationẽ ſupponere culpã certò mortalẽ, adeoq; in materia dubia aut probabili fulminari non poſſe. Sed & adnota materiã dubiã aut probabilẽ poſſe præcipi; & ſi ſubditus obedire non velit, poſſe incontumacia excommunicari.*

De rẽ ſciente.

X. Eum, qui (*plenè*) certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet. *Eſt Regula* XXXI.

Neceſſitas caret conſequentijs.

Y. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando con-

ceſſa (*permiſſa*) ſunt. *Eſt Regula* LXXVIII. *Sæpè enim impoſſibile eſt aliqua negare; occurrunt enim circumſtantiæ, vt oporteat nos indifferentes præter legem concedere, & malas, quæ ſunt contra legem, permittere: ſed ibi caſus non debent in conſequentiam trahi.*

De inutili. *a.* Inutile & fruſtraneum non debet fructum, neque damnum inferre.

Vtile non debet per inutile vitiari. *Eſt Regula XXXVII.*

b. Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus exiſtit impugnare. *Eſt Regula XXXVIII.*

De Donatione. Si cùm tantùm poſſet dare quingentos, dedit mille, valebit donatio quoad quingentos.

De vſuris. Vſurario debetur ſors, & quantum dandum eſset alteri ratione contractûs liciti.

De inſtrumentorum impugnatione. Inſtrumenti impunè poteſt impugnari ſolemnitas: hoc eſt poteſt dici non habere omnes teſtes & qualitates à Iure requiſitas.

Inſtrumenti impunè non poteſt impugnari fidelitas: qui enim id falſum dixerit, non poterit illo vti, niſi ante ſententiam condeſcendat, aut curator, tutor-ue ſit & agat in fauorem pupilli.

De contractibus. Contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur. *Eſt Regula* LXXXV.

I.

CMLXXX. MVlta de hac materiâ olim ſcripſimus, tum vt regulam D. Benedicti illuſtraremus, tum vt impugnaremus Cornelium Ianſenium; ille enim cap. LXVIII. ſi fratri impoſſibilia iniungantur, vt ſe excuſet permittit; & ſi excuſatio non admittatur, præcepit vt obediat: & iſte docet teneri hominem ſub peccato mortali obedire Deo, etiamſi ſit materia impoſſibilis.

An Impoſſibilia poſſint præcipi?

Ianſenij error. Et oſtendimus, D. Benedictum intelligi debere de arduis, & difficilibus, Ianſeniumque non eſſe audiendum, cùm definitum ſit à Tridentinâ ſynodo contra Lutherum & Caluinum, homini à Deo impoſſibilia non indici. Nunc quoniam eadem materia recurrit, ne olim ſcripta reſcribamus, eamdem doctrinam iuridico ſtilo perſequemur.

II.

Neminem teneri ad impoſſibile.

CMLXXXI. ESt Iuris Canonici Regula VI. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*; cui ſimilis reperitur *in lege Impoſſibilium* 185. *ff. eod. titul.* & videtur deſumpta eſse *ex cap. fin. extr. de pact. & c. fin. extr. de condit. oppoſ. & ex cap. 1. de iure iurando libro 6.* & dicimus neque præceptum, neque contractum, neque vllam omninò obligationem valere; non modò ſi ſit de re impoſſibili, ſed etiam ſi ſit infecta circumſtantiâ aut conditione impoſſibili. Et quidem meritò contractum cum lege componimus; quoniam omnis contractus priuata lex eſt iuxta Regulam LXXXV. *Contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur.* Et vt rem exemplis illuſtremus, dicimus eſse nulla hæc præcepta: *Iubeo tibi, vt vna die vadas Madrito Romam: Polliceor tibi centum dare, ſi digito cœlum tetigeris: Polliceor tibi dare ſydus Iouis, ſi anno mihi ſeruieris.* Dicimus igitur hos Contractus eſse nullos, & leges non obligatorias, ſiue impoſſibilitas nota ſit contrahentibus, ſiue non. Vnde *in l. non ſolum. 30. ff. de actio. & obl.* legimus Martinianum Iuriſconſultum dixiſſe: *Non ſolùm ſtipulationes impoſſibili conditioni applicatæ nullius momenti ſunt; ſed etiam cæteri quoque contractus: veluti emptiones, locationes, impoſſibili conditione interpoſita, æquè nullius momenti ſunt. Quia in ea re, quæ ex duorum plurium-ue eſſe conſenſu agitur, omnium voluntas ſpectatur; quorum procul dubio in huiuſmodi actu talis cogitatio eſt, vt nihil agi exiſtiment appoſita ea conditione* (ſiquidē ponunt conditionem) *quam ſciant eſſe impoſſibilem* & clariùs *ſummæ Iuris Canon. lib. 6. Regul. 6.* Henricus Canisius. Appositâ conditione impoſſibili, videntur contrahentes non ſeriò, ſed iocosè egiſse. Deus igitur, ſi impoſſibilia præceperat, non ſeriò ſed iocosè ageret.

Contractus ſunt leges priuatæ.

Conditio impoſſibilis contractum irritat, quia nunquam purificabitur.

Præceptum de re impoſsibili nō eſt ſerium.

In vltimis voluntatibus (inſtitutione, legato, fideicommiſso) circumſtantiæ impoſſibiles, ſi credantur fuiſse illas ponenti notæ, habentur pro non adiectis *l. in teſtamentis. 12. ff. de reg. iuris.* non quòd impoſſibilia operentur, ſed quòd æquitas poſtulat, vt sic diſcurram [Vel Teſtator ſciuit illam conditionem, quam appoſuit, eſse impoſſibilem, vel non: ſi non, decretum ſuum errore fundatur, adeoque nec legatum, nec fideicommiſsum valebit iuxta Regulam VI. quam exponimus. Quòd ſi impoſſibilem ſciuit, arguendus eſt de inaduertentiâ, credendumque illam circumſtantiam præter voluntatem irrepsiſse, adeoque pro non positâ habendam. Quod oſtendo ex communi doctrinâ. Ita enim exponi debet teſtamentum, vt teſtator dicatur prudens; at eſset imprudens, ſi talem conditionem poneret; vnde legatum non valeret: ergo ſi talis circumſtantia inueniatur, dicenda omninò eſt ex inaduertentiâ irrepsiſſe] *Dices*, te poſſe idem argumentum contra me retorquere; quia ita exponenda eſt donatio, vt donator iudicetur prudens: at eſset imprudens, ſi ſciens & volens conditionem talē poneret, vnde non valeret contractus: ergo si talis inueniatur, credenda præter voluntatem & ad-

CMLXXXII. De teſtamē tis. In ipſis circumſtantia impoſſibilis habetur pro non adiecta. Et eur?

Obiectio.

Circumſtātia impoſſibilis in donationibus habetur pro adiecta.

aduertendum irrepsisse: & quia hæc consequentia falsa est; putas etiam esse falsam in vltima voluntate. An respondeo negando tui paralleli syllogismi minorem, & disparitatem ostendendo. est enim imprudens homo, qui cùm rem sibi retinere nequeat (talis est moribundus) non velit eam validè alicui donare; non tamen esset imprudens, qui nolit eam validè donare, si sibi retinere posset. Vnde inter testamentum, & donationem inter viuos est differentia manifesta.

Solutio.

Quòd si constaret illam circumstantiam impossibilem, vt talem à testatore cognitam, & non ex inaduertentiâ, sed ex consilio positam, dicendam esset omninò non habendam pro non adiectâ, sed voluntatem testatoris ante omnia considerandam, *l. seruo manumisso. 59. ff. de condict. indebit l. fideicommissa.* 11. §. *item si quis. l. non aliter 69. ff. de legatis 3.* non enim esset locus suspicioni aut præsumptioni; in rebus enim certis nullus locus coniecturæ relinquitur. *l. Continuus* 137. §. 2. *in fin. de verb. oblig.* nec in tali casu arguendus esset de imprudentiâ, cùm verò similiter dicendus esset velle bona sua ad hæredem ab intestato deuenire, nec posse ob timores aliquos, aut rationes vrgentes illum denominare. Et casum pono. Sum Coniugatus, & volo amicitiam meæ vxoris manutenere, & tamen mea bona meo fratri, qui est hæres ab intestato, relinquere; ergo ne huius fœminæ indignationem incurram, illam hæredem ex asse instituã. ita tamen procedam, vt testamentum non sit validum, & si superuixero eius gratiam seruauero; si obiero, meus frater adeat hæreditatem.

Nota hoc bene.

In rebus certis nulla datur suspicio.

Casus: Consonat hæc doctrina & exemplum ex his quæ diximus supra num. 873.

In matrimonio, quod materia nimis delicata sit, visum legislatoribus, vt quæcumque impossibilis, & turpis conditio, quæ non militet contra matrimonij substantiam, pro non adiectâ habeatur. Militant hæ: *Duco te, si velis generationem euitare; si volueris post annum, vt alteram ducam permittere; si velis mihi adhærere, quousque opulentiorem inuenero; si velis te Petro prostituere*, & his similes. *per tex. in c fin. extr. de condit. appos.* de quo aliter disputat D. Peckius, hîc *n.* 10. & 11.

Nota tamen non subesse legislatoribus liberum consensum: & sine illo matrimonia non fieri.

Hìc tamen adnotare oportet, matrimonium non posse fieri validè sine mutuo consensu, nec posse leges in hoc dispensare: ergo, si contrahentes, non aliter consensum velint præbere quàm conditionatè, frustra leges volent conditiones pro non adiectis habere.

III.

CMLXXXIII Potentiam ad præteritum homo non habet.

PRoderit recensere Impossibilitatum species, quæ possunt in actibus humanis occurrere. Dico igitur, *Non dari humanam physicam potentiam ad præteritum*, adeoque *Factum reddi infectum non posse*. siue tibi promisero me facturum, vt natus non fuerit Iulius Cæsar; siue tibi præcepero, ne heri dormieris; siue adsignauero mille aureos, si feceris, quòd nunquam hanc viderim chartam, nugabor.

Exigere impossibilia est nugari.

Hinc oritur Regula illa Iuris IX. *Ratum quis habere non potest, quod suo nomine non est gestum.* Ratum enim habere contractum, est fateri quod factum est nomine suo; quo ergo modo facere poterit, vt suo factum sit nomine, quod suo nomine factum non est: mentiendo quidem, & inter iuridicas, & sanctas actiones mendacia nullum locum habent.

IV.

CMLXXXIV. De ignorantia Iuris, & facti.

HInc oritur Regula XIII. *Ignorantia facti* (alieni) *non Iuris excusat.* Cuius æquitas sic ostenditur. Ad impossibile nemo tenetur; ergo non tenetur scire, quæ inuincibiliter ignorat: excusatur igitur ignorantiâ inuincibili: ergo ista siue sit facti, siue sit Iuris, modò insuperabilis probetur, est homini excusationi securissimæ. At prudenter præsumitur ignorantia facti alieni esse inuincibilis, quamdiù non probetur contrarium; ignorantia facti proprij, aut etiam Iuris esse vincibilis: illa igitur in iudicio excusat, hæc non excusat. Porrò ignorantiam facti alieni dici inuincibilem, ni contrarium probetur, ex eo liquet, quòd facta aliorum sint innumerabilia, nec ego possum omnia vidisse aut omnia scire; at de vnico actu posset probari contrarium; non enim illius ignorantia excusabilis esset, qui diceret se omninò ignorare, quod publicè, & solemniter denuntiatum esset, aut quod nemo in totâ Ciuitate nesciret. *l. tertia, & l. sexta, & l. penultima.* §. *sed facti. ff. de iur. & fa. ignor l. fin. in fin. ff. pro suo capite primo in fin. extr. de ordin. ab Episcop. & d* §. *sed facti. c. quant.* 8. *extr. de præsump. capite primo extr. de postul. præl. cap. fin. extr. qui matrimon. accusat. possib. l. sed. e si pupillus.* §. 1. *ff de instit. actio.*

Alieni.

Proprij.

Notorij, & publici.

Inuincibilis excusat: vincibilis autè non excusat.

CMLXXXV Cur Iuris Ignorantia sit vincibilis?

Cæterùm ignorantia Iuris nunquam est inuincibilis, adeoque nunquam excusare potest, aut debet: tenetur enim homo scire, quæ officium suum concernunt; & in alijs materijs tenetur scire esse multa quæ ignorat; & hæc à doctoribus sciri, adeoque tenetur eos consulere, & iuxta

eorum reſolutionem agere. Vnde Iura procedunt, & debent à Iudice ſeruari, ſiue à litigantibus ignorata fuerint, ſiue etiam de facto ignorentur; ipſique ſecundùm illa, ſiue fauorabilia, ſiue aduerſaria, iudicandi.

An ſit aliquando inuincibilis ? Milites,

Sed quid ſi probetur ignorantia *Iuris* fuiſſe inuincibilis ? Poterit excuſare ; nam minores viginti quinque annis & etiam milites excuſat. *l. Regula. non. §. primo de iur. & facti ignorant.* quòd iſti armis intenti legibus vacare non poſſint, nec habent in caſtris Iurisperitos, quos conſulant. *l. fin. C. de iur. de lib.* illi verò nondum habeant politicæ rationis vſum ob imbecillitatem ætatis. *l. quamuis. vigeſim. prim. C. de iur. & facti. ignorant.* Ex hac doctrinâ Caniſius Regulam generalem educit, aitque: *Adde & ignorantiam Iuris in compendijs, tunc demum obeſſe, ſi ignorans Iuriſconſulti copiam habuerit, quem potuerit conſulere, vel ſua prudentia ita inſtructus fuerit, vt facilè ſcire potuerit, ignorantiam Iuris ſibi detrimento futuram. l. Regula. §. ſed iuris l. in bonor. 10. ff de bon. poſſ.* quæ limitatio priùs deberet examinari, quàm admitti.

Et iuuenes excuſantur.

V.

CMLXXXVI. Ignorantia in delictis.

Eſt duplex, pœnæ & legis.

Vtra excuſet?

AT poſtulas, *An Iuris ignorantia in delictis excuſet* ? Reſpondeo, vel prætendi ignorantiam legis, vel pœnæ. Apud Deum certum eſt, ignorantiam legis inuincibilem ab omni culpâ excuſare, adeoque delictum non eſſe, quod ex ignorãtiâ inuincibili commiſſum eſt. Apud homines ſcientia ſolet præſumi legis ſolemniter promulgatæ, ni ignorantia probetur. Cæterùm ſi ſit notitia legis interdicentis, & tamen ignorantia pœnæ, etiamſi inuincibilis, non excuſat à tortâ pœnâ, ſed videtur facere, vt mitiùs puniatur. *per tex in §. ita tamen. inſtiut. de vi bon. raptor. l quę adulterium. 38. §. primo in verſ. nam ſi ſola ff. ad leg. Iul de adulter. l diuus. 15. §. penultim ff. ad legem Cornel. de falſ.* vide quæ dixi ſuperiùs exponens illam Regulam: *Præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probatur.*

VI.

CMLXXXVII. Alia eſt ignorantia rei faciendæ, & alia rei factę.

Aliud eſt ſcire rem facere, & aliud eam debere fieri;

NOtandum denique eſt præter ignorantiam Iuris & facti, dari etiam ignorantiam faciendi, & hanc in tyronibus præſumitur, & à multis eos erroribus excuſare. *Legenda eſt lex, Qui commeatum. decim. quart. in fin ff. de re militari,* tenendumque militi tyroni, qui neſcit quid debeat facere, aut ſi ſciat quid debeat, nondum illud ſcit facere, ad tempus prudenter condeſcendi, quouſque didiciſſe credatur. Vnde multa poteſt perorare rationis paritas.

Et quia de ignorantiâ excuſante, & non excuſante egimus, addẽda eſt Regula XVI. *Cùm quis in ius ſuccedit alterius, iuſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.* Ego enim non teneor ſcire, an meus Pater bona legitimè lucratus fuerit; modò enim contrarium non viderim, debebo pro eius honore & æſtimatione iudicare; & ſi in bonis ſucceſſero, etſi ab eo iniuſtè adquiſitis, excuſor legitimâ ignorantiâ. Non aliter, Petrus ſit ſimoniacè, & ſi velis, inualidè ad Epiſcopatum promotus, hoc ergo non vidi nec ſcio; ſi eius Vicarius denominer, bonâ fide procedo, nec teneor contrarium iudicare, quouſque argumentum, quod à pacificâ poſſeſſione deſumitur, quod eſt ſortiſſimum, elidatur. *l Marcellus. undecim. §. primo ff. rerum amotar l uideamus. quart. in princip ff de in litem iurando l fin. c. de fidei commiſſis.*

Succeſſori: ignorantia eſt legitima:

Etiam Vicarij.

Nota contra poſſeſſionem non ſufficere, probabilitatem.

Huic decimæ-quartæ Canonici Iuris Regulæ ſimilis eſt illa, quæ extat *in l. qui alterius ff de hoc titul.*

VII.

CMLXXXVIII. Nec meritum nec demeritum in neceſſarijs.

Præcepta ciuiliter ſũt neceſſaria.

EST Iuris naturalis Regula: *In neceſſarijs* (nimirùm, quæ omitti non poſſunt) *nec meremur, neque demeremur.* Et cùm neceſſaria etiam ſint, quæ moraliter & politicè omitti non poſſunt, eſt Iuris Canonici Regula XXIV. *Quod quis mandato Iudicis facit* (ſi id nec ſit contra DEVM, nec contra Iura, nec Superiorum mandata, nec Iudex limites ſuæ iuriſdictionis tranſgrediatur) *dolo facere non videtur, cùm habeat parere neceſſe*: non quidem neceſſitate Phyſicâ, ſed morali.

Et, ſi contra Deum ſint Theologicè ſunt impoſſibila.

Porrò eſt res neceſſaria non obedire Iudici præcipienti contra Deum, aliàs & Suſanna olim debuiſſet ſenibus adquieſcere, Berſabæa Dauidi, & Martyres Tyrannis illis, à quibus fuerunt condemnati. D. Benedictus capite ſecundo Sanctæ Regulæ: *Abbas nihil extra* (contra) *præceptum Domini* (*quod abſit*) *debet aut docere, aut conſtituere, vel iubere.* Et Hieronymus *in Epiſtolam ad Epheſios*, & habetur 11. *qu. 3. c ſi dominus* ſic ait: *Si Dominus ea iubet, quæ non ſunt aduerſa ſanctis ſcripturis; ſubÿciatur Domino ſeruus. Si verò contrarium præcipiat, magis obediat ſpiritus, quàm Corporis Domino*: nam, vt dicitur Actuum Apoſtol. capite quinto: *Obedire oportet D E O magis, quàm hominibus.* Quamobrem diſplicent verba Caniſij in expoſitione huiuſce Regulæ dicentis: *Ordinarius Iudex iuſſus a delegato Iudice, teneatur eius ſententiam exequi, licèt ſciat eſſe iniuſtam; quia neceſſe habet parere*: & citantis *text. in l. ſi prætor. 75. in princ. ff. de iudic.* Diſplicent inquam: quia Iudex ille, ſciens ſententiam eſſe iniuſtam, debet illam non exequi: & probabiliter opinans

Caniſius impugnatur. An inferior teneatur ſententiam iniuſtam exequi?

poſſet

poſſet exequi, aut etiam fortè teneretur, Diſplicent iterùm: quia contradicunt ſequentibus ab eodem Canisio allegatis, Sed quod dicemus faciendum eſſe in dubio? Reſpondeo, purum dubium (negatiuum aut poſitiuum) in caſu impoſſibile eſſe; nam Superioris Iudicis authoritas grauiſſima eſt: & vbi datur grauis ratio aut authoritas, purum dubium non eſt. Quid ſi illud eſſet? Deberet inferior Superiori (& in hoc, qui debet alterius ſententiam exequi, cenſetur inferior) adquieſcere & obtemperare.

CMLXXXIX. Præcepta Iudicis, ſi contra Iura, nulla ſint, S. Auguſtinus.

Secundò etiam eſt neceſſarium non obedire Iudici contra Iura aut leges Superiorum iubenti; & quidem 11. 4. 3. *c. ita corporis* §. *qui reſiſtit*, habentur pulchra Auguſtini verba, quibus hæc doctrina firmatur. Illa ſubſcribo.

Qui reſiſtit poteſtati, ait, DEI *ordinationi reſiſtit. Sed quid, ſi illud iubeatur, quod non debeas facere* (fortiùs & clariùs, *quod debeas non facere*) *Hic ſanè contemne poteſtatem. Ipſos humanarum legum gradus aduerte. Si aliquid iuſſerit Curator faciendum eſt; tamen ſi contra Proconſul iubeat, non vtique contemnis poteſtatem: ſed eligis maiori ſeruire: nec hinc debet minor iraſci, ſi maior prælatus eſt. Rurſus ſi ipſe Conſul aliquid iubeat, & aliud iubeat Imperator, vel ſi aliud iubeat Imperator & aliud iubeat DEVS, quid iudicas? Maior poteſtas DEVS. Da veniam tu Imperator, tu carcerem, ille gehennam minatur. Hinc iam tibi aſſumenda eſt fides tua, tanquam ſcutum, in quo poſſis omnia ignea iacula inimici extinguere.* Et D. Benedictus cap. 71. Regulæ: *Præmiſſo ergo Abbatis, aut Præpoſitorum, qui ab eo conſtituuntur, imperio, cui non permittimus priuata imperia præponi; de cætero omnes iuniores Prioribus ſuis omni charitate & ſollicitudine obediant.*

S. Benedictus.

CMXC. Si Iudex excedat.

Tertiò, nec tenemur obedire Iudici, limites ſuæ authoritatis in illo præcepto transgredienti *l. 1 in fin princip. ff. de ferijs. l. nemo* 13. *C. de ſentent. & interlocut. l. fact. à iudic.* 170. *ff. hoc. titul. cap* 11. *quæ fiunt infra. eod. l. fin. ff. de iuriſdictione omn. iu. &c.* Conſultò dixi *in illo præcepto*; nam ſi Iudex limites ſuæ authoritatis heri tranſgreſſus fuerit, non inde hodie illi potero negare obedientiam, ſi inter limites ſuæ authoritatis ſe continens, nihil legitima præcepta imponat.

Si rem indifferentem indicat.

At quartò, quando rem indifferentem Iudex præcipit, tenetur obedire ſubditus, nec hæc obedientia illi vnquam nocere poterit, vt bene notauit Paulus Iuris-Conſultus *l. non videtur. §. primo ff. eodem titulo*, imò verò noceret ei inobedientia, quoniam *l. non poteſt dolo ff. eod.* aſſignatur hæc Regula: *Non poteſt dolo carere, qui imperio Magiſtratus non paruit.* Vnde, ſi debitor compulſus à Iudice vt minori, abſque Curatoris authoritate ſoluat, non tenetur amplius minori; nec contra hanc minor poteſt ſolutionem agere. *l. aut prætor. 7. §. præmittitur ff. de minoribus.* Sed in tali caſu contra Iudicem poteſt procedere.

In hac impoſſibilitate, quam expendo, fundatur quadrageſima prima Regula: *Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum (perſonaliter) erat faciendum.* Quam illuſtrat doctrina, quam ſuperiùs tradidimus, dicens dari actus reales, & perſonales, illos exigi quocumque modo tandem fiant, hos ita eſſe alligatos perſonis, vt non poſſit fieri per alias. Rem exemplis expono. Cum cælatore conueniſti, vt ſtatuam incideret mille regalium pretio; incidit in morbum, nec per eum ſtat, ſi non cælet lapidem, qui erat cælandus. An ipſe contractui ſatisfecerit? An poterit tutâ conſcientiâ regales illos extorquere? Nequaquam: quia erat conuentio realis; nec aliter eo obſtringeris, quàm tibi illam ſtatuam dederit. At in contractibus purè perſonalibus omnia aliter (conſultò illud *purè* poſuero, ſcio enim dari obligationes mixtas, quæ oneribus vtriuſque partis aſſeruntur grauari) Ponam caſus aliquos particulares.

Corollariũ.

Actus humani, aut reales aut perſonales ſunt.

Vide num. 961.

Petrus nouitius factus in morbum incidit, & quia nouitiatus eſt, vt experiatur ille onera regularia, vt probetur à confratribus, inquiritur, An ſub anni finem poſſit profiteri; ſi nondum ſanus ſit? An ſi iam ſanus, debeant menſes illi, quibus ægrotus fuit, non numerari? Reſpondeo, profiteri poſſe. *Ita omnes.* Ratio eſt, non enim imputari ei debet, quod in illius arbitrio non fuit. Eodem omninò modo philoſophabor, ſi ratione belli de Prælati licentiâ manens ſub Magiſtri obedientiâ veſtes ſæculares aſſumeret, & ad loca ſecuriora tranſmitteretur; tunc enim bene probatur nouitius, quando facit, quæ faceret, ſi eſſet profeſſus.

CMXCI. An tempus morbi computatur in nouitiatu?

An tempus quo habet veſtes ſæculares ex Abbatis licentia?

Petro ſeruo meo conceſſi libertatem, ſi iſto anno fideliter ſeruiat. Ipſe toto anno iſto æger eſt; An-ne ſub finem anni erit liber? Reſpondeo affirmatiuè: Quia fideliter ſeruit, qui facit quod poteſt. Fauet caſus huic ſimilis, quem eodem modo reſoluit Iuriſconſultus Paulus. *l. 4. § Stichus, ſi hæredi ff. de ſtatu lib.*

De ſeruo ægroto.

Is, cui parrochialis Eccleſia collata eſt, tenetur intra annum adeptæ poſſeſſionis ad ſacerdotium promoueri; quod ſi non poſſit, impotentiâ excuſatur. *c commiſſa* 35. §. 1. *de elect. lib. 6.*

CMXCII. Parrochus impotentia excuſatur.

Et Eccleſiæ Cathedrali præfecti, ſi munus conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur; & ſi contra totidem menſes id facere neglexerint, Eccleſijs ipſo Iure ſint priuati, ait Triden-

dentina Synodus *ſeſſ.7. c.9. & 23. de reſor. c.2.* conſonans Chalcedonenſi *act.16. c.25.* Vormatienſi *c.76. & c.quoniam 75. diſt.* vbi tamen authores illud *neglexerint* cum aduertentiâ legunt, & negligentiæ nomine non quamcumque omiſſionem, ſed culpabilem intelligendam putant. Vnde qui ex causâ rationabili benedictionis ſuſceptionem differret, vel qui illam ſuſcipere non poſſet, omninò excuſaretur. Nauarrus *in Manuali c.25. num.18. verſ.8.* Gonzalez *ad regul.8 Cancell. Gloſ 24. num.141.* Reginaldus *in praxi fori pœnit. lib.32. tract.2. c.24 n.58.*

Non omnis omiſſio eſt negligentia.

CMXCIII. An excuſet procurata impotentia?

Sed quid, ſi quis impotentiæ excuſationem prætendit, impotentiæ ſit cauſa? *Excuſari non meretur*, ait Caniſius in hãc Regulam 41. *qui ſibi neceſſitatem iniecit.* Et probat *ex c.vnico. text. de commod. c. extr. de poſ. in verb. culpa.* adiquc iubet *Gloſſam ad l.5. § ſed interdùm ff Cõmod. l ſi fideiiuſſor.7. § 1. in fin ff. qui ſatiſd. cog. & ſubiungit l.1. §. ſi quis tamen ff ſi quis cautio*: At ego minùs confusè hæc tradenda eſſe exiſtimo, & puto diſtinguendũ omninò eum, qui ſibi neceſſitatẽ iniecit, ab eo qui injcit; illi enim ſi culpabilis fuit neceſſitatis cauſa, non eſt iam culpabilis ipſa neceſſitas, quam vitare non poteſt. Ille autem, qui ſibi neceſſitatem injcit, vitare neceſſitatem poteſt; & niſi illam ex causâ honeſtâ injciat [nota hoc bene] excuſationem non meretur.

Nota id bene.

An neceſſitas aliquibus libera ſit?

VIII.

CMXCIV. De conditione impoſſibili.

HAec quadrageſima prima Regula eſt de re impoſſibili quoad ſubſtantiã, ſed quia dantur etiam impoſſibiles quoad modũ, addita fuit Regula LXVI. *Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quòd conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet.* S. Antonius ſic hanc Regulam explicat, vt illud *conditio* debeat deleri, & ſubſtitui *indictio*. Sed tunc hæc Regula LXVI. à Regulâ XLI. vix diſtingueretur. Idem enim eſt dicere: *Cùm non ſtat per te vt indictio* (iuſſio, præceptum) *impleatur, haberi debet pro impleta*; ac dicere: *Imputari tibi non debet, ſi per te non ſtat, quò minùs facias; quod facere debebas.* Quòd ſi adhuc diſtinctionem intereſſe velis, dic Regulâ XLI. aſſeri omiſſionem rei impoſſibilis præceptæ non imputari ad culpam, & addi Regulâ LXVI. voluntatem obediẽdi, ſi tamen obedire non poſſis pro obedientiâ reputari. Et hoc probat ſolùm S. Antonius exemplo illo Abrahami parati ſuum filium immolare, ſed ab extrinſeco impediti; cuius obediendi voluntas virtualiter obedientia fuit, nam reputata illi fuit ad iuſtitiam. Hinc eſt, quòd ſi tibi aliquid concedatur ſub onere, quòd facias talem rem, videtur donationem ſtare, modò adhibueris omnem poſsibilem diligentiam, & fueris aliunde impeditus. Sed hoc non omnes admiſſuri ſunt. Nota tamen, aliud eſſe concedere ſub conditione aut onere, & aliud cum onere: prior enim conceſsio eſt conditionata, & poſterior abſoluta.

Correctio Regulæ. Sed reijcitur.

Obedientia virtualis quæ?

Aliud eſt concedere ſub onere, & aliud cũ onere,

Sicut multa ratione neceſsitatis, ſiue quod idem eſt, impoſsibilitatis, omittuntur (impoſsibile enim eſt illa fieri, quæ neceſſariò debent non fieri) ſic etiam multa ob neceſsitatem non debent in conſequẽtiam trahi, iuxta Regulam LXXVIII. *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando conceſſa ſunt.* Quod vim habet in conceſsionibus publicis, priuatiſque: Petrus enim, cui ægroto carnium vſus ob neceſsitatem conceſſus eſt, non debet in conſequentiam hanc ipſam conceſsionem traducere, & velle, vt ceſſante morbo etiam ſextis ferijs poſsit edere carnes. Nec Bauari, quibus ratione belli Suecici Anno M. DC.XXXI. in quadrageſimâ defectu piſcium carnes cõceſſæ, fuere; poſsent hodie vi conſequentiæ carnibus vti, quoniam iam ceſſauit neceſsitas.

VM. Indulta ex neceſsitate nullas conſequentias, ceſſante illa, parturiunt.

An in Quadrageſima poſsit carnes comedere vna integra Ciuitas?

IX.

CMXCVI. Impoſsibilitas theologica.

PRæter impoſsibilitatem phyſicam, & virtualem, quas hucuſque expoſuimus, datur impoſsibilitas theologica, ſeu moralis legalis; omnia enim, quæ ſine peccato fieri nequeunt, *impoſſibilia* nominantur. Nam vt *l filius 16. ff. de condit. inſtitut.* Sanctiſsimè, & veriſsimè ait Papinianus: *Quæ facta lædant pietatem, exiſtimationẽ, verecundiam noſtram, & vt generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.* Hinc oritur illa Regula LVIII. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentũ*, cui æquipollet Regula LXIX. *In malis promiſſis fidem non expedit obſeruari.* Quam illuſtrant verba Iſidori, quæ citat Bartholomæus à *S.* Fauſto *Theſauri lib.1. q. 37. num. 2.* Et habentur *in c. in malis 22. 4. 4.* nimirùm: *In malis reſcinde fidem; in turpi voto muta decretum, quod incautè vouiſti, ne facias; impia enim eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.* Et videtur, hanc doctrinam ignorauiſſe Herodes, qui propter iuſiurandum dedit caput Ioannis Baptiſtæ.

Iuramentũ de re mala non obligat.

Herodis error.

Sanè notandum eſt, non omne iuramẽtum, quod ſit contra bonos mores, eſſe nullum; ſed multa dari obligatoria, quæ peccaminosè ſunt emiſſa. *Primò* enim iuramentum factum ſine neceſſitate, venialiter peccaminoſum eſt, & tamen in graui materiâ mortaliter obligatorium. *Secundò* iuramentum ob malum finem emiſſum (ita tamen vt malitia hæc finis nõ tangat obiectum, ſeu rem iuratã, ſed ipſãmet actionem iurandi) eſt malum malitiâ finis

Iuramentũ non neceſſarium obligat.

Itẽ ob malum finem emiſſum.

finis, & nihilominùs obligatorium. Vnde, qui ob vanam gloriam orphanæ promiſerit dotem, ſtare promiſſioni tenebitur. Qui ad Religionem venit, & ligare votis vult, vt lautè viuat, largè potitet, & opiperè edat, peccat quidem, ſed voto ſolemni tenetur. *Tertiò*, qui ſub iuramento pollicetur ſe daturum aliquid, quod ipſe quidem poteſt dare, at alter licitè non poteſt recipere, fortè eſt alteri ſcandalo, & ſi fit, peccat; at ſemper iuramento tenebitur. Vnde qui ſe daturum vſuras iurauerit, debet ſeruare fidem. *c. debitores 6. extr. de iur. iurand.* Quia tametſi recipere vſuras malum ſit, & qui illas recipit, teneatur ad reſtitutionem, & qui dat fortè, poſſit illas rurſus condicere, qui dat illas, non peccat [Nota obiter, dari dona, & ſolui debita; repugnareque in terminis dona ſolui; adeoque promiſsionem de ſoluendis vſuris à promiſsione de dandis diſtinguendam iuxta ea, quæ ſuperiùs ſunt dicta.]

Et alia multa.

De vſuris.

Dona non ſoluuntur, ſed dantur, & debita non donantur, ſed ſoluuntur.

CMXCVII. Iuramentũ contra bonos mores obiectiuè.

Reſtat igitur explicare, quando iuramentum ſit ita contra bonos mores, vt impleri non debeat; & reſpondeo, tunc omninò, quando res iurata, prout iurata eſt (nemo tenetur aliter rem implere, quàm promiſit) ſine peccato mortali, aut veniali impleri non poteſt: Verbi causâ; *Iuro me occiſurum, me furaturum, me mentiturum eſſe. Iuro me manſurum in Religione Caluiniana*, & ſimilia. Cæterùm hoc iuramentum obligat: *Ego propter vanam gloriam iuro me daturum eſſe talem eleemoſynam*; non verò hoc: *Ego iuro me illam daturum propter vanam gloriam*, quia dare propter gloriam vanam malum eſt, nec ſine peccato poteſt fieri, nec obligatoriè promitti.

Iuramentũ contra bonos mores formaliter.

X.

Neminem teneri ad inutile.

CMXCVIII. Nihil præcipitur, aſſeritur, aut effi-citur fruſtra.

EST pronuntiatum philoſophicum, *Deus & natura nihil faciunt fruſtra*: vnde oritur: *Fruſtra fieri per plura, quæ per pauciora poſſunt.* Hoc ipſum amplexa fuit Ethica, quâ Iudice, *Deus & Creatura nihil præcipiunt fruſtra*, vnde oritur: *Fruſtra præcipi plura, cùm pauciora poſſunt.*

Hanc doctrinã altè concipiens, & ſupponens, Bonifacius intulit nonnullas conſequentias.

Nihil dicitur fruſtra.

Prima, *Eum qui* (politicè, & plenè) *certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet*: quia nihil debet fieri fruſtra, & eſſet fruſtranea illa certioratio vlterior. Hæc eſt Regula *XXX.* Conſultò illud *politicè* addidi; non enim quæcunque certitudo phyſica creditur ciuiliter eſſe certitudo plena, ſed quæ tanta eſt, vt ignorantiæ exceptionem non admittat. Vnde reus abſens tribus edictis, aut ſaltem vno peremptorio certiorari debet, vel aliàs non erit ciuiliter certus. *l. contumacia 53. ff. de re iudic. iuncta l. ad peremptorium 68. cum aliquot. ll. ſeqq. ff. de iudic.* Clericus delinquens, antequam clericalibus priuilegijs priuari poſſit, tertiò monendus, & certiorandus eſt. *c. contingit 45. extr. & ſent. excomm iuncto c. conſtitutionem 10. eodẽ tit. in 6.* Sic etiã, qui à Iudice Eccleſiaſtico eſt excommunicandus, debet certò ſcire, ferendam eſſe ſeriò illam excommunicationem; nec eccleſiaſticè id certò ſciet, niſi tertiò præmonitus. *c. ſacro 48. extr. de ſent excom. iuncto c. conſtitutionem, citato.* Sic etiam in alijs caſibus: Iura enim ſpecialia decernũt, quæ debeant circumſtãtiæ intereſſe, vt certitudo politica adeſſe credatur: Nam in iudicijs nemo reus certò politicè crimen commiſit, niſi duorum conteſtium affirmatione conuincatur; & ſic in reliquis.

De reo Eccleſiaſtico.

De excommunicãdo.

Certitudo ciuilis.

Secunda. *Inutile, & fruſtaneum non debet fructum, neque damnum inferre.* Patet; quia aliàs non eſſet inutile nec fruſtraneum. Quam conſequentiã expreſſit Bonifacius duabus Regulis videlicet *XXXVIII. Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus exiſtit impugnare. Et XXXVII. Vtile non debet per inutile vitiari.*

Ex inutili nihil ſequitur.

XI.

IM. Proponuntur exempla.

REgulæ *XXXVIII.* exempla ſunt. Titius, cùm vrgeretur à Paulo quodam inſtrumento, illud falſum aſſeruit; ſed poſteà, cùm condemnatus fuit, illud pro ſe allegauit. Et reſpondetur, non poſſe componi exceptionem, allegationemque: nam ſi allegari poteſt, damnari non debet: & ſi damnari debet, allegari nõ poteſt. *c. cum olim 19. extr. de cenſib.* Franciſcus hæres ab inteſtato contra teſtamentum falſi, aut inofficioſi crimen obiecit; & cùm ſententiâ Iudicis declararetur officioſum, & verum, legatum ſaltem ſibi in eo relictum habere voluit. Sed hoc ipſum negatur, & applicatur Fiſco. *l. Papinianus 8. §. meminiſſe de inofficios. teſt. l. poteſt legatum 5. §. 1 ff. de ijs quibus vt indig. l. qui falſas 6. c. ad l. Cornel. de falſ.* Et ratio eſt, quòd eo ipſo, quo quis valorem, & fidem inſtrumenti impugnat, inutile in iudicio pronuntiat, & iure vtendi illo cedit. Et ſi illi renuntiauit, illud allegare non poteſt. *d. c. cum olim ſub finem.*

An poſſit quis allegare inſtrumentum, quod falſitatis accuſauit?

An recipere Legatum vi teſtamẽti, quod inualidum eſſe voluit in iudicio.

Ceſſio virtualis.

Ignoſcunt tamen Iura fatenti, teſtamentum eſſe verum officioſumque, nec voluntatem teſtatoris, nec fidelitatem producẽtis oppugnanti, ſed inualidum defectu ſolemnitatis alicuius Iure requiſitæ contendenti; tametſi condemnato. *d. l. poſt legat. §. & penult ff. de ijs quib. indig.* Ignoſcunt curatori, & tutori in fauorem pupilli agere non potentis. *§. ſi inter inſtit. de inoffic. teſtam.*

Exceptio prima.

Secunda.

Tertia.

ſtam. l. aduerſus 30. §. 1. *ff. eod. de inoffic. teſt. l. cum quædam* 2. 6. *c. de adminis. tutor.* Ignoſcunt etiam cuicumque, qui ante ſententiam ab inſtrumenti impugnatione deſiſtit. *meminiſſe, & l. alia* 8. *c. de ijs qui. l. vt indig.*

XII.

M. Alius Regulæ exempla.

REgulæ autem XXXVII. exemplaſunt. Ambroſius mille ſolidos ſine inſinuatione dedit, cùm tamen tantumquingentos poſſet. An-ne donatio eſt valida? Quo ad quingentos valida eſt, inquit Iuſtinianus, inualida quoad exceſſum. Non enim vtile ab inutili, aut poſſibile ab impoſſibili vitiari debet. Nec eſt dicendus, noluiſſe dare quantum potuit, quòd dederit plus, quàm potuit. *l. ſancimus* 34. *iunct. l. penult. c. de donation.* Anſelmus mille ab vſurario recepit poſt annum mille ſexcenta redditurus; An quia contractus illicitus eſt, ad nihil vſurario tenebitur? Non aſſentiar. Primò enim tenebitur dare capitale; Secundò legitimumauctuarium, hoc eſt, mille & quinquaginta, hoc enim licitum, & rationabile eſt; & licitum, rationabileque ab illicito, & irrationabili vitiari non poteſt. Porrò capitale dandum vſurario definiuit Iure Cõſultus Paulus. *l. vſuras* 20. *ff. de vſuris.* addendum commune auctuarium (hodiequinque in centum) reſpondit Papinianus. *l. pecuniæ* 9. *ff. de vſur.* & bene, tametſi contrarium iudicet Caniſius *in hanc Regulam*: omnes enim vſuras ex præcepto Canonum eſſe illicitas, nego, ſi nominevſurarum quinque in centum, quæ ſolent dari intelligamus. Sed latet æquiuocatio, nam in Iure Ciuili *vſura* dicitur quidquid ſupra ſortem additur, adeoque vſura in licitam & illicitam diſtinguitur. Et in Iure Canonico ſolet *vſura* dici illud ſolũ, quod iniuſtè exigitur ſupra ſortem. Ergo quidquid de nominibus ſit, in quibus vt vidimus eſt acceptionis varietas, & æquiuocationis occaſio, ait, vſurario ſortem (ſeu pecuniam capitalem) deberi: præter hanc ratione mutui nihil deberi; at alio titulo poſſe, nempè damni emergentis, aut lucri ceſſantis. Cùm igitur ille poſſet quinque, aut ſex in centum licito contractu lucrari, hoc auctuarium illi præter ſortem debebitur.

An vſuratio aliquid debeatur vltra ſortem?

vſura bifariam accipitur.

An circũſtantia inutilis contractum vitiet?

Porrò inutilis circumſtantiæ adiectione totus contractus nullus redditur. Primò, ſi prudenter colligere poſsimus ex illâ inutilis circumſtantiæ poſitione, contrahentes in ſubſtantiâ contractûs nonproceſſiſſe ſeriò; quia ſi conſtet, illos contrahendi caruiſſe voluntate, nihil factumdicendum eſt. *Itaomnes.* Secundò ſi illud inutile ſit poſitiuè, hoc eſt, lege interdictum, & ab vtili ſeparari non valeat; vt benè notauit Vlpianus *l. 1. §. item quæritur. ff. de aqua quoti.* Tertiò ſi illud inutile ſit impedimentum dirimens; multaenim ſunt, quæ hoc modo irritantur.

De impedimento dirimenti.

Porrò dirimentia matrimonij impedimenta nota ſunt; alia adiungo. In Emancipatione, Acceptilatione, hæreditatis Aditione, tutoris Datione diei aut conditionis adiectio eſt impedimentum dirimens, ratione cuius vniuerſa inutiliter fiunt, *l. actus legitimi.* 77. *ff. eod. tit.* Et etiam in Electione Epiſcopi erit impedimentumdirimens, ſi laici ad illam admittantur. *c. Maſſana.* 56. *extr. de election. &c.*

An, & quãdo conditio ſit impedimentum, dirimens?

An valeat electio Epiſcopi, in qua ſuffragantur laici?

Egimus de poſſibilitate, & impoſſibilitate præceptorum, vt Canonici Iuris Regulas aliquas exponeremus; addere volo incidentem hanc Diſputationem, quæ Caput LXVIII. Regulæ D. *Benedicti dilucidat, & examinat, quo ſenſu ſanctus Pater iuſſerit obedire, etſi impoſſibilia præcipiantur.*

QVÆSTIO INCIDENS.

An Patres Benedictini obedire Prælato debeant, quando præcipit impoſsibilia?

MI. Omnis perfectio creata diuinæ participatio eſt.

HOminum quantamcumque potentiam pendere à Deo in controuerſiam plauſibilem venire non poteſt: id habemus quod nobis conceſſum diuinitùs, & nullam omninò perfectionem quâ Deus careat. Cùm igitur ipſe non habeat impoſſibilia iubendi poteſtatem, conſequens eſt, illam homines habere non poſſe. Sanè iſtam poteſtatem Heterodoxi dumtaxat Deo affingunt: primi æui Patres negarunt, quorum ſenſa Romana Eccleſia cœlitùs docta in fidei articulos tranſtulit: *Deus impoſſibilia non iubet*, ait S. Auguſtinus; Quam ipſam ſynodus Tridentina periodum inter Canones tenendos Religione propoſuit. Ergo Benedictus impoſſibilia non iubet; non enim ipſe maior Deo, ſed iubendo admonet, vt faciamus, quæ poſſumus, noſque ipſe humanitùs regulari doctrinâ, & cœlitùs gratiâ perenni adiuuat, vt poſſimus. Si hæc omnia vera, vnde irrepſit in Regulam ſexageſimum octauum caput? Eius ſanè titulum ſine horrore non legas, eius contextumſine præſumptione non acceptes, ſine deſperatione non capeſſas. Lego in fronte: *Si Fratri impoſſibilia iniungantur.* Hæreo! Quid ſuauiſſimus Pater dicturus? Aut fallor, aut reſoluet, ad impoſſibile neminem mortalem obſtringi. Sed nos miſeros!

Deum poſſe & ſolere impoſsibilia præcipere aſſerũt Hæreſiarchæ, negant Patres, & Doctores Catholici.

Caput LXVIII. Regul. Benedictinæ.

seros! & impossibile posse à Prælato iniungi statuit, & esse impossibile quòd hoc ab omnibus intelligi possit constituo, Sic ipse ait: *Si cui fratri aliqua fortè grauia aut impossibilia iniunguntur, suscipiat quidem iubentis imperium, cum omni mãsuetudine, & obedientia. Quòd si omninò virium suarum viderit pondus excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter, & opportunè suggerat, non superbiendo aut resistendo vel contradicendo. Quòd si post suggestionem suam in sua sententia Prioris imperium perdurauerit, sciat iunior ita sibi expedire, & ex charitate confidens de adiutorio Dei obediat.* Vt obediam iubet etiam iubenti impossibilia! quî ergo faciam, quæ fieri non possunt? quidquid enim possum facere, fieri potest, & quod fieri potest, non debet appellari impossibile. Res sanè difficilior est, quam hucusque fuit credita; tanta, vt secundo videatur calamo, & nouis studiis indigere.

An tenear facere, quæ fieri non possunt?

MII. An semper bene exponatur Regula sancti Benedicti?

Multæ equidem, si sincerè loquamur, in Regulâ S. Benedicti periodi, quæ aut obscuræ aut difficiles, iuxta Legislatoris mentem explicari non solent. Obscuras Expositores non semper possunt bene exponere, nec difficiles volunt. Condonandum illud est debilitati humanæ mentis, id fragilitati voluntatis: quorum priùs, quia nobis inuitis accidit, imputari non potest: posset posterius, si fieret priuatâ authoritate. Remissuri summum rigorem textus Cassinenses sic inquiunt: *Suffulti authoritate Apostolica, quædam Regulæ dubia declarauimus, modificando ea quæ aspera videntur.* Et ostendunt solûs Ecclesiæ esse Monachis condescendere, & Regulæ seueritatem mitigare. Cæterùm inter obscura Regulæ Benedictinæ Capita nullum omninò potest cum hoc sexagesimo-octauo componi: quod nullo illustrant Cassinenses scholio, quantumuis alia illustrent, fortè territi textûs difficultate. Hoc Ego caput olim iuxta communem sentiendi modum in Commentario exposui; sed quia semper noua dubia excitantur, operæ-pretium erit nouâ idem relegere attentione, nouis idem curis diluciдare.

Cassinensium in Regula exponenda libertas, & facultas.

MIII. Impossibilitas est triplex: Finalis.

Dico igitur, impossibilitatem trifariam considerari posse; vel in fine, vel in re præcepta, vel in præcepto ipso. *Tenet se ex parte finis*, cùm res possibilis, sed in ordine ad impossibilem præcipitur, vt si Petro præciperetur condîre cibos, vt statua comederet; id enim, quod in tali casu præciperetur, omninò esset possibile, & tamen impossibilis finis, qui intenderetur. Et tunc Petro inutilia absolutè, & impossibilia respectiuè & finaliter præcipi crederentur. *Tenet se ex parte rei præceptæ impossibilitas*, cùm res præcepta tam sit ardua, vt fieri non possit. Et hæc ipsa impotentia habet suos gradus. Primò enim impossibilia dicũtur, quæ difficillima; quia consideratâ humanæ fragilitate naturæ videmur non posse nobis persuadere vt velimus difficillima facere, tametsi certum sit nos illa posse facere si velimus; & hæc sunt quæ dicuntur politicè aut moraliter impossibilia. Secundò impossibilia dici solent, quæ tametsi communiter ab alijs hominibus fieri possint & soleant, Petri vires excedunt, qui est ita debilis, vt illa facere, tametsi velit, nequeat; & hæc, personaliter & comparatiuè impossibilia nominantur. Tertiò dantur impossibilia humanitùs, quæ ab homine citra miraculum fieri non possunt. Et hæc omnia, de rebus bonis aut indifferentibus intelligenda: quia de malis, & superiore lege interdictis Articulis septimo, & octauo tractabo. *Tenet se ex parte ipsius præcepti impossibilitas*, cùm ea iubentur quæ licitè iuberi non possunt. Et hoc accidit primò si excedat suæ terminos Authoritatis Superior, & hæc dicuntur attentata. Secundò, si res ex se factibilis omninò sit, sed obediens extremo periculo vitæ se exponat. Tertiò, si rem Prælatus probabiliter malam præcipiat. Et tandem si certissimè malam.

Obiectiua.

Impossibilitas ex parte præcepti.

Et parte conscientiæ.

Hæc omnia veniunt in præsentiarùm discutienda.

ARTICVLVS I.

De his, quibus impossibilia respectiuè & finaliter, id est, inutilia iniunguntur.

MIV. Vtiliter obedimus cùm præcipiuntur inutilia.

SAnè inutilia vtiliter iniungi possunt; obedire enim Prælato præcipienti inutilia, vtile est. In Patrum Vitis *part. 2. lib. de obedient.* & in Cassian. 4. *lib. de institut Cœnob. cap. 24* exstat mirabile huius doctrinæ testimonium; nam cùm senex cuidam Ioanni iuniori suo præciperet, vt lignum aridum, quod plantauerat, rigaret, donec faceret fructum, suscepit ille præcipientis imperium cum summâ resignatione & humilitate; & tametsi ita distaret aqua, vt deberet vespere ire, vt mane posset tempestiuè reuerti, per tres annos integros legem sibi impositam obseruauit; cuius Deus sibi gratam esse obedientiam miraculosè testatus est, faciendo, vt tandem illud lignum virescret & fructum faceret.

Lignum siccum rigatur: & fructum dat.

Huius Ioannis meminit Turrecremata in comm. cap. 68. nostræ Regulæ; sed Perezius ibidem citat Cassiani librum quartum,

tum, & caput vigeſimum tertium, & paulò mitior poſt annum primum radices egiſſe baculum & viruiſſe teſtatur.

MV. Ponitur quæſtio. An ceſſante fine ceſſet lex?

Sed tu, An Prælato inutilia præcipienti ſubditus teneatur obedire, inueſtigas?

Reſpondeo, duas dari Authorum opiniones; alteram, quæ docet ceſsare legis vim in particulari cùm & finis adæquatus in particulari; alteram, non ceſſare legis vim in particulari, cùm finis adæquatus in particulari; ceſsare tamen cũ finis adæquatus eſset in communi. Et quidem in hac materiâ non dabitur caſus, in quo finis adæquatus particulariter aut vniuerſaliter ceſsare poſsit. Et ne exempla mutentur, explanemus, & illuſtremus poſitum. Senior tuus baculum illum ſuum, quo viginti annis ſolidis aridorum membrorum molem deciduam ſuſtentârat, plãtauit in horto diligenter; iam tibi præcipit, vt diebus ſingulis hydriam effundas, illumque quouſque agat radices irriges. Sed tu ſapientior, quàm deberes, hoc tecenſes præcepto non obſtringi, & ſic ais [Quando finis legis ceſſat in particulari, ceſsat ipſa lex etiam in particulari: at finis huius legis ceſsat; ergo & lex. Probas minorem. Quia quotidiana irrigatio non eſt medium, quo vegetatiua vita baculo inanimi reſtitui poſſit] At Ego, vt rem bene capiam ſingulas, legis tibi impoſitæ circumſtantias expendo. Dico igitur primò, laborem manuum eſse ſecundùm Regulam, adeoque non poſse Religioſum Benedictinum à tali præcepto excuſari ratione materiæ; nam Cap. XLVIII. expreſsè iubetur, vt aliquibus horis Monachi laborent manibus. Sed quia ratione finis volebas eximi, illum conſiderabo; dicamque ſecundò, tuam inſtantiam non habere ſummam vim, ſi negetur, quod probabiliter negari poteſt, ceſſare in particulari legis obligationem, cùm adæquatus legis finis ceſſat in eodem particulari. Cæterùm, cùm hoc ipſum, quod probabiliter negari poſſe aſſero, teneam debere probabilius concedi, ne contra meam doctrinam quidpiam vel probabiliter admittã, dicam tertiò, legis finem tunc in particulari non ceſſare: vel ſi me putes decipi, illum deſigna. An exiſtimas tuo quotidiano labori præſcribi in finem fructificationem arboris? minimè. Sic debet lex exponi, vt non incurrat ſtultitiæ notam legislator; & quidem, qui vellet adhibere laborem, vt aridus baculus reuireſceret, eſſet ſtultus. In alium omninò, eumque altiorem hæc actio regularis collimat. Sed in quem? Perezius *in expoſitione num. 68. cap. 2.* ſentit huiuſmodi ordinari præcepta in excelſam virtutis præſtantiam, quæ vel præſumitur, vel tentatur, vel procuratur: & quidem talis finis deficere non poteſt; quoniam aridi ligni irrigatio, non iam intendit finem illum, quem hucuſque putaueras; ſed tuam vtilitatem ſolummodò; nimirùm, vt quanta ſit reſignatio tua magiſtro, & ſpirituali medico innoteſcat, vt conſeruetur, ſi magna; intendatur, ſi parua; procuretur, ſi nulla. Manuum labor à D. Benedicto inſtitutus, non quidem vt aliquid materiale lucrentur monachi laborando, ſed vt ſpiritualiter proficiant. Caput illud Regulæ XLVIII. ſic incipit. *Otioſitas inimica eſt animæ, & ideò certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum.* Et inferiùs: *iniungatur ei opus quod faciat, vt non vacet.* Nota illud *Ideò*, nota illud *vt*, & diſce, finem, qui manuum labori præfigitur, non eſſe lucrum pecuniarum, ſed otioſitatis proſcriptionem; quæ quidem otioſitas, etiam ſi rigetur baculus, adeſſe non poteſt. Et ſi fortè adhuc putes lucrum à D. Benedicto reſpectum, lege Caput LVII. & videbis, ipſos Monaſterij artifices iuberi artes ſuas exercere ob charitatis augmentum, & ſi ſuperbeſcere videantur, ceſſare. Si rem benè conſideres manuum labori correſpondet vt finis, non lucrum, non commoditas, non valetudo, ſed mera ſanctitas; nec hoc eſt in eodem manuum labore peculiare, nam in Regula multæ res materiales præcipiuntur, quæ non parturient fines materiales, ſed ſunt indictæ ob ſpiritualem profectum. Ieiunia ſalutem frangunt, artus frigore reddi ſolent inertes, diſciplinæ & cilicia carnem macerant, & omnes pœnitentiæ proſternunt; quæ omnia, tametſi valetudini non inutilia modò, ſed & contraria videantur, à Regula ſunt inſtituta, quoniam plurimùm animæ proſunt in fines altiores aſſumptæ.

Cur Monachi Benedictini laborent manibus?

Labor manuum in Regula S. Benedicti præcipitur.

Ieiunia, incommoditates, diſciplinæ, cilicia.

Quo debeãt modo exponi leges?

Virtutis præſtantia.

ARTICVLVS II.

De his, quibus politicè ſeu moraliter impoſſibilia, hoc eſt, difficillima iniuncta.

MVI. An Abrahamo impoſitum impoſſibile? An etiam D. Petro?

TAlia fuerunt omninò, quæ *Gen. 22. 2.* Abrahamo præcepta, talia quæ *Act. 10. 13.* Petro; quorum ille & filium occidere poterat, & iſte reptilia comedere, tametſi in vtroque concedenda ſit animi renitentia, & ſumma in operis executione difficultas. A' quâ, ſi Petrum eximere velis ob exſtaſin (in mentis exceſſu vidiſſe illa reptilia legitur) negare fuiſſe impoſitum Abrahamo præceptum de re difficillimâ, & ſtando amori illi paterno, quo erga filios obſtringimur, moraliter impoſſibili, nequaquam poteris.

Hoc

Carolus Imperator.

Hoc ſenſu videtur intelligendus Carolus Imperator 19. d. cap. 19. præcipiens, *Vt pia deuotione toleremus iugum, etiamſi vix ferendum, quod à Romana Sede nobis impoſitum fuerit, & hoc pro reuerentia, & obſeruantia, qua illam tenemur venerari.*

Gregorius. An debeamus correctiones iniuſtas tolerare?

Hoc etiam Gregorius *lib. 2. epiſt. 54.* (refertur 100. *diſt. cap. contra morem*) qui docet *Non tolerare patienter etiam correctionem iniuſtam eſſe contra morem Eccleſiæ.* Et tamen iniuſtè corripi & ſuſtinere, non impoſsibile ſimpliciter, ſed politicè, hoc eſt iuxta mores ciuiles & communes, vel clariùs, difficillimum eſt.

MVII. Caſſianus.

De hac impoſsibilitate loquitur Caſsianus; qui apud Smaragdum *in cap. 68.* ſic inquit, *Illa eſt vera obedientia, quæ* (meliùs: *Ille eſt verus obediens, qui*) *quamuis aliquid difficile ei imperetur, nihil tamen diſcutiens, ſine aliqua hæſitatione perficere nititur, nihil de impoſsibilitate murmurans.* De hac intelligendum eſſe D. Benedictum docet citatus Smaragdus: cui conſonat Ioannes Bertels in ſuis dialogis (nempè Dialogo XXVI) vbi ſic inquit: *Non dubito, quin multi, dum hæc (quæ S. Benedictus cap. 68. ſcribit) audiunt, turbantur, argutantes, quòd inſanum, & ſtultum ſit homines ad impoſsibilia cogere; ad quod ego, Cui Domini iugum ſuaue, & onus leue, illi nihil arduum & aſperum, nihil, & vbi nulla ſupra nos ſunt mandata, ibi nulla impoſsibilia. Dicam clarius, & exempli loco. Logici ſæpiſſimè vtuntur illo termino* Impoſsibilia, *non quidem quod ſuperari vllo modo poſſint, ſed cum grandi difficultate.* Impoſsibile *ergo hic ſumitur pro eo, quod difficile eſt fieri, aut videtur.* Et confirmatur, quia cum S.P. *grauia aut impoſsibilia* dicit, videtur duobus verbis Synonymis vti, nec impoſsibilium vocabulo alia ſignificare, quàm grauiſsima, vel difficillima.

Vera obedientia, qualis?

Smaragdus. Bertels.

Impoſsibile apud Logicos quid?

MVIII. Paulus. Antonius. Ruffinus.

Hæc eſt illa obedientiæ via, quàm Paulo in cœlum cogitanti demonſtrauit Antonius, & deſcripſit Ruffinus *lib. 2. cap. 31. de Vitis Patrum* hiſce verbis. *Paulus, cùm adiiſſet Antonium, vt iter ab eo ſalutis inquireret, ille intuens hominem ſimplicis naturæ eſſe, reſpondit ei, ita demum eum poſſe ſaluari, ſi bis quæ a ſe dicerentur, obediret. Tunc ille, omnia quæcunque ſibi præciperet, facturum eſſe reſpondit. Vt ergo promiſsionem eius probaret Antonius, ante fores cellulæ ſtanti: Hic, inquit, expecta me orans, donec egrediar. Et ingrediens Antonius manſit intrinſecùs per totum diem, & per totam noctem, per feneſtram tamen ex occulto frequentiùs reſpiciens videbat eum indeſinenter orare, & nuſquam prorſus moueri, ſed ſtare in æſtu & rore noctis, & ita eſſe mandati memorem, vt ne parum quidem loco moueretur.* Et quidem multis videretur impoſsibile Antonij mandatum, omnibus difficillimum, ſed à Paulo religiosè obſeruatum; nobis ad imitationem propoſitum, ſi ſimilia contingat à noſtris Superioribus præcipi.

Pauli obedientia.

ARTICVLVS III.

De eo, cui reſpectiuè impoſsibilia iuncta; hoc eſt poſsibilia quidem, ſed in gradu impoſsibili. Vbi multa de impoſsibilitate Decalogi.

MIX. Hominum vires inæquales.

VNum hominem minùs altero poſse certum omninò eſt; non ſunt omnium æquales vires, nec animus. Multi poſsunt, vbi vnus ſuccumberet; & vbi hic cederet, ille vinceret ſine ſummâ moleſtiâ. Si fortè tibi aliquando præceptum, quod vires tuas ſuperet, poſitum, illius Religioſi memineris, cui iniunctum, vt immane ſaxum, cui mouendo vix cohors ſufficeret, verteret & euolueret. Hiſtoriam dat Caſsianus *inſtitut. lib. 4. cap. 26.* vbi aſſerit Abbatem ſuo adquieuiſſe illum, protinus applicuiſſe oneri, & pectus & brachia, tantoque illud impetu & conatu voluere contendiſſe, vt nõ ipſe ſolùm ſudore, ſed & ſaxum ipſum perfunderetur. Qui tametſi in hoc opere oculis corporeis non videretur profeciſſe, non enim ſaxum mouit; tamen conſideratus incorporeis, videtur profeciſſe quidem, quia ſummi meriti reſignatio, & ſubmiſsio illa fuit; prodeſſe autem, quia in obedientię exemplum vniuerſis proponitur, vt ad reſolutionem illius generoſiſsimam vniuerſi operationes ſuas eliment.

De magnitudine obediẽtiæ.

Sanè vbi res tanta præcipitur, quanta fieri non poteſt; *Primò* præcipitur, vt in eo magnitudinis gradu, quo commodè poſsit ipſa fiat. *Secundò*, conſulitur, vt meliùs fieri deſideretur: & vt fiat in altiori gradu quo poſsit. Multa habemus iſtius veritatis exempla, quæ proderit relegere aut exponere.

MX. Exponitur primũ præceptum Decalogi.

Lego apud Matth. 22. d. Marc. 12. Luc. 10 *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omni mente tua.* Et iſtis verbis exiſtimo imbibi præceptum & conſilium; quorum illud ſubſtantiam dilectionis reſpiciat, hoc intenſionem. Proderit audire meum Bernardum, vel quicunque ille ſit, qui librum de diligendo Deo compoſuit. Capitis enim II. numero 9. ſic inquit. *Auguſtinus ait: Amor Dei non capit de impoſsibilitate ſolatium. Omne enim deſiderium tunc ſolet ratione mitigari, cùm deſideratum im-*

An amorem frænet impoſsibilitas

poſsibile ſit haberi. Amoris tamen violentia nulla impoſsibilitate frænatur; nam etſi animam, terrena habitatione preſſam (Sap. 9.) *immerſam luto, illa felicitate ex integro frui omninò impoſsibile omni homini conſtet, nullum tamen ſic amanti hæc impoſsibilitas præbet ſolatium, quo minùs ardeat, & æſtuet habere quod optat. Quo tamen deſiderio, etſi ratio excedatur, nõ offenditur Deus, qui ſimile quiddam videtur innuiſſe præcepto* [*Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omni mente tua.*] *Quod tamen in hac vita mortali, vel potiùs morte vitali à nemine poſſe impleri* (nempè ſecundùm omnem perfectionem conſultam) *tam rationibus, quàm authoritatibus conſtat. Ab omni tamen homine debere optari, nemo eſt, qui ambigat. Vnde in Iuſti deſcriptione dicitur* (Pſalm. 111.) *In mandatis tuis volet nimis* [*Velle nimis eſt plus velle quàm poſſe; quo ſenſu, & ego dictum puto* (Cant. 1.) *Adoleſcentulæ dilexerant te nimis*] *Quid enim* [*nimis*] *niſi ſupra poſſe, & vires? Infinitus quippe, & immenſus eſt Deus, in quem tendit amor eorum, vt nullus poſsit eſſe finis, vel menſura amoris. Amat ergo ſic amans anima: & ſi nimis poſſe ſuo, minùs tamen velle ſuo; nec capit de hac impoſsibilitate ſolatium, ſed potiùs deſiderij incrementum. Vides igitur quemadmodum inſuperabilis eſt charitas, omnia ſuperans; ita eſt inſatiabilis, omnia vorans; & ex copia parit inopiam, dum ex præguſtatis quidem delitijs ampliùs tamen in deſiderijs exardeſcit, quæ etſi dentur ad plenitudinem, nunquam tamen ad ſatietatem.*

An offendatur Deus, cùm exdicetur ratio?

An primum Decalogi præceptum impleri poſsit?

Velle nimis quid ſit?

Cur amor careat menſura?

Charitas inſuperabilis.

Hac ideâ inſtructus legem ſimilem Benedictinam explicabo: & vtendo paraphraſi, verbis etiam Bernardi, quæ mihi luci ſunt, ero luci. Sic diſcurro: Actus merè internos ſubijci Eccleſiaſticæ iuriſdictioni (quod tametſi probabiliùs negetur, probabiliter à multis dicitur, & examinabitur inferiùs) ſupponens.

An actus interni humanæ iuriſdictioni ſubſint?

MXI. De attentione in diuino Officio.

[Pſallendi diſciplinam doceri à D. Benedicto deſiderans, aperio Regulam, & in Caput XIX. incidens lego hoc præceptũ: *Semper memores ſimus quod ait Prophetæ* (Pſalm. 2.) *ſeruite Domino in timore. Et iterùm* (Pſalm. 46.) *Pſallite ſapienter. Et* (Pſalm. 137.) *In conſpectu Angelorum pſallam tibi: Ergo conſideremus qualiter oporteat nos in conſpectu Diuinitatis, & Angelorum eius eſſe. Et ſic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.* Mihi ſemper meminiſſe præcipitur, & hoc impoſsibile eſt: homo ſum, naturâ fragilis, quem conſuetudo obliuioni mandandi ſuam ſalutem reddidit fragiliorem: quî ergo potero Dei, Angelorum, reuerentiæ, timoris, & circumſpectionis perpetuò meminiſſe? Sine ſomno & diſtractionibus multis hanc vitam agere impoſsibile eſt. Iubeor Deum laudare ſemper labio, habere mentem voci cõſonam, & vtrumque impoſsibile iudico. Et inter duo impoſsibilia adhuc vltimum impoſsibilius. Quî mentem ego volucrem venari potero, & reducere ad retia, qui eâ ipsâ duce, & conductrice per vniuerſa volito in omnium virtutum materijs hoſpes, & peregrinus: in miſeris domeſticus & familiaris: quin vel ſemel quieſcam aut tandem aliquando patriam apprehendam, in quam cogito? Me lege obſtrictum ſcio. Amo obedientiam, impoſsibilitatem operis perſentiſco. At amor meus non capit de impoſsibilitate ſolatium. Vt terrena deſideria impoſsibilitatis notitiâ mitigentur, meum non poterit: ardet diuinitùs, & nullum ſic ardenti impoſsibilitas ſolatium præbet. Non poſſum facere quantum mihi eſt iniunctum; faciam tamen, quæ potero: petam plus poſſe, & obtinere, quod poſtulo, deſiderabo. Hoc enim deſiderio, etſi ratio videatur excedi, non offenditur ſed diligitur Deus: qui ſimile quiddam videtur indixiſſe Prælato, cui Cap. 11. Regulæ abſolutè præcipitur: *vt omnia quæ eſſe Domino docuerit contraria, in ſuis factis iuditet non agenda: vt non plus vnus ametur, quàm alius: vt ſemper cogitet, quod animas ſuſceperit regendas: vt ſemper timeat futuram diſcuſſionem, & ſit de ſibi commiſſis animabus ſollicitus;* quæ tamen in vitâ hac moribundâ, in hac animam agente morte, ſuadebitur impleri non poſſe. *Primo* enim impoſsibile eſt omnia facere, quæ docemus: nam & omne venialem peccatum fugiendum dicimus, nec tamen omne cauere poſſumus. *Secundo*, quî poterimus vnum amare quãtum alterum, qui quantum amemus neſcimus. Hac lege tenebatur Bernardus: Benedictinus erat, Abbas erat: & tamen fatetur ingenuè, neſcire quantum proximum amet. Sic enim Epiſt. LXXXV. VVilhelmo loquitur. *Neſcio qua fiducia non ſolùm de tuo, ſed & de meo corde tam apertè declamas, vt plus amans, inquiens, minùs diligar? Hæc quippe ſunt verba tua. O ſcrutans renes, & corda Deus, qui vnus ſol iuſtitiæ diuerſa ſeruorum tuorum corda diuerſis gratijs velut radijs illuſtras, quòd diligam illum ex dono tuo, & ſuo merito, tu ſcis, & ego ſentio. Quatenus autem diligam, tu ſcis, & ego neſcio.* Et tandem *tertio*, qui poterimus ſemper cogitare, ſemper timere? O Deus! impotentiam ipſam cognoſco, & inde ſuperbus pauo pennas elationis dimitto, & te fauente (negare fauores, quibus poſſemus ſuperbire, fauor eſt) corripior, & humilior, qui fortè ſuperbeſcerem, ſi plura poſſem. Meminiſſe tui diuini ſeruitij, legem tuam meditari, te linguâ collaudare, mentem captiuam

Prælatus præire exemplo debet: Eſſe indifferens. Et futurum iudicium cogitare. Nemo omnia, quæ docet, poteſt facere. Nemo ſcit quantum amet.

Deus Sol.

Negatio fauorum fauor interpõ eſt.

reti-

retinere, quod doceo facere, futurum timere iudicium poſſum quidem, ſed ſemper non poſſum, Poſſum amare ſubditos, ſed æqualiter amare non poſſum. Quid igitur facturus, ne offendaris. Faciam quæ potero, & deſiderabo quæ non potero. In Regulâ, ſecundùm quam te auſpice uiuere profeſsus ſum, uolam nimis, nempe multò plura, quàm potero. Si effectus deſit, affectus omninò ſatisfaciet, qui enim tui ſemper meminiſse non poſsum, poſsum uelle, & nolo ſemper poſse. Quæ ſemper fieri præcipiuntur, neſcio quam immenſitatem præ ſe ferunt, quæ tuæ infinitæ maieſtati conſonet, diſsonet meæ fragilitati. Et quidem cùm amo ſatisfacere exactè, ſi poſſe meum examinem, nimis amo; ſi velle, minùs; amo enim facere plus quàm poſſum, & poſsum facere minùs quàm volo; & tamen non capio de impoſsibilitate ſolatium, ſed incrementum deſiderij; & quidem ſolatii ipſa carentia ſine ſolatio eſse non poteſt: ſi enim mihi ſolamini non eſt, non poſſe facere quæ deſidero, & tenor regulariter, ſummo eſt mihi ſolamini deſiderare facere plus quàm poſsum, & deficere à lege poteſtatis defectu, non verò culpâ voluntatis. Video igitur, inſuperabilem eſse charitatem. Non ipſa in manu, non in pede, non in mente, ſed conſiſtit in purâ voluntate. Eſt illa manca vt eiiciatur ad aratrum, ille claudus, vt viam mandatorum curret? eſt mens amens, eſt memoria immemor, vt te præſentem contempletur? hæc omnia impoſsibilia ſuperat charitatis affectus. Deſiderabo affectuosè manum, pedem, & mentem, quibus careo, & ſatiari non potero; quia ſi omnia oſſa, & membra mea dixerint, *Domine quis ſimilis tibi*, plura deſiderabo habere, vt pluribus linguis, & motibus tuã poſſim Maieſtatem laudare] Sic ergo.

Charitas inſuperabilis.

DMXII. Hic diſcurſus formari poterit verbis, quæ deſumam ex ſermone XIII. in Cœna Domini, qui adſcribitur D. Bernardo. Cuius Author, quicumque ipſe, pius eſt, & num. 202. ſic inquit: *Qualiter in eius dilectione manere debeamus ſequitur, & dicit* [*Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in mea dilectione, ſicut Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione*] *Qui habet aures audiendi, audiat; & qui habet cor intelligendi, intelligat. Menſurã noſtræ poſsibilitatis videtur excedere vires animi & corporis, ac niſus ſupergreditur vniuerſos. Præceptum, quod nobis Dominus imperat, conſilium eſt noſtræ ſalutis.* Ecce eamdem ſanctionem præceptiuam, & conſultiuam docet eſse, & noſtram reſolutionem euidenter confirmat; id enim ipſum ſuppoſuimus ſub huius articuli initium. Lex enim de dilectione Dei eſt præceptiua quoad dilectionẽ Dei, eſt præceptiua quoad ſubſtantiam, conſultiua quoad modum, ſeu menſuram, cuius ratione creditur impoſsibilis. Ecce inſtruimur, quî debeamus præcepta viribus maiora obſeruare; talia enim non excludunt rationem conſilij, & obſtringũt quoad ſubſtantiam, & excitant, & ſuadent quoad modum. Modus diligendi Deum, & omnes obſeruantias regulares propter ipſum, eſt ſine modo diligere, vt doctiſſimè ſtatuit S. Bernardus *tract. de diligendo Deo. c. 6. n. 16.* quod fruſtrà carpit Berẽgarius Abailardi diſcipulus, *in Epiſt. contra D. Bernardum*. Sed iam audentior, quia doctior, inquiris, *Cur in Regula Benedictina poſita ſint ſanctiones impoſsibiles, cùm certum ſit impoſsibilia fieri non poſſe?* Reſpondeo, latas eſse ad augmentum, & lucrum charitatis: Addo hanc eſse duplicem; aliàs enim in actu, aliàs conſiſtit in affectu. Diſtinctionem me docuit meus Bernardus *ſer. L. in Cant. n. 1* Iudicans alteram ſufficere; vt legi diuinæ ſatisfiat: Agit de lege illâ: *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, & ex tota virtute tua:* & me erudit, vt ſentiam hanc Decalogi legem non eſse intelligendam de affectu, ſed de effectu. Hoc eſt, vt putem non præcipi, vt intenſiſſimè Deum diligamus, ſed vt omnia illa faciamus, quæ faceret, qui intenſiſſimè eumdem diligeret. Sed cur ego balbutio, cùm poſſum vti eloquentibus verbis mei Bernardi? *De illa, quæ operis eſt, puto datam eſſe legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu, quis ita habeat, vt mandatur? ..... Mandando non præuaricatores homines fecit, ſed humiles; vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo; quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Accipientes quippe mandatum, ſentientes defectum, clamabimus in cœlum, & miſerebitur noſtri Deus, & ſciemus in illa die, quia non ex operibus Iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam* (2. Timoth 1. c.) *ſaluos fecit: Atque hoc dixerim, liquidem conſenſerimus affectualem lege fuiſſe mãdatam. Sed actuali id potiùs conuenire inde, vel maximè apparere videtur, quòd cùm* (Lucæ 6.) *dixiſſet* Dominus (*Diligite inimicos veſtros*) *mox de operibus infert*, (*Benefacite his, qui oderunt vos.*)

Modus & menſura amoris humani erga Deum.

De præceptis impoſsibilibus, quæ in Regula. Charitas duplex. Alterutra ſufficit.

Quo ſenſu Effectus & Affectus à D. Bernardo accipiantur.

Præceptum conſultiuũ: præcepit actũ quoad ſubſtantiam, & conſulit quoad modum.

MXIII. Hinc patet, primum Decalogi præceptũ, quod Heterdoxi impoſsibile dicunt, multa præcipere, ſed omnia poſſibilia. Præcipit enim *primò*, vt Deum amemus effectiuè, hoc eſt, vt nihil, quod ipſe præcipiat, omittamus; & hoc ſufficere iudicat S. Bernardus; omnia enim quæ comprecipiũtur cum hoc effectiuo amore, ſunt eſſentialiter connexa. Conſulit *ſecundò*, vt Deum amemus in eo affectus gradu, quo poſſimus; vt perfectiùs, & intenſiùs eum amare conemur: hoc eſt, vt intenſiùs amare Deum

Multa indicuntur ã Deo in primo præcepto Decalogi, ſed omnia poſsibilia.

velimus, aut saltem desideremus velle.

De Amore erga proximum.

Non aliter in secundâ tabulâ. Præcipitur *primò*, vt proximum amemus effectiuè; Obedîmus, cùm nulla illi negamus debita, nec aliquam inferimus iniuriam. Consulitur *secundo*, vt eum in aliquo intenso gradu diligamus, & conemur intensiùs.

De conuersatione, & obligatione regulari.

Non secùs in obseruantiâ regulari. Præcipitur *primo*, amemus Religionem practicè, & effectiuè; speculatiuus enim ordinis amor virtutes exercere non potest. Consulitur *secundo*, vt eius præcepta in aliquo gradu perfecto diligamus, & perfectiùs conemur. Quòd eius mandata exsequamur præcipitur; suadetur vt altiori, & excellentiori modo obedire curemus.

De præsentia Dei.

Hinc ego, cui Regulæ cap. *XIX.* præcipitur semper Dei meminisse, ero Dei memor, vbi congruè, & commodè debuero, indiguero, potuero, & hoc ex vi præcepti; at ex vi consilij conabor, vt frequenter Deum præsentem habeam, hoc est, ferè semper. Desidero semper habere Deum præsentem: & quia hoc ipsum desiderium infinitè intensum, & perfectum non est, desiderabo habere desiderium immensum. [*Nota tamen* hæc omnia, quæ de actibus internis dicta, posse etiam applicari externis, si sentias de occultis non posse Ecclesiam iudicare.]

ARTICVLVS IV.

De his, quibus præcipitur humanitùs impossibilia, quæ fieri sine miraculo non possunt.

MXIV. De miraculis.

HVmanitùs impossibilia illa sunt, quæ humanâ virtute fieri nequeunt, nec tamen impossibilia absolutè dicuntur, quia fieri miraculosè possunt. Multa huc pertinentia legimus in Seuero Sulpicio, & præcipuè Dialog. 1. in quo Monachorũ Orientalium virtutes, & prærogatiuas edisserit.

An D. Benedictus, cùm iubet fieri impossibilia, iubeat fieri miracula.

Huiusmodi impossibilia non iniungi à Regulâ Benedictinâ opinatur Ioannes Bertels in cap. 68. Reg. Bened. Dialog. 16. mihi pag. 443. vbi sic: *Stolidum esset imperium, vt iubens subditum quoquo modo compellat, vt Mosellam exhauriat, transferat montes, aut colles, aut certè horas quis quadraginta maneat immobilis. Oportet sanè in similibus fungos, & lapides esse auditores, vbi tam stupida* (nempè, *Abbatũ*) *ingenia vigerent: quod profectò minimè vult, vt fiat*, S. *Benedictus, commendans, vt sine fuco absque vllo altercandi modo obedientiæ certamen infactilibus, etiam si impossibilia naturæ impossibilitati videantur, &c.*

MXV.

Totus interdum finis, & quæcumque pars finis postulat omnia media.

Sanè me etiam Iudice Deus tentandus non est, nec illa præcipienda, quæ, secluso miraculo, impossibilia iudicantur. Quæ si prudenter præcipiantur, obligabunt pro parte possibili, ni probabiliter asseri possit, ita Superiorem velle inferiores obstringere, vt ad totum, aut ad nihil teneantur, quod in multis contingit. Nam cùm finis præcipitur, compræcipiuntur omnia media necessaria, vel nullum. Nam si indicatur tibi, vt Regem Galliarum conuenias, vt Parisios adeas condicitur: si mediam itineris partem facere possis, totum non possis, ad mediam viam excurrere nullo modo teneberis, quia res præcepta non pendet ab itinere partialiter, sed omninò totaliter: Non inquam tota à toto itinere, pars à parte; sed tota à toto, & pars etiam à toto. Qui enim totum illud peregit, & Regi horâ integrâ loquutus fuit, non potuisset mediâ horâ Regi loqui, si itineris egisset dimidiũ; omnes enim & singulæ itineris partes, si non perueniatur ad finem, nihil prosunt.

ARTICVLVS V.

De his, quibus res attentatæ, quæ validè præcipi non possunt, inductæ.

MXVI. Quid sit præcipere attẽtatè?

ATtentatè præcipit Superior, cùm transgreditur terminos suæ authoritatis. Transgreditur *primo*, si certò sit intrusus; *secundo*, si intrusus probabiliter; *tertio*, si actus merè internos præcipiat, *quarto*, si externos leues grauiter; *quinto*, si externos secretos, sub pœnâ correptionis publicæ; *sexto*, si præter regulares.

An præcepta intrusi Superioris obligent? Abbatis Carnotẽsis electio.

EXISTIMO PRIMO, *nullum Religiosum obstringi lege lata à Superiore certò intruso*. Cæterùm, vt aliquis certò intrusus dicatur, temeritas subditorum non sufficit. Certò irregularem Abbatis sui electionem putabant Carnotẽses Monachi, & Mellifluo meo Bernardo scribebãt, adeo illam inuolutam, intortamque fuisse, vt licèt de eâ coram Deo nõ dubitaretur, coram hominibus tamen aut vix, aut nullatenus conuinci posset. Et ipsis capite iuxta meam diuisionẽ XLVII. Bernardus: *Venit nunc quoque in mentem sapientis eloquium* (Prouerb. 18. a) *occasionem quarit, qui vult recedere ab amico. Quoniam modo vos irregularem dicitis electionem, quæ cessari regulariter non valet, nec reprobari? Et quidem legitur, quod probari non potest, mihi infectum est.* Vide cap. LXIV. Regulæ S. Benedicti, in quo agitur de ordinando Abbate, & etiam, quæ in hunc ego locum

Quæ sit regularis electio.

Quæ probari non possunt, non facta politicè sunt.

cum commentatus Scholij num. 398.

MXVII. An teneatur quis obedire Superiori probabili.

EXISTIMO ETIAM, *monachum posse promittere, quòd Superiori probabiliter intruso obediturus erit*. Patet; quia nullâ ex parte relucet huius voti iniquitas, imò aliquando præstat monachum obedire superiori probabili, quàm agere vitam exlegem. Vt hoc votum teneret, deberet his verbis emitti: *Promitto obedientiam regularem tibi & successoribus tuis, non solùm legitimis sed & probabilibus*; & ex vi promissionis istius deberet obedire Prælato, cuius authoritas disputationi & examini intricato subesset.

Et quid, si duo sint Superiores probabiles?

Sed inquiris, quid in tali casu deberet facere priuatus Religiosus, si schisma esset, & duo de Abbatiali dignitate contenderent? Et ratio interrogandi est: quoniam, si deberet obedire Superiori probabili, vtriusque videretur debitor, cùm vterque ante sententiam probabilis censendus sit.

Respondeo, debuisse hoc ipsum dubium ante professionem decidi, & posteà decisionem seruari. Potuit enim voluisse sibi reseruare Religiosus potestatem eligendi liberè partem alterutram, potuit se obstringere probabiliori, aut etiam confratrum iudicio; et tunc hæc ipsa voluntas, vtpotè expressa, esset professionis circumstantia, quæ propositum dubium proscriberet.

MXVIII. Resolutio.

EXISTIMO TERTIO', *Benedictinos Religiosos non promittere obedientiam Abbatis sui successori probabili*. Patet; quia moris est, vt causæ probabiles examinentur, quæ videantur vel probabiliter innuere Abbates illegitimè intrusos; quæ tamen deberent omitti, si ex vi professionis illis obedientia esset debita; nam in legitimè electos transirent: quoniam ad nihil aliud electio Canonica instituitur, quàm, ut detur, cui teneantur Religiosi obedire. *Accedit*, quòd hæc obligatio, si daretur, redderet uitam monasticam summè difficilem, & ideò non debet fingi, nisi litera clarissimè pateat: cùmque nulla huius seruitutis in possessione mentio fiat, omninò illa neganda est. *Addo tamen* iuxta ea quæ *in commem. numer.* 1582. *& seqq.* statui, Præpositum, Suppriorem, Decanos, Oeconomum, vniuersos Communitatis Administros, omnesque illos, qui habent authoritatem ab Abbate delegatam, non posse illi non obedire; rationem ibi dedimus & resumemus breuiter. Nam possem dicere Præposito inobedienti; Aut es Monasterij Prior, vel non; ergo si es Prior, Abbas est ille qui te elegit; non enim ab alio eligitur Prior, quàm ab Abbate. Ergo quamdiu te Priorem credis, non potes illum esse Abbatem decredere. Ergo nec negare obedientiam; illi enim, quem esse Abbatem credis, debes obtemperare.

Qui à Superiore probabili delegatâ recipit authoritatem cedit iure habendi opinionem cõtrariam: est enim cum delegatione incompossibilis; si enim non est verus Superior, nec veram authoritatem delegauit.

EXISTIMO' QVARTO', *Abbatem non posse præcipere actus internos, si semel ponamus opinionem communem, quæ docet de occultis, hoc est, merè internis actionibus, homines non iudicare*. Vt hoc intelligas, notare debes, tres esse Authorum opiniones circa potestatem Antistitum. Alij dicunt ab eis non nisi actus purè externos præcipi; Alij posse & mixtos; Alij posse etiam directè purè internos. Prima igitur sententiâ suppositâ, cessat quæstio.

MXIX. An Abbas actus internos præcipere possit?

Dices, adhuc primâ sententiâ positâ, te posse promittere obedientiam in actuum internorum materiâ; nam tibi liberum illos elicere & non elicere; & tibi vtile tales faciendos DEO promittere; & si hoc verum, cur non etiam poteris promittere Deo orationem mentalem, quandocumque tibi illam Petrus præcipiat, siue, quod idem est, cur non poteris vouere Deo, quòd obedies Petro, quotiescumque tibi indicat orationem mentalem?

Respondeo, omnia esse vera, si agatur de simplici voto, falsa si de solemni; nam votum solemne, quod sit approbante Ecclesiâ, debet habere materiam, quam possit Ecclesia cognoscere & dijudicare. Cùm igitur tota Abbatum authoritas emanet à voto solemni, cur possint actus purè internos præcipere, positâ primâ opinione, non intelligo.

MXX. An Abbas præcipere possit actus mixtos?

EXISTIMO QVINTO', *posse Abbatem, si secunda supponatur sententia, præcipere actus mixtos directè non tamen merè internos*. Et ostenditur; quia sunt aliqua in Regulâ, quæ actus mixtos concernunt, & tunc viderentur habere præcepti naturam. Tale esset illud Cap. XIX. *Sic flemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ*. Vbi talem à D. Patre orationem indici, ex mentali & vocali coalitam, si admittatur hypothesis, tam clarum est, vt probatione non indigeat.

Qualem orationem præceperit D. Benedictus?

De actibus purè internis.

EXISTIMO SEXTO' *posse Abbatem, si tertiam opinionem ponamus, actus purè internos præcipere*. Multos quidem directè & absolutè, alios respectiuè & indirectè. Directè quidem Præposito, vt talem opinionem probabilem teneat etiam internè, quoniam Cap. LXIV. dicitur, *Dum contraria sibi inuicem Abbas Præpositusque sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissentione animas periclitari*. Abbas ergo, ne Præpositi periclitetur anima, posset præire viam opinionum, & illi iniungere quid deberet sentire aut asserere. De reliquis non dantur textus tam expressi in Regulâ, adeoque non esset omninò asserendum, posse Abbatem directè illis opiniones indicere, at indirectè posse videretur clarissimè ostendi. Abbas enim directè potest omnia & singula, quæ sunt in Regulâ, & indirectè omnia, quæ ordinantur ad eorumdem obseruantiam perfectionemque; atqui non solùm res externæ, sed actus interni

An prior possit dissentire ab Abbate?

An alij possint?

interni præcipuè possunt ad illam ordinari: ergo & illos posset indirectè præcipere. Probatur minor: quia multæ sunt opiniones probabiles, quæ possūt ad quietem animorum, pacem conscientiæ, & puriorem votorum obseruantiam conducere: ergo illas posset Abbas indicere, interdicendo, ne quis subditus audeat consentire contrarijs. Cæterùm præter opinionum delectum, in quo specialiter Præpositus subest Abbati, dantur multæ leges in Regulâ de rebus purè spiritualibus, vt ostendo *num.693.*

MXXI. An paruæ sub mortali præcipi queant?

EXISTIMO SEPTIMO', *impossibile esse præceptum validum & legitimum, quod rem leuem sub culpa graui inhibeat.* Est enim communis sententia, quæ summi rigoris & intolerabilis tyrannidis arguit vniuersos Antistites, qui cruces & extremas sententias corporaliter, excommunicationes & graues etiam culpas spiritualiter, in quâlibet leui materiâ minari & obijcere solent. Nota tamen, posse rem intrinsecè leuem esse grauem extrinsecè, ratione periculi aut scandali.

Magnitudo extrinseca.

EXISTIMN OCTAVO', *Esse probabilem sententiam, quæ docet posse in materia graui leuiter obligare; probabiliorem quæ non posse.* Sed de hoc iam in Commentarij num.41.

De iure secreti. An cedere possit Religiosus?

EXISTIMO NONO', *posse Religiosum secreti & fraternæ correctionis iure cedere, & talem esse posse cessionem, ex vi cuius secretæ culpæ habeant publicas pœnas.* Patet; quoniam huiusmodi cessio apud Patres Iesuitas in vsu est, & tametsi aliquas ipsa limitationes habeat, posset latiùs admitti.

MXXII. An cesserint Benedictini iure correctionis fraternæ?

EXISTIMO DECIMO', *non dari talem cessionem apud Benedictinos, imò correctionem ipsam a Christo Domino institutam, præcipi lege regulari.* Vide omnia, quæ de hac materiâ in meo Commentario à num. 1677. per multa folia pertractaui.

Sed obijcis verba Foreri S.I. qui in Thesibus de Abbatibus & alijs regularium Prælatis defensis & impressis Dilingæ anno 1620. sic inquit. *Ad denuntiationem Euangelicam, vt vocant, Abbati, vt Patri faciendam, non necessariò prærequiritur admonitio secreta, siue delinquens emendatus sit, siue non, quando per Prælatum commodiùs emendatur, etiamsi id in aliqua Religione peculiariter statutum non sit. Vnde licitum est cuiuis Religioso, in quem aut quorum quo, grauiter aut leuiter, etiam occultè, alius frater peccauit, crimen illud Abbati prudenti ac mansueto velut Patri deferre, non præmissa secreta monitione.*

MXXIII. Confirmas ex S. Thomâ 2.2 *qu.33. art.7. ad 3 & ar.8. ad 4. & qu.68. art.1. ar 3.* & clariùs *quodlib. 11. ar. 13.* & alibi sæpè docente, ordinem correctionis fraternæ à Christo Matth.18. præscriptum, *si peccauerit in te frater tuus, &c.* non habere locū, quando bono Communitatis periculum imminet, vt planè sit in peccatis Religiosorum, quibus non tantùm in te, sed etiam in alios peccat frater tuus, & ideò fas esse priùs dicere Prælato, secundùm quod Prælatus est quædam singularis persona, quæ magis possit prodesse, quàm alij

Fraterna correctio nō habet locum contra Communitatem.

Confirmas secundò; quia tametsi sint Religiosi domini suæ famæ, cui per obedientiam non renuntient, præferendum tamen est bonum Religionis totius bono famæ priuatæ. Vt verò Religiosi hoc quasi virtuale pactum per obedientiæ votum cum Religione ineunt, vt propter eius bonum aliquod famæ suæ detrimentum patiantur non inuiti, si id prudenti Superiori necessarium videbitur, cùm ei non tantùm. vt Rectori sæculari, incumbat facere bonum ciuem, sed etiam bonum Religiosum, & virum perfectum; perfectionis autem studio impedimentum magnum afferunt etiam leues defectus, si tolerentur; quibus tamen efficax remedium sperari nequit, nisi à Prælato.

An Religiosi sint domini famæ?

MXXIV. An in Societate admittatur correctio fraterna?

Confirmas tertiò; quoniam aliquæ Religiones (vt Societatis IESV regul.9. Summarij) statuerunt, vt omnes errores alicuius extra confessionem cogniti manifestentur Superiori; & censendæ hoc statuisse ob grauissimas causas, & inter præcipuas, quòd clarè præuiderint, valde rarò inter pares in Religione fructuosè adhiberi secretas correctiones, & multas inde contentiones ac dissidia oriri, longèque dexteriùs id à prudenti & mansueto Prælato (qui vt loquitur c. hoc videtur 22. *qu.5. tanquam Pater nolit obesse, & possit prodesse*, & quales omnes Religionum Prælatos esse præsumendum est) fieri posse, quàm ab alio. Plures rationes & authoritates pro hâc sententiâ asseris inueniri apud Aloys. Turrianum 2.2.D.89. *d.4.* quam & ipse sequitur. Et Statutis Præmonstratensis Ordinis valde conformem existimas, subscribisque Layruelsio *in Optic. spec. 75. instit.9.*

MXXV. Fraterna correctio debet obseruari in Ordine D. Benedicti.

Respondeo, correctionem fraternam omninò seruandam in Ordine Benedictino, nec contrarium à Forero probari, cui non est credendum vt Oraculo, sed vt Doctori; hoc est, non dicenti, sed fortibus argumentis probanti.

Ad primam confirmationem fateor, fraternam correctionem non habere locum, quando Communitati periculum imminet, & in tali casu quemcumque Religiosum in confratres peccare, adeoque posse ante correctionem fraternam ad Prælatum quâ Patrem deferri. Nego tamen semper imminere tale periculum: quia in peccatis omninò secretis nullum est periculum dedecoris, & in illis quæ sine complice commissa, nullum est periculum infectio-

Ab vtro vtiliùs fiat correctio: à Prælato-ne an à confratre?

fectionis. Accedit, quòd non ſemper correctio ipſa fraterna vtiliùs fiat à Prælato, quàm à confratre; quia inter homines generoſos hæ delationes ingratiſſimæ ſunt: habentur delatores infames, & ignominioſis nominibus afficiuntur (dicuntur enim *Inſufflatores, Tabellarij*, &c.) ab vniuerſis cauentur, & vitantur, ſi timeri incipiant, & ſint de ſimilibus depoſitionibus ſuſpecti; vnde intempeſtis delationibus, aut traductionibus multam monaſterij pacem perdi, totam periclitari, manifeſtum eſt.

An omnia peccata ſint contra bonum publicum?

An detur pactum implicitum de non ſeruanda correctione fraterna?

Ad confirmationem ſecundam dico, me non admittere omnia peccata eſſe contra bonum publicum, nec cognoſcere illud pactum implicitum, & virtuale factum cum Religione, vi cuius poſſit Petrus cum honoris detrimento corripi, ſi poſſit ſine detrimento. Nec video, cur Petrus non poſſit bonus Religioſus fieri, etiam Euangelicæ correctionis ordine diligenter ſeruato: & hoc præcipuè in Ordine Benedictino, in quo ſeruatur Regula, quæ ſæpè præcipit correctionem fraternam.

MXXVI. An detur multæ Religiones, quæ ordinem correctionis fraternæ nõ obſeruent?

Ad confirmationem tertiam dico, me omninò ignorare Religiones aliquas dari, quæ correctionis fraternæ ordinem non obſeruent; puto enim eſſe vnam, & ſolam Societatem; ſed hoc non vrgeo; ſunto igitur aliquæ, ſi velis, modò inter ipſas non enumeres Benedictinam. Habuiſſe Societatem rationes grauiſſimas, vt vel iure ſecreti cederet, vel quod in idem recidit, Statutum admitteret, præcipiens omnia immediatè Rectori denuntiari, nõ nego, & ſuperſtitioſus dicar, ſi illas inquiram. Patres Ieſuitæ ſuarum ſunt operationum domini, ſicut & nos noſtrarum; nec debent ſe regere rationibus noſtrâ ſententiâ grauibus, ſed ſuâ; ſicut nec nos grauibus ſuâ ſententiâ, ſed noſtrâ: At illos non habuiſſe illam rationem, quam aſſumis, videtur poſſe clarè oſtendi. Quia ſi valde ratò inter pares in Religione adhibentur fraternæ correctiones cum fructu; rariùs omninò adhibebuntur fructuosè inter pares homines ſæculares; inter quos frequẽtiùs contentiones, & diſſidia oboriuntur: ac per cõſequens dicendum erraſſe Chriſtum, qui nociuam fraternam correctionem inſtituit, aut fortè à naturâ inſtitutam lege Euangelicâ, tametſi pernitioſam, confirmauit. Ne igitur hanc Chriſto inferamus iniuriam, dicendum, fraternam correctionem, ſi ordine Euangelico fiat, bonam eſſe, nullis periculis obnoxiam, vtilem augendæ charitati; potuiſſe tamen omitti apud Patres Ieſuitas ſpe maioris boni; non enim ſolùm laudantur, qui declinant à malo, & faciunt bonum, ſed & illi, qui declinant à bono, vt melius faciant: & quidem à confratre corripi Euangelicum, & durum; at à confratre denuntiari & corripi à Prælato duriùs omninò, & ſupra Euangelicas obligationes. Ad quam eminentiam virtutis nemo cogi debet inuitus, & quidem Benedictini cedere ſecreti iure nolunt, cogi non poſſunt.

An Benedictini ceſſerint iure ſecreti.

Nec iudico Layruelzij opinionem apud Præmonſtratenſes obtinere, nec ſi ſuo velint ipſi iure cedere, me habebunt remoram aut promotorem; res enim magni momenti eſt, nec debet temerè ſuaderi aut diſſuaderi. Et in omni dubio ſtandum Religioſo pro libertate, Religioni pro auitis & præſcriptis moribus, in quibus nihil omninò, quod ſciam, fraternæ correctioni aduerſarium.

MXXVII. An correctio fraterna ſeruetur apud Præmonſtratenſes.

Iam Benedictinarum legum peritior inſtas, & omnia quæ de correctione fraternâ ex Regula afferuntur, te legiſſe teſtaris, & obſeruaſſe omnes correctiones illas ab vno & ſolo Prælato regulariter fieri. Et ideò inters, nulli particulari licere fraternè corripere iuxta Regulam Benedictinam.

Obiectio.

Confirmas hanc rationem; quia datur in eâdem Regulâ expreſſum Caput, quod correctionem fraternam interdicat; & certum eſt, qui legem illam acceptarunt, non potuiſſe iure fraternæ correctionis non cedere. Aſſumptum probas; quia caput LXX. inſcribitur: *Vt non preſumat quiſquam aliquem paſſim cedere aut excommunicare.*

Confirmatio.

Reſpondeo, S. Benedictum noluiſſe, vt vel Abbas publicè corrigeret, quem poſſet ſecretâ correctione emendare; adeoque à fortiori credendum, non voluiſſe duos habere peccati notitiam, ſi vnus corrigendo ſufficeret.

MXXVIII. Reſpondeo.

Ad confirmationem dico, illo capite non interdici correctionem fraternam, ſed iuridicam, quæ fit cum iuriſdictionis poteſtate; nam eſſet malè gubernata Ciuitas, in quâ cuicumque ciui ſceleratos ſtrangulare aut decapitare liceret: adeòque & monaſterium, in quo vnicuique licitum confratribus pœnitentias imponere ob negligentias regulares.

Non licet vnicuique iuridicè punire & caſtigare.

An ex ratione Forreri ſequatur erraſſe Chriſtum?

Arguis iterùm; quia ſinguli tenentur ſuas culpas, etſi ſecretas, Abbati renuntiare: ergo & confratrum. Patet conſequentia; quia durius eſt proprias miſerias, quàm alienas detegere, & cui duriora iniuncta, non debent minùs dura negari. Aſſumptum probas; quia Capite IV. S. Reg. legitur: *Cogitationes malas* (an ſecretiores actus eſſe poſſunt?) *cordi ſuo aduenientes, mox ad Chriſtum allidere, & ſeniori ſpirituali patefacere.* Et ne dubitem, quid ſenioris nomine intelligendum ſit, producis Caput VII. & ex illo hanc periodum: *Quintus humilitatis gradus eſt, ſi omnes cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, vel mala à ſe abſconsè commiſſa, per humilem confeſſionem Abbati non celauerit ſuo.* Qui

MXXIX. Obiectio altera à minori ad maius.

Senior in Regula Benedictina quis?

An Abbates fuerint sacerdotes?

cùm soleret non esse Sacerdos, non potest intelligi de confessione sacramentali. Et tandem, vt intentum confirmes, alias hinc inde sparsas clausulas in idem recidentes congeris.

MXXX. In Regula S. Benedicti dantur Præcepta, Consilia, & Doctrinæ.

Respondeo, hæc Capita, quæ citas, non esse præceptiua sed instructiua & doctrinalia; nam in Benedictina Regula dantur Historica, Doctrinalia, Consultiua, & Præceptiua, non enim præcipiuntur omnia, quæ vel referuntur vel narrantur.

Nemo est secreti alieni dominus.

Vt essent Præceptiua omnia, consequentiam negarem; Ego enim sum mei secreti dominus, non alieni: nec à duriori obligatione ad minùs duram valet consequentia; duriùs enim est ieiunare, legere horas, ignoscere inimico, continentiam seruare, quàm dare vnum imperialem huic pauperi; Ergo si tenetur facere minùs dura qui duriora, Sacerdos, qui duriora illa seruare debet, tenebitur omninò illam eleemosynã non negare; quod nemo admittet.

Argumentum à minori ad maius sæpe inefficax.

Non potest omitti Correctio fraterna in Ordine Benedictino.

Resolutionem meam, quæ docuit non posse fraternam correctionem à Benedictinis intermitti, firmo Patrum Cassinensium decreto, quorum expositiones 13. Aprilis 1578. Gregorius XIII. speciali Diplomate approbauit; hi enim Caput XXV. Regulæ, quod *De grauioribus culpis* inscribitur, illustrarunt his verbis. *Si delictum aut transgressio huiusmodi secreta fuerit, secretò quoque taxatam pœnitentiam facere non postponat; nec aliter a quoquam, etiam a Prælato dispensari valeat, nisi pœnitentia per ordinationes statutas, esset publice peragenda, vt puta in terra in refectorio comedere; quo in casu in aliam secretam commutari possit. Si verò manifestum delictum aut transgressio ipsa fuerit, publicè etiam secundum taxatam pœnitentiam pœniteat.* Vbi clarissimè conspicitur, quàm tenaciter Benedictini ius secreti seruandi à Natura-Deo in natiuitate concessum, & à Christo Domino speciali lege firmatum, manutenant.

Culpis secretis pœnæ publicæ non correspondent.

MXXXI. Obiectio.

ROGAS, quî intelligendi veniant Patres Benedictini. Cistertienses. Germani, qui in Prouinciali Capitulo Furstenueldiæ apud Bauaros anno 1595. celebrato, videntur secreti immemores. Ipsi *enim* §. *de confessione* aliquas salutares leges inscribunt, Casus posteà. Summo reseruatos Pontifici scrupulosè enumerant, reseruatos Capitulo Generali adiungunt, & tandem Abbati ordinario reseruatos. Et post multa ponunt paragraphum *De pœnis & censuris*, vbi ab initio hæc lego. *Qui ex fratribus, tã Officiarijs, quam alijs Religiosis, et Monialibus, cõmiserit: casus reseruatos S. Sedi Apostolicæ, vel Capitulo Generali vel nobis: maxime verò, qui hæresis, homicidij voluntarij, Simoniæ realis, sacrilegij, vel alicuius enormiũ aliorũ criminum rei fuerint, voce actiua & passiua perpetuo priuati sint, strictioribus mancipentur carceribus, per hebdomadam in pane doloris & aqua tristitiæ ieiunent, &c.* Et sic vlteriùs per alios casus reseruatos discurrunt, & publicas omnibus & singulis pœnitentias imponunt, & si opus fuerit brachij sæcularis auxilium, vt pœnitentias acceptare & facere cogantur, requirunt. Nulla igitur istis bonis Patribus, nulla Edmundo à Cruce Abbati Cistertiensi cura de sigillo secreti, & quod mirabilius omninò est, nulla cura sigilli Sacramentalis, quod in confessione & pœnitentiâ pro reseruatis casibus imponendâ requiritur.

An Cistertienses pro culpis secretis reseruatis publicas pœnitẽtias imponant?

MXXXII. Ratio, quæ nimium probat, nihil probat.

At ego sincerè, dico nihil me reperire in dictis, quod militet contra secreti Religionem. Discurro sic. Argumentum, quod nimium probat, nihil probat; atqui Cistertiensium lex, prout exponitur à te, nimiùm probat: ergo nihil probat. Suadetur minor. Probat enim non dari apud Cistertienses in pœnitentiæ Sacramento secreti obseruandi obligationem, quod nimium est: nam si peccatis reseruatis secretis, quorum notitia non aliter quàm per confessionem haberi potest, pœnæ publicæ determinantur, sigillum sacramentale excidere necessarium est. Cùm igitur expositio illa tua sustineri non possit, & tamen litera debeat admitti, necessarium est expositionem aliam dare. Dico igitur illud Prouinciale Capitulum non alios casus, quàm publicos & notorios reseruasse, adeòque illis meritò pœnas publicas imposuisse. Addo sine Patrum iniuriâ secretorum criminum reseruationem publicæ annexam pœnitentiæ defendi non posse.

Responsio.

MXXXIII. Obiectio altera.

Dicet aliquis A Patribus casus illos fuisse reseruatos seu publicè seu secretò commissos; posteà pœnas publicas impositas non omnibus, sed illis, qui publicos commiserint; illos verò qui secretos, ad suos confessarios & secretæ tribunal confessionis remitti. *Dicet hæc* quidem aliquis, sed non probabit. Sanè Patres nõ distinguunt; & siquidem de eisdem omninò casibus debẽt intelligi in vtroque paragrapho (nempè §. *De casibus reseruatis, & §. De pœnis & censuris*) opus est, vt vel vtrobique intelligantur de publicis, vel vtrobique de secretis, vel tandem vtrobique de omnibus: Atqui in posteriori non possunt de secretis intelligi; ergo nec in priori. Igitur non fuit illis animus reseruandi casus occultos & secretos, sed notorios & scandalos, qui in damnum Communitatis vergerent.

Responsio.

De rebus præter regularibus, & contra regularibus

EXISTIMO VNDECIMO *nõ posse Prælatũ præcipere res præter-regulares propter se ipsas, bene propter regulares. Addo nõ posse contra-regulares, nisi omninò id charitas exigat, vt fuit superiùs declaratũ.* De hac materiâ multa in Commentario, multa etiam in Scholio, quæ non debent exscribi, cùm ibi possint facili negotio reperiri.

A R-

ARTICVLVS VI.

De his, quibus iniuncta possibilia quæ sine certissimo vitæ periculo tentari non possunt.

MXXXIV. An Carthusiani teneãtur abstinere à carnibus.

TAm strictum obedientiæ vinculum, vt vitæ periculum multi non caueant. Qui dicunt, carnes esse necessarias recurandæ periclitanti valetudini, non permittent, articulum istum aliter incipiamus, quàm proponendo seueram Carthusianorum obseruantiam, qui non iam lege priuatâ, sed communi, & publicâ (tacitâ vel expressâ) ad impossibile tenentur; coguntur enim abstinere à carnibus etiã cum certissimo vitæ dispendio. At quia carnes non esse necessarias, imò in casu, quo quis longo tempore ab illis abstinuerit, probabiliùs nociuas dijudico, non puto tam esse duram illam legem; sed dabo alias, quæ non possint dulcescere, non enim mortis periculum naturaliter possunt eliminare.

An carnes sint ad vitæ conseruationem necessariæ?

Leæna ligatur, & in monasterio conducitur.

Proponam primò Abbatem Paulum, cuius fit mentio in Vitis Patrum *part.* 2. §. 26. cui, cùm Ioannes Monachus missus, vt fœnum quæreret, dixisset viam à leænâ obsessam, & subinde præceptum impossibile, indixit, vt si illa irrueret, apprehenderet, & in monasterium adduceret. His auditis redit in montem Monachus, & intrepidus à leænâ inuaditur, illam apprehensurus expectat; colluctatur fortiter, sed frustrà. Tandem illa exspes prædæ, sibi consulit, & in auia reuertitur. Persequitur fugientem ille, sed quia velociorem, quam cursu non poterat adsequi, adliciebat his verbis: *Præcepit Abbas meus, vt alligatam perducam te ad eum.* Mira res! obliuiscitur ingeniti furoris ferocissima animans; hæret; ligatur; & ducitur in monasterium.

MXXXV. Maurus iussus super aquas deambulat.

An hoc sensu Regulæ Benedictinæ caput exponendum? Seuera esset resolutio, quæ assereret, & tamen posset benè probari. Vel attende. Maurus erat Monachus similis nobis, eodem iure professionis obstrictus, eidem Regulæ obnoxius, & tamen cum puer Placidus malitiâ gurgitis obreptus periclitaretur, suscepit præceptum extrahendi puerum periclitantem. Et tamen sine extremo periculo ingredi vndarum vorticem non poterat, in quo Placidus periclitabatur. Obedijt Maurus; sanguinem pro Christo effusurum liberauit ab vndis, se periculo mortis exposuit, vt satisfaceret præcepto Abbatis. Ergo poterat iste etiam cum vitæ periculo obligare. Sed his non obstantibus sit

MXXXVI. An teneatur aliquis cum vitæ periculo obedire?

CONCLVSIO. *Nemo tenetur Abbati suo obedire cum certissimo vitæ periculo.* Ratio est; quia omnes obstringimur quinto Decalogi præcepto, cui obedire debemus, & peccaremus, si vitam certissimo periculo exponeremus, hoc est prodigeremus sine causâ [Certissimum dico quod euidens; nam periculum probabile non est certissimum]

Periculum certissimũ quid?

Nec vrgent allata in contrarium, quia Petrus dixit Domino, vt iuberetur venire super vndas, & iussus potuit licitè Christo confidere, cuius cognouerat Diuinitatem: ergo & Maurus, qui benè exploratam habebat B. Benedicti prudentiam sanctitatemque, potuit supponere nihil illicitum præcipi à Viro sancto, nihil periculosum à prudenti, & præsumere esse illuminationem, & promissionem securitatis reuelatam diuinitùs, & ex vi illius obedire Prælato. Idem de Ioanne dico. Idem de nostris subditis non dico; non enim Prælati sumus hodie Benedicti vel Pauli. Accedit, multa interdùm fieri sincero animo, & ex inaduertentiâ, aut ex inculpabili ignorantia, quæ non possint licitè, si deliberatè. Et quia de S. Mauro agimus, eius obedientiam expono verbis S. Gregorij Papæ. Et quidem libri II. Dialogorũ capite VII. hæc lego. *Res mira, & post Petrum Apostolum inusitata! Benedictione enim postulata atque percepta ad Patris sui imperium concitus perrexit Maurus. Itaque vsque ad eum locum, quo ab vnda deducebatur puer, per terram se ire existimans* (N. B.) *super aquam cucurrit, eumque per capillos tenens cursu rapido redijt. Qui mox vt terram tetigit, ad se reuersus* (N. B.) *post tergum respexit, & quia super aquas cucurrisset agnouit, & quod præsumere non potuisset, vt fieret* (N. B.) *miratus extremuit factum.* Sic Gregorius.

Quando Superior talis est, vt ex Dei consilio nobis loqui putemus, poterimus illi obedire, etiam cum periculo mortis.

Maurus exinaduertentia processit: non sciebat enim se deambulare super aquas.

ARTICVLVS VII.

De his, quibus iniunguntur probabiliter mala, hoc est, impossibilia, quæ sine probabili peccato materiali fieri non possunt.

MXXXVII. An subditus leges possit Superioris discutere & dijudicare?

NOn est inferioris & subditi affectare iudicium, & causas legum discutere aut examinare. Res, quæ possunt esse malæ, & bonæ, quæque malè & benè præcipi, debent bonæ & bene præceptæ censeri, quousque malæ esse, aut si bonæ malè indictæ videantur. Huius fuit senten-

tiæ noſter melliſluus Doctor, qui Epiſtola VII. ſic inquit. *Si qui ſimpliciter, nihilque ſuſpicantes mali, malè licèt proficiſcentem ſequuti ſunt, putantes cum Epiſcopi Lingonenſis, & Abbatis Ciſtertienſis (nam vtrique debitor erat) licentia proficiſci (quod vtique nonnullos de illo comitatu ſic credidiſſe, incredibile non eſt) noſtra illos non tangit reprehenſio, dummodò vbi compererint, ſine mora regrediantur.* Igitur *aduerſus illos tantùm, immo pro illis ſermo eſt nobis, qui ſcientes, & prudentes miſerunt manum in ignem, conſcij præſumptionis, &c.* Nota illas voces, *compererint, ſcientes, prudentes, conſcij*, omnes notitiam ſonant probabilitate maiorem; poterant ergo Religioſi illi, aſſerente Bernardo, obedire Prælato ſuo, etſi probabiliter crederent malum ab illo præcipi, modò parati eſſent ab obedientiâ illâ deſiſtere, cùm primùm malum eſſe, quod præcipiebatur, conſtaret.

Abbati male præcipienti poteſt bene obedire, qui præcepti neſcit iniquitatem.

Poteſt etiâ ſubditus obedire præcipienti probabiliter mala.

Quod non debeat ſubditus adhibere particulare ſtudium, vt Abbatis ſui leges pericliteretur, conſtat ex eadem Epiſtolâ; nam num. 12. ſic infit. *Nec dico à ſubditis mandata Præpoſitorum eſſe dijudicanda vbi nihil tuberi deprehenditur diuinis inſtitutis contrarium: ſed neceſſariam aſſero, & prudentiam, qua aduertatur ſiquid aduerſatur, & libertatem, qua ingenuè contemnatur.* Vt igitur conſonemus poſitæ Bernardi doctrinæ, Concluſiones nonnullas proponamus.

Non debet ſubditus examinare Superiorum præcepta.

MXXXVIII. Obedientia in materia probabili.

CONCLVSIO I. *Poteſt tuta conſcientia ſubditus obedire Prælato etiam in materia probabiliter peccaminoſa, & hoc in omni Religione.* Patet; quia quæ probabiliter ſunt mala, etiam probabiliter ſunt non mala, & vnuſquiſque ſuam poteſt probabilitatem ſequi, & amplecti non mala.

Stando vni, & ſoli Regulæ Benedictinæ, videri alicui poſſet ſubditus debere obedire Prælato etiâ in materia probabiliter mala. Quod & poſſet ſuaderi, quia de hac materiâ caput illud LXVIII. aptiſſimè exponitur; illa enim ſubditus impoſſibilia iudicat, quæ putat ſe non poſſe facere; & ſanè ſe non poſſe facere exiſtimat, quæ probabiliter iudicat peccaminoſa. Hoc ergo radio inſtructi, totum illud caput reſcribendo, & pauca inſerendo exponamus. Sit titulus. *Si fratri impoſſibilia, nimirùm, quæ ſint probabiliter mala, iniungantur.* Et textus: *Si cui fratri aliqua fortè probabiliter grauia, mortifera, aut regulariter impoſſibilia, quæ probabiliter ſint talia, vt ſine peccato materiali fieri non poſſint, iniungantur, ſuſcipiat quidem iubentis imperium cum omni manſuetudine, & obedientia. Quòd ſi ita adhæreat ſeueriori ſententiæ, nempè actionem præceptam de peccato accuſanti, vt omninò ingenij ſui vires, & menſuram excedat contraria ſententia, nec illi valeat aſſentiri; impoſſibilitatis ſuæ cauſas, rationes, & fundamenta, ei qui ſibi præeſt, patienter, & opportunè ſuggerat, non ſuperbiendo, aut reſiſtendo, vel contradicendo. Quod ſi examinata rationum obiectarum efficacia poſt ſuggeſtionem adhuc illam in priori ſententia Superioris imperiū perduraverit, ſciat iunior ita ſibi expedire, ſententiam mutet, ſubſcribat Superioris dictamini, & ex charitate, & DEI adiutorio confidens diligenter obediat.*

Exponitur Regulæ Textus.

An ſubditus habere debeat opinionem Prælati?

Scio, multas hodie in ſcholâ ſolere propugnari ſententias minoribus fundamentis ſubſtructas, quàm præcedens; ijs tamen non obſtantibus ſit.

MXXXIX. An teneatur ſubditus obedire Prælato probabiliter mala præcipienti?

CONCLVSIO II. *Stando vni, & ſoli Regulæ, non tenetur priuatus Religioſus obedire Prælato probabiliter mala præcipienti.* Hæc concluſio non eſt clara, & euidens, ſed probabilis, & ſuaderi poterit; quia, tametſi hæc ipſa ſtante illo dictamine, quo reprobantur, fieri non poſſint, probabile eſt non claudi impoſſibilium nomine, de quibus agitur à S. Benedicto; & ratio eſt, quia impoſſibilitas rerum probabiliter illicitarum conſiſtit in licentiâ, & dictamine, quia ſtante hoc, negatâ illâ, ipſæ fieri non poſſunt; at impoſſibilitas rerum, de quibus agit noſter Legislator, conſiſtit potiùs in grauitate ponderis, & laboris phyſici, & phyſicâ vitium tenuitate; vt conſtabit cuicumque, qui literam examinare velit. Ergo.

MXL.

CONCLVSIO III. *Nulla apud Benedictinos lege, aut ſtatuto decretum, vt Abbati probabiliter mala præcipienti obediatur.* Oſtenditur; quia nullum apud Ciſtertienſes reperimus, nec ſcimus dari aliquod in aliqua ſancti Ordinis Congregatione. Accedit, quòd hæc rigida obedientia videatur eſſe characterica Patrum S. I. vt qui ſaltem cùm ſunt ſtudioſi Iuniores in rigore paupertatis ab alijs Religioſis exceduntur, in obedientiâ, quę ſolemnium virtutum eſt neceſſariſſima, vniuerſos excedunt. *Vide meam Libram num. 6. vbi de Religionum diſtinctione.*

Patres Ieſuitæ tenentur obedire in materia probabiliter mala.

CONCLVSIO IV. *Abbati præcipienti probabiliter mala Prior, Supprior, & Miniſtri alij debent obedire vi Regulæ.* Eſt clara, & probata ſuperiùs. Vbi potes omnia illa legere, quæ tæderet huc ſecundò ponere. *Vide Comm. num. 1582.*

De Abbatis Miniſtris.

CONCLVSIO V. *Tametſi Monachi Benedictini non teneantur obedire Prælato in materia probabiliter mala, aut vi Iuris naturalis, aut vi Regulæ Benedictinæ, tenentur vi conſuetudinis iam in mundo receptæ, & præſcriptę: ſunt enim in poſſeſſione omnes Superiores, & cùm ratio & neceſſitas poſtulat probabiliter bona præcipiunt.* Sæpius in hanc veritatem incidimus, nec eſt opus eam ſemper nouis argumentis probare.

Reſolutio generalis.

AR-

ARTICVLVS VIII.

De his, quibus euidenter mala, hoc est Theologicè impossibilia, quæ sine certissimo peccato committi non possunt, præcepta.

MXLI. Mala, etiam impossibilia dici debent.

IMpossibile est, vt quis euidenter mala aut licitè, aut validè præcipiat, & impossibile quòd aliquis in talibus licitè obediat. Vnde bene Cardinalis in Caput IV. Regulæ D. Benedicti tract. 45. sic inquit: *Indiscreta* (obedientia) *quando aliquis obedit in illis, quę diuinę legis Regulę contrariantur, quam* (legem) *oportet inuiolabiliter obseruari: vel etiam quę contrariantur Regulæ, quam professus est* (sed hoc ipsum) *in ijs dumtaxat, quę dispensationi Prælati non subduntur. Et ad hanc obedientiam nemo tenetur: imò quilibet tenetur eam non habere; quia, vt dicit Gregorius, nullus vnquam per obedientiam malum facere debet. Sed quid si ex mandato Abbatis tenetur sequi peccatum aliquod aut scandalum? supersedendum videtur ab obedientia.*

Mala non possunt præcipi, et si præcipiantur, debent omitti.

MXLII. Subscribit mellifluo meo Bernardo Cardinalis, qui Adamum Abbati suo inobedienti obedientem reprehendit, carpit-que quod euidenter mala faciat, & tamen obediens dici velit. Epistolâ V. sic inquit. *Valde autem peruersum est profiteri te obedientem, in quo noscens Superiorem propter inferiorem, id est, diuinâ propter humanam soluere obedientiam. Quid enim? quod iubet homo, prohibet Deus; & ego audiam hominem, surdus Deo? Non sic Apostoli: clamant quippe* (Actor. 5. c.) *dicentes: Melius est obedire Deo, quàm hominibus. Hinc Dominus in Euangelio Pharisæos increpans* (Matth. 15 a.) *quare vos, inquit, transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. Et per Isaiam* (29. d.) *sine causa, ait, colunt me, mandata & doctrinas hominum tenentes. Et item ad Protoplastum* (Gen. 3. c.) *Pro eo quod obedisti voci vxoris tuæ, plus quàm meæ, maledicta terra in opere tuo. Igitur facere malum, quolibet etiam iubente, constat non esse obedientiam, sed potiùs inobedientiam.* Et paulò post. *Liquet tamen huiusmodi iussioni non fuisse obtemperandum, Deo quippe imperante contraria. Item Maiorum Institutis minorum non esse præponenda, aut communibus priuata non præiudicare imperia, quis dubitat? Nam ex Regula S. Benedicti* (Cap. LXXI.) *hoc habemus,* Quid periodos interlego? lege totam Epistolam; nulla enim linea, quæ non seruiat huic veritati demonstrandæ.

Debemus potiùs Deo obedire, quàm Hominibus.

ARTICVLVS IX.

An omnibus etiam & singulis, an solùm vni vel alteri impossibilia iniungi possint?

MXLIII. Præcepta alia sunt cõmunia alia particularia.

HVic quæstioni Perezius in Reg. cap. 68 num. 2. respondet, & ait: *Aliud est loqui de præceptis & mandatis communibus, quæ concernunt omne; aliud verò de particularibus et extraordinarijs, quæ extraordinariè particularibus imponuntur personis. Et licèt priora illa grauia esse non debeant, vtpote quod lex communis omniũ etiam debilium debet esse viribus attemperata: at posteriora ista durissima & acerbissima esse possunt, nimirùm pro excelsa virtutis præstantia, quæ in priuata persona vel præsumitur, vel tentatur, vel procuratur.* Quibus verbis clarissimè resoluit, impossibilia (id est summè difficilia) ex causâ priuato Monacho iniungi posse, sed omnibus simul non posse.

Lex communis difficilis esse nõ debet: Particularis tamen potest.

ARTICVLVS X.

An impossibilia iniungi debeant?

MXLIV. An Abbas aliquando teneatur impossibilia præcipere?

DEbent Monachi singuli secundùm Regulam Benedictinam obedire; debent Prælati secundùm eamdem iubere; adeoque prudenter posset aliquis examinare, An, non solùm inferior debeat obedire Superiori impossibilia præcipienti; sed & Superior ipse teneatur dura & impossibilia præcipere?

Resolutio.

Respondet huic dubio Antonius Perezius his verbis. D. *Pater non præcipit, vt alicui talia præcepta imponantur, hoc est, vt impossibilia imperentur; sed tantùm constituit, quòd in casu & data hypothesi quòd imperentur, non repugnetur. Quasi diceret, dato per possibile, vel impossibile, quòd Monacho impossibilia iniungantur, volumus & decernimus, vt Monachus non repugnet, neque procaciter abnuat, sed quòd demissè admodùm & humiliter suam imbecillitatem aperiat Abbati, cui adhuc persistenti in mandati tenore obediat, quoad eius fieri poterit.*

AR-

ARTICVLVS XI.

An impoſſibilia iniungi ſoleant?

MXLV. Impoſſibilia, quæ Monachis imponi ſolent.

QVinque, inquis, ſunt impoſſibilia, quæ tibi ſolent præcipi; ad quæ in conſcientiâ non ſolùm non teneris, ſed in quibus ſine peccato obedire non poſſis; & illa ſingulatim proponis. *Primò* enim tibi ſeruire peſtè infectis præcipitur, & in hoc te vitæ periculo exponi. *Secundò*, concionari cùm inſufficiens ſis. *Tertiò*, eſſe Parrochũ, cùm aliud omninò ſit vocari ad chorum, aliud omninò diuerſum vocari ad curam animarum; tu enim ad cœnobium veniſti, vt Deum noctu diuque laudares, non verò vt nouis periculis implicareris. *Quartò* eſſe Monialium Patrem, cùm tamen tibi ſit neceſſarium omne fœmineum colloquium fugere, & longè abeſſe à periculo fragilitatis. *Quinto*, audire fœminarum confeſſiones; hoc eſt, verbis clarioribus, multiplicare tentationes, & tuam animam perdere, vt aliàs ſalues. *Et ego*, cum hæc audio, ſubrideo, & ad ſolamen tuum has reſolutiones appono. Sit

PRIMA. *Peſte graſſante in monaſterio, infecti deſeri non poſſunt. Debet Abbas illis prouidere omnia neceſſaria ad ſalutem corporis, omnia ad ſalutem animæ. Quod ſi contingat nullum confeſſarium velle illos adire, tenetur Abbas illos adire perſonaliter & adminiſtrare ſacramenta, etiam cum vitæ manifeſto periculo. Quod ſi nullus famulus pretio conductus velit eis miniſtrare, tenetur perſonaliter ipſis ſeruire, & omnia neceſſaria tam ad vitam, quàm ad ſolamen, quod tangat conſcientiam, miniſtrare.*

Tempore peſtis quanta ſit Abbatum obligatio.

MXLVI. Caicedus laudatus.

Exponebat ſemel hanc obligationem Caicedus, Concionator eximius, ex ordine S. Dominici, in templo S. Stephani Salmãticenſi, & quia plurimis cenſura placuit, vt theſeos amaritudinem remittam, appoſitiſſimum hominis leporem adiungo. Sic aiebat [Prælatus, peſte infecto ſeruire debet, & ſi contagium timeat? cedat ergo Abbatiâ. At in tali occaſione non poteſt. Quid? neque hoc poteſt? hoc eſt eſſe Prælatum? *Luego id a la horca, y buſcad vn ladron que ſea Prelado.* Ergo ite ad patibulum, & quærite qui fiat Prælatus] Sanè ita eſt: pedum eſt patibulum, baculus crux: nec differunt rigore, ſed honore. Sanctum Inquiſitionis tribunal mitræ genus (*corozam* appellant Hiſpani) conuicto & condemnato imponit: & quidem nobis iam conuictis, iam morte damnatis mitra impoſita: qui tenemur vitam pro ouibus ponere, quin ad aliquod ſuperius tribunal poſſimus appellare, aut morari. Et obligationis indiſpenſabilem rigorem oſtendo.

Coroza apud Hiſpanos quid?

Prælatus in monaſterio duas perſonas agit: eſt Pater ſpiritualis, & politicus. Primo titulo tenetur affectiuè per ſe aut per aliũ omnia animæ ſaluti neceſſaria ſuis ſubditis adminiſtrare. Secundo tenetur effectiuè per ſe aut per alium corporalia. Quòd ſi non detur alius, per quem ſatisfacere poſſit, debet ipſemet ſatisfacere. Nec debet dicere ſibi præcipi rem impoſſibilem, nec poſſe inuitum vitæ diſcrimini tam claro exponi. Non enim habet clamandi ius, qui conductus ſuam operam pretio locauit. Abbatialem ipſe dignitatem admiſit, onus honoremque (nota hoc bene) onus directè, honorem indirectè. Non enim creantur Abbates, vt dentur qui habeant honorem ſplendoremque: ſed creantur, vt inuigilent ſubditis, vt illis neceſſaria prouideant, vt ſubeant parentum officium, & ne hoc onus nimis videatur graue, vt ſolet ſaccharum amaræ pilulæ, ita etiam oneri honor fuit additus.

MXLVII. Abbas eſt duplex perſona.

An Prælatus teneatur per ſe ipſum ægrotis & alijs ſeruire? Pacto & cõtractui ſtandum.

Oneris & Honoris cõnexio.

Cur Oneri Honos addatur?

SECVNDA. *Si Abbas perſonaliter occupatus ſit in re, quam differre non poteſt, nec per alium facere, poterit iubere alteri vt peſte infecto Religioſo ſeruiat, & in tali caſu ſi nullus ex deuotione velit, is cui præcipitur, tenebitur omninò obedire.* Patet: quia confratres debent iuuare Abbatem, nec æger debet deferi propter vnius ſubditi puſillanimitatẽ. Sed Abbas ſingulas poſitæ Theſeos circumſtantias conſideret.

MXLVIII. An ſinguli teneantur ſeruire ægrotis?

TERTIA. *Si in tali caſu nullum deuominet, ex natura rei Prior in obligatione ſuccedit.* Et ratio eſt; quia ſicut honoris, ita etiam eſt oneris particeps. Nec tamen neceſſariò debet Abbas perſonaliter impeditus curam ægri Præpoſito committere, ſed poteſt alij; profeſſi enim ſumus ſecundùm Regulam Benedictinam, quæ præcipit Præpoſito, vt nulli rei ſe intermiſceat ſine Abbatis licentiâ; & Abbati, vt quod conuenientius iudicauerit, faciat.

An Prior?

QVARTA. *Poteſt Prælatus iubere cuicumque Religioſo, vt agat officium Paſtoris in Parrochia adnexa Monaſterio.* Ego quidem inter Paſtoratus & Paſtoratus ſummam differentiam reperio; non poteſt Abbas ſuos Religioſos prodigere, poteſt impendere: hoc eſt, non poteſt inuitos & ſine causâ dare Epiſcopo, vt in paſtoratu, qui ad monaſterium non ſpectat, ſeruiant; poteſt tamen illos etiam inuoluntarios in locis annexis monaſterio exponere. Debet enim ſua Abbas agere, & iura monaſterij conſeruare, & oneribus etiam ſatisfacere, nec in hunc finem Franciſcanos aut Sæculares quærere.

MXL. Duo dantur Parrochiarum genera.

Prælatus, poteſt ſuos impendere & expendere, non prodigere.

Nec flocci eſt facienda illa ratio, quæ in dubitatione proponitur. Fateor enim aliud eſſe vocari ad monacatum, aliud ad paſtoratum; nego tamen te ad monachatum tan-

ML. An aliud ſit vocari ad chorum, & aliud ad curam Animarum?

tantùm vocatum; quia cùm dediſti nomen Communitati, quæ onerabatur choro & parrochiâ, voluiſti illi in alterutrâ functione ſeruire: nam aliàs non fuiſſes ad profeſſionem admiſsus; illa enim non indigebat numero, ſed milite; non inquam homine, qui locum in refectorio occuparet, ſed qui pro rerum indigentiâ ſeruiret. Hinc ſequitur.

MLI. Recenſentur nonnulla, quæ præcipi poſſunt Religioſis in minis.

Corollarium. *Poſſe nimirùm Prælatum iubere Religioſo etiam inuito, vt ſit Pater Monialium in aceterio ſuo monaſterio adnexo. Vt concionetur, quando iudicauerit congruum. Vt audiat confeſſiones, cùm iudicauerit rationi conſentaneum. Item, vt dicat tot aut tales miſſas pro tali, cui tenetur Communitas. Vt doceat doctrinam Chriſtianam aut Grammaticam pueros, qui vel ſeruiunt monaſterio, vel ex liberalitate alicuius fundationis conuiuunt.* Et intra ſuum monaſterium, *vt iſte vel inxitus ſit Prior, ille Supprior, alter Profeſſor Philoſophiæ, Theologiæ, aut in quocumque alio officio ſeruiat.* Omnia vnicâ ratione, eâque efficaciſsimâ probari poſſunt. Hæc enim & alia ſimilia ſunt onera monaſterii, ad quæ plerùmque illud ex iuſtitiâ tenetur, quibus non poterit ſatisfieri, ſi vnicuique ſit liberum ſe excuſare, & rem ſibi impoſsibilem dicere.

MLII. Nota hoc bene.

Si tibi videatur impoſſibile ſine conſcientiæ tuæ iacturâ audire Monialium, aut etiam aliarum mulierum, confeſſiones, Ego Prælatus tuus, exempli causâ, te decipi, cùm iubeo contrarium, perſuadeo. Exponitur c. 68. Reg. *Igitur ſi hoc, graue quidem, & te Iudice impoſſibile iniungitur, ſiquidem Deo, & Hominibus ſatisfacere vis, ſuſcipe iubentis imperium cum omni manſuetudine, humilitate, reſignatione, & obedientia. Quòd ſi audire mulierum confeſſiones virium tuarum pondus & robur excedere videatur, impotentiæ tuæ cauſam Mihi, qui loco Dei tibi prælatum, expone, patienter opportunè, non ſuperbiendo, non reſiſtendo non contradicendo.* Sed iam feci, ais, nec proficio: vrgeo, nec liberari poſſum. At repete quid dixeris, quid feceris, vt perſpicias te carere ratione.

MLIII.

Suggeſſi, ais, meas miſerias, fragilitatem meam expoſui: nimirùm, me in ipſo confeſſionali turbari, excitari humores, & in miſerias incidere. Dixiſti fateor. Riſi Ego: Si turbaris ſimilibus, arguis Deum, qui dedit tibi corpus carneum, cùm potuerit lapideum; qui tibi ad agonem maiuſque meritum concupiſcentiam reliquerit. Hæcne tua impoſſibilitas? Ego contrà definio, nullum ibi peccandi periculum, ſummam ſecuritatem eſſe, non enim apud Deum damnatur ſenſus, ſed conſenſus. DEVS examinat renes & corda, non renes tantùm; & ſi illos, propter eorumdem & conſensûs concordiam. *Concupiſcentiam*, ait Synodus Tridentina, *ad agonem (hoc eſt, ad maioris coronæ meritum) relictam, non conſentientibus, ſed per Dei gratiam reſiſtentibus nocere non poſſe.* Adquieſce igitur dicenti Deo, nec ita velis caſtus eſſe, vt hæreticus ſis: ſentire enim & non conſentire non eſt peccatũ: quòd ſi contrarium dicis, Heterodoxus es.

Non delinquitur ſenſu, ſed conſenſu.

Sed addis, te aliquid omiſiſſe. Suggere confidenter. Scias enim me ad ſecretum teneri, nec poſſe ſine graui peccato ſecreta in ſubditi damnum reuelare. Illos carnis motus, quos patior, ais, non ſolùm ſentio, ſed illectus approbo, & conſentiendo pecco. Iam triumphas. Tibi impoſſibile præcipi oſtendis: peccas enim audiendo confeſſiones, nec tibi peccatum poteſt præcipi, nec tu teneris, ſi præcipiatur, obedire. Peccas, vt ais, & hîc ego non iam rideo, ſed doleo. Credo tibi, tametſi decredere poſſem; non enim non timenti DEVM teneor credere: nam qui audes peccare in luxuriæ, etiam audebis in mendacij materiâ. Hoc non vrgeo, mihi vetaxes, omnia credo. Sed cur peccas? quis te cogit? quis te inducit? quis te ſcandalizat? Quia obſcena audis, ideò obſcena committis? hoc ſcandalum non iam datum, ſed receptum eſt. Conſequentia pulcherrima! Ideò tu debes peccare, quia tua pœnitens deteſtatur peccatum: ideò tu cadere, quia illa ſurgit: ideò inquinari, quia illa mundatur: & quia illa diſſentit, conſentire! Non-ne vides, te ex melle virus, ex alexipharmaco venenum, & ex alieno peccatorum dolore peccandi occaſionem exugere, non datam, non oblatam, ſed longè quæſitam, & contra ordinem rerum inuentam? Corrige igitur laſciuentes potentias, corripe concupiſcentiam luxuriantem, caſtiga corpus tuum, & in ſeruitutem redige, ne cùm alijs prædicaueris, ipſe reprobus fias. Nonniſi liberè committi poteſt culpa, nonniſi voluntariò peccatum: & ſi noctua luce ſolis cœcutit, peſſunos habet oculos; & ſi tu contritione alienâ in peccatum induceris, & alienis lacrymis exſiccaris, habes aridiſſimam animam, peſſimam voluntatem. Interim indue te iſto cilicio; à vino quantum morbi permittant abſtine, hac diſciplinâ carnem ferocientem caſtiga, & ſiquidem in priori ſententiâ imperium meum perdurat, ſcias ita tibi expedire, & ex charitate audentior, de Dei adiutorio confidens, humiliter, & conſtanter obedias.

MLIV. An cogi, vt audiat confeſsiones poteſt, qui in. de occaſione ſumpta in peccata conſentit?

Scandalum eſt duplex receptum & datum.

MLV. An cogi, vt audiat confeſsiones poteſt, qui ſe ignorantem iudicat?

Sed iam aliò recurris. Non fragilitatem, ſed ſolam ignorantiam cauſaris. Multa à te non intelligi dicis, & ſæpè neſcire quo te vertere debeas. Hoc non vrget. Etiam Doctores eximij multa ignorant, ſæpè pœnitentes multa implicant. Quantum in hac materiâ poſſis examinaui, & non tu, ſed ego debeo Deo dare rationem inſuffi-

ſufficientiæ tuæ; tu ſolius obedientiæ. Si, vt iuſſi, diebus ſingulis vnâ horâ Dianæ illam Summam, quam doctiſſimo calamo ſcripſit Auſonius Cotonius, diligenter interlegas; ſi in confeſsione benè attendas; ſi pœnitentem per Decalogum dirigas, errare non poteris. Quòd ſi reſtitutio aliqua facienda ſit, aut impedimentum aliquod examinandum, ſi ex tempore non poſsis reſoluere, ne ſententiam præcipites, ſed illi diem indicas, vt reuertatur, & tu interim libros, aut aliquem doctiorem conſule.

An cogi ad concionandum poſſit; qui memoria laborat?

Iam adquieſcis, ſed ſuggeſtum faſtidis; & me tibi memoriâ laboranti conquereris onus concionandi iniunxiſſe. Memoriæ defectum eſſe naturalem, nec ſubeſſe Superioris arbitrio. Hîc me habes; impoſſibilia iniunxi, & vt putas, ad obediẽtiam non tenêris. At ego quantam memoriam habeas ſcio, quanta ſit opus non ignoro. Te fabulas eloquenter narrantem ſæpè audio, & ſicut nugas ex tempore, potes etiam aliquam hiſtoriam piam proponere, & ornare in ſuggeſtu, maximè cùm nec libri tibi deſint, nec tempus, vt poſsis hoc colore excuſari.

MLVI. De valetudinis cura.

Alius manet ſcrupulus? manet: Ergo illum euome, vt tibi ſatisfactum ſit, nec quidpiam inconcuſſum maneat. Sic inquis. Duas habet parrochias monaſteriũ Aruenſem, Vitidenſemque. Et morerer citò in alterutrâ; illa enim valde humida, & paluſtris eſt, hæc ſingulis annis peſte infecta. An non quinto Decalogi præcepto vitam teneor defendere, & quantum poſſim prolongare? An tutâ conſcientiâ habitare potero in loco inſalubri, aut infecto? Et ſi cogar, An tenebor ſalutem meam exponere, & inuiſere peſtiferâ lue laborantes? Et reſpondeo, te in circuitu agere, ſemper proficiſci, nunquam proficere, nunquam velle prodeſſe. Teneris inquam, & ſub mortifero teneris. Non fuit ſcripta Decalogi lex quinta, vt terrerentur homines, ſed vt docerentur non eſſe mortis, & vitæ dominos, nec poſſe animas ſuas prodigere, ſed ſolummodò exponere, imò impendere poſſe. Teneris, iubente Superiore, ire ad locum inſalubrem, imò infectum, ſi ibi negotia agenda, quæ monaſterium tangant. Si ſis Paſtor, peſtis tempore remanere teneris, & omnibus adminiſtrare, non tamen tam ſtrictè, quàm Abbas. Nam tibi peſte infecto tenebor Ego aut per alium, & ſi non poſſim per alium, per me ipſum omnia adminiſtrare Sacramenta, quia Pater tuus ſpiritualis ſum: adminiſtrare cibos, & pharmaca per me, ſi deſit alius, qui velit hoc onus ſubire, quoniam Pater politicus tuus ſum: at in parrochiâ tu ſpiritualis Pater es, politicus Pater non es; teneris infectis miniſtrare Sacramenta, etiam cum mortis manifeſto diſcrimine: at cibos, & pharmaca miniſtrare non debes. Illos & iſta tenetur exhibere Paterfamilias, cui æger ſubeſt, hanc curam gerere debet Magiſtratus. Ego igitur peioris conditionis ſum, & tamen in meâ vocatione ſine querimonia perſiſto; ergo & tu in tuâ ſine murmuratione permaneas. Scias tamen obiter ad maiorem inſtructionem, & lucem. *Si Paſtoratus non ſit monaſterij* (idem de Monialium aceterio ſit dictum) *te non teneri acceptare. Si acceptes, nec ab Episcopo admoueri poſſis, in neceſſitatis tempore remanere debere. Quòd ſi pro tempore determinato collatus tibi ſit, ita vt Episcopus ſpatio vnius anni te abmouere non poſſit, poſteà poſſit: te acceptationis vi eiusdem anni ſpatio diſcedere non poſſe, poſteà poſſe, etſi tempus iniquum ſit illud, in quo paſtoratum relinquis; nec ſecundo ab Epiſcopo oblatum te acceptare debere. Si poſſis abmoueri cùm Epiſcopus velit, te poſſe etiam cùm volueris ad tuum monaſterium redire; nec debere tempore periculoſo manere, in oppido lue infecto. Bellique tempore ſcias te obedire, & ſeruire debere eodem modo.*

De Parrochijs, quæ ad monaſterium nõ pertinent. Quicumque Religioſus poteſt ab Epiſcopo reijci à Parrochia, poteſt à Prælato euocari.

MLVII. Onera omnia cõmunitatis in ſolẽni Profeſſione acceptantur.

Cùm igitur iſta omnia naſcantur ex ſolemni contractu, & poſſint fieri, non ſunt phyſicè impoſſibilia, nec Religioſo inuito impoſita. Anno enim integro Nouitius fuiſti, audiuiſti conciones, vidiſti monaſterij confeſſionalia frequentari; eſſe Parrochias, & Monialium monaſteria ſubdita non ignoraſti; Priorem, Suppriorem, & reliquos Communitatis Adminiſtros vidiſti: legiſti Regulam omnia hæc Abbatis prudentiæ committentem: Monialium monaſterijs ſeculares, aut Parrochijs aliorum Ordinum Religioſos præfici non vidiſti: & tamen ſecundùm Regulam, moribus huius monaſterii expoſitam, profeſſus es: Ergo omnia hæc in ſolemni profeſſione acceptaſti: Ergo ad omnia & ſingula, vbi præcipiantur, teneris. Abbas autem viciſſim tenebitur bonum publicum, & priuatum reſpicere, nec exponere indignũ, nec in promotione, aut depoſitione alicuius humanis paſſionibus regi; ſed DEI vnius cauſam agere, & charitatis conſeruationem primariò, ſecundariò incrementum reſpicere.

Obligatio Prælati.

Hæc de Abbatum, & ſubditorum obligationibus ſpecialiter dicta, facili negotio poterunt Epiſcopis, & Pontificibus aptari: Hinc poterunt Prælati ſæculares ſuas etiam obligationes ſeruata proportione metiri; nos qui breuitati ſtudemus, ad vlteriora progrediamur.

Notanda.

FVN-

FVNDAMENTVM XLI.

Clauis VI. De vindicatiua Iustitia.

MLVIII. Quid sit peccatum? & quando cõmittatur.



QVI legem obligatoriam non seruat (nimirùm (A) in materia suæ subordinationis, nec contra Deum, nec prudentiam vrgentem, possibilem, & sibi notam) peccat. Non est innocens, qui (B) acceptat onus, cui se noscit imparem. Damnum aut pœnam, quam quis sua patitur culpa, sibi (C) imputet: item suam (C) moram.

Pœna supponit culpã, & pœnalitas causam.

Nemo sine culpa luere debet (D) pœnam; nemo (D) sine causa pœnalitatem; Ignorantia insuperabilis (E) est expers culpę. Humanitùs fieri non potest, vt sit iuridicè perdere vitam, honorem-ue substantialem (F) pœnalitas. Non debet delictum vnius particularis in detrimentum (G) alterius particularis, aut etiam Communitatis (H) redundare.

An particulariũ actus noceant Cõmunitati?

Venia (I) nulli pertinaci conceditur. Nemo debet cum alterius (K) iniuria crescere. Nemo ob virtutem (L) propriam, aut malitiam (G) alienam puniri. Nemo præmio ob propriam (N) malitiam donatur. Omnis, qui (M) subit laborem, debet frui commodis labori adnexis; omnis, qui fruitur commodis, debet subire (M) laborem eius adiunctum.

De pœna, & præmio.

Æquitas.

MLIX. A. CLara peccati descriptio est, nec debet ad maiores difficultates redigi. Ratio peccati non consistit in oppositione actus, virtutisq; sed actus & legis.

De dignitate maiore meritis.

B. Non est sine culpâ, qui rei, quæ ad eum (*ad se*) non pertinet (*nimirùm officio, cui scientiæ, aut potentiæ defectu nõ potest satisfacere*) se immiscet. *Est Reg.* XIX.

Damnum voluntariũ.

C. Damnum, quod quis suâ culpâ (*causa, mora, aut etiam voluntate*) patitur, sibi debet nõ alijs imputare. *Est Reg.* LXXXVI.

Pomponius: Quod quis ex suâ culpâ (*mora, causa, aut etiam voluntate*) damnũ sentit, non intelligitur damnum sentire.

Mora volũtaria.

Mora sua (*culpa, voluntas*) cuique est noçiua (*non alij.*) *Est Reg.* XXV.

D. Sine culpâ, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. *Est Regula* XXIII.

Distinguere oportet omninò inter pœnam, & pœnalitatem. Si abest culpâ, non incurritur pœna pro culpâ. Filliucius *fol.* 159 *n.* 161. sed posset incurri pœnalitas. *Huic consonat*: pro culpâ nemo est præmio donandus.

Odium alienum.

G. Non debet aliquis alterius odio (*culpa, mora, negligentia, aut etiam voluntate*) prægrauari. *Est Regula* XXII.

Priuatorũ peccata.

H. Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ (*Communitatis*) redundare. *Est Reg.* LXXVI.

Peccati venia.

I. Peccati venia non datur, nisi correcto. *Est Reg.* V.

Sincerum lucrum.

K. Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuriâ, vel iacturâ (*deleo illud*, vel iacturâ, *& manet clarus, & verus sensus*) *Est Reg.* XLVIII.

Damnum præter intentionem.

L. Nemo tenetur ad restitutionem ob damnum præter intentionem suam ex actu virtutis emergente. *Est cõmunis sententia.*

Consilium nociuum.

Nullus ex consilio (*etiam materialiter malo*) dummodò fraudulentum non sit (*non est fraudulentum, quod secundùm conscientiam, & probabile dictamen datũ*) obligatur. *Est Reg.* LXII.

Onera, & commoda.

M. Qui sentit onus, sentire debet commodum (*illi oneri adnexum*) & è contrâ. *Est Reg.* LV.

Rationi congruit, vt succedat in onere, qui substituitur in honore. *Reg.* LXXVII.

Vtilitas ex delicto: Damnum ex virtute.

N. *Vide Layman. fol.* 128. *num.* 15. *vbi docet, neminem ex proprio delicto commodum debere reportare, & exemplum ponit in eo, qui à Catholica fide deficit, quem vult manere subiectum vniuersis præceptis Ecclesiæ vt antè, ne ex peccato vtilitatem reportet.* Consonat Bartholomæus à S. Fau-

ſto Theſ.lib.1.quæſt.12.n.3. *Porrò, ſi ob delictum nemo vtilitatem reportat, nemo ob virtutem damnum: & hoc poſtulat rationis conſequentia, aut non dialecticamur bene.*

An probabilia ſint obſcura?

Cùm ſunt iura partium obſcura, reo fauendum eſt potiùs, quàm actori. Reg. XI. *An non obſcura, quæ merè probabilia? ſic puto.*

I.

MLX. EGimus de præceptis, & oſtendimus, nec ignorantes inuicibiliter, nec carentes viribus, nec ſcientes, & phyſicè potentes, ſi materia contrà conſcientiam, aut prudentiam ſit, obligari: vnde neceſſariò concluditur: *Superioris præceptum, quod nec inutile nec ſupefluum ſit, nec militet contra conſcientiam, nec ſuperet vires ſubditi, nec imponatur inſcio, ſed ſit in materia, in qua ille Superiori ſubordinatur, eſſe obligatorum.* [Conſultò illud *ſubordinatur* poſui; non enim omnis ſubditus in omni materia etiam licitâ, & honeſtâ ſubeſt. Sed iuxta leges, & mores, & profeſſionis contractum. At poſtulat publica vtilitas, vt detur in Republicâ authoritas, quæ poſſit *parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos*, & hæc eſt, quæ IVSTITIA VINDICATIVA nominatur.

Qualitates legis obligatoriæ.

An ſubditi debeant in omni obedire?

Quid ſit Iuſtitia vindicatiua?

Pœna eſt noxæ vindicta, teſte Vlpiano, & ipſius octo ſpecies recenſet Cicero: nimirùm, Damnum, Vincula, Verbera, Talionem, Ignominiam, Exilium, Seruitutem, Mortem. Pœnitentia conſiſtit in actuali dolore, vi cuius commiſſa [mala cũ emendationis propoſito plangimus, & plãgenda vlteriùs committere nolumus. Sic Theologi *in 4. Sentent. diſt.* 14.

Quid ſit pœna, & quot ſpecies habeat?

Quid ſit pœnitentia?

Venia, aſſerente Senecâ *lib. de Clementia*, eſt debitæ pœnæ remiſſio, quæ correctis, & pœnitentibus concedi ſolet. Auguſtinus *de Agone Chriſtiano* ſic ait: *Debeat Eccleſia Catholica, correctis & firmatis filijs libenter ignoſcere. Cùm ipſi Petro perſonam eius* (Chriſti) *geſtanti, & eum in mari turbaſſet* (fortè *& cùm in mari titubaſſet*) *& cùm Deum carnaliter à paſſione reuocaſſet, & cùm aurem ſerui gladio præſcidiſſet, & ipſum Dominum etiam negaſſet; & cùm in ſimulationem poſtea ſuperſtitioſam lapſus eſſet; videamus veniam eſſe conceſſam, eumque correctum atque firmatum vſque ad Dominicæ paſſionis gloriam peruenisſe.*

Quid venia?

An concedenda ſit relapſis?

Igitur ne ſuperior aut nimis remiſſus aut ſeuerus dicatur, & vt ſciat quando debeat condemnare & abſoluere, has Regulas ex Canonico Iure decerpſit Bonifacius, & ob oculos poſuit.

II.

MLXI. *PEccati venia non datur niſi correcto.* Et quia à Deo & ab hominibus veniam poſtulare ſolemus, hæc Regula V. ſi Theologicè ſumatur, æquipollebit huic; *Peccati venia non datur a Deo, niſi correcto, & contrito, aut ſaltem attrito & confeſſo; & talibus ſemper ipſa datur.* Si ſumatur politicè, huic. *Peccati quoad pœnam venia non datur à Iudice, niſi iam ſe corrigenti, & modeſtè agenti: at non poteſt à Iudice inferiore concedi, nec expedit frequenter concedi à ſupremo, niſi dentur rationes ſpeciales, quæ ad bonum publicum conducant.* Sed quia videtur Bonifacius agere de culpâ, notandum, in omni ciuili peccato dari iniuriam factam Reipublicæ, pœnamque; ſicut etiam analogicè in omni peccato contra DEVM, quod quia non obſeruauit Caniſius, hanc Regulam his verbis exponit: *Regula plena eſt, ſi per correctum accipiamus contritum, ad ſaniorem mentem reuerſum, non verò punitum, vt quidam perperam interpretantur. Quæ enim delinquenti gratia fit, ſi is pœnam a Iure conſtitutam iam ſubijt?* Et reſpondeo Caniſio, non illos perperam, ſed ipſum potiùs perperam Regulam interpretari; illi enim, qui pœnam ſubijt, magna gratia fit, cùm remittitur culpa, quæ à pœnâ diſtinguitur, & eſt prior ipsâ. Vel conuertamus oculos ad Theologiam, in quâ celeber eſt Petri Abailardi error, qui culpam à pœnâ non diſtingui putauit, iuxta quem omnia eſſent vera, quæ Caniſius adducit; at, quia pœna à culpâ diſtinguitur, cùm aliquis moritur in peccato veniali, eſt reus culpæ, & pœnæ; hanc poteſt expiare ſatiſpatiendo: at non eſt idem ſatiſpati, ac ipſammet culpam delere. Quamobrem tametſi ſit facile oſtendere, quo animæ defunctorum modo luant pœnas debitas, non eſt facile exponere, quomodo liberentur à venialibus culpis, ſi fortè cum illis egrediantur. Hinc igitur iterùm ad humana reduces, dicimus furem commiſiſſe delictum etiam in Rempublicam, & eſſe reum culpæ, & obnoxium pœnæ: at iuxta leges punito culpam ignoſci, veniam dari, & poſteà tractandum, vt Reipublicæ amicum.

An in correctis.

An expediat pœnam cõdonare?

Caniſius impugnatur.

Pœna diſtinguitur à culpa.

III.

MLXII. *SIne culpa, niſi ſubſit cauſa, nõ eſt aliquis puniendus.* Eſt Rgula XXIII. Hîc Bonifacius culpã à cauſa diſtinguit, & pœnam à pœnalitate deberet: dicimus enim, dari pœnas, pœnalitatesque illæ ſunt demeritorum, & peccatorum ſtipendia, hæ ex cauſa & poſſunt, & ſolent imponi. Sic hodie apud Patres Ieſuitas dimiſſio ſolet eſſe pœnalitas: nã tametſi nemo poſſit ſine cauſa dimitti, dimitti poteſt ſine culpâ; nimirùm cùm datur cauſa ipſi non peccaminoſa, fortè nec libera, quæ militet contra bonum publicum, & dimiſſione tollatur. Eadem autem apud Benedictinos dimiſſio non eſt pœnalitas, ſed pura pœna, quæ incorrigibilibus imponi poteſt (imò nonnunquam

Differt culpa à cauſa: & à pœna, pœnalitas.

Dimiſſio apud Ieſuitas, &

Apud nos

quã debet) ex præſcripto Capitis XXVIII. ſed Prioris, Cellerarij, & cuiuſcumque Adminiſtri depoſitio eſt pœnalitas; quia licèt non poſſit deponi ſine causâ (non enim Antiſtes inſanire permittitur, in omnibus enim ſuis decretis debet Deum, & publicum bonum reſpicere) poteſt tamen ſine cauſa Miniſtro deponendo imputabili, puta, ſi ſanctus, & bonus ſit, & tamen non placeat confratribus, deturq; alius, quem amẽt, qui ſatisfacere poſſit ęquè bene, vel meliùs.

Depoſitio.

MLXIII. Promotus per ſimoniã deponitur.

Et veniendo ad Iura vniuerſalia. *c. de regularib 25. cum ſeqq extr. de ſimonia. c. quicunque 1. q. 5.* qui per ſimoniam, à ſe commiſſam, fuerit ad eccleſiaſticum beneficiũ promotus, deponitur; item ille, qui per comiſſam ab alio ſe inſcio, & in priori caſu depoſitio eſt pęna, & in poſteriori pęnalitas; in illo datur culpa, quæ luatur: in hoc cauſa: intereſt enim boni publici tam ſeuerè contra ſimoniacos procedi, cùm videamus ne hanc quidem ſeueritatẽ ſufficere, ne hoc abominabile vitium multorum promotiones inuadat.

Item leproſus.

Peſte infectus.

Sacerdos leproſus. *c 4. extr. de Cler ægr.* ab Eccleſiæ adminiſtratione proſcribitur, non ſine causâ, & tamen omninò ſine culpâ. Sic etiam in bene gubernatis vrbibus domus peſte infeſtorum clauduntur, & ſignãtur; ipſis non conceditur aditus ad alias domos, nec ſanis ad iſtas; & quidem homines miſeri præter peſtiferam luem alias pœnalitates patiuntur, non in pœnam peccati, ſed ad maiorem reliquorum ſecuritatem. Leproſi ſolent ab humano commercio proſcribi; & ob eãdem cauſam, etiã ſi careant culpâ, quotquot morbo cõtagioſo laborãt.

Irregularitas etiam virtutes exercendo cõtrahitur.

Irregularitas etiam non ſolùm actu peccaminoſo, ſed etiam virtuoſo contrahitur, puta ſi Iudex aliquem capite condemnaret, Medicus ex ignorantiâ occideret, Chirurgus ex præſcripto Medici excideret aliquod membrum.

IV.

MLXIV. Cauſæ ob quas homines puniri ſoleant?

In ſæculo.

In clauſtro.

SEd, ſiquidem nemo ſine culpâ, vel causâ puniri poteſt, quæ ſunt cauſæ, quæ ſunt culpæ, propter quas poteſt?

Reſpondeo, ſtandum communibus legibus, & moribus cuiuſcumq; patriæ. Addo non videri dari cauſam, ob quam poſſit aliquis plecti capite, aut aliâ extremâ ſententiâ damnari ſine culpâ; imò nec infamari. At in Religionibus datur cauſa manifeſtiſſima, ob quam poſſint regulares pœnitentiæ imponi ſine culpâ; & ea eſt, mortificationis ſtudium, & deuotionis promotio.

Dantur culpæ ciuiles.

Leges ſeruandas.

Subiungo, eſſe culpam (Theologicam, Politicam-uè) violare directè aliquam legem moralem, aut pœnalem, & legitupiones eſſe omninò puniendos; nam tametſi in eâ ſententiâ ſim, vt deſiderem leges faciles eſſe, vellem illas ſeuerè, & ſtrictè obſeruari.

Corollarium. *Pro culpa nemo debet præmio donari.* Oſtenditur, quia ſicut innocentem puniri, ſic etiam contra iuſtitiam militat nocentẽ præmio, & honore donari.

Nemo debet ex delicto vtilitatẽ reportare.

V.

MLXV. De impertinentibus.

NOn eſt ſine culpa, *qui rei quæ ad eum* (ad ſe) *non pertinet* (nimirùm, officio, cui ſcientiæ, aut potentiæ defectu non poteſt ſatisfacere) *ſe immiſcet*. Eſt Regula XIX. Sic Regulæ tenorem expono ratione ductus, & iuribus; præcipuèque *l. idem Iuris 8. §. mulionẽ. cum l. ſeq. ff. ad l. Aquil. l. illicitas 6. § ſicuti. ff de offic. præſ.* Vnde non eſt dicendus ſe intermiſcere negotijs alienis, & quæ ad ſe non pertinent, ille qui ſcit, poteſtque proximum hoc optantem iuuare (nulli enim laudabiliter adſiſtimus inuito) nam, ſi te phyſicè, aut etiam moraliter poſitiuè, aut etiam negatiuè prohibente, tua negotia Fridericus fecerit, tametſi bene, nec ſtipendium, nec honorarium, imò nec ſumptus factos repetet. *l. fin. c. de negot. geſt.* Sed quia alienas culpas dorſo aliorum nonnulli ſolebant imponere adiuncta fuit hæc lex:

Fauor non fit inuito.

VI.

De alieno odio.

NOn *debet aliquis alterius odio* (etiam iuſto) *prægrauari*. Eſt Regula XXII. & firmatur *lege. ſi quis 33. § legis. c. de inoffic. teſt.* cui conſonant alia Iuris Axiomata; nimirùm. [*Delicta ſuos tenent authores*] *l. ſancimus 22. c de pœnis.* [*Ratio non patitur, vt alteri ob alterum iniqua Conditio inferatur*] *l. non debet alteri, &c.* Vbi nota duplex dari odium, iuſtum, iniuſtumque: hoc habetur in perſonam, illud in vitia. Porrò ſicut & nobis, præceptum etiam fuerat Prophetæ Regi, vt diligeret proximos, & tamen iniquos odio habuit ſanctiſſimè, quia non deteſtabatur perſonas, quâ perſonas, ſed quâ iniquas. Docemur igitur hac Regulâ, iniquè illum procedere, qui quod iniuſtè odio habeat Petrum, grauat eius cognatum: docemur etiam iniquè ſimiliter procedere, qui peccata, quæ odio habet in Petro, nec tamen in ipſo punire vult, aut poteſt, in eiuſdem cognato vindicat: nemo enim puniendus eſt ob aliena peccata.

Odium eſt duplex.

Pſalm. 118.

MLXVI. An hæc Regula habeat exceptiones?

Peccata parentum.

Solent Authores adſignare caſus, in quibus locum Regula habere non poſſit; nullum tamen quem viderim, qui ſit eius exceptio, aut ad illam pertineat: Incontinentia parentũ, inquiunt, punitur in filijs; ij enim, ſi ſpurij, aut illegitimi, arcentur ab ordinibus ſacris *tit. extr. in 6. de filijs Presbyt.* grauantur igitur ob aliena peccata. Et ego, negato primo antecedente, nego conſequentiam illatam: grauatur enim aliquis, cùm vel illi adimitur bonum, vel imponitur malum, & tamen neutrum fit, cùm ſpurij à dignitatibus Eccleſiaſticis, aut etiam ſæcularibus arcentur. Hæc enim conferendæ ſunt his, qui politicè homines ſunt, & ipſi ſunt nulli politicè. Sed

Spurij à dignitatibus arcentur.

Politicè nulli.

esse nullos non habent ipsi in pœnam; no enim qui olim erant aliquid politicè, rediguntur in nihil politicè; sed nunquam ipsi fuerunt in politicâ rerum naturâ, quoniam politicè nati non sunt: & quia certum est, Non entia non posse puniri nec grauari, sic nec ipsos, quia ipsi in Republicâ non-entia virtualiter sunt, nimirùm quoad dignitates, & eminentia officia, ita enim se habent, ac si nati non essent.

MLXVII. Nati ante parentum crimen non sunt infames.

Non absimili modo philosophare de filijs parentum reorum criminis læsæ Maiestatis, qui nati sunt post crimen, si enim ante crimen sint nati, non tangi creditur, licèt in materiâ gratiæ ipsos videamus aliquando tametsi sine culpâ, non tamen sine causâ repelli: Si nati fuerint post crimen, concepti sunt in peccato ciuiliter originali, & tam habent quòd conquerantur contra Principem, quàm contra Deum ego, qui in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Nascuntur filij iræ politicæ, rei nõ quidem pœnæ sensûs (nemo enim Proditoris aut Monetarii filius igni ob culpam originalem apud Orthodoxos mandatur) sed pœnæ damni; nascuntur enim incapaces dignitatum & promotionum; & quia nunquam capacitatem hanc habuerunt, illam odio parentum perdidisse dicendi non sunt, sed illam à suis parentibus non accepisse.

Peccatum originale politicum.

Pœna sensus & damni.

VII.

MLXVIII. Priuatorum hominum scelera Cõmunitati nocere non possunt.

HAec Regula XXII. vniuersalior est, & ex illa ad specialia descendendo multæ possent inferri; sed à Bonifacio ob peculiares causas infertur sola Regula LXXVI. videlicet: *Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.* Consonarent istæ: *Delictum cuiascumque Christiani, etiam summi Pontificis, non debet esse Ecclesiæ Romanæ detrimento. Non debet Episcopatus pati ob alicuius, etiam Episcopi, peccatum. Non debet Ordo religiosus puniri, condemnari, deleri, ob aliquorum, etiam Prapositorum, exorbitãtias. Non debet monasterium damnari ob Monachi aut etiam Abbati flagitium.* Et conuertendo oculos ad statum sæcularem: *Ob particularium hominum, etiam Imperatorum, Regum, Principum, crimina non debet puniri Orbis Christianus.* Et, vt omnia simul comprehendam: *Ob vnius membri, etiam capitis excessus, non debet puniri Communitas.* Non enim peccat ipsa, cùm membrum priuatâ authoritate peccat, nec debent innocentes puniri: peccaret, si ipsa vel iuberet vel faceret, quod malum esset; sed neque tunc per modum corporis vnius, sed per modum plurium particularium.

An Episcopus sit Ecclesiasticarum rerum dominus?

Placet addere verba Alexandri III. *c. 2. extr. de donat.* dicentis: *Cùm enim Episcopus, & quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit Procurator, non Dominus, conditionem Ecclesiæ meliorare potest, facere verò deteriorem non debet*, imò nec potest. Vnde bene Layman *libr. 3. tr. 2. c. 11. n. 5.* Ecclesia, ait, iure minoris debet semper illæsa seruari, additque *l. 4. c. 13. n. 16.* Ecclesia pupillo comparatur, cùm se ipsam defendere non possit.

Ecclesia iure pupilli gaudet.

VIII.

MLXIX. De Abbate prodigo.

REm à se alienatam potest ne Prælatus repetere etiam allegando propriam turpitudinem? Respondet affirmatiuè Henricus Canisius, *ex capite, si quis num. 4. & num. 12. extr. de rebus Eccles. alien. & ex l. 1. c. de liberali causa.* Sed hîc ego volo tantisper hærere. *Teneo primò* non posse repetere, quæ dedit ex consensu suæ Communitatis. Excipe casum, in quo Communitas non sit libera, sed indigeat Superiorum licentiâ. *Teneo secundò* non posse repetere, quæ dedit secundùm Regulam, etsi sit inuita Communitas, tunc enim illa donatio esset valida. Regulæ nomine intelligo priuilegiis, & moribus temperatam, & vt meliùs rem capias, pono exempla domestica. D. Bernardus consultis suis Religiosis (an & consentientibus? nescio; sed maioris claritatis causâ dissensisse dicantur) fundum dedit B. Norberto, vt Præmonstratum ædificaret, & ante Paucos annos Fernellius Cœnobii Viritiensis Antistes vnam arcem, vt Patres Franciscani in Cœnobium erigerent, & quidem etiã consultis, inuitis tamen Religiosis, & quæris, An hæ donationes sint validæ? An Bernardus Fernelliusque possint bona à se alienata Ecclesiarum suarum nomine repetere, etiam culpam suam allegando? & respondeo, Fernellium posse, & Bernardum non posse. Aio posse Fernellium, quia iuxta mores nostri æui, & constitutiones Pontificias nihil potest inuitâ Communitate alienari. Addo tamen Bernardum non posse; nam stando Regulæ matri, si alienare fundum res magni momenti credatur, debet Abbas vniuersos consulere & audire; si res parui momenti dicatur, debet saltem consulere, & audire seniores; in neutro tamen casu tenetur illorum sequi iudicium, sed potest iuxta Caput III. Regulæ, quod melius iudicauerit, facere. Cùm igitur D. Bernardus professus fuerit, seruaritque Regulam ad literam, nullo vsu, nullo priuilegio temperatam, validè illum fundum B. Norberto dedit, nec illum potuit nomine Communitatis repetere; quem enim regulariter dederat, dederat nomine suæ Communitatis.

Hodie Monachi obseruant Regulas moribus & priuilegijs mitigatas.

Quid dare olim Abbas potuerit, & quid hodie possit?

Ante

IX.

MLXX. ANte annos quasi viginti dúos obiit Abbas N. vir sanctus & pius, & à successore sexdecim mille florenos, quos iussu defuncti dederat alterius Ordinis Cõmunitati, Mercator quidam postulauit: Negat successor; chirographum ostendit ille; excipitur contra chirographum; multa hinc inde allegantur: & tandem condemnatur Monasterium, vt Mercatori satisfaciat. Audiui variè de huiusce modi quæstione loqui. Fortè non fuit allegatum, non posse Abbatẽ sexdecim mille florenos dare pauperibus sine speciali Cõmunitatis suæ licentiâ. Quid scio? Fortè fuerũt multæ donationes, & tandem in grauem summam coierunt; Fortè aliæ causæ latebant; quæ non publicantur. Ego autem non credo, posse Abbatem grauare suum monasterium erogando eleemosynas; puto tamen, eum habere bene administrandi absolutam licentiam, & existimo eum bene administrare, qui modestum victum amictumque dat suis Religiosis; nihil profanum, & inutile ædificat; comparat pro Ecclesiâ, non superba & profana, sed decentia ornamenta; & cætera, quæ supersunt, dat pauperibus sanctis (non semper Deo gratum dare otiosis mendicis, si in vtijs ipsi suis alienâ clementiũ foueantur) etiã si sint multâ. Et existimo eum male administrare, qui quòd monasterium sit diues, plus vini, aut pretiosiores vestes dat suis Monachis, quàm si esset pauper: eò enim res in multis locis deuenerat, vt gratulandũ sit nonnullis monasteriis, quod à Gustauo Adolpho Sueciæ Rege fuerint non tam exspoliata, quàm reformata. Sic placuit loqui, & vocibus vti aut abuti: nã dum VVandalus conatur Catholicã Religionem delere, monasteria (hoc est, Theologorum Orthodoxorum Seminaria) deuastat & exspoliat, recitque Deus, vt Religiosi persecutionem patienter tolerarent, æquo animo paupertatem & miserias subirent, mores ad legem seueriorem contraherent, & ad summam multi sanctitatem adscẽderent. Placet Reformationis formula Carolo V. Imp. statibus Ecclesiasticis ad deliberandum proposita Augustæ anno 1548. in quâ §. *De Monasterijs* lego: *Non debent Monachi, quamuis opulenti & regalibus dotati munificentijs* (lege bene) *otiosos & vanos facere sumptus, nec familiam superfluam, nec equos ad fastum, & pompã potiùs quam ad necessitatem, Principum more, nutrire magisque sæcularem, quàm religiosam vitam ducere* An non explorator domesticus carpit exactè, quæ fieri vidit, & quæ vix hodie reformata videmus? Quid igitur facere debeant Religiosi, videamus. *Sed in humilitate viuere frugaliter.* Sed si hoc fiat, multa aureorum millia in opulentis monasterijs supererunt. Quid fiet igitur de tantâ vi pecuniæ, si non comedatur & bibatur, & in vsus fastuosos dispensetur? Imperator: *quæ vltra necessitatem* (nota bene non dixit *luxum*, sed *necessitatem*) *supersunt* (debent) *in pauperes & educationes studiosorum, quo possint Ecclesiæ Christi olim vsui esse, vtiliter expendere*. Nec contra hoc curanda est vnius aut alterius Visitatoris auaritia; cuius authoritate nunquam licebit me depauperare monasterium, vt ipsius superfluitati satisfaciam, vel dare Religiosis superflua, aut thesauros congerere; cùm omnia non necessaria debeam in pauperes sanctos erogare. Sed de hoc alibi vberiùs & aptiùs.

Quales & quantas eleemosynas possit Abbas facere?

An mendici sint veri pauperes?

Paupertas multorum monasteriorum reformatrix.

Decretum de Monachis.

Quid debeat fieri de superfluis?

Multas statim contra Regulas exceptiones solet inuenire Canisius, & contra hanc non vult militare præscriptionem: at si res bene examinetur, non vrget. Sic arguis [Propter negligentiam Superioris contra Communitatem suam fluit præscriptio *l. 1. ff. de vsurp. & vsucap.* ergo delictum personæ iuridicè solet in detrimentum Ecclesiæ redundare] & respondet Canisius his verbis. *Neque obstat huic Regulæ titulus decretal. de præscriptionibus, quo propter negligentiã Prælati contra Ecclesiam suam currit præscriptio: quia hoc publica vtilitatis causa receptum est in præscriptione, ne dominia rerum in incerto sint.* Sed hæc ratio non sufficit; præscriptionem enim esse introductam ex hoc motiuo aut ex alio, non tollit esse cõtra Communitatem, & ex Abbatis negligentiâ procurrere. Ego autem teneo præscriptionem currere, non tamen hoc detrimentum ob delictum personæ redundare: quod sic ostendo. Abbas est in tali casu Communitatis lingua; & ipse cùm protestatur contrà, & suis verbis cursum præscriptionis interrumpit, procedit, *vt quo*, non *vt quod*; nam sicut linguâ homo, sic Abbate loquitur in tali occasione Communitas. Ergo quãdo Abbas tacet, tacet *vt quo*, & Cõmunitas *vt quod*. Ergo ob propriam negligentiam patitur detrimentum Communitas. Nec iuuat dicere, eam non posse præcipere Prælato vt impediat cursum præscriptionis; illum enim potest monere, & renuentem in visitatione accusare iuxta leges & statutum Ordinum singulorum.

MLXXI. An huic Regulæ obstet præscriptio? Obiectio.

Solutio Canisij.

Impugnatur.

Vera ponitur.

Abbas Communitatis lingua.

Agit, tacet, loquitur vt quo, non vt quod.

X.

MLXXII. De acceptatione. An legata ante acceptationem acquirantur?

SImilis omninò difficultas in acceptationibus moueri potest; nam sicut Abbas nihil dat nomine proprio, sic nomine proprio nihil negat; nihil nomine proprio acceptat, nihil proprio recusat: vnde si in testamento centum Ecclesiæ meæ legaueris, non potero illos nomine proprio acceptare aut recusare, sed nomine eiusdẽ Ecclesiæ: ergo, si ego illos aureos recuso *vt quo*, mea Ecclesia *vt quod*, non est dicendum, quòd illis ipsa careat propter meam voluntatem, sed propter suam. *Sed dices*, legata ipso iure acquiri meæ Eccle- Obiectio.

siæ, nec requiri acceptationem, imò nec agnitionem *l fin. c. de SS Eccles. l. à Titio. ff. de furto.* Et nego, quoniam fauor non fit inuito, nec vllus acceptare tenetur, qui non obstringatur præcepto valido acceptandi. Consentit mihi Panormitanus *ad cap. 1. num. 9 extr. de integr. restit.* licèt alibi aut obscurè aut aliter loquatur. Profectò, An liceat acceptare munera ab amicis oblata? docui in Theologiæ Regularis *nu.* 876. hinc oritur, quòd.

Solutio.

An sit morosus solutor, qui non potest?

XI.

MLXXIII. De voluntaria iactura.

Damnũ quod quis sua culpa (aut causâ aut voluntate) *sentit, sibi debet, nõ alijs imputare.* Est Regula LXXXVI. adeoque, si vel currat præscriptio, vel legata renuãtur, & putet damnum (saltẽ negatiuũ) se esse passam Communitas, sibi illud imputet, non alij; id enim ipsa moraliter fecit, quod nomine suo factum est.

An latro teneatur ad damna?

In hunc sensum *l. quod quis ex. ff hoc tit.* inquit Pomponius: *Quod quis ex culpa sua (vel causa) damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.* Non enim habent Iudices oculos, vt tale damnum videant; nec aures, vt in tali materiâ querelas audiant: adeoque à similibus quæstionibus abstrahunt, & illas dicunt politicè ininteligibiles & incognoscibiles.

XII.

MLXXIV. De mora. Morosus, quis?

Mora sua cuique est nociua. Est Regula XXV. Cui concordat altera Iuris Regula *in l. in condemnat. §. vnicuique ff. eodem tit.* Porrò *morosus* ille in Iure dicitur, qui non facit, quod debet, quando debet. Et puto in omni contractu tempus tacitè vel expressè determinari; nõ enim, qui domum emi, si tempus solutionis non est determinatum, illam potero cẽtum annis differre; omnia enim, quæ non ponuntur diebus determinatis, creduntur statim facienda; & illud *statim*, cùm politicum sit, & nõ physicum, latitudinem habet. Vt Regulam altiùs intelligas, vnum aut alterum casum subiungam.

Quid sit statim?

Casus primus.

Madriti, cùm diceretur in proximũ diẽ monetæ valor diminuendus, Petrus qui debebat Francisco mille florenos, illos soluere voluit. Renuit iste, ille protestatur; & interim valor pecuniarius minuitur. *Sed* vtri? Petro-ne an Francisco? Sententia publica decretum, moram fuisse Francisci, adeoque ipsi soli nocere.

Casus secundus.

Alberico debebat cẽtum imperiales Patroclus, & differebat solutionem. Protestatur ille damnũ emergens, lucrum cessans. Et quæritur, si post iuridicam protestationem adhuc moras Patroclus trahat, & tamen re vera damnum illud emergat, aut lucrum cesset, cui emersurum illud, cui cessaturum istud sit? Verè Patroclo, si Iudices integri sint.

Tenemus furem, latronem, & quemcũq; rei alienæ detentorem, tunc esse morosum solutorem, cùm potest soluere, & non vult, quòd si velit, nec possit, adhuc distinctione opus est. Si iustè contraxerit debitũ, non tenetur; nemo enim sub bono Deo si bonus sit, grauatur. Si iniustè contraxerit, vbi per confessionem cesset esse iniustus detẽtor, videtur nõ esse damni causa, sed fuisse; adeoque teneri ad dãna præterita, quæ intulit, non ad futura, quæ improuisa contra eius voluntatem eueniunt. Sed hæc potiùs concernere videntur forum interius, nam, de occultis non iudicant humanæ leges.

XIII.

MLXXV. Corrigitur Regula 48.

Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura. Est Regula XLVIII. Deleo illud *vel iactura*; nam si nihil minus significat *iactura* quàm *iniuria*, tunc est vox superflua; si minus expungenda: omnia enim, quæ secundùm Iura fiunt, tametsi incommodum & iacturam inferãt, non inferunt iniuriam proximo. Possumq; alieno detrimento modò sine iniuriâ ditari, vt optimè notauit Glossa *ad l. iure naturæ. ff. hoc tit.* cui consonat *l. iustè 11 ff de acquir. vel om. poss.* nam sicut verbulũ addidisse sæpè est sententiam commentario illustrasse, sic etiam aliquando verbulũ deleuisse, si illud poterat sensum interturbare. Et quidem licèt omnia Iura sint æquitati & naturali rationi consentanea, hanc specialiter hac prærogatiua inuestit Pomponius *in l. nam hoc natura. 24 ff. de condict. indeb. in l. iure naturæ ff. hoc tit.*

Aliud est iactura, aliud iniuria.

Aliquando delere verbulum est commentarium addere.

Solent huc poni Ciceronis verba, qui *lib. 3. officior.* sic inquit. *Detrahere igitur alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturã, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quam cætera, quæ possint aut corpori accidere, aut rebus externis.* Et quia video & audio hæc Stoici Philosophi verba fortiter vrgeri à nonnullis, Ego etiam, sed vt opinor veriùs tametsi seueriùs, eadem reducam ad limam.

Cicero examinatur.

Quæro igitur primò quod intelligat Cicero *Naturæ* nomine? Videntur enim Philosophi intelligere appetitum, qui insitus est omnibus. *Et* quia aliter est affectus appetitus hominis sani, & aliter appetitus ægroti, quæro secundò, An agat Cicero de statu naturæ integræ, cui erat contraria mors, cùm homines nascerentur immortales, potiùs transituri in cœlum, quàm morituri: Et respondes distinctionem naturæ integræ & lapsæ ignotam Ciceroni fuisse; illumque egisse de naturâ humanâ, qualem habebat, & qualem in reliquis experiebatur. At contra talem naturam nec est mors, nec paupertas, nec dolor, nec cætera, quæ solent accidere: ergo nec erit contra naturam damno alieno ditescere. Inuoluit igitur contradictorias

An Cicero nouerit naturam integram?

Cice-

Cicero, cùm contra naturam eſſe vult, quæ ſunt maximè ſecundùm naturã; cùm potiùs eſſet contra curſum naturæ, hominẽ hac rerum tempeſtate non mori, nullius rei eſſe indigum, eſſe impaſſibilem, & inalterabilem. Præterea, ſi Cicero incommodum ab iniuria non diſtinguat, eſſet iterùm arguendus, & dicendus multa dixiſſe oratorio ſtylo, qualia etiam hodie à noſtris Concionatoribus dicuntur: quorum exclamationes, voces & non dictiones ſunt.

Incommodum differt ab iniuſtitia.

XIV.

MLXXVI. De grauamine, & commodo.

QVi *ſentit onus, ſentire debet commodum* (illi oneri adnexum) *& è cõtrà*. Eſt Regula LV. Illud *adnexum* maioris claritatis gratiâ addidi; illud enim inſinuat ratio, *& in l. vnic. §. pro ſecundo in fin. c de caduc. coll.* clarè exprimit Iuſtinianus: *Nec enim ferendus eſt*, ait, *qui lucrum quidem amplectitur; onus autem ei adnexum contemnit*. Et Regulam à contrario ſenſu. *l. ſecundum natur. ff. hoc tit.* Paulus Iureconſultus aſſumens, ait: *Secundùm naturam eſt, commoda cuiuſcunque rei eum ſequi, quem* (eiuſdem rei) *ſequuntur incommoda.* Hæc doctrina eſt contra omnes illos animarũ Rectores, qui oues ſuas tõdêre ſciunt, fouere neſciunt, nolunt-ue, vtilitate contenti, cùm tamen honos, & onus ita connexa ſint, vt hunc habere non debeat, qui illud renuat. Vnde datur Regula LXXVII. quæ verbis differt à præſenti, nimirùm: *Rationi congruit, vt ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore*. Omnia enim officia habent vtrumque inſeparabiliter, nec licet iſtum acceptare, illud regere.

Multi diuitias quærũt, onera verò non curant.

XV.

MLXXVII.

QVi *violat legem, qua ſe teneri inuinciblliter ignorat, aut qua ſe non teneri probabiliter putat, non peccat; adeò nec poterit puniri.* Eſt ratio Regulæ illi XXIII. *Sine culpa non eſt aliquis puniendus*, quam ſuperiùs, expoſui. Vnde optimè Sancius *in ſelectis diſp. 33.* Apud Auſonium Noctinot in Summâ Dianæ, verbo, Opinio *n.* 10. ait, non poſſe Superiorem punire iuſtè ſubditũ ex probabili opinione non obedientẽ; quia non obediendo non peccauit, ac proinde nec promeretur pœnam. Excipe illum perpetuò, qui ſe obligauerit obedire Superiori in materiâ probabili; ſed reſpectu huius nõ eſſet probabile ſe poſſe in materiâ probabili non obedire. Hæc materia recurrit frequentiſſimè, & ſemper eſt obnoxia tenebris, & difficultatibus. Aliud enim eſt quærere: *Vtrùm ſit probabile, quòd ſubditus poſſit non obedire Prælato præcipienti rem probabilem?* & aliud: *Vtrùm quando eſt probabile, quòd ſubditus poteſt, aut debet non obedire, poſſit ſi non obediat, à Prælato puniri?* Ad primum enim ſtando Iuri naturæ affirmatiuè: at ſtando moribus, & conſuetudini præſcriptæ negatiuè reſpondeo: ad ſecundum verò, caſum dari rarò, vel nũquam, ſi autem detur, reſpondeo negatiuè. Et quia, quæ poſſunt fieri, poſſunt conſuli, & quo poſſum modo operari, poſſum conſulere; oritur Iuris Regula LXII. *Nullus ex conſilio, dummodò fraudulentum non ſit, obligatur*. Et ſanè fraudulentum eſt, quod contra docentis conſcientiam. An-ne ignorãtia inuincibilis excuſare eum poterit, qui dederit malum conſiliũ? Reſpondeo, duas dari ignorantias inuincibiles, quæ omninò veniunt diſtinguendæ. Petrus ruſticus in rebus arduis, & quæ iura ſubtiliora concernunt, ignorantiam inuincibilem habet, ſic credo, ſic ſupponis. At conſulitur à Friderico; & ille audacter conſulit quid ſit facturus. An-ne hoc eſt fraudulentum conſilium, ſi quidem inuincibili, & inſuperabili ignorantia fundatum? An ruſticus hoc conſilio obligabitur? Reſpondeo, Petrum iura inuincibiliter ignorare; at ſe illa ignorare, ignorare non poſſe. Adeoque hanc ſecundam ignorantiam in ipſo, aut eſſe malitioſam, & affectatam, aut ſaltem ſupinam, & vincibilem: & concludo conſilium fuiſſe fraudulentum, & peccaminoſum; nã iuxta Regulam XIX. *Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet*. At obligari ob malum hoc conſilium nõ puto, quoniam iuxta Regulam LV. *In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis*. Et quidem ſi præſumptio etiam fuit ruſticum dare conſilium; præſumptio etiã fuit ruſtico credere, & ſtultitia eiuſdem conſilio gubernari. Hinc patet imperitũ (quod ſolet) qui haberi doctus vellet, & ita arte, & fraude procederet, vt etiam eſſe doctus à ruſticis iudicaretur, ſi conſilio noceret ruſtico, ad reſtitutionem obligari. Ruſticus enim eum ſincerè, & prudenter conſuleret; at ipſe fraudulenter, & imprudenter reſponderet.

Neminem conſilio teneri.

Ignorantia inuincibilis eſt duplex.

Nota id bene.

MLXXVIII. An aliquando Medici teneantur ad reſtitutionem?

Hic laudo legem *illicitas 6. §. ſicut ff. de officio Præſidis*, & legem *idem 8. in Princ. ff. ad leg. Aquil.* quæ condemnant Medicum, qui ex ignorantiâ ægrum occiderit; condemno tamen eos, qui hanc non reducunt ad praxin; eſt enim magna ſeges imperitorum hominum, qui dicunt ſe ſcire Medicinam, & applicando dextrorſum ſiniſtrorſum, quæ occurrunt, & ignorant, multos ægros occidunt.

An puniri poſſit, qui ſequitur opinionem probabilẽ?

An etiam Aſſeſſores?

Strictior, & acceptior eſt lex 2. *ff quod quiſque Iuris*, vi cuius Aſſeſſor, ſi per imperitiam aliter conſulat Magiſtratui, quam oportet, ipſe omninò obligatur; dat enim fraudulentum conſilium, in materiâ, quã vincibiliter ignorat: ignorantia enim rerum, quæ concernunt officium, ſemper eſt vincibilis; quoniam ſi datur aliquis, qui illa addiſcere nequeat, poterit officium non admittere.

Quæ ad vniuſcuiuſque officiũ pertinent, craſſè ignorantur.

FVN-

FVNDAMENTVM XLII.

Clauis VII. De AEquitate. ſeu de AEquali perſonas non acceptante Iuſtitia.

MLXXIX.

Vbi reperiatur acceptio

ACCEPTIONEM Perſonarum committit.(A)qui reiecta perſona,quæ ſecundùm Iura debet fauorem ſentire, ob priuatas rationes alij fauet in materia Iuſtitiæ. In materia gratiæ(B) non datur perſonarum acceptio: Hinc patet,DEVM acceptorem perſonarum non eſſe. Contractus vtrimque oneroſi in abſolutos conditionatos,& mixtos diuiduntur. Purè abſoluti pauci aut nulli;ſed in ipſis debeo ſtare promiſſis,etſi non(C)ſteteris. In purè conditionatis. non niſi ex(C)ſuppoſitione quòd ſteteris. In(C)mixtis,qua parte abſoluti ſunt.etſi non ſteteris; qua autem parte conditionati,ſi ſteteris. Qui poteſt(D)agere,poteſt excipere; qui poteſt Titium domo eijcere, poteſt illum in domumnon admittere; qui poteſt accuſare, poterit(E)denuntiare. Et vniuerſalirer loquendo, ſine perſonarum acceptione fieri non poteſt,vt ille, cui conceduntur plura, pauciora ſub illis(F)contenta interdicantur.

Deus non acceptor perſonarú: & cur?

Contractus triplex.

MLXXX.

AQVid ſit acceptio perſonarum Textus breuiter,ſufficienter tamen exponit.

In materia iuſtitiæ, & gratiæ.

In iudicijs *(hoc eſt in materia iuſtitiæ)* non eſt acceptio perſonarum habenda. *Eſt Reg.XII.*

B. In materia gratiæ ſtat pro ratione voluntas, adeoque non datur perſonarum acceptio.

Vita æterna duplex. Corporis immortalitas.

C. *Vix reperitur contractus purè abſolutus. Et vt inueniam ad donationem conuerto oculos & talem crederem irreuocabilem. Et vt Theologis ſeruiamus hic aliud exemplum adiungimus. Duas uitas æternas homini primo dedit Deus, nimirùm, corporis & animi. Illam conditionatè,hanc abſolutè: illam,ſi non peccaret, hanc verò,ſiue peccaret ſiue non.* Peccauit *Adam,* Deuſque *in pœnam priuauit eum Corporis immortalitatè.* At *immortalitate animæ ob ingratitudinem non ſpoliauit,illam enim abſolutè conceſſerat, nec cum dependentia ab omiſſione peccati.*

Animæ immortalitas.

D. Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus. *Eſt Reg* LXXI.

An præſtet accuſare, an denuntiare?

E. Videtur omnis accuſatio eſſe expoſitam magnis inconuenientibus, ſuauiùſq; eadem poſſe fieri per viam denũciationis.

F. Plus in ſe ſemper continet, quod eſt minus. *Eſt Regula XXXV. nimirùm ſi illud plus ſit totum, & illud minus ſit pars.*

Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit. *Eſt Reg.XXXII.*

I.

MLXXXI. Quid ſit perſonarum acceptio?

NOn ab omnibus rectè intelligitur, quid ſit acceptio perſonarum, prout vitium eſt, & à Sacris Literis, Iure Canonico,& Ciuili interdicta. Non enim sẽper eſt perſonarum acceptor, qui perſonas diſtinguit;ſed qui ratione qualitatum,quæ iuxta leges nihil faciunt ad rem,& hoc in materiâ Iuſtitiæ;eſt enim acceptio vitium, & in materiâ gratiæ perſonam diſtinguere à perſona non eſt culpa. Ita hoc vitium explicant S. Thomas.2.2. *quæſt.* 83. *art.*4. Alexander de Ales 2. 2. *tr. de acceptione perſon.*ita & alij.

Acceptio eſt diſtinctio iniqua.

Non eſſe omnem perſonarum diſtinctionem, acceptionem,hoc eſt diſtinctionem iniquam, conſtat omninò; quia vbi leges & ratio illas diſtinguunt, non poſſunt non diſtingui à Iudice. Ius enim diſtinguit PRIMO'minores à non minoribus,vultque illos ante vigeſimum quintum ætatis annũ, contractibus ſine licentiâ tutoris, aut curatoris initis teneri, non tamen minores teneri *tit Inſtit.de actor. tut. in princ. l.3. c.5.de integr.reſtit.* imò ſi curatoris aut tutoris authoritate contrahendo ſint læſi, reſtituendos pronuntiat *d.l.3. & toto tit.ff. de minor.* Et etiam Iuriſdictione iuuantur

Iura diſtingui volunt Minores à maioribus.

filij

filij familias, qui in ſpecie numeratam pecuniam mutuam acceperint, *tit. ff. C ad SC. Macedon.* Fauendum enim eſt ætati debili, nec permittendum iuuenili ignorantiâ & calore fieri contractus, qui iuxta prudẽtiæ Regulas non deberent. SECVNDO' ſexûs habetur ratio, in muliere quæ pro alio interceſſerit. *tit ff & C. ad SC. Velleian.* TERTIO' in criminibus Iura perſonas prudenter diſtinguunt; aliter enim punitur ſeruus, aliter famulus, aliter filius, aliter liber *l. aut facta 16. perſonæ ff de pœn.* Videatur Tiraquellus *tractatu de pœnis*, qui luculenter hãc materiâ tractat. Et QVARTO' tametſi furioſis leges faueant, nec puniendos velint, circa ebrios duræ ſunt, & rigor ipſe in ratione fundatur; nam libera & volũtaria eſt ebrietas, & delirium eſt morbus, nec ab humano arbitrio dependens.

Et cur?

Sexum à ſexu;

Seruum à libero, herũ à famulo; patrem à filio;

Prudentem à furioſo & ebrio;

In Religionibus etiam leges fundamentales, (Conſtitutiones, & Statuta) perſonas á perſonis diſtinguũt; multa enim iubentur, permittuntur, interdicuntur Sacerdotibus, quæ non Iunioribus, multa Cõmunitatis Adminiſtris, quæ non priuatis Religioſis, multa Choriſtis, quæ non Conuerſis. Imò in eodem crimine aliter iudicatur iuuenis & aliter iudicatur ſenex; aliter frater Laicus, & aliter omninò Sacerdos. Et ratio diſtinctionis in hoc ſita eſt, quòd ſi crimen ſit publicum (iuridicè non puniuntur ſecreta) grauius eſt in maiori; ob ſcandalum cum Iunioribus ſenes propoſiti ſint, vt communis monaſterij Regula, debeantque ex Regulæ capite VII. minores facere, quod maiorum hortantur exempla.

MLXXXII.

Seniores à iunioribus; ſacerdotes à non ſacerdotibus; officiales à priuatis; choriſtas à laicis.

Maiorum peccata ſũt maiora.

Conſtat igitur ex dictis, Acceptionem perſonarum eſſe, earum diſtinctionem non quamcumque, ſed illegitimam; eam nimirùm, quæ non fit lege publica, ſed affectu priuato. Rem pulchrè exponit D. Hieronymus *ſuper Amos*, cuius verba habentur in Iure, *c. 79. quicumque 11. q. 3. in Nani* Mirabelli Polyanthea, *verb. Acceptio*. in Henrico Caniſio *ſummæ Iur. Canon. lib. 6. Reg. 12.* Ait igitur D. Hieronymus: *Quicunque aut conſanguinitate aut amicitia, & è cõtrario hoſtili odio vel inimicitijs in iudicãdo ducitur peruertit iudicium Chriſti, qui eſt Iuſtitia, & fructũ illius vertit in amaritudinem.* Et ad Fabiolam: *Multa nos facere cogit affectus, dum propinquitatem reſpicimus corporum, et corporis et animæ offendimus Creatorem*. Et clariùs omninò ad Pamachium: *Nec bonis aduerſariorum, ſi honeſtum quid habuerint, detrahendum, nec amicorum laudanda ſunt vitia; at vnũquodque, non perſonarum ſed rerum ponderare, iudicandum eſt*. Conſonat S. Hieronymo S. Benedictus, qui Prælatis inhibet omnem perſonarum acceptionẽ, & quid hoc vitium ſit, dilucidè exponit Cap. II per hæc verba: *Non ab eo* (Abbate) *perſona in monaſterio diſcernatur. Non vnus plus ametur, quam alius, niſi quem in bonis actibus aut obedientia inuenerit meliorem. Non cõuertenti ex ſeruitio præponatur ingenuus niſi alia rationabilis cauſa exiſtat. Quod ſi ita, iuſtitia dictante, Abbati viſum fuerit, & de cuiuslibet ordine id faciat: ſin alias propria teneant loca: quia ſiue ſeruus, ſiue liber omnes in Chriſto vnum ſumus, & ſub vno Domino æqualem ſeruitutis militiam baculamus: quia non eſt apud Deum perſonarum acceptio. Solummodò in hac parte apud Illum diſcernimur, ſi meliores alijs in operibus bonis & humiles inueniamur. Ergo æqualis ſit omnibus ab eo charitas: vna præbeatur omnibus ſecundùm merita diſciplina.* Huc pertinet totũ Caput XXXIV. Regulæ S. Benedicti: *Si omnes æqualiter debeant neceſſaria accipere?* quod poterit cum fructu legi.

S. Hieronymus.

An amicitia aut ſanguis debeat meritis præiudicare?

Res ſunt cõſiderandæ non perſonæ.

Perſonarum acceptio debet a Monaſteriis exulare.

Omnes ſumus vnum in Chriſto. 1. Corinth. 12. Rom. 12.

II.

HInc orta Iuris Reg. XII. *In Iudicijs* (hoc eſt in materiâ Iuſtitiæ) *non eſt acceptio perſonarũ habenda*. Conſonans *c. 1. de ſent. & re iudicata in 6. c. quatuor. 78. c. quiſquis § 1. 11. q. 3.* Nota illud *in iudicijs*, nam extra materiam iuſtitiæ aut non datur acceptio, ſi nomen ſumatur pro vitio, aut ſi ſumatur illud largiùs, acceptio non eſt mala.

MLXXXIII. Perſonarum acceptio cõdemnatur.

Obijcis D. Gregorium, quem perſonarũ acceptatorem credis, nec tamen ab aliquo reprehenſum. Nimirùm durum in Apoſtatas, qui tamen (vt conſtat ex D. Bernardo *lib de præcep. & diſp c 21.*) Venantium, qui monachalem habitum piè ſuſceperat, & impiè reiecerat, non ſolùm reſumere non coëgit, ſed omnem etiam indulſit communionem Apoſtatæ perduranti.

Obiectio ex S. Gregorio.

An Apoſtatæ debeant per vim reduci?

Et reſpondeo, duas poſſe dari congruentes ſolutiones; nam vel dicendum vanã ſine viribus iram, Diuumq; hominem, quem vi coercere nõ poterat, toleraſſe correctionis intuitu, vt plus illi proficeret; vel diſpẽſaſſe cum illo ſuprema authoritate. *E' quibus ſolutionibus* illa prior adriſit meo Bernardo: Sed hæc poſterior proderit intelligentiæ capitis *Clerico. diſt. 50.* & capitis *3. ext. de offi. legati*; quibus locis Pontifex non ob ius aliquod aut rationem legitimã, ſed ob priuatum amorem iuſtam pœnã remittit delinquẽti, diſpẽſando nimirùm in lege humanâ ſibi ſubditâ, quod Iudex inferior nullatenùs facere poſſet. *l. ſi qua pœna 244. ff de verb. ſignif* tametſi negandum nõ ſit, tales poſſe rationes interuenire, vt etiá inferior Iudex, æquitatem reſpiciens, poſſit aut debeat ſententiam ferẽdam remittere aut intendere, quod & Iura, ſi poſtulet ratio, permittunt. §. *Oportet Nouell. de Iudicibus l 1. §. 1 in fine ff. ad SC. Turpil. c 1. & c 5. exc. de conſtitutio l. 3. & l. 4 C. ex quibus Cauſis infam. irrog. l. quid ergo 13. §. pœna grauior ff de bis qui not. infam. l. hodie. 12. l.*

Solutio prior.

Poſterior.

An ob priuatum amorẽ pœna remitti poſſit?

An ob rationem?

in

in metallum.124.ff.de pœnis.

III.

MLXXXIV. An fides seruanda sit nõ seruanti?

OCcurrit quæstio vtilis & subtilis, videlicet, An ex hac doctrina oriatur Regula Iuris LXXV. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo seruari, cui fidem a se præstitam seruare recusat.* Et videretur quod sic. Habemus enim Deum communem non priuatum; non personarum acceptorem, & qui affectibus priuatis moueatur. Igitur si tibi placuit fidem mihi præstitam frangere, mihi licebit violare tibi præstitã. Sed non admitto consequentiam, nam subinferre eodem modo & artificio possem: Ergo si tibi placuit meum fratrem occidere, meam vxorem violare, mihi omninò licebit interimere tuũ, & tuã opprimere, quod nemo admittet. Aliunde igitur oritur hæc Regula LXXV. quæ proponitur, videlicet, ex Fundamento, quod docet, leges etiam priuatas, quales sunt cõtractus, debere exponi ad cõtrahentium mentem, quam esse conditionatam certum est, licèt absolutis sit verbis expressa. Rem clarissimis verbis expono. Cõduxisti pictorem & iniusti contractum firmatum etiam iuramento, vi cuius tenetur ille tabulam pingere, tu centũ aureos dare, negas cras te daturum illam pecuniam, & assero te periurum, & pictorẽ liberum à iuramento; at vis stare contractui, pictor non vult, & definio illum esse periurum, & te liberum à dandi illas pecunias obligatione. Attende, obsecro, nunquã dicturus sum, tibi licere frangere contractũ aut iuramentum, si pictor frangat; nec dicturus sum licere pictori, si periurus sis, etiam esse periurius, id enim omninò absurdum est. Sed dicam contractu facto ab illo te non teneri: non enim fractis catenis homo poterit manere ligatus. At dicam, peccare fractorem debereque mutare dictamen, & contractum in integrum restituere. Addam, iuramenta esse conditionata, & quibuscunque verbis efferantur tacitam conditionem inuoluere, & ne mutemus exemplum, Te, inquã iurasse pictori, daturum centum aureos, si illam picturam pingeret; illum, se tibi eamdẽ picturum, si centum illos aureos dederis. Et cõcludo vi conditionati iuramenti te teneri si pictor stet promissioni, non aliàs: & teneri pictorẽ, si promissioni tuæ stes, aliter nõ.

Contrahentium mens conditionata.

Nunquam licet violare contractum

Omnes adiurationes sunt conditionatæ.

Similis est in feudo ratio. Vasallus tenetur Domino, Dominus Vasallo, quòd si Dominus improbè cõtra Vasallum procedat, & ob odiũ fauorem protectionẽ & assistentiam neget, non potest à Vasallo tutâ conscientiâ extorquere seruitia feudalia; &, si extorqueat extorquet sine titulo aut iure, & tenetur ad restitutionem. Et in tali casu Vasallus licitè negare illi poterit seruitia feudalia, nã in feudo est mutua reciproca & conditionata Domini & Vasalli obligatio. *Vnico §. Domino committente. Si de feudo defuncti contẽtio c. vnico in fide form. fidel. in lib. feud.* Quid si Dominus Vasallũ non potuerit defendere. Respondet Canisius sũmæ *Iuris Can. lib. 6 Reg. 75.* his verbis. *Si casu vel necessitate quis impeditus sit, maioris quæstionis est. Et puto nihilo magis illi fidem seruari oportere, per text. in l. ex conducto 16. alias incipit. l. si vno §. item eum quidam locati.*

Feudorum obligatio est conditionata.

Quid dicendum, cùm Dominus feudi vasallum defendere non potest? De Beneficiario, qui non legit Canonicas horas. An teneatur ad restitutionẽ? & cur?

Hinc patet (si verum sit, fructus dari in stipendium oneris) Beneficiarium, qui non satisfacit horis Canonicis & alijs sui muneris obligationibus, ante omnem sententiã Iudicis, & etiam præscindendo à lege Põtificiâ, quæ id præcipit, teneri ad restitutionem. Aliter tamen ui Pontificiæ legis. Dico igitur, Beneficiarium, qui vno mense non legisset Diuinum Officium non posse tutâ conscientiâ recipere fructus illius mẽsis consignatos; at non videri, cur non posset mense sequenti legere singulis diebus bina Officia, & sic fundationi satisfacere. Imò videretur posse satisfacere, si curaret horas legi per alium [satisfaceret inquam, non sacerdotio, sed beneficio, de hoc enim loquimur] contractus enim inter Fundatorem & Beneficiarium initus præcisus à lege Pontificiâ non posset maiorem rigorem inducere, vt videre est in dicendi missas obligatione, cui communiter satisfaciunt, aut transferendo in sequentẽ diẽ, aut curãdo vt legantur ab alijs. At Ecclesia iustis ex causis cõtractũ priorem onerauit, iubendo vt lectio Diuini Officij transferri non posset, nec tertiæ personæ committi.

An satisfacere beneficio sit personale?

IV.

MLXXXV. Et quid dicendum, si omittat horas ob morbum, aut aliam legitimam causam? Contractus, qui initur in feudo. Contractus qui in beneficio.

QVæris, An Beneficiarius, qui morbo impeditus non potest legere, teneatur ad restitutionem? & si non, Cur non debeamus eodẽ modo philosophari de Feudatario? *Respondeo*, differentiam ex contrahentium oriri voluntate. Dico homini potentiori: *Pendam annua talia, & talia seruitia, modò me defendas effectiuè, quòd si contingat me non defendi, nolo me ad seruitia teneri.* Dico Sacerdoti: *Dabo tot annuos aureos sub onere, vt singulis diebus, ni morbo aut legitima causa impediaris, Canonicũ Officiũ legas.* Et quia contractus sũt diuersi, diuersæ sunt etiam obligationes ab eis natæ. At, si mutarẽtur contrahendi formula, etiam obligationes enatæ mutarentur.

An fides sit frangenti frangenda?

Hinc patet ineptissimè ab aliquibus dici: *Frangenti fidem fides frangatur eidem;* quoniam cũ frangenti fidem fides non seruatur, non est dicenda aut violari, aut frãgi, sed esse indebita, nec conscientiam obstringere; vnde Bonifacius Papa non dixit: *Potest illi fides violari, qui fidem violare recusat*, sed potiùs: *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo seruari, cui fidem a se præstitam seruare recusat.* Hoc est: *Non habet quis Ius, vt postulet sibi ab eo seruari fidẽ, cui ipse fidem non seruat.* Vel clariùs: *Ne-*

mo

mo tenetur ſeruare fidem illi, qui ſibi fidem non ſeruauit. Et ratio eſt vnica, nimirùm, contrahentium voluntas, & natura contractûs conditionalis.

De contractu abſoluto.

Quòd ſi contractus eſset abſolutus & non conditionalis, omnia dicta corruerent: poſſet enim quis alteri abſolutè obligari, ſiue alter ſatisfaciat obligationibus reciprocis, ſiue non ſatisfaciat. Talis contractus videtur eſse Donatio, in quâ quis cedat iuri eam ob ingratitudinem, reuocandi: in tali enim caſu, ſtaret ipſa, nec à fidelitate Donatarij penderet. At faciliùs aſſignare poterimus contractus mixtos, partim abſolutos partim conditionatos. Talis aſseritur matrimonialis, in quo non fruſtra ſed legitimè fidem poſtulat coniux ſeruari à coniuge, cui fidem, à ſe præſtitam, ſeruare recuſat; iure enim adulter poſtulat, ne vxor adultera ſit, tametſi in materiâ reddendi debitum ius cogendi non habeat: hâc enim parte contractus conditionalis fuit. Talis etiam aſseritur eſse contractus ſolemnis Profeſſionis, nam ſi bene perpendantur omnia, quæ S. Benedictus habet ſuæ Regulæ Cap. LVIII. LIX. LX. LXI. & ea, quæ ibidem Commentatores eruditè pronunciant, eſt quædam promiſſio reciproca; & mutua quædam Superioris & inferioris obligatio: & nihilominùs non pendet vnius immunitas ab alterius infidelitate, non enim inferior liberatur à votis, eò quòd Superior ſibi infidelis ſit; nec Superior liberatur ab obligatione corripiendi, conducendi, & formandi ſecundùm Regulam Religioſum infidelem, qui violat promiſſam fidem, & votum temerè præuaricatur. Quòd ſi incorrigibilis fuerit inferior, poterit ex præſcripto Regulæ Cap. XXVIII. non obſtâte ſolemni profeſſione dimitti, hæc enim partim conditionata fuit; nec compromiſit in acceptatione Communitas, victum, amictum, domum, & reliqua humana ſubſidia homini incorrigibili, & qui cæteros ſcandalizat.

Matrimonium eſt cõtractus mixtus.

Et etiam ſolemnis Profeſſio.

Incorrigibilis poteſt demitti.

V.

MLXVXVI. OCcurrit quæſtio altera. *An eßet acceptio perſonarum aliquem ad agendum, nõ tamen ad excipiendum admittere?*

Reſpõdeo eſſe Iuris Reg. LXXI. *Qui ad agẽdũ admittitur, eſt ad excipiẽdũ multò magis admittẽdus* Quæcõſonat *Legi inuitus. §. eodẽ tit. & l. 1. §. quod autẽ ait Prætor ff de ſuperficieb.* eã tamen tũ fundari acceptionis perſonarũ odio, tũ etiã Regulâ XXXV. videlicet, *Plus in ſe ſemper continet, quod eſt minus.* Et quidem in eodem genere plus eſt agere quã excipere; plus domo eijcere, quã non admittere venientẽ; quod non ſolùm in iuſtitiæ, ſed etiam in gratiæ materiâ locum habet; vnde dicitur, *Turpius eijcitur, quam non admittitur hoſpes.* Hinc eſt, quòd maritus vxorẽ adulterã ad ſe redeuntem non teneatur admittere, quoniam contra afferentem vxorem debere neceſſariò admitti, adulterij exceptionem opponitur; qui enim contra nunquã digreſſam agere poteſt illãq, ob adulteriũ dimittere, à fortiori habebit ius illam nõ recipiendi, & excipiendi contra matrimonij rationem, ſi ab eâ allegetur *per text. in c. 4. extr. de diuort. & etiam c. 5.* Hinc eſt quòd Religioſus fugitiuus, ſi ad ſuum Cœnobiũ reuertatur, poſſit non recipi, quando tale crimen commiſerit, vt potuerit eiici, adeoq; vbi Religioſus ob furtum, homicidiũ, ſcãdalosã fornicationem, tertiam fugã &c. (vide Cap. IX. Regulæ S. *Benedicti*) eiiceretur, poteſt non recipi, qui poſt ſimile crimen ad ſuum monaſterium reuertitur. Et ratio manifeſta eſt, quia nec vxor (nec Religioſus) fugiendo redditur melioris condirionis, ac eſſet ſi domi manſiſſet: *nemo enim debet peccando meliorem reddere ſuam cauſam.*

Qui agit, poteſt excipere.

An adultera rediens debeat à marito recipi?

An fugitiuus redux?

Contra hanc Regulam duas exceptiones ponit vult Henricus Caniſius, quas ego non libenter admittam, nam tametſi doctrina ab eo propoſita ſit quoad ſubſtantiã vera, quòd ipſa militet cõtra hãc Regulã verũ nõ eſt. Sic ille ait [Singulare eſt in depoſito, quod etſi depoſitarius rei dominus ſit, ac proinde habeat actionem ad eã vendicãdã *l. officium. 9. ff. de rei vendicat.* non tamen exceptione ſe tueri poteſt contra deponẽtem, ſed ante omnia reſtituere tenetur depoſitũ; idque ob bonam fidem, quæ vberior eſt in depoſito] At ego nego abſolutè depoſitarium eſſe rei depoſitæ Dominum, vel qui dominus dici poterit; qui nec habet proprietatem nec vſum, vt alibi oſtendo? adeoque hæc doctrina non eſt exceptio Regulæ LXXI. Porrò depoſitario contra furem datur actio, quoniã nomine deponentis poſſidet, & tenetur illam defendere, ſicut omnia ſua, clauibus, diligentiâ, lite, & fortè gladio: ſed ſemper tanquam rem alienam, & deponentis nomine: unde depoſitarius ſemper ager ut quo.

MLXXVII Impugnatur Caniſius

An depoſitarius ſit dominus depoſiti?

An poſſit depoſitum defendere?

Eodem modo errat Caniſius agens de cõductione, quã uult excipi à generalitate huius *Regulæ LXXI.* Et sic ait [Idem eſt in re conductâ, cuius conductor prætendit ſe eſſe dominum: nam neque hic exceptione dominii iuuatur contra locatorem. *l. ſi quis de cõditionis. 25. c. de locato.* Ratio eſt, quia conductor negando reſtitutionem locatori, cenſetur ei interuertere poſſeſſionem, quæ hactenus apud locatorem remãſit. *l. colon. 9. 12. iuncta l. 1. § ſiue autem ff de vi & vi arm.* At ſpoliatus poſſeſſione ſua, licet prædo ante proprietatis quæſtionem reſtituendus eſt. *C. in literis. 6. extr. de reſtit ſpol. §. recuperandæ. inſtitut. de interd.*] Sed conductor rei conductæ dominus non eſt; & ſi dominus non eſt, non poterit ſe eſse dominũ obijcere. Et obiter à Caniſio doceri velim, quî dici poſſit cõductorem eſse rei dominũ, & locatorem eſse in poſſeſſione rei cunductæ; videre enim velim, in quo conſiſtat illud conductoris dominium, & præcipuè ſtante interruptâ locatoris poſſeſſione, vt ipſe aſserit. Quòd ſi agatur de dominio vtili, ſeu dominio vſus, dico locatarium habere ius, vt domo pro anno locatâ, anno illo integro vtatur, & poſſe excipere

Impugnatur iterum idem Author.

An Conductor rei cõductæ ſit dominus?

Omnis debet in poſſeſſione cõſeruari. & poſſeſſione expoliatus, in integrum debet reſtitui.

Sibi contradicit Caniſius.

An possit dominus rem locatam resumere.

pere contra locatorem pro hoc tempore, quamdiu enim contractus fauet, tamdiu ipse contra Dominum directum iuuatur. Sed dari solent leges & causæ, ob quas Dominus possit rem locatam resumere.

VI.

MLXXXVIII. De Reo & Actore.

VIderetur etiam personarum acceptio, si liceret actori, quæ reo non licent, vnde prudentissimè Bonifacius Regulâ XXXII. posuit, nimirùm: *Non licet actori, quod reo licitum non existit.* Sed de hoc iam alibi. Hinc patet, hanc esse bonam consequentiam: *Hoc licet Actori: ergo & Reo. Item hanc: Hoc non licet reo: ergo neque Actori licebit.*

VII.

Tres difficultates proponuntur.

VT melius cognoscatur æquitas vel æqualitas, quæ obseruari vbique & semper debet, proponam vnam aut alteram difficultatem, in quâ Iuniores videbũtur Theologi minùs consequenter locuti. Et quia

..... *Rusticus agros,*
Dum pius in templo Presbyter orat, arat.

aliquid de agrorum pensione & aliquid de missarum stipendio dicturus sum.

De Agricolarum Tributis.

MLXXXIX. An sicut de sterilitate fortuita, sic etiam de fertilitate fortuita sit philosophandũ.

SOlet inquiri, *An ob sterilitatem agri fortuitam sit aliquid remittendum agricolis de pensione agri?* Hanc quæstionem tractat Diana. *p. 3. tr. 6. resol 17.* & producit varias sententias, & limitationes Authorum. Et ego aliam quæstionem, quam apud neminẽ legi subiungo. *An ob fertilitatem agri fortuitam, aliquid supra contractum, aut communem pensionem ab Agricolis sit extorquendum?* Puto enim aut non esse Dialecticam in mundo, aut in his duobus casibus, debere pariformiter philosophari.

De stipendio Missarum.

PEtit Diana *p. 2. tract. 14. resol. 17.* An si Petrus relinquit centum aureos pro centum missis, si augeatur stipendium præstandum Sacerdotibus, teneatur hæres, data capacitate hæreditatis, supplere illam eleemosynam? & respondet affirmatiuè, & allegat Homobonum de Bonis, Riccium Barbosam, & alios.

An eodem modo philosophandũ sit, cum augetur & cũ minuitur taxa stipendij?

Audio, & subpeto, Quid facturus hæres sit, si diminuatur stipendium? nimirùm, an in hoc casu possit hæres soluere Sacerdoti iuxta taxam, & sibi retinere reliquum? puto enim hos casus ita connexos esse, vt debeant eodem modo resolui.

De reductione Missarum.

An eodem modo philosophandũ, cum fundationis augẽtur fructus, ac quando diminuuntur?

SOlet inquiri, *An Missæ, quas tenetur aliqua celebrare Communitas, possint ad numerum minorem reduci, eo nimirùm casu, quo prouentus fundationis deficiant, & diminuti sint?* Nolo quærere Quisnam in tali casu eiusmodi reductionem facturus sit? An fortè Episcopus? An etiam Ordinum Generales? An possit quicumque Superior? &, si possit. an ordinariâ, an delegatâ authoritate? aut etiam an possit œconomicâ? omnia enim hæc doctè, & necessariò inquiruntur, & eruditissimè resolui solent. Sed inquiro solummodò, An non vnus & idem Deus sit Fundatori & Fundatariis? & si sint, an non ratio; quæ suadet minui missarum numerum, vbi fundationis reditus sunt diminuti, non probet etiam illum augendum esse, vbi isti dignoscuntur creuisse? videtur enim æquitas æqualitatem postulare.

Resolutio.

MXC. Lenitatis & Rigoris connexio.

SOrores sunt Iustitia & Clementia; & licèt duæ, tam connexæ inter se, vt separari, aut etiam dissolui non ualeant. Quid de nobis fieret, obsecro, si Deus esset iustus tantũmodo? Sed quia, quãdo irascitur, misericordiæ recordatur, seruat clementer, quos iustè deleret, si vellet. Homo debet esse homini Deus (nomen hoc à dando uidetur deduci) non lupus; nec nimis debet iura sua defendere, quia *nimium ius, nimia iniuria*: sed debet condolere proximo, iuuare illum, non perdere, non expoliare.

Deus vnde dicatur?

Nimium ius non laudatur.

Primus casus resoluitur.

Pronuncio rusticum, qui agrum, uineamue locauit, si præter exspectationem annus sit fœlix, posse tutâ conscientiâ lucrum retinere, nec posse sine iniuriâ exspoliari. At verò, si annus supra timorem sit sterilis, non esse obnoxium paritati rationis, sed solere retinere expensas quas fecit, lucrum dare, &, si nihil lucretur, nõ solere aliquid pendere: aut saltem non cogi ad dandum plus, quàm cõmodè potest. Et cur? Nõ propter Logicã, quæ illum condemnat; sed propter consuetudinẽ, quæ rigori præscribit, & in misericordiâ fundatur.

Clementia Dialecticæ antefertur.

Resoluitur Casus secundus. Voluntas implicita, aut interpretatiua.

Secundum casum eodem modo dissoluo: si enim rigor Dialecticus obtineat, currit paritas: at obstat cõsuetudo & testatoris pietas; illa enim postulat, vt Executores testamenti, dent totam pecuniam legatam: hæc, vt putemus Testatorem clementer responsurũ fuisse, si fuisset in specie rogatus.

Resoluitur casus tertius.

Tertium dissoluo, respondendo etiã ad ea, quæ non interrogas. Aio duobus posse modis missas ad numerum minorem reduci: nimirùm, aut supplendo ex sanguine Christi & Ecclesiæ thesauro, quantum efficaciæ & valoris minuitur: aut non supplendo, sed authoritate œconomicâ cõsulendo subditis nimis grauatis. Priori modo solus Pontifex potest numerum missarum diminuere, si detur ratio & causa; est enim thesauri illius dispensator, & bene dispensandi habet absolutissimã authoritatem. Ergo ad posteriorem reducendi numerum missarum deuenimus, & asserо, Dialecticum rigorem æqualitatem postulare, at consuetudinem stare à clementia & aliter omninò disponere.

Duo modi reducendi missarum numerum.

Prior.

Posterior.

THEOLOGORVM AXIOMATA.

Quid ſint Theologorum Axiomata?

PRÆTER Bonifacij Pontif. Maximi Regulas, quas expoſui, ſunt multa etiam Axiomata, quæ vocantur Theologica, quòd ipſis Theologi vtantur, aut etiam interdum abutantur; video enim ex eiſdem frequenter Axiomatibus diuerſas, aut etiam aduerſas conſequentias diduci, quæ non poſſent ſine Præmiſſarum abuſu. Sed huius morbi medicina à Dialectica, aut etiam à Grammatica (ſæpe enim agitur de nominum ſignificatione) petenda eſt, fruſtra enim legitimus Axiomatum vſus ab alia Facultate ſperatur.

An axiomata debeant probari?

Vt video, hæc Theologica Axiomata ſolent ſupponi non probari: at nos qui loquimur hominibus aure oculatâ prædi-tis, nîl omninò ſupponimus, omnia omninò probamus. Tuum erit, doctiſſime Lector, tuâ nos adiuuare cenſurâ, & monere, an etiam nos aliquo Axiomate abutamur.

FVNDAMENTVM XLIII.

Varias Aſſertiones complectens.

MXCI.

Bona diſtinctio.

BONA diſtinctio habet vim Commentarij. Serui Iure Humano ſunt nulli; non autem Iure naturali: ſeruitus non eſt ſecundum neque contrà, ſed præter naturam. Omnis exceptio debet eſſe de contentis in regula: firmat regulam in contrarium. Ignorantia inuincibilis excuſat; vincibilis verò non excuſat. Vbi iura ſunt paria & inconditionata, ſi alter non ſatisfacit, nec alter tenebitur. Iniquum petimus interdum, vt iuſtum aſſequamur. Vltroneæ merces & pecuniæ vileſcunt, rogatæ & extortæ valoreſcunt. Alleganti ſuam turpitudinem in alterius præiudicium non eſt credendum. Melior eſt conditio poſſidentis. Summa eſt ratio, quæ pro Religione. Diſtingue tempora, & concordabis Iura. Neceſſitas facit

Serui ſunt nulli.

Exceptio. Iura æqualia.

Ignorantia.

Iniqua petitio, an ſit licita.

Turpitudo allegata.

Merces & pecuniæ vltroneæ: & rogatæ. Poſſeſſio. Summa ratio. Mors violenta.

licitum quod Iure humano illicitum eſt: Non agit doloſè, qui ſuo vtitur iure. Vbi nec leges nec iura diſtinguunt, nec nos debemus. Nullus lethaliter vulneratus vltra quadraginta dies viuere poteſt. Non ſunt facienda mala, vt bona eueniant.

Neceſſitas ſinceritas. Bona ex malis. Ab illa magnæ lites dependent.

MVlta ex his axiomatibus ſuperiùs diluçidata ſunt, quoniam multa cum Bonifacij Regulis, aut etiam alijs Fundamentis coïncidunt; interim ſingula breuiter explicabuntur.

I.

De interpunctione.

Bona diſtinctio habet vim Commentarij. Eſt quidem veriſſima aſſertio; magnæ enim & graues quæſtiones ab interpunctione dependent. Primùm dicta à Liberto Houthemio; admiſſa à Boſquiero; citata ab Antonio Sandero in Bibliothecæ Belgicæ manuſcriptæ pag. 9. ſub finem, & à me in Scholio num. 362. Porrò multæ quæſtiones ſolâ diſpunctione deciduntur. Apud veteres celebris fuit teſtamenti illa clauſula. *Fiat ſtatua auri ſceptrum tenens*; nam ſi legatur: *Fiat ſtatua auri, ſceptrum tenens*, tota ſtatua erit auri: ſi verò, *Fiat ſtatua, auri ſceptrum tenens*, ſolum ſceptrum. Celebris apud Iuniores etiam illa. *Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te.* Quæ ſi puncto claudatur, eſt catholica; hæretica, ſi interrogatione. Tibi enim Catholici dicimus, *Qui fecit ſine te, non ſaluabit te ſine te*; Quia in creatione ipſemet tua merè paſſiuè te habuiſti; at gloriam aſſequêris aliter, quàm gratiæ & charitati cooperando. Caluinus autem & eiuſdem Diſcipuli ingeminant: *Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te?* vt inſinuent, non plùs à libertate tua pendere ſalutem æternam, quàm creationem; vnde concludunt, te ſicut olim ſine concurſu tuo libero creatus fuiſti, ſic etiam eras ſine cooperatione libera proceſſurum ad gloriam. Pulchræ nugæ! Gloria præmium eſt meritorum, vnde Paulus inclamat, *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die Dominus iuſtus iudex &c.* aliàs enim venire ad cœlum, non eſſet actus virtutis, ſed fortunæ.

Deus & homo cooperantur.

Reijcitur doctrina Caluini.

Gloria eſt præmium. Cœlum adquiritur virtute, non fortuna.

II.

Serui ciuiles ſunt nulli.

Quod attinet ad Ius Humanum, ſerui pro nullis habentur; non tamen in Iure Naturali; quia quod ad ius naturale attinet, omnes homines æquales ſunt. Eſt regula Iuris ciuilis 32. & exponitur à Reginaldo *lib.* 25. *num.* 61. vbi notari debet, ſeruitutem, quæ à Iure naturæ introducta non eſt, non eſſe contra Ius naturæ; conſiſtit enim in expreſſo aut implicito captoris & capti contractu, vi cuius vterque tenetur: ſemel enim inimicus ſeruatus, occîdi à victore non poteſt, at debet victori ſubeſſe iuxta publicam; aut ſi hæc non ſit, iuxta priuatam conuentionis legem. Vide ea, quæ vberiùs expendo in Theologia morali à *num.* 335. iuxta editionem Louanienſem.

Seruitus eſt præter, ſed non contra naturam.

III.

MXCII. De exceptione.

Omnis exceptio debet eſſe de contentis in Regula. Vnde ipſamet exceptio probat conuentionem in aliquo communi prædicato. Dicis omnem hominem excepto Aethiope eſſe album, & infero Aethiopem eſſe hominem, fruſtra enim excideretur ab hominum Regula, qui homo non eſſet. Llamas *pag.* 742. Videat in Theologiæ moralis, *num* 293.

IV.

Exceptio firmat Regulã in contrarium. Ita ego in Commentario *n.* 1634. 777. 782. 585. 269. 1060. 1359. 1587. 1634. 586. & in Scholio *num.* 141. 356. Ioannes de la Cruz de voto paupert. lib 1. cap. 3. pag. 21. *Si obijcias*, ait, *communem Regulam Iuris, quod caſus exceptus firmat Regulam in non exceptis, intelligitur de caſibus non exceptis, qui alias ſunt diſſimiles exceptis.* Cuius limitationem non admitto, quia mihi, *à ſimili ad ſimile in odioſa materia argumentatio non valet.* Valeret ſi materia non eſſet contingeus aut libera. Recognoſce Filliucium *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 264. 265. Delrium *lib.* 6. *c.* 1. *ſec.* 3. *pag.* 921. *a.* Laymanum *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 18. *num.* 2. & 23. & 16. *fol.* 101. Vide num. 652.

An à ſimili valeat conſequentia ad ſimile?

V.

MXCIII. De ignorantia vincibili.

Ignorantia, ſi vincibilis ſit, non excuſat. Non enim excuſatur Paſtor *ſi lupus rapiat ouem & ipſe neſciat*: Ego in Commentario 1701. *Scire & ignorare vincibiliter, pro eodem habentur.* Nauarr. præl. Iud. 1. num. 10. circa finem. Decius Cyrillus, & Ioannes Antonius Geloſus de conſcient. pagina 187. num. 8. vbi ait, *Siquis faciat rem malam putans ex errore eſſe bonam, ſi ignorantia eſt inuincibilis, non peccat; ſi autem eſt vincibilis & culpabilis, peccat. Quia ignorantia culpabilis*

æqui

æquiparatur ſcientiæ in ordine ad culpam. Et optimè; vincibilis enim ignorantia, ſcientia virtualis eſt. Ait Bernardus, *Qui ſcire non vult* (idem qui poſitiuè vult neſcire) *non de ignorantia, ſed de contemptu iudicabitur*. Emanuel Rodriquez qq. Regul. tom. 3. pag. 188. b.

V I.

Contractus à duobus dependent.

VBi iura ſunt paria, & conditionata, ſi vnus non vult facere quod debet, nec alter tenetur. Pone famulum, ſi non vult miniſtrare, dare ſtipendium non teneris. Gottrau *de reſtitut. quæſt.* 3. Maldonatus *cap.* 5. *verſ.* 32. *in Matth. fol.* 123. Reginaldus *de promiſſ.* Conſonat Iuris Canonici Regulæ, LXXV. *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat, ab eodem ſeruari, cui fidem à ſe præſtitam ſeruare recuſat.*

VII.

MXCIV. An liceat vltra debitum petere?

INiquum petimus, vt æquum habeamus. Rodriquez *part.* 1. *tract. de virtut. perfect.* Licet enim Mercatori petere vltra pretium iuſtum, vt iuſtum recipiat; non tamen recipere ſupra iuſtum liceret. Sed quid ſi emptor non licitaretur, ſed ſtatim petitam pecuniam numeraret? Anne poſſet illam mercator recipere? Putarem ibi eſſe aliquam donationis ſpeciem; quia cùm omnes emptores ſciant, ſemper peti pro rebus plus quàm valeant, ſi non replicant, videntur exceſſum condonare. Secùs ſi cogerentur Venditoris importunitate, aliquid ſupra ſummum pretium ſoluere; tum nulla eſſet donationis interpretatio.

An vltra iuſtum pretiũ recipere?

An libri habeant pretium determinatum?

Pono caſum. Venio ad officinam, & poſtulo vnius amici opera; exponuntur, & pretium notabile petitur. Soluo ſtatim. An decipior? minimè; ſcio enim minoris illos libros vænire, ſed volo miniſtro amici mei fauere, illum animare, vt reliqua eiuſdem Opera imprimat, & amico authoritatem conciliare; plus enim ipſe nominis lucratur, quando ego quocunque pretio, eius libros comparo, quàm ego pecuniarum perdo. Et vt clarior reſolutio ſit, Opera Dianæ octodecim florenis Pragæ væneunt, & ego ad Officinam veniens à Bibliopola poſtulo, quantum habere velit. Si reſpondet ſe velle 24. florenos, & reuera ſic vult, non mentitur, vult tamen furari, illos enim libros 18. florenis tantummodò valere ſuppono. Si dicat, Numeret Dominatio Veſtra 24. florenos, nihil aſſerit, adeòque nec mentitur. Si tamen non habet intentionem accipiendi plus quam 18. florenos, intentionem fraudem committendi non habet. Sed poſtulat plus iuſto, vt licitationi locus ſit, & tandem iuſtum pretium recipiat.

VIII.

MXCV. De Emptore rogato.

MErces vltroneæ vileſcunt. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *dubio* 10. *n.* 63. *in fine*. Sed quantum? probabiliter tertia parte: imò etiam dimidia probabiliter. Merces vltronea, illa eſt, quæ vt Hiſpanus loquitur, *ſe compra en vn lance*; quando venditor quærit emptores. Vide *num.* 844. *meæ Theol. Moral.* Ex hac ego Regula, hoc COROLLARIVM neceſſariò deducam; nimirum: *Pecunia vltronea vileſcit*. Et ſic diſcurro. Petrus habet adamantem, quem vult vendere, & quia emptorem non reperit, me rogat vt illum emam; & quia adamas vltroneus eſt, hoc eſt vltro offertur, illum emere potero mediâ pretij parte: [non quod aliquid poſſim emere minoris, quàm valet (nota id bene) ſed quia merces vltroneæ vileſcunt, & adamas, qui quæſitus ab emptoribus valeret centum aureis, ſi vltroneus ſit, non iam centum aureis, ſed quinquaginta tantùm valet]: ergo ſi ego habeam eundem adamantem, nec velim vendere, & tu me roges vt velim, potero illum tibi vendere ducentis aureis; aut doctrinæ conſequentia non datur.

Comprar en Lance, Hiſp.

Caſus proponitur.

Adamas vltroneus.

Pecunia vltronea.

Alius Caſus proponitur.

Vt vim conſequentiæ bene intelligas, pone res rebus commutari, & in foro caprum dari pro ariete. Habes capros viginti, vis ſtatim illos vendere, nemo illos vult emere, venis ad me, me rogas vt emam. Vincor precibus tuis, & quia merces vltroneæ vileſcunt mediâ parte, capros viginti admitto, & do decem arietes. Cras ſuperuenit Petrus, vult habere viginti capros, arietes offert: ego capros retinere volo, vendere nolo: orat ille, inſtat, vrget; me vinci patior, & quia merces vltroneæ mediâ parte vileſcunt, arietes Petri eſſe vltroneos dico, nec aliter meos capros trado, quàm quadraginta receptis arietibus. Ergo ex modo vendendi & emendi factum fuit, vt quod decem emptum hodie, cras potuerit quadraginta vendi, quin aliter quàm iuſto pretio. Cùm igitur pecunia quædam merx ſit generalis, communiſque, & *venditio* & *commutatio* duæ voces ſint, quæ purè materialiter differunt (quæ enim commutantur pecuniâ, dicuntur vendi, & quæ venduntur non pecuniâ, commutari) eodem omninò modo de pecunia ac de alijs eſt mercibus philoſophandum. Ponamus igitur in re pecuniaria aliquod clarum exemplum.

Capri vltronei.

Arietes vltronei.

Nota bene.

Quid ſit pecunia.

Commutatio & Venditio in quo differant?

MXCVI. Tertius Caſus ponitur, & exponitur.

Bruxellæ anno 1638. Marchio N. vrgebat quempiam nobilem, vt ſibi Pegaſum (nomen erat equi excellentis) venderet. Negat nobilis: ſe carere equo non poſſe, ait, illum ſibi commodum & notum, nec velle vendere. Vrget Marchio, & equum

ducentis aureis obtinet. Vix octo tranſiuerant dies; & Marchio, inopinatâ ſuperueniente causâ iubetur in Hiſpaniam ire, equis citatis; vel vt loquitur Hiſpanus *por la poſta*; auro ille eget, & Pegaſo non eget. Vult equos ſtatim vendere, & inter alios Pegaſum, nec reperit, qui ſtatim emat. Remittit ad nobilem Pegaſum, & ducentos aureos repoſcit. Quinquaginta offert ille, nec plures; & quia erat in mora periculum, indignabundus Pegaſum aureis quinquaginta reuendit. Vocat Theologum; & vociferatur ſibi illatam iniuriam. Subridet iſte, & omnia iuſte & legitimè facta pronuntiat. Merces, ait, vltroneæ media parte vileſcunt, & pecuniæ ſunt merces. Ille equus in fabulonis foro, (in eo venduntur equi) centum aureis valeret; tu rogaſti, & pecuniam vltroneam obtuliſti: ergo debuiſti duplam dare. Modò equus ipſe vltroneus eſt, ergo media parte pretij veniet. Quod ſi dicas, pecunias non eſſe merces, nec vltroneas vileſcere; aliquid dices, quod non perſuadeas: ſed eſto; in idem recidet, & ſic diſcurram. Si pretium mercium vltronearum vileſcit, hoc eſt, valor mercium venalium in foro, ſe habet ad valorem vltronearum, vt 4. ad 2. ergo valor mercium vænalium, in foro ſe habebit ad valorem extortarum, vt 4. ad 8. ergo valor vltronearum ad valorem extortarum, vt 2. ad 8. [vltroneas voco, quando oratur emptor, extortas quando oratur venditor.] Et quidem ſecunda conſequentia naſcitur neceſſariò ex prima; & prima videtur negari non poſſe; ſi enim ideò valor mearum mercium minuitur, quia ego rogo; etiam augebitur, ſi ego rogor.

Merces vltroneæ, & extortæ.

MXCVII. Quartus caſus.

Petis, *An infra medium non deſcendat valor mercium vltronearum, nec extortarum ſupra duplum?* Reſpondeo, me hunc caſum vidiſſe ante aliquot annos Madriti. Obijt Sigillifer, qui in domo Regis Monetariâ ſeruiebat, reliquitque ſuæ artis curioſiſſima, & expeditiſſima inſtrumenta; vocatur Heliodorus: vt dicat quanti illa valeant; quanti velit emere, ſi velit. Reſpondet Heliodorus: Hæc ab homine facta ſunt inſtrumenta, non ab Angelo, & reperientur etiamnum homines, qui poſſint ſimilia cælare. At qui ſimilia habere vellet, deberet vt minimum tria millia imperialium impendere: ego autem facilitatem, quæ ex inſtrumentorum tanta copia ſuboritur, tanti non emo. Si ſit, qui tria millia dare velit, habere hæredes poterunt; at ego trecenta velim dare, non plura. Diſcedit Heliodorus: & inſtrumenta hæredes poni iubent ſub haſta. Multi ſunt, qui eadem videre velint, multi qui admirentur & laudent; nemo qui velit emere; menſis elabitur; auctio abſoluitur; & redeunt inſtrumenta ad hæredes. Et iſti tandem orant Heliodorum, vt eadem emere dignetur trecentis. Anne ille tam vili pretio potuit? Cur non, ſi nemo erat in vrbe, qui plus offerret. Ecce Lector amice, vel Heliodorum condemnas, vel commendas. Si primum, debebis dicere, cur eum condemnes, & an melioris conditionis futuri eſſent hæredes illi, ſi nihil haberent, quàm ſi trecenta haberent? Si ſecundum, debebis dicere poſſe vltronearum mercium valorem minui, per nouem partes decimas. quod videbitur multis mirabile.

IX.

MXCVIII. *Alleganti ſuam turpitudinem in alterius præiudicium, non eſt credendum,* ait Gottrau *de Reſtit.* 85. An-ne poſſet iudex turpitudinem credere? Cur non? Hinc ſolutio frequentiſſimo caſui? Catharina Parochi ancilla, ſuum peccatum coram D. Officiali confeſſa, herum ſuum accuſat; & quæritur an debeat ipſi credi, vel non? Quid vetat Iudicem ſic reſpondere? Te eſſe fœminam ſacrilegè fornicariam fateris, & aſſentior, & tibi ſalutarem pœnitentiam imponam. At quia Parochum virum integræ famæ, de fornicatione accuſas, rem probabis, vel talionem ſubibis. Credere enim vni vetulæ, fortè & veneficæ, in præiudicium honeſti ſacerdotis, iniuſtum eſt. Nota tamen Iudicem, ſi hoc modo procedat, non Iudicem, ſed Patrem agere, nec ex legum rigore procedere. Nota etiam, vel complicis depoſitionem non eſſe omninò contemnendam, quando alia indicia, aut graues rationes concurrerent. Cæterùm, hæc eadem depoſitio, etiam tunc, habebitur vt indicium, non autem vt teſtimonium.

Caſus notandus.

X.

MXCIX. De poſſeſſione. *Melior eſt conditio poſſidentis.* Ego ſæpe, & præcipuè *in commentario* 1432. *& in ſcholio.* 82. 83. Gottrau *de reſtitut.* 83. 84. Lech. de Ren. *theſ.* 113. Sed de hac materia multa dicta ſunt ſupra, & multa etiam dicemus, vbi de conſcientia dubia, & incerta diſſeramus.

XI.

Summa ratio. *Summa ratio eſt, quæ pro Religione facit.* Layman *fol.* 95. *num.* 5. Lechner *de renuntiatione Nouit. theſ.* 104. *fol.* 76. Nomine *Religionis* intelligi ſemper poterit Orthodoxa, & hoc ſenſu hæc poſitio vniuerſaliter eſt vera. Erat lis intricata inter Benedictinam Religionem, & Salma-

maticenſem Eccleſiam, circa decimas aliquorum Pagorum. Clamabat Procurator noſter Eccleſiæ rationes ſerpere, & debere poſthaberi rationibus quæ pro Religione ponebantur, quia ſumma ratio illa eſt, quæ pro Religione formatur. Et contra Procurator Eccleſiæ hæc duo nomina *Eccleſia, & Religio* eſſe æquiuoca, & malè intellecta mirabiles errores parere; nam ſi ſumuntur pro Catholiciſmo, multa inferent, quæ negari debebunt; multa etiam, ſi prius, aut pro ſtatu Eccleſiaſtico, aut pro determinata aliqua Eccleſia; & poſterius pro aliquo ordine Regulari ponatur.

Nomina Eccleſia, & Religio ſunt æquiuoca.

XII.

MC. Diſtinctio temporum.

Diſtingue tempora, & concordabis ſcripturas, ait Layman *fol.339. num.3.* Perez *in cap.59. Regulæ Sancti Benedicti num.9.* Dicunt alij. *Et concordabis iura*, ſed eodem ſenſu: & patet, quia

Vini nomine intelligitur Alexipharmacum.

Temporibus medicina valet, data tempora proſunt:
Et data non apto tempore, vina nocent.

Vt conſtet, quàm abſurdè diſcurrant, qui non legunt hiſtorias, nec annum ab anno diſtinguunt, ponam ob oculos Angelici Doctoris æmulos, qui eum producunt, quod 2 2. *quæſt.64. art.7. ad 3.* dixerit, *Clericum etiamſi ſe defendendo interficiat aliquem, irregularitatem incurrere, quamuis non intendat interficere, ſed ſeipſum defendere.*

An qui occidit alterum cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſit irregularis?

Praga minor intercipitur. Major defenditur; etiam ab Eccleſiaſticis; non tamen ab omnibus.

Hoc volui teſtimonium adducere, quòd anno elapſo citaretur à multis. Venit Suecus, & citeriorem Pragam interceperit arte, & fraude: vlteriorem defendimus Ciues, Milites, Nobiles, Eccleſiaſtici. Ex his fuerunt, qui domi ſuæ manſerint, & tacuerint: quos benigniùs arguimus; non enim omnium eſt velle ſanguinem pro Eccleſia fundere. Fuerunt, qui domi ſuæ manſerint, & militantes accuſauerint, & quia hoc intolerabile, debuimus ferro DEVM, & Cæſarem, & nos linguâ, & etiam ſtylo defendere. Producebant Actores hoc Angelici Doctoris teſtimoniũ: videlicet. *Irregularitas conſequitur actum homicidij, etiamſi ſit abſque peccato; vt patet in Iudice, qui iuſtè aliquem condemnat ad mortem: & propter hæc Clericus, etiamſi defendendo, interficiat aliquem, irregularis eſt, quamuis non intendat interficere, ſed ſeipſum defendere.* At ex noſtris nonnulli rotundè reſpondebant Angelicum Doctorem erraſſe: cùm contrarium ſit definitum *Clementina vnica de homicidio*, & ſæpè alibi. At ego tametſi ſeuerus eſſe nolim Thomiſta, & ſentiam eſſe certum, poſſe hominem ſe defendere ſine irregularitatis periculo, ab Angelico Doctore fui, & diſtinguenda eſſe tempora, & ſtatim conſenſuros nos Thomæ, & ipſum nobis. Et ratio eſt, quia tempore D. Thomæ homicidium patratum cum moderamine inculpatæ tutelæ inducebat irregularitatem, & modò non. Olim induxiſſe irregularitatem oſtenditur; ſic enim diſpoſuerat Nicolaus IX. vt habetur in Decreto *diſtinct.50. can.de his Clericis.* Stetit hæc lex annis aliquibus; at poſtea, vt benè notat Caietanus *in fin. Comment.* Sotus *de Iuſtitia lib.5. quæſt.1. art.8. ad 3. & in 4. ſent. diſt.16. quæſt.2. art.3.* & Nauarrus *in Manual. cap.27. num.211.* viſus fuit rigor nimius, & qui remitti ab Eccleſia deberet. Et ideò mortuo Doctore Angelico, Eccleſia poſuit, vt qui ſe defendendo, occideret, non incurreret irregularitatem: vt conſtat *ex Clementina illa vnica de homicidio*, quæ contra Angelicum Doctorem citabatur.

Secunda, eumdem ad mores ſui tẽporis loquutum fuiſſe.

Homicidium neceſſarium, etiam pro defenſione propria, inferebat irregularitatem.

Modo non.

Non ergo errauit D. Thomas, nec nos. Tenemus enim *primò*, tempore D. Thomæ, irregularitatem fuiſſe annexam homicidio, & inuoluntario. *Secundò*, leges humanas, vt ipſemet docet, & benè 1. 2. *quæſt. 96.* eſſe variabiles, & ſecundum diuerſa tempora, & loca varias: & *tertiò*, hanc ipſam de irregularitate ob homicidium, ab Eccleſia poſt D. Thomæ mortem tantiſper mitigatã eſſe. *Vnde concludo*, eum qui olim occidebat, vt ſe defenderet, fuiſſe irregularem; iam non eſſe. Ergo in rebus, quæ non à rei natura, quæ inuariabilis eſt, ſed ab arbitrio hominum, qui quotidiè mutantur, pendent; tempora ſunt conſideranda, & diſtinguenda, ne nos errandi periculo manifeſto exponamus.

An ſit aliquis error in Operibus D. Thomæ?

In materia libera, non tam rerum natura, quam tempora, & Legislatorũ voluntas eſt attendenda.

XIII.

MCI. De neceſſitate.

Neceſſitas facit licitum, quod Iure (humano) illicitum eſt. Reginaldus *de prudentia pag.713.* Layman *libr.4. tract.7. cap. num.6.* non enim humanæ leges obligant, cùm neceſſarium eſt, vt faciamus contrarium.

XIV.

Vnuſquiſque vti ſuo iure poteſt.

Nvllus videtur dolo facere, qui ſuo iure vtitur. Regul. LV. Layman *lib 1. tract.4. cap.15. numer.10 & lib. 3. ſect.5. tract.2. par.2. par.1. cap.5. num.7. & lib.3. tract.4. cap.12. num.9. & tract. 6. cap.5. num.4.* Et quidem eſſet ditior Petrus opifex, ſi nullus alius illud opificium in toto oppido profiteretur: at verò quod Paulus etiam profiteatur, ſi id ſecundum leges fiat, incommodum ille hinc, non autem iniuriam recipit. *Nemo enim fraudem, aut damnum facit, niſi qui facit id, ad*

quod ius non habet. Layman *lib.3. tract.1. sect.5.cap.5.num.16.*

XV.

MCII. Generalia verba distinguenda non sunt in materia fauorabili: at in odiosa possunt.

VBi *Leges* (aut Iura) *non distinguunt nec nos distinguere debemus.* Ego *in Scholio num.348.* Coriolanus *fol.244.num.22.* Cruz *lib.2. cap.2.dub.3. concl.4. reg.2. pag.123.* Portellus *verb. scrupulus. num.1.* Layman *lib.tract.4.cap.18. num.7.* & hæc quidem assertio, si materia sit fauorabilis certissima est: at in odiosâ, etiam solemus distinguere, vbi iura non distinguunt: qui enim illa sanxerunt, fuerunt homines, & potuerunt aliquid obscuriùs dixisse, aut etiam aliquid obliuioni mandasse.

XVI.

De vulnere lethali.

NVllus *mortaliter vulneratus, vltra quadraginta dies viuere potest.* Coriolanus *fol.371.* Hæc assertio est valdè vtilis, vt Iudices discernere sciant, an vulneratus obierit vi vulneris, an verò negligentiâ Chirurgi: vt Confessarij sciant de irregularitate iudicare. At hinc non licebit inferre, *Eum, qui ante quadragesimum diem moritur, non obijsse negligentia chirurgi;* solent enim vulnerati negligi, & si prima die negligantur, etiam prima ipsi die ex paruo vulnere perire poterunt. Si vulneratus moriatur ex negligentia chirurgi, erit-ne vulnerans irregularis? Res est arbitraria, & dum Lessius, & Sotus partem negatiuam tuentur, affirmatiuam alij, tuam ego opinionem exspecto.

XVII.

Mala propter bona pati possunt, fieri nō possunt.

NOn *sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Apostolus *ad Rom. cap.3. vers.8.* Ego *in Scholio num.76.* Reginaldus *lib.27. num.17.* Drexelius *Amusi lib.1.c.6. §.1. in fine, & pag.87.* Nota tamen, aliud esse facere, & aliud permittere: sæpe enim mala licitè possunt permitti, nunquam fieri.

FVNDAMENTVM XLIV.

Axiomata varia dilucidans.

MCIII. Consuetudo peccandi.

QVI è duobus sibi propositis alterum admittit, alterum negare videtur: & contra. Vnus testis, cum agitur de damno tertij, nullus testis. Consuetudo peccandi contra legem Dei non præscribit. Non frangit votum, qui in melius commutat. Præcepta non possunt in melius commutari à subdito. Meretur priuilegium amittere, qui illo abutitur. Rosario æquipollens materia magna est. Qui suæ ita confidit innocentiæ, vt famam negligat, crudelis est. Agentes, & consentientes pari pœna puniuntur. Dantur actus partim boni, & partim mali, imò etiam partim indifferentes. De voluntate vtente ad actum nihil datur essentiale; sed de voluntate proponente ad actum datur. Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam: imò nec deficienti. Actus intellectualium agentium, non operantur moraliter vltra eorum voluntatem. In omni dubio debet Iudex secundum allegata, & probata iudicare. Actus humani nec peiores nec meliores ciuiliter sunt, quàm probantur. Quod sæpe fit, videtur deliberatione plena fieri.

Inadæquata concessio.

Testis vnicus.

Voti commutatio.

Præcepti cō mutatio.

Priuilegij abusus.

Materia magna.

Agens, & cō sentiens.

Famæ neglectus.

Ex voluntate ad actum.

Malitia, & bonitas partiales.

Auxilia sufficientia.

Actus liber.

Iudicis obligatio.

Actus humani.

Actus deliberati.

Etiam

MCIV.

ETIAM hæc Theologorum Axiomata breuiter illuſtraturus ſum. Singulis præfixi numerum; & ne frangatur ſeries, progrediar, & Fundamenti præcedentis numerum vltimum promouendo explicabo axioma

XVIII.

Inadæquata confeſſio.

QVi ex duobus propoſitis alterum affirmat, alterum negare videtur. Reginaldus *in praxi conf ſſ. fol.* 300. *ex cap. nonne de præſumpt.* Bartholomæus à Sancto Fauſto. *Theſaur. lib.6. quæſt.* 19. videmeam Philoſophiam moralem. Vbi hoc axioma expendo vberiùs.

COROLLARIVM. *Qui ex duobus propoſitis alterum negat, alterum affirmare videtur.* Sequitur ex præcedente neceſſariò: & aſſumitur à D. Gregorio *Homil.* 18. *in Euang.* vbi ait. [Iudæi dixerunt ei. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Acceptâ autem tantâ contumeliâ, quid Dominus reſpondeat, audiamus; *Ego Dæmonium non habeo, ſed glorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me.* Quia enim *Samaritanus* interpretatur *Cuſtos*, & ipſe veraciter cuſtos eſt, de quo Pſalmiſta, ait, *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant, qui cuſtodiunt eam.* & cui per Iſaiam dicitur, *Cuſtos quid de nocte?* reſpondere Dominus noluit, *Ego Samaritanus non ſum:* Sed, *Ego Dæmonium non habeo.* Duo quippe ei illata fuerant: vnum negauit, & aliud tacendo conſenſit.]

S. Gregor. Ioan. 8.

Samaritanus Lat ne cuſtos

Pſal. 126. 2.

Qui tacet cõſentire videtur.

XIX.

MCV. Inadæquata probatio.

VNus teſtis nullus teſtis. Nimirùm in præiudicium tertij. Layman *libr.* 3. *tract.* 5. *de teſtam. cap.* 2. *num.* 4. Cæterùm, vbi non agitur de alterius præiudicio, vnicus teſtis ſufficit. Comitolus *fol.* 3. *nu.* 5. 7. Llamas *pag.* 633. & vt in ſpecie loquamur poteſt abſolui moribundus, ſi vel vnus teſtis dicat, eum confeſſionem petiſſe, & hoc in communi ſententia; Auſonius Noctinot *in Dianæ ſumm. verb. confeſſ. num.* 25. ſic ait. [*Quot teſtes requiruntur ad teſtandum in tali caſu coram Sacerdote, & moribundo de ſignis pœnitentiæ ab illo editis? & videntur requiri plures; quia S. Leo, & Concilia loquuntur de teſtibus in plurali.* Sed Sancius *diſputatione* 44. *numer.* 35. *docet ſufficere vnum. Nam Felinus* in cap. veniens, *& lib.* 1. *numer.* 8. de teſtibus, *ait ſtandum eſſe dicto vnius, vbi non agitur de præiudicio alterius; nec oportere quod ſit Chriſtianus, ſed quemcunque ſufficere; nam præſumptio in Hæretico, &c. eſt quod deberet negare, ne fiat Sacramentum. & ſic in fauorem. Debere tamen abſolui, ſub conditione, ſi ſigna dediſti [non ſub hac, quia fortè poſſet abſolui, ſi ſigna non dederit; ſed ſub iſta, ſi poſſum.]* Diana *part.* 3. *tract.* 3. *reſol.* 5. *& part.* 2. *tract* 13. *in fin.* At vbi agitur de præiudicio tertij, in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum. Layman *lib.* 3, *tract.* 6. *capit.* 4. *num.* 5.

Vnicus teſtis ſufficit ad abſolutionem.

Etiam non Chriſtianus.

XX.

MCVI. Conſuetudo mala non præſcribitur.

CONſuetudo peccandi mala eſt, præſcribi non poteſt. Qua homo ad diſſipanda bona ſua inducitur, bona non eſt. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 24. *num.* 4. Vnde P. Iulius Priſicanenſis in quapiam grauiſſima conſultatione ſcitè dixit, *Multitudinem peccantium, non eſſe patrocinium peccatorum.*

XXI.

Commutatio obligationũ.

NOn infringit Ius, qui in melius commutat. Layman *de iuſta defenſione fol.* 485. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 8. *num.* 19. Hinc oritur poſſe Religioſum ad Ordinem ſanctiorem, & ſtrictiorem tranſire. At in præceptis non poteſt admitti ſine pluribus limitationibus: non enim obediret legi, qui rem iuſſam omitteret, & aliam multò meliorem faceret. Nam tametſi confeſſio ieiunio melior ſit, non ſatisfaceret ieiunandi præcepto, qui non ieiunaret, ſed ad pœnitentiæ Sacramentum accederet. Imo nec hodie licet omnibus, nec qualitercumque ad Ordinem ſanctiorem tranſire, ſed ad ſtrictiorem, quia maioris, vel minoris ſanctitatis conſideratio, & declaratio à priuata apprehenſione non debet pendere: imò nec ad ſtrictiorem, niſi ſecundum leges, quæ ad tollenda inconuenientia iuſtiſſimæ inſtitutæ ſunt.

Admittitur in votis: non in præceptis.

An liceat ad Ordinem ſanctiorem tranſire?

XXII.

Poteſtatis abuſus.

PRiuilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate. Reginaldus *lib.* 9. *cap.* 26. *num.* 385. *in fine.* Layman *fol.* 102. *num.* 24.

XXIII.

Conſuetudo.

CONſuetudo eſt optima omnium legum interpres. Eſt Axioma certiſſimum, ſeu leges ſint Eccleſiaſticæ, ſeu ſæculares: nam in vtriſque Superiorum voluntas colligitur abuſu, & praxi. Si enim aliter vellent Legem intelligi, abuſibus ſuam maieſtatem opponerent, & legi-rupiones punirent. In Iure Ciuili, & Politico firmius eſt hoc Axioma, quia cùm leges poſſint non acceptari, & ſic, aut aliter acceptari, nulli vndè meliùs qualis, & quanta fuerit acceptatio, quàm à conſuetudine, co-

An leges debeant acceptari.

gno-

gnoſci poteſt. Layman *fol.921. numer. 7.* Vide Axioma XX. & XL.

XXIV.

Materia magna.

ROſarium, aut roſario æqualis materia, cenſetur in voto magna à Portellio de voti oblig. & ſanè in hac omnes quæſtione cæcutimus, nec videtur poſſe dari regula generalis, quæ ſolida ratione firmetur.

XXV.

MCVII. Famæ neglectus eſt crudelitas.

QVi ſuæ conſcientiæ fidens, famam negligit, crudelis eſt. Sed cui? *ſibi*, quem moraliter occîdit, aut moraliter ſaltem ſpoliat: *Amicis* quos iuuare poterit, ſi famam tueatur: *Eccleſiæ*, cui ſeruire poterit, ſi honeſto nomine prædi-

S. Ignatius omnia humana neglexit præter famã.

tus ſit. Reginaldus videri poterit *lib.23. num.74.* Et etiam legi S. Ignatij hiſtoria, qui multas miſerias, & iniurias ſummâ patientiâ tolerans, calumniam quæ honorem tangebat, tolerare non voluit; debuit reus reuocare calumniam, quia Ignatius ſeruire animabus poterat claudus æger, & nudus, at infamis non poterat. Congruit illud notiſſimum Diſtichon.

Ouidius.

Omnia ſi pereant, famam ſeruare memento,
Qua ſemel amiſſa poſtea nullus eris.

Fama duplex ſubſtantialis, & accidentalis.

Famam eſſe duplicem, ſubſtantialem, & accidentalem; illam eſſe vitam moralem, hanc valetudinem, aut etiam ciuilem opulentiam, ſæpe oſtendi.

XXVI.

MCVIII. Peccantes, & fouentes.

AGentes, & conſentientes pari pœna puniuntur. Reginaldus *de prudentia pag.739.* An-ne facere conſentireque eſt æquale peccatum? non magnam differentiam reperio, modò non ponatur permiſſiuus conſenſus, ſed inductiuus, & moraliter cooperatiuus. Hinc benè Layman *lib.3.tract.2.cap.6.num.6.& cap.8. num.1.* ait, *Receptores non minus delinquunt, quàm aggreſſores.*

XXVII.

An detur bonum inadæquatum?

BOnum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu. Drexelius *Amuſſ. lib.1. cap.6. §.1. pag.40.* Bartholomæus à Sancto Fauſto *Theſauri lib.1.quæſt.19. numer.8.* Studioſus Religioſus *pag.46.* Perez *ad cap.64. Regul. S. Benedicti. num.25.* At ego *in Schol. num.370.* exiſtimo eodem modo de malo, ac de bono eſſe philoſophandum; adeòque illud ipſum axioma ſic lego. *Bonum adæquatum ex integra cauſa, & malum inadæquatum ex quocumque defectu.* Ego ſemper putaui, bonitatem malitiamque eſſe quaſdam morales humanarum operationum veſtes, nec repugnare, vnum & eundem hominem multicolore togâ indui: adeòque poſſe dari actum, qui ſit bonus, malus, & indifferens ſimul. Pono exemplum. Vadit Petrus ad campum, vt iuuet Ioannem, & noceat Friderico: & dico, hunc actum ſecundum ſuum obiectum, eſſe *indifferentem*; & prout iuuat, *bonum*; prout nocet, *malum*. Nec vnquam, eleemoſynam intrin. ſecè malam fore, etſi ob malum finem erogetur. Exiſtimo igitur illud axioma, *Bonum ex integra cauſa, &c.* irrepſiſſe ex idiomate Græco, Patres enim veteres vtuntur voce *Pantagathon*, & vt video interpretes transferunt *Bonum* cum deberent *Omnibonum*: & quidem omnibonum non erit, quod ex integra cauſa non erit.

Corrigitur axioma.

Actus ſimul bonus, malus, & indifferés.

πανταγαθὸν.

Omni-bonũ.

XXVIII.

MCIX. Voluntas fruſtrata.

DE voluntate ad actum nihil datur eſſentiale, æquipollet huic, *Pro facto reputatur voluntas, vbi actum excludit neceſſitas.* Drexelius *Amuſſ. lib.2.cap.6. q.7.* Biderman. *de actibus human. fol.201.* Azor. *lib.2. cap.6. quæſt.6.* Bernardus *ſæpe*. Layman *frequenter*. Faber *part.1. fol.298.* Reginaldus *lib.27. nu.8.* Vbi notandum hanc doctrinam æquè intelligi de bona, & mala voluntate. *Quod ſi actum non excludit neceſſitas, qui opus bonum addit voluntati, bonitati addit bonitatem; & qui malum, iniquitatem addit iniquitati.* Ita Patres Hyberni Profeſſ. Theol. *ſecundo ſent. Concl.IV. Fragæ. ann.1647. & 1648.*

Hiberni Profeſſores.

An Doctoribus alijs contrarij?

Fortè viderentur alicui hi Theologi doctiſſimi, torrenti Theologorum opponi, cum tamen in hac materia mirabilis ſit omnium conſenſus: quem intelliges, ſi notes duos dari actus liberos in voluntate; alterum decernentem, quid faciendum ſit; & alterum potentijs externis imperantem: prior vocatur *Propoſitum*, poſterior *Vſus*. Decernit hodie Petrus ſe craſtina die occiſurum Antonium, quem ſi occidat cras, iniquitatem addet iniquitati; quia actus voluntatis, quem hodie habet, eſt propoſitum, & ex propoſito voluntatis, ad actum ipſum exteriorem, aliquid datur eſſentiale, vt Patres Hyberni docebant. At Petrus cras potentiæ executiuæ, quæ libera non eſt, imperat vt Antonium occidat: illa obedit, & Antonius occiditur; & dico ex hoc actu voluntatis, (imperantis nimirum, & ſeruitio potentiæ executiuæ vtentis) ad actum, ad effectum nihil dari eſſentiale; quia nihil intercedit liberum: & hoc eſt, quod illud axioma ſignificat.

Actus liber duplex.

Propoſitum, & vſus.

Exponitur axioma.

Hinc

Hinc patet multorum casuum clarissima, & indubitata resolutio: nonnullos propono, & resoluo.

Casus primus

Ioannes, Franciscusque æquali consilio, æquali animo, die Dominica, manè sumunt ientaculum, eâdem aduertentia se inebriant, æquali se exponunt periculo, non audiendi Missam: inebriantur, inquam, & dormiunt. Alter casu, vel ab amico, vel à strepitu, vel à quacunque causa, sibi non libera, excitatur, & vadit ad Ecclesiam, & Missam audit: alter sopore, & vino pressus domi remanet: & interrogas, An inæqualiter peccauerint? *Respondeo* me semel, aut iterum vidisse Salmanticæ inæqualitatem defendi, male tamen; & quia illam nunquam intelligere potui, contrarium libenter asserui; quia si in vtroque omnia quæ sunt libera, sunt æqualia, etiam erunt æqualia omnia quæ sunt peccaminosa. *Sunt qui negent* omnia quæ libera, in vtroque esse æqualia: at isti non iam casum assertiuè resoluunt, sed tollunt.

Vbi omnia quæ libera sunt æqualia, etiam erunt æqualia omnia quæ sunt peccaminosa.

Casus secundus.

Fridericus, Anselmusque æquali consilio, æquali animo, suos inimicos exspectant (ille Caium, & iste Sempronium) sclopeta sua præparant, onerant, dirigunt; clauem vterque mouet digito, qui est vltimus actus liber in hoc genere. Exploditur Friderici sclopetum, & occiditur Caius; at sclopetum Anselmi etiam moto digito non soluitur, aut solutum non concipit ignem; aut igne concepto, quod solet interdum accidere, non exploditur; aut explosum, Sempronium non vulnerat; aut si vulnerat, leuiter tantùm; aut si grauiter, Sempronius, vel miraculosè à Deo, vel summâ Chirurgi diligentiâ, & industriâ recuratur; & qualitercumque non moritur. Casum sic ponis, & inquiris? An Caio occiso, & Sempronio non occiso, aliter Fridericus, & aliter Anselmus peccauerit? *Respondeo* considerari debere culpam, & obligationem restituendi; Addo, vtriusque peccatum fuisse æquale, quia nihil liberum reperitur in vno, quod non reperiatur in altero: at Fridericum ad maiorem restitutionem teneri, quia maioris damni causa fuit: qaod si restituere nolint, tunc inæqualiter sunt peccaturi, ob diuersitatem, & inæqualitatem materiæ. Et eodem omninò modo in similibus casibus philosophabor.

Nota hæc omnia.

Vbi est æqualis culpa, solet esse inæqualis restituendi obligatio.

XXIX.

MCX. Auxilia sufficientia.

Facienti quod in se est, Deus non deest; Deus non denegat gratiam. Azor. *lib.* 1. *cap.* 13. *quæst.* 12. An-ne gratia actibus naturalibus adquiritur, & naturaliter benè viuens saluabitur? Esset hæreticus, qui vel doceret posse aliquem saluari sine gratia, aut hanc posse de condigno, aut etiam de congruo actibus naturalibus promereri; non tamen qui diceret, hominem, qui in India sine gratia bene viueret, & quod in se est faceret, infallibiliter, sed sine vllo merito, gratiam assecuturum, vt fidem Christianam ab homine, aut Angelo doceretur. At ego id non admitto; primò, quia illa infallibilitas poni videtur leuiter, nec firma ratione probari. Secundò, quia purè naturaliter operans, non facit quantum in se est; quia cum semper habeat auxilia supernaturalia, si illis abutitur, minus omninò facit, quàm potest; operatur enim purè naturaliter, cum supernaturaliter possit.

Gratiæ necessitas.

Infallibilitas nõ dependet à merito.

Nota hoc.

XXX.

Gratia (hoc est auxilium sufficiens, prout proximo, & remoto præscinditur) *nulli debetur homini: nusquam, nunquam: & tamen ex Dei misericordia datur omni homini, vbique & semper.* Continuus est in hac sententia meus Mellifluus Bernardus, cuius librum de Gratia, & libero arbitrio, & sermones LXXXI. & LXXXII. in Cantica de eodem argumento compositos commentario illustrauimus, edidimus, & per modum Theseon Louanij propugnauimus.

Summa Dei liberalitas.

An gratia debeatur hominibus?

XXXI.

Actus rationalium agentium, non operantur moraliter vltra eorundem voluntatem. Bartholomæus à S. Fausto, *Thesauri lib.* 6. *quæst.* 10. Hoc axioma videtur in compendium resoluere Iuris Canonici Regulam LXXXI. & LXXXVIII. nimirùm, *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis verosimiliter non esset concessurus.* Et, *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Nemo enim concedit plus quàm vult, nec strictiùs quàm vult. Imò nec erga Deum peccare poterit, grauiùs quàm vult. Quam ob rem, qui inuincibiliter putauit inobedientiam hanc esse venialem, non peccauit mortaliter, eam committendo. Consonat Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 14. *numer.* 2. Hinc oritur dubium curiosum. Peccatorum grauitas dependet à dictamine, inquis; Ergo qui putat se peccare mortaliter, peccabit mortaliter: & cras si aliter instructus eandem ipsam actionem faciat, putando sincerè esse venialiter peccaminosam, peccabit venialiter. Et omnia admitto.

Actus liberi.

Nihil volitũ quin præcognitum.

Quæstio incidens.

An peccet mortaliter, qui putat se peccare venialiter, aut contra?

PRogrederis, & duo dubia proponis. *Primum*, An, ſi Petrus putaret, furtum eſſe grauius periurio, grauiùs eſſet peccaturus furando, quàm peierando? *Secundum*, An Thomiſta, qui putat peccatum mortale imbibere infinitam malitiam, ſi committat peccata mortalia, committat, quæ imbibant infinitam malitiam? An Scotiſta contra? Et quia altera opinio eſt vera, altera falſa; an ex hypotheſi, quod opinio Diui Thomæ, ſit vera, ſint infinitæ malitiæ, mortalia Scotiſtarum crimina, ſi qua committant? & an ex hypotheſi, quod opinio Diui Thomæ ſit falſa, ſint adhuc infinitæ malitiæ mortalia Thomiſtarum peccata, ſi qua committant?

Ad primum reſpondeo aſſertiuè iuxta illud: *Quidquid agunt homines, intentio iudicat omnes.*

An peccatū ſit infinitum, & quomodo?

Ad ſecundum diuerſimodè reſpondent Theologi ſupponentes Scotum Angelico Doctori contradicere. Sed multi Viri docti exiſtimant quæſtionem, quæ interrogat, *An malitia peccati ſit infinita?* eſſe totam de nomine, & in re Dominicanos, & Franciſcanos conuenire. Ego quidem alios in ſuo ſenſu abundare permitto, & dum ipſi ex proprijs principijs ſatisfaciunt, aio, peccatum habere malitiam obiectiuè infinitam, quam voces intrinſecam, aut extrinſecam, ſi volueris; quam ob rem infero peccatum, ſeu à Thomiſta fiat, ſeu à Scotiſta, non habiturum aliam infinitatem.

An dentur actus indifferentes?

Omiſſâ igitur hac Scholarum controuerſiâ, aliam multò aptiorem propono. Petrus putat dari actus indifferentes, negat Paulus, putat enim omnes, quos Petrus vocat indifferentes, eſſe bonos vel malos. Vtrumque probabile eſt. Si ſupponamus non dari actus indifferentes, quæres, An Petrus cum actum aliquem leuiter bonum, vel leuiter malum elicit, quem indifferentem exiſtimat, eliciat per accidens actum indifferentem? Si ſupponamus dari actus indifferentes, & tamen Paulus vnum eiuſmodi actum eliciat putans eſſe bonum, vel malum: Eliciet-ne, inquis, indifferentem, an potiùs bonum malumue?

Incipio ab hac ſecunda hypotheſi, & aio Paulum in tali caſu eliciturum actum qualem putabat: nam licet materialiter ille ſit indifferens, recipiet bonitatem, aut malitiam ex bona, vel mala voluntate.

Malitia duplex: materialis, formalis.

Difficilior eſt hypotheſis primæ expoſitio: Reſpondeo tamen eodem modo, nam ſi Petrus leuem ſtipem dedit pauperi, putans ſe elicere actum indifferentem, elicuit actionem materialiter bonam, & formaliter indifferentem, adeoque propter illam non merebitur laudem, aut præmium.

Indifferentia duplex: materialis, formalis: & eodem modo duplex bonitas.

XXXII.

IN omni dubio debet Iudex ſecundum allegata, & probata iudicare. Reginaldus *de prudentia pag.668.* Et ratio eſt; quia ſi ſemel concederetur Iudicibus ex æquitate, vt dicunt, iudicare; multis corruptionibus aditus aperiretur. Vide exceptionem, quam ipſe Author ponit *pagin.669.*

MCXI. Officium Iudicis.

COROLLARIVM. *Actus agentium, nec peiores nec meliores ciuiliter ſunt, quam probari poſſunt.* Imò ſi nequeunt probari in foro exteriori non ſunt; vnde Bernardus de præcept. *Quod probari non poteſt mihi infectum eſt.*

Actus nulli ciuiliter.

XXXIII.

QVod multoties fit, videtur deliberatione plena fieri. Comitolus *lib. 1. quæſt.124. num.2.* & ratio eſt, quia ipſamet repetitio actuum, videtur aduertentiam inferre.

An poſſit probari aduertentia?

FVNDAMENTVM VI.

Varias Positiones edisserens.

MCXII. PVNIT infrà condignum Deus, & præmia dat supra condignum; Causa Causæ est Causa Causati. Per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissoluitur. Maior est Orbis Vrbe: Mus in pera, ignis in sinu, serpens in gremio, male suos remunerantur hospites. Leges talibus debent verbis concipi & pronuntiari, qualibus à subditis intelligi queant. Eædem instituuntur, cum promulgantur; confirmantur, cùm moribus vtentium comprobantur. De occultis non iudicat Ecclesia. Eiusdem est legem authenticè interpretari, cuius est condere. Extra territorium Ius ducenti impunè non paretur. Turpis est omninò Pars suo Toti non congruens. In Iudicijs habenda est ratio ætatis & sexûs. Iura concordari debent, corrigi non debent. In æquiuocis, ille sensus admitti debet, qui sit aptus. Eiusdem est ligare & soluere. Par non habet potestatem in parem. Taciti & expressi eadem est efficacia. Error communis cum titulo dat Iurisdictionem. Fortior est clausula specialis, quàm generalis. Monachi correctio in prima instantia ad Abbatem spectat. Nemo sauore vti cogitur. Fides est seruanda hosti; etiam Hæretico. Nemo ad expensas condemnatur, nisi improbabilem partem tenuerit. Quod Iuris Diuini est, nullius hominis est. Qui irrationabiliter inuitus est, virtualiter est non inuitus. Bonum inferioris Ordinis, non debet restitui cum detrimento boni superioris æquè grauis. Qui restituere non potest quantum debet, debet restituere quantum potest. Pro sola iniuria, præscindendo à damno, nulla est restitutio facienda ante sententiam Iudicis. Non probat hoc esse, quod aliquando contingit non esse: Non est permissa defendendi facultas, vbi offendendi est concessa libertas. Non debet à priuato fieri, quod per Magistratum potest. Vim vi repellere licet. In homine libero nulla condigna corporis æstimatio esse potest. Volenti & potenti velle non fit iniuria. In obligationibus, si dies non ponitur, præsens subintelligitur. Contractus ex parte pupilli sæpe claudicat. Aliud est nocere, & aliud omninò diuersum non prodesse. Quæ necessariò dantur, ex liberalitate non dantur. Quod Communitati datur, nulli datur. In causa propria nemo Iudex, & nemo Testis est potest. Res iudicata pro veritate accipitur. Totus Mundus est Regularis Prælati territorium.

Causa causæ.

Dei Iustitia est misericors.

Leges debēt intelligi.

Ingratitudo!

Quo modo firmentur?

Occulta non subsunt Ecclesiæ.

Quis eas possit interpretari?

Pars Toti dissona.

Ætas & sexus.

Legum correctio.

Error communis.

Religiosi correctio.

Fauor non cogit.

Fides seruanda.

Quis condemnatur ad expensas?

Voluntas virtualis.

Boni inferioris restitutio.

Restituendi obligatio.

Probationis vis.

Defensio culpabilis.

Æstimatio corporis liberi.

Contractus claudicans.

Donatio necessaria.

Res iudicata: lex.

Prælati territorium.

MCXIII. MVltæ ſunt propoſitiones : omnes variæ : & aliquæ Regulis Canonici Iuris ſimillimæ. Singulæ breuiter explicabuntur : eo videlicet ſenſu, quo à ſuis ſunt Authoribus intellectæ ; qui etiam alicubi reijcietur liberè, ſi videatur falſus aut illegitimus.

XXXIV.

Deus cùm iraſcitur, miſericordiæ recordatur. Quid ſit prædeſtinatio? An gratuita?

DEus *punit citra condignum* ; Magnes Diuini amoris pag. 336. Addunt aliqui. *Deus dat præmia vltra condignum.* Hinc patet cur *Magna gratia* æterna vita nominetur. Primò enim prædeſtinatio, quæ eſt auxiliorum præparatio & infallibilis ad vitam æternam promotio, gratioſa fuit : ſecundò gratis empti ſumus, Chriſti ſanguine, non enim Verbi incarnatio fuit homini debita, ſicut nec eiuſdem Verbi iam incarnati mors, auxilia omnia efficacia & inefficacia ideò, *gratiæ* dicuntur, quod ſub meritum humanum non cadant ; omnibus adhuc iſtis poſitis nondum intelligimus gloriæ debitum, quouiam non ſunt condignæ paſſiones huius vitæ ad futuram gloriam. At poſita promiſſione & humana cooperatione, clamat Paulus : *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam dabit mihi iuſtus Iudex.* Vnde Ciſtercienſes in Hymno, *Si corde rogamus pio, Certè debes ex promiſſo.* Sed quia hæc vera ſuut, vt in ipſa etiam Iuſtitia reluxerit gratia, dando præmia ſaltem accidentalia ſupra merita, fecit Deus, vt hæc ipſa corona Iuſtitiæ, eſſet ſimul corona Gratiæ. Conſono Fabro, *pag.* 3. *fol.* 407. 1092. 1093. Marchant. *fol.* 42. *col.* 2. Perezio *in c.* 64. *reg. S. Benedicti n.* 20. & alijs aſſeclis D. Thomæ 1. *p. qu.* 21. *a.* 3. *ad* 2.

Auxilia, cur dicantur gratiæ?

XXXV.

MCXIV. Cauſa cauſæ. CAuſa *Cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati*, quæ aſſertio non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter admitti debet. Illâ ſubſtruit Biderman *theſin XXII.* & ex illa Rodriquez *to.* 4. *fol.* 201. *n.* 13. affirmat, *eum, qui dedit cauſam damni, damnum etiam dediſſe.* Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *n.* 5. Nota tamen, cauſam quæ habet duos effectus, etiam notos, poſſe adhiberi aliquando, in ordine ad vnum, præſcindendo ab altero. Et lege meam Theologiam Præterintentionalem, vbi ſummâ conſequentiâ doctrinæ hoc certiſſimum fundamentum exponitur, aſſumiturque.

Cauſa habes duos effectus.

Theologia Præterintentionalis.

XXXVI.

MCXV. Generatio & corruptio ſunt analogæ. PEr *quas cauſas aliquid naſcitur, per eaſdem diſſoluitur*. Layman *fol.* 103. *n.* 28. Reginaldus *lib.* 25. *n.* 284. Et quidem eſt verum hoc Axioma, ſiue agatur de cauſa intrinſeca, ſiue extrinſeca, reali aut finali. Vnde aliqua Corollaria ſubiungemus.

Primum. *In caſdem omninò partes diſſoluitur, ex quibus componitur.* Vnde Sacramentum quod intrinſecè conſtet materiâ & formâ, quamdiu illæ perſeuerant, permanet : & tranſeuntibus aut deſinentibus, etiam tranſit ; & Euchariſtia, quæ multorum Salmanticenſium opinione in facto eſſe (fieri à facto eſſe diſtinguunt) componitur ex ſpeciebus & Chriſto, cùm hæ partes ſeparantur, (hoc eſt, non amplius penetrantur) diſſoluitur. Hinc intelligendi illi ſunt, qui dicunt, *actum redire in naturam ſuæ formæ.* Reginaldus *fol.* 605. *n.* 18.

Sacramenta tranſeunt.

Euchariſtiæ materia & forma.

Secundum. *Ceſſante cauſa ceſſat effectus* : quod tam poteſt intelligi de efficiente, quàm de finali. Ego *in Schol. n.* 23. 24. Layman *fol.* 102. *n.* 24. & *fol.* 174. *n.* 5. Reginald. *de prudentia, fol.* 141. & *lib.* 15. *n.* 88.

Ceſſatio cauſæ.

Nota obiter, legem, ſi à ſolo Superiore feratur, eſſe perſonalem, nec obligare poſt eius mortem ; & ſi feratur à communitate, obligare poſt Superioris mortem, non autem poſt diſſolutionem communitatis. Hinc Authores intelligendi ſunt. Auſonius Noctinot *in ſum. Dian. verb. reſeruata. n.* 1. ſic inquit, *Caſus reſeruati ab Epiſcopo per ſtatutum, eo mortuo adhuc manent ; at ſi reſeruatio eſt perſonalis, eo mortuo exſpirat, vt ex Pirgeſio retulimus verb. caſus n.* 21. *Et tenet communis opinio.* Conſonat Coriolanus *p.* 2. *caſ.* 5. *n.* 9. Et ego *Commentar. n.* 50. Hinc intelligendi ſunt Authores, quando dicunt præcepta & ſtatuta poſt mortem Legislatoris ceſſare, Leges non ceſſare : iſtas enim fert dignitas ; illa, perſona. *Dignitatis* vocabulo, ſi leges ſæculares ſint, debemus intelligere populum, à quo authoritas Ciuilis promanat : leges enim quas fert Hiſpania, à vita Philippi non pendent, adeoque illo ad vitam meliorem translato, adhuc permanent. Eodem vocabulo, ſi leges Eccleſiaſticæ ſint, debemus concernere Deum, à quo omnis Iuriſdictio ſpiritualis deriuatur ; adeoque mortuo Pontifice, manent Leges, quia latæ ſunt nomine Chriſti, qui non moritur. Alibi hanc materiam vberiùs proſequor, & illa Petri verba : *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis* &c. apto commentario dilucido : quę enim pręcipit Petrus, quâ Petrus, mortuo Petro non obligant ; at quę pręcipit Spiritus ſanctus per Petrum, perſeuerabunt mortuo Petro, quouſque Spiritus ſanctus diſpenſet per Linum, Clementem, aut alium. Vide Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 21. *n.* 3. & *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 10.

An Lex mortuo legislatore maneat?

An caſus reſeruati maneant mortuo Epiſcopo?

Quomodo differant Leges, Præcepta & Statuta : quando, & quomodo ceſſent? Dignitatis & perſonæ diſcrimen.

Tertium, *Ceſſante vniuerſaliter fine adæqua-*

Legis ceſſatio

æquato Legis, ceſſat Lex vniuerſaliter; & ceſſante in particulari, ceſſat Lex in illo particulari. Quoad primam partem, omnium eſt; quoad ſecundam doctiorum. Sic enim ſentiunt Nauarrus *tom. 4. Comment. rubr. de Iudic. n. 74.* Mexia *in pragmat. taxæ panis. concl. 2. num. 19. vſque ad 36.* Henriquez *lib. 11. c. 17. n. 2. & lib. 10. cap. 15. num. 8.* Comitolus *in reſp. moral. lib. 7. q. 1. n. 10.* Abbas *in c. Quia in inſulis. de Regul.* Angel. *verb. Lex. n. 4. caſ. 7.* Souſa *in Bulla Clementis VIII. de largitione munerum ſund. 3.* Sâ *verb. Lex. num. 1. & verb. ludus. n. 1.* Megala *in 2. 2. lib. 2. c. 7. q. 2. num. 55.* Granadus *in p. 2. contr. 7. tract. 3. par. 1. diſp. 15. ſect. 2.* Diana *tract. 10. de Legib. reſol. 28.* Et ego *in Comment. in Regul. D. Benedicti num. 50.* Quod videtur euidens: Lex enim naturalis aliquando ceſſat, & non alibi quàm in particulari; nec aliter quàm ceſſante fine in particulari, & humana naturali & diuina potentior & ſeuerior non eſt.

Lex humana non obligat ſtrictiùs quã diuina.

Conditionũ ceſſatio.

Quartum, *Ceſſante conditione ſine qua non concederetur, diſpenſatio aut poneretur Lex, neutra ceſſat: at ceſſante conditione obligationis aut exemptionis, ceſſant ipſæ.* Vt rem benè intelligas, conſidera diſpenſationem (eodem modo de prohibitione philoſophare) in ſtatu duplici, nimirum in fieri, & in facto eſſe. Dantur enim conditiones vt res fiat, à quibus non dependet iam facta; & dantur etiam conditiones in facto eſſe. In donatione enim *in fieri* requiritur donantis libertas, vt conditio ſine qua non donaret liberè, nam ſi ille eſſet delirus aut coactus, donatio eſſet inualida: at donatio iam facta non dependet amplius à libertate donatoris, ſed à gratitudine donatarij; volunt enim leges hunc re acceptâ exſpoliari, ſi ſe reddat ingratum. Vnde ſi ego tibi his verbis diſpenſationem concederem. *Pro te interceſſit Petrus, cui tanta debeo beneficia, vt nihil ei negare poſſim: igitur concedo tibi licentiam eundi Monachium, & manendi quouſque Princeps redeat.* In hoc caſu Petri interceſſio fuit conditio *ſine qua non* concederetur licentia, verum non afficit ipſam licentiam conceſſam, ſed conceſſionem; vnde & manebit illa conceſſa, licet Petrus non intercedat ampliùs, imò etſi ille reuocationem ſollicitet, & non reuocabitur aliter, quàm ſi ego conſentiam. At abſentia Principis ipſiuſmet licentiæ valorem afficit, & illo Monachium redeunte, licentia deſinit.

Diſpenſatio dupliciter conſideratur.

Donatio in fieri & in facto eſſe.

Hic alia conditio afficit ipſummet actum conceſſorium, & alia obiectũ ſeu rem ipſã conceſſam.

XXXVII.

MCXVI. An ſicut in Vrbe omnia debeant in Orbe fieri?

Maior eſt Orbis Vrbe. D. Hieronymus *diſt. 93. cap. legimus fol. 72. in edit. in 4. ſiue de lege quæſt. 5.* Prodeſt hoc Axioma, vt ſciamus multas leges, & conſuetudines, ſummâ cum laude in Vrbe obſeruari, quibus contrariè alibi ſine reprehenſione tolerantur, aut obſeruantur: prodeſt etiam vt doceamur, Vrbi ſuam eſſe libertatem vt inter duas probabiles opiniones eligat, quam maluerit, nec inde ſequitur, contrariam non poſſe ab Orbe admitti, & etiam aliquando debere: nam in materia Politica, quas Romę opiniones probabiles Eccleſiaſtici admittunt, reijciunt Galli, Hiſpani, qui Politicam propriam tuentur, nec volunt cum damno proprio opinioni probabili Romanorum Politicorum aſſentiri. At in materia Fidei & in materia morum idem eſſe labium Vrbis & Orbis.

XXXVIII.

Ingratitudo condemnata.

Mvs in pera, ignis in ſinu, ſerpens in gremio, male ſuos remunerant hoſpites. Layman *lib. 1. tr. 3. c. 6. n. 8.* Docemurque obiter, eſſe, *ingratis ſeruire nefas.*

XXXIX.

MCXVII. An leges obligent non acceptatæ?

Leges inſtituuntur, cùm promulgantur, (intelligo pacificè, non contradicente populo, ſed acceptante; leges enim ſi non acceptantur non obligant) *firmantur, cum moribus vtentium comprobantur.* Layman *lib. 1. tract. 4. c. 3. n. 1.* Nec tamen ſtatim obligant; nam vt idem Author *lib. 1. tr. 4. c. 2. n. 4.* bene notat; *Iure etiam communi Cæſareo ſanitum eſt, vt conſtitutiones nouæ vim non niſi poſt certum tempus obtineant,* Vide Axioma XX. & XXIII.

An obligent ſtatim?

XL.

Leges debẽt intelligi.

Leges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas (non ſolum ſciri, ſed &) *intelligi ab omnibus debent.* Layman *lib. 1. tr. 4. c. 2. n. 1.* Vnde omnis metaphora, omnis æquiuocatio, omnis verborum ac ſenſuum obſcuritas, quantum fieri poſſit, debet à legum contextu ablegari.

XLI.

An occulta ſubdantur Eccleſiæ?

De occultis non iudicat Eccleſia. [Lege attentè; duos enim ſenſus habet hoc Axioma: vel enim *non iudicat*, eſt, non poteſt iudicare: vel *non iudicat* eſt non ſolet iudicare. Ille prior ſenſus opinione multorum eſt certus, multorum autem eſt probabilis: ego ſecundum ſector (vide num. 693.) nam regiminis ſuauitas poſtulat, ne omnia faciat Eccleſia, quæ poteſt.] *Meræ cogitationis apud homines pœnam nemo patitur. Sibi Deus*

in-

internos reſeruauit. Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 4. *n.* 5. Nota tamen, ſummè hic allucinari plurimos, cùm dicunt, de occultis illam indirectè poſſe iudicare, illa enim indirectè tanguntur, ſine quibus directè tacta tangi non poſſent, non alia. Concludo igitur Eccleſiam, iuxta Axioma illud primo modo explicatum, poſſe præcipere actum purè externum directè, non internum, non mixtum. At indirectè illos internos tantùm, ſine quibus ille purè externus ſtare non poteſt. Vnde cùm ſolùm tenear Horas Canonicas exempli gratiâ pronuntiare, tantam debebo indirectè attentionem habere, quanta ad pronuntiandum ſufficiat; quamobrem ſi benè pronuntiaui, etſi diſtractus, totam quam debui, attentionem impendi.

An ſaltem indirectè?

Attentio in officio diuino.

Cæterùm tametſi primum ſenſum Axiomatis multi indubitatum eſſe exiſtiment, Ego, ſaluâ reuerentiâ Scriptorum, qui illum tuentur, tamdiu illum vocabo falſum, quamdiu non reſpondeatur argumento, quod poſui *num.* 693. Quouſque igitur illud ſoluatur, loco præcedentis Axiomatis iſta ponantur. I. *Duplex eſt in Eccleſia authoritas, directiua, & coërcitiua; vel vt alij loquuntur, præceptiua & punitiua.* II. *Actus humani ad varias reducuntur claſſes: alij enim ſunt purè interni vt contemplatio: alij, externi, vt deambulatio: alij mixti, vt oratio & loquutio: primos habet homo communes cum Angelis; ſecundos cum brutis; vltimi ſunt humani, qui nec Angelis, nec brutis competunt.* III. *Actus purè externos & mixtos quà externos attingit Eccleſia authoritate coërcitiua, iudicatiua, punitiua: Actus humanos, hoc eſt, mixtos, nec non actus purè externos, authoritate directiua & præceptiua.*

Propria ſententia.

Eccleſia habet authoritatem in actus purè externos & mixtos.

Sed quid dicemus de actibus purè internis? non ſubeſſe Eccleſiæ tenet communis Doctorum opinio, at Ego rationem aſſerendi non video: nam ſi Eccleſia poteſt actum humanum, hoc eſt, duos actus, alium internum, alterum externum directè præcipere, cur non poterit alterum tantùm, videlicet purè internum, aut purè externum? Vide, vt dixi *num.* 701. & quæ ibi obijciuntur, debitè attentione perpende.

An etiam in purè internos?

XLII.

MCXVIII. Authentica legum expoſitio.

Eiuſdem eſt legem authenticè interpretari, cuius eſt condere. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 18. *n.* 1. adeoque in Sacra Scriptura eiuſdem eſt illam infallibiliter exponere, cuius reuelare & dictare. Stat igitur, in interpretatione ſcripturarum Spiritui ſancto per Eccleſiam loquenti, & non vni aut alteri Hæreſiarchæ, credendum.

Quiſnam poſſit interpretari ſacram Paginam?

XLIII.

Extra territorium ius dicenti, impunè non paretur. Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 5. *n.* 4. & *c.* 11. *n.* 1. & inquiris, An Imperialis Camera, captâ Spirâ à Gallis, ſit extra Imperij territorium? An illi, ſi quid modo juberet, poſſes parere impunè? Reſpondeo eſſe quæſtionem difficillimam, de qua ſpecialem tractatum edidi.

Iudicium extra territorium.

XLIV.

Turpis eſt omninò pars ſuo vniuerſo non cõgruens. Deſumitur ex Auguſtino. Aſſumitur à Laymanno *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 9. *n.* 3. & *cap.* 13. *n.* 1. Bartholomæo de ſancto Fauſto *lib.* 6. *q.* 129. *n.* 6. Vnde multi Theologi, qui tametſi iudicent, Principem non obſtringi ſuis legibus, aſſerunt peccaturum venialiter, ſi illas violet, ratione conformitatis, quam debet accuratè ſeruare.

Pars Toti diſſona.

An Pontifex, aut alius quicunque Princeps, peccet violando proprias leges.

XLV.

Ferè in omnibus iudicijs pœnalibus, ætati & imprudentiæ ſuccurritur, Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 10. *num.* 5. Legum enim rigor debet ſubditorum fragilitati, quantum prudentia tolerat, attemperari. Hinc etiam eſt, quod fœminæ, & iuuenes mitiùs puniantur, quoniam fragiliores creduntur.

Ætatum eſt habenda ratio.

XLVI.

Iura iuribus concordari debent, eorumque correctio, quantùm fieri poteſt, eſt vitanda. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 18. *num.* 18. & hoc Axioma eſt vtile ad compeſcendos Criticos, qui reſtitutionis colore leges & antiquos Scriptores corrumpunt.

Leges non ſunt corrigendæ, ſed concordandæ. Criticorum præſumptio.

XLVII.

Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimùm accipietur, quæ rei gerendæ aptior eſt. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 18. *n.* 4 Sed cur, quæ aptior? an non ſufficiet apta? Sic puto.

Legum expoſitio.

Nota bene.

XLVIII.

Par in parem non habet imperium, eiuſdem eſt ligare ac ſoluere. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 2. Si obijcias Regulam Benedictinam, quæ *cap.* LXXI. præcipit, *vt obedientes ſint inuicem fratres*. Reſpondeo non dari duos pares, in Benedictino Monaſterio: nam ex præſcripto Capitis LXIII. eiuſdem Regulæ. *Qui ſecunda diei hora venerit, in monaſterio*

MCXIX. Perſonæ æquales.

rio iuniorem nouerit ſe illius eſſe, qui prima hora diei venerit, cuiuslibet ætatis, aut dignitatis ſit. & cap. LXXI. citato. *Præmiſſo igitur Abbatis, aut Præpoſitorum, qui ab eo conſtituuntur, imperio; cui non permittimus priuata imperia præponi; de cætero omnes iuniores prioribus* (ſenioribus) *omni charitate, & ſollicitudine obediant.*

Iuniores debent obedire Senioribus.

XLIX.

Conſenſus tacitus.

TAciti, & expreſſi eadem eſt virtus. Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. nu. 7.* & *lib. 3. ſect. 4. num. 15.* Et ratio eſt; quia tacitum virtualiter eſt expreſſum; hoc eſt, realiter non eſt expreſſum, at prudentum iudicio ita ſe habet, ac ſi realiter eſſet expreſſum.

Quid ſit ius tacitum?

L.

MCXX. Titulus coloratus.

ERror communis cum titulo præſumpto (hoc eſt probabili) facit ius, iuriſdictionemque tribuit, etſi occultum ſubſit impedimentum ex iure poſitiuo. Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. nu. 9.* Hinc eſt quod Confeſſarius, qui probabiliter eſt approbatus, habeat non iam probabilem, ſed & certam iuriſdictionem, abſoluatque non iam probabiliter, ſed certò. *An & in matrimonio reſpectu dirimentium impedimentorum hæc regula habet locum?*

Certa eſt abſolutio data à confeſſario probabili.

De impedimento coloratо.

Magnæ difficultates tranſglutiendæ, ſi non reſpondeatur aſſertiuè; nam vt ſuperiùs inſinuaſſe me memini, pone Religioſum inualidè profeſſum, qui non habet ſufficientes teſtes, vt profeſſionem ſuam eſſe nullam euincat, iſte habebit impedimentum coloratum. An-ne vxorem poterit validè ducere? Qui aſſertiuè reſpondeat, debebit neceſſariò concedere inconuenientia ſubſequentia. I. *Illum, ſi ducat vxorem, eſſe vere coniugatum.* II. *Eumdem, ſi reddat debitum vxori, poſſe tanquam ſacrilegum, & ſolennis voti reum à Prælato puniri.* III. *Debere in tribunali illud matrimonium, quod eſſe verum, & conſummatum ſupponitur, declarari nullū, contra illud: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* IV. *Debere dari vxori licentiam, vt tametſi legitima ſit, & viuum maritum habeat, poſſit ad nuptias ſecundas tranſire.* V. *Filios, tametſi ex legitimo matrimonio ſuſceptos, futuros eſſe infames, & ſpurios.* Et quidem hæc omnia inconuenientia, & alia plurima, quæ committantur, vno verbo tolluntur, ſi dicatur, non ſolùm Profeſſionem ſolennem veram, ſed etiam coloratam, inferre impedimentum dirimens. His tamen non obſtantibus ſit Concluſio. *Impedimentum coloratum non eſt dirimens:* Patet: quia non habemus alia impedimenta dirimentia, quàm quæ ſtatuit Eccleſia, quæ hoc non ſtatuit. Nec vrgent inconuenientia illata, nam factum ſequuntur, in quo ſicut inuincibiliter, ſic inculpabiliter Iudices errare poſſunt.

An fit dirimens?

NOn volo deponere calamum, niſi expediam breuiter aliam grauiſſimam difficultatem. Quæris, *Vtrùm Principes Politici poſſint impedimenta dirimentia, aut etiam impedientia ponere?* &, ſi non poſſint, *Vtrùm habituri eſſent eiuſmodi poteſtatem in eo caſu, quo daretur error communis cum titulo præſumpto?*

De authoritate ſæculariū Principum quoad matrimonia.

Poſſe ponere impedimenta ciuilia, hoc eſt, quæ ad pœnam obligent, & interdum ad culpam, ob circumſtantias pœnæ adnexas, tam multæ leges ſæcularium pronunciant, vt eſſet temerarius, qui aſſereret eas eſſe iniuſtas, iniquoſque earum latores. Alicubi Virgines, ſi contra voluntatem parentum nubant, dote, aut etiam hæreditate priuantur: alicubi, ſi Nobilis ducat ignobilem, dignitate excidit, & filij naſcuntur ignobiles: alibi ponuntur aliæ pœnæ contra illos, qui aliter matrimonium ineunt, quàm Reſpublica præcipit.

Impedimēta ciuilia, ſeu pœnalia.

Poſſe Principes ponere dirimentia, tuentur nonnulli Galli, quorum multos libellos legimus, cum ante paucos annos de valore matrimonij Fratris Regis Galliæ agebatur. Poſſe Reges ſuos ſubditos declarare inhabiles ad matrimonium contrahendum, ſi cauſæ ſuccurrentes poſtulent, dicebant rationi conſentaneum eſſe, & præſcriptæ conſuetudini correſpondere. Ratio erat: quia matrimonium eſt contractus, & contractuum valor pendet à voluntate Regum. Probabant præſcriptam conſuetudinem, quia Filia Regis Caroli Calui nupſit inuito Rege, & matrimonium fuit declaratum inualidum in Tribunali Eccleſiaſtico, pronunciante non potuiſſe illam validè nubere ſine licentia Regis. Idem etiam accidit in matrimonio filij eiuſdem Regis Caroli.

Gallorum aliquorum opinio.

Fundabatur ratione.

Et authoritate.

Sed me nec vrget ratio, nec authoritas. *Non ratio:* contractus enim matrimonialis ea die, quà fuit Sacramentalis factus, incepit Eccleſiaſticus eſſe, & frui exemptione, & immunitate Eccleſiaſticâ. Subſunt Regibus matrimonia Ethnicorum, Iudæorum etiam, non autem Chriſtianorum, nam horum valor tantummodo ſubeſt Eccleſiæ. *Non authoritas*, nam matrimonium filiæ Caroli Calui (aut etiā filij) declaratum fuit ab Eccleſia inualidum, & nullum, non quòd factum fuiſſet contra voluntatem Regis, ſed quod fuiſſet contra voluntatem parentis; nam in Concilio Meldenſi, vt filij ſub diſciplina parentum manuteneantur, ſub pœna nullitatis præcipitur, vt matrimonium non

Reſolutio, & obiectionum ſatisfactio.

De matrimonijs Paganorum, & Iudæorum.

Ad matrimonij valorem olim requirebatur conſenſus Patris.

ineant ſine conſcientiâ, & conſenſu parentum. Filia igitur Regis Caroli Calui inualidè nupſit; non propter impedimentum latum à lege ſæculari, ſed latum à lege Eccleſiaſtica: non quòd ad valorem matrimonij conſenſus Regis requireretur, ſed quia requirebatur conſenſus Patris: quam ob rem, ſi Carolus Caluus non eſſet Rex, eodem omninò modo illud matrimonium fuiſſet inualidum.

De errore communi in hac materia.

Hinc patet non dari errorem communem cum titulo colorato in hac materiâ: *Cæterùm, ſi per impoſſibile error ille daretur, & titulus coloratus accederet, videretur Eccleſia Regibus ponendi impedimenta dirimentia, authoritatem delegare.* Et hæc Concluſio Dubio ſecundo ſatisfacit.

LI.

Clauſula ſpecialis.

CLarior, & fortior eſt clauſula ſpecialis, quàm generalis. Layman *libr.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 7. Patet, quia generalis multas ſolet limitationes pati, quarum ſpecialis eſt incapax.

LII.

Religioſi correctio.

MOnachi correctio in prima inſtantia ad Abbatem ſpectat. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 2. Hæc Regula proderit intellecturis Quæſtionem ante aliquot annos iterum iterumque inter Abbatem Montis-Sancti in Bauaria, & Epiſcopum Principem ſubortam. Monaſterium enim illud exemptum non eſt, & cùm Abbas interrogaretur à Principe; Quiſnam eſſet in illo Monaſterio Superior? *Ego*, ait, *& immediatè nullus alius. Nam Veſtra Celſitudo, eſt meus Viſitator, qui nihil poteſt meis Monachis extra viſitationem præcipere; ſed mihi; ego enim V. Celſitudini ſubdor, ſaluis tamen priuilegijs meis, & Iure Ordinis; at Monachi ſubduntur mihi.* Et quidem vniuerſa veriſſimè, & prudentiſſimè; non enim in Monaſterijs non exemptis habet maiorem authoritatem Epiſcopus, quàm haberet Ordo, ſi eſſent exempta; at apud Ciſtercienſes, & reliquos Benedictinos, Monachi non ſubduntur immediatè Prouinciali, aut alij cuicumque ſuperiori, ſed ſuo Abbati: Ergo nec immediatè ſubdentur Epiſcopo, in non exemptis. Stat igitur, Monachi correctionem in prima inſtantia pertinere ad Abbatem (ſiue ipſe exemptus ſit, ſiue non ſit) & in genere appellationis, ſi hæc licet (in multis enim Congregationibus nulla permittitur; & in nulla permittitur, de re, quæ non tangat honorem grauiter) poſſe cauſam à Monaſterij Viſitatore recognoſci.

Monaſteriorum non exemptorum immediatus Superior.

An Monachus poſſit appellare?

LIII.

MCXXI. Fauor non fit inuito.

NEmo fauore, priuilegio, aut beneficio inuitus vti cogitur. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *pag.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. *& lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 27. An-ne hoc Axioma eſt vniuerſaliter verum? An-ne aliquas habere limitationes debet? Non puto. Ergo multas inferet conſequentias, quas proprijs locis adnotabimus.

LIV.

Fides hoſti ſeruanda.

FIdes, quæ promittitur, eſt hoſti ſeruanda, contra quem bellum geritur. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 12. *quæſt.* 5. Vnde non eſt cur calumnientur Hæretici, dicantque à nobis doceri contrarium: in ſuis enim libris legimus, fidem Catholicis ſeruandam non eſſe; id ab ipſis in noſtris libris legi non patimur.

LV.

Quiſnam debeat ad expenſas damnari?

IN iudicio, qui cadit cauſa, ad expenſas condemnari non ſolet, niſi litigando, aut dolum, aut culpam commiſerit. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *quæſt.* 1. *in fin.* Hinc eſt, quod qui probabilem cauſam ſuſtinuit, ad expenſas condemnari non debeat.

LVI.

Res Deo ſacræ.

QVod Iuris Diuini eſt, id in nullius hominis bonis eſt. Layman *lib.* 3. *tr.* 1. *ſect.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. Conſonat Iuris Canonici Regulæ LI. nimirum, *Semel Deo dicatum, non eſt ad vſus humanos vlterius transferendum.*

LVII.

Conſenſus virtualis.

QVotieſcumque Creditor, aut Dominus rationabiliter contentus eſſe debet, vt reſtitutio differatur, poteſt differri, tametſi inuitus ille ſit. Layman *libr.* 3. *tract.* 3. *cap.* 12. *num.* 1. quoniam *irrationabiliter contradicens, virtualiter conſenſum præbet.* Et quidem hæc aſſertio fundamentum eſſe poterit multarum reſolutionum grauium.

Nota id bene

LVIII.

MCXXII. Reſtitutio.

BOnum inferioris ordinis reſtituendum non eſt, cum detrimento boni ſuperioris in ſuo genere æquè grauis. Layman *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 2.

Qui

LIX.

An pauper teneatur parcè restituere ?

QVi restituere non potest quantum debet, restituere debet quantum potest. Layman *lib.3. tract. 3. par.2. cap.7. num 3.* An & qui in Officij Diuini materia non potest legere quantum debet legere, debebit quantum potest ? Ausonius Noctinot *in Dian. summ. verb. Horæ Canon. num.64.* sic ait, *Si Medicus iudicat recitare posse maiorem partem, id est, Matutinum cum laudibus, tenetur ad illam. Rodriquez in summ. par.1. cap.145. Dian. par.2. tract,12. resol.29. si verò iudicat recitare posse minorem, id est, reliquas horas, non tenetur ad illas ; Palaus tom. 2. punct.6. disp. 2. num.9. contra Lezinam, cap.12.num.27. asserente Diana part.4. tract.4. resolut. 225.* vbi, cum sit materia odiosa, Rationis paritas neganda est.

An æger partem Officij recitare ?

LX.

Restitutio pro iniuria.

PRo sola iniuria, secluso damno, nulla est facienda restitutio ante Iudicis sententiam, Layman *lib. 3. tract. 3. part.3. cap.7. num.6.*

LXI.

MCXXIII. Ex aliquando ad nunc, & ex alicubi ad hic, non valet consequentia.

NOn probat hoc esse, quod quandoque contingit abesse. Layman *lib.3.tr.3. par.3. cap.1. num.8.* Ex albedine enim non benè probatur Humanitas, quoniam quàm multi homines non albi in varijs prouincijs reperiuntur ; at benè probaretur ex rationalitate : non enim datur animal rationale, quod homo non sit : & in moralibus pariformiter est philosophandum.

Sanè, quod aliquando tantum abest, plerumque est : & quod plerumque est, non probat euidenter nunc esse, sed tamen suadet probabilius. Verbi causa. *Plerique* (aut *Fere omnes*) *nobiles sciunt legere: Petrus est nobilis: scit ergo legere.* Aio consequentiam non esse certam, & indubitatam, at esse probabiliorem, & firmare Regulam XLV. Iuris Canonici : videlicet, *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius,* (hoc est *probabilius.*) Et quid, quæso, est probabilius ? *Quod plerumque fieri consueuit.* & tamen, quod plerumque fit, aliquando contingit non esse.

Regula Iuris 45.

LXII.

Defensio sui non semper licita.

NOn est permissa defendendi facultas, vbi offendendi est concessa libertas. Layman *lib.3. tract.3. part.3.cap.2.num.3.* Adeoque damnatus capite contra lictorem non potest suam vitam defendere. Sed quid dicam, si iniustè condemnatus sit ? Respondeo ob bonum publicum posse legem sanciri, qua inhibeatur, *ne quis ferro suam innocentiam tueatur, si à Iudicibus condemnari contingat* : qua lege semel posita, & acceptata, nemo poterit armis se defendere contra Lictores ; sed debebit vnusquisque remedijs Iuris vti ; & si hæc minùs sufficiant, habere patientiam, etiamsi capite condemnaretur. At hodie eiusmodi legem latam nescio ; & puto neminem cessisse iure, quod natura vniuersis concedit, adeoque innocenti qui armis se defendere posset, licere se contra quoscunque propugnare, etiam occidendo Lictorem, & alios quoscumque innocentes ; illa enim homicidia, si fierent, seruato moderamine debito, essent præter-intentionalia, nec possent imputari illi, qui suo iure vtitur, & vitam iniustè damnatam defendit.

An iniustè damnatus se possit defendere ?

Quid autem si innocens, & tamen iustè condemnaretur ? Casus est omninò possibilis ; qui enim occîdit aggressorem, & tamen hanc circumstantiam probare ne quidem semiplenè potest : damnabitur omninò capite, & tamen quoad Deum erit innocens ; & respondebo etiam in isto casu se posse ferro, & armis defendere : quod ipsum exemplis dilucido.

Quid si innocens iustè condemnaretur ?

Ioannem Petrus inuadit, & vt tuto se puello protegit, ne lædi possit. Præuidet periculum Ioannes, & se non posse seruari aggressore seruato : at quia hunc non aliter occidere potest, quàm puello innocente occiso, quo se protegit, rogat, An iniqui aggressoris petere cor possit per medium puellum ? *Et posse* absolutè respondeo, puellique mortem theologicè, & ciuiliter coram Deo, & Rege, imputandam fore soli Petro, qui vt hominem occidat, puello abusus.

Casus primus

Te inuadit Fridericus insanus. Fugere nequis (nam si posses deberes ; non enim honorem perdit, qui insanum fugit) ergo vel occidere debes, vel occidi. Vtrum facies ? in ipso non ipse sed morbi violentia operatur ; & occidere innocentem res dura : an-ne te occidi permittes ? res est durior. *Respondebo*, te posse consulere tuæ vitæ ; &, si non possis aliter, etiam occidendo inuasorem deliram. *Sicut* de fatuo, & deliro, sic etiam de puero, & innocente philosophare. Qui enim in naui videt puellum, ignem sulphureo thesauro adhibere, debebit si aliter impedire non possit, potius illum occidere, quàm permittere nauem, & in ipsa se puerum, & omnes alios concremari. *Eodem modò* à fortiori philosophandum est de ebrio ; ipse enim culpa sua delirus est.

MCXXIV. Casus secundus.

Casus tertius

Ebrius volùtarius est delirus.

Cæterùm licèt hæc doctrina sit vera ; ne-

Quando aliquis vltima ſententia cõdemnatur, omnis violenta defenſio eſt inutilis.

mini conſulenda eſt: tum, quia multi ſe iniuſtè condemnari putant; multi inutiliter ad arma recurrerent, nam publica prouidentia diſponit, ne condemnati habeant arma, quibus poſſint nocere. Quid ſi gladium lictoris rapiant? ſed quo fructu? Duos caſus recenſere poſſem (alter in Geldria accidit, alter in Germania, meo tempore) plectendus gladium rapuit, grauiter vulnerauit carnificem, at ſtatim à cæteris occiſus eſt. Præſtitiſſet ergo mori, vt reum, quàm in furorem agi, & vt beſtiam trucidari, & occidi.

LXIII.

Iuſtitia priuata interdicitur.

NOn eſt ſingulis conceſſum, quod per Magiſtratum poteſt expediri. Eſt Regula CXXXV. Layman *lib. 3. tract. 3. par. 3. cap. 2. num. 4.* Suas tamen exceptiones patitur: Lege enim ciuili expreſſa conceditur Patri, & Marito, in multorum ſententia (an bene aut male, examinabo inferiùs) vt filiam, & vxorem in adulterio comprehenſam interimant; quod tamen poſſet per Magiſtratum expediri. Addo etiam ex Auſonio Noctinot *in ſumma Dian. verb. occidere num. 20.* hanc periodum. *Nota hic ex Strouersdorff. in 2. 2. quæſt. 64. art. 7. concl. 7. furem rapientem occidi poſſe, etiamſi furtum poſtea recuperari poſſit, ... Doctores alij tenent, tunc furem occidi poſſe, quando furtum aliter recuperari non poteſt.*

An poſſit occidi filia, & vxor in fornicatione deprehenſa?

LXIV.

Vis repellitur vi.

VIm vi repellere licet. Layman *lib. 3. tract. 3. par. 3 cap. 3. num. 1. & 3.* ſic ait, *Iure hoc euenit, vt quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, iure feciſſe exiſtimetur.* At in mea præter-intentionali Theologia, licere quidem aggreſſorem occidere, at hanc ipſam licentiam, & occiſionem non eſſe directam, ſed ſolummodo præter-intentionalem oſtendo.

Homicidiũ præter intentionale?

LXV.

Corporis liberi æſtimatio.

IN homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt. Layman *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 6. numer. 2.* at in benè gubernatis Rebuſpublicis, iam obtinuit conſuetudo, vt ſi homicidæ venia concedatur, tantum, aut tantum debeat ſoluere parti.

LXVI.

Obiectio.

VOlenti (& potenti velle) non fit iniuria. Layman *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 13. num. 1.* Sed obijcitur ſtatim mors Chriſti, quæ illata fuit volenti, & potenti permittere, erat enim Deus; & tamen ſine iniuria non fuit. Reſpondeo Primò Chriſtum non aliter voluiſſe mortem, quàm omnes Martyres; nemini enim præcepit ſe occidi, nemini conceſſit licentiam, ſed mortem illatam iniuſtè ſanctè, & patienter ſuſtinuit. Addo eum quà hominem non potuiſſe ſe occidere, nec licentiam ſe occidendi concedere, adeoque illi fieri iniuriam, etiamſi quod impoſſibile fuit, quà homo ſe præciperet occidi, aut licentiam concederet.

Satisfactio.

Chriſtus quà homo.

LXVII.

Obligationũ tempus.

IN obligationibus, ſi dies non ponitur, præſens ſubintelligitur. Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 4. num. 1.*

LXVIII.

Minorum cõ tractus imperfecti.

COntractus ex parte pupilli ſæpe eſt claudus. Monemur hoc Axiomate, ne cum pupillis temerè contrahamus. Aſſumitur à Layman *libr. 3. tract. 4. cap. 9. numer. 6.*

LXIX.

Inuidia.

ALiud eſt nocere, & aliud diuerſum non prodeſſe. Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 10. num. 6.* Notari deberet ab impatientibus, & ambitioſis, qui tantum ſibi auferri putant, quantum non datur.

LXX.

Neceſſitas.

NEmo in neceſſitate (nempe *extrema*) *liberalis exiſtit; qui dat aliquid in neceſſitate, non tam dicitur donare, quam ſoluere.* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 16. numer. 4.* Et ratio eſt, quia omnia, quæ humanitùs diuiſa ſunt, in extrema ſunt neceſſitate communia; nec donatio fit, cùm datur pauperi extremè indigenti, quod ſuum eſt. Sed hoc ipſum aliquas patitur difficultates.

An omnia in neceſſitate ſint communia?

LXXI.

Donatio facta communitati.

QVod collegio datur, nulli datur; Et ratio eſt, quia nullius in particulari eſt id quod communitati datur. Quo debeat modo hæc intelligi Aſſertio, docet Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 7. num. 3.* Hæc veritas à fauoribus faciendis Communitati vniuerſos retardat; nemo enim gratias agit pro collato toti Communitati beneficio.

LXXII.

An aliquis possit in causis proprijs iudicare? aut saltem testimonium dicere?

NEmo in sua causa Iudex est, nemo testis. Layman *lib.3 tract. 6. capit. 2. num. 12.* Interim aliquibus viris exceptione maioribus, aliquando, alterutrum concedi solet. Habet Bohemia, habet Aragonia, & Nauarra aliquos Vasallorum Dominos, quibus, quoniam de ipsis nihil male præsumit Respublica, conceditur, vt causas subditorum dijudicent, etiam alicubi sententiâ vltimâ, sine appellatione, iniurijs proprijs non exceptis. Sed & hanc eandem authoritatem esse multis abusibus expositam experientia nos docuit, & hodie circumquaque decircinatur: & prudentissimè Ferdinandus II. Imperator statuit, ne Bohemiæ Proceres iubeant exsequutioni mandari capitalem sententiam, antequàm in Appellationis tribunali, videatur, examinetur, approbetur.

Bohemi, & Aragones in causis proprijs solent esse iudices.

& Cistertienses testes.

Reperio nihilominus concessum ab Vrbano III. Pontifice Maximo anno 1186. vt Cistercienses ob vitæ puritatem tantæ veracitatis debeant dici, qui in causis proprijs tam ciuilibus, quàm criminalibus, suorum possint Religiosorum testimonijs vti. Sed si alicubi contingat ab antiqua sanctitate deficere, timendum est, ne possint etiam abuti hoc priuilegio.

LXXIII.

REs iudicata pro veritate accipitur. Regula CCVII. Layman *lib.3.trac.6. cap.6. num.4.* Quoniam ipsa bene fuisse examinata, & discussa supponitur.

LXXIV.

Prælatorum authoritas.

TOtus Mundus est Prælato Regulari pro territorio. Layman *lib.1.tract.4. cap.11. num.2.* Quia, cùm habeat authoritatem in personam, & hanc independenter à loco, vbique terrarum Religiosus sit, Superioris ille est.

LXXV.

EX delicto nemo vtilitatem debet consequi. Est certissima: Sed quia mirabilis mihi videtur cuiusdam Iunioris scriptoris doctrina; illam pro coronide Capitis præsentis subiungo.

Fuit septies impressus in Hispania: & translatus in linguam Latinam à R.P. Nicolao Iansenio Boy Ordinis Præd.

R. P. D. Antonius de Molina Monachus Carthusiensis in Institutione Sacerdotum *tract.2. cap.14. §.2.* sic ait. [Hæc licet ita sint, amplianda tamen aliquo modo videntur, vt fragilitatis & communium temporum calamitati subueniamus. Etenim, si Ecclesiæ Principes, & qui opulentis beneficijs fruuntur, ea virtutis laude excellerent; quam honoris exigit amplitudo; existimem illos in paupertate spiritus, animique submissione, sine minimo authoritatis dispendio, optimè victuros. Nam in dignitate constituti, licèt frugaliter, & modestè viuerent, in honore tamen haberentur ob spectatas virtutes, quæ solidam, & veram merentur laudem. Sic Sancti Martinus, Nicolaus, Ambrosius, Basilius, & sexcenti alij, quia hac ratione vitam instituerunt, Imperatorum, ac Principum honore digni facti sunt: imò hac ætate, vt supra diximus, eiusmodi exempla præclarissima non defuerunt; nec dubium esse potest, quin & nunc viris sanctitate præditis eadem nominis existimatio oriretur. Sed quia pleroque hæc Religio deficit, vnde & eis debita reuerentia non præstatur; iusta ratione permitti videtur, vt aliquo se efferant splendore, & apparatu: mundus enim exteriora illa demiratur, & ad deferendos honores sic quodam modo impellitur: quod magni faciendum non facile quis neget, [sic Molina. Quia tamen hanc doctrinam pernicioſam, & improbabilem esse videbat, eamdem remisit, & obseruatione duplici limitauit. Addit enim [Hæc appendix, siue ampliatio dupliciter limitanda est: *Primò*, aduerte naturam nostram maximè pronam esse in rerum omnium abundantiam, & superfluitatem: vnde huic inordinato appetitui non statim indulgendum, quamuis ad id iusto titulo moueatur: præsertim, vbi maius damnum exemplo luxuriæ timetur, quàm foret bonum, cuius gratia aliquantulum excedimus in apparatu. Nec enim in hac nostra ampliatione persuadeat sibi aliquis permitti profanos inutilesque sumptus, conuiuia splendida, decoctiones, & eiusmodi: nec licere in parentes Ecclesiæ Thesauros erogare, ac ijsdem ad sublimiorem illos euehere dignitatem, multò minùs primogenituras, censusque perpetuos constituere. Quod vt satis docuit experientia, pessimum sæpe finem sortitum est, & fumi instar, quod stabile putabatur, huc illuc dissipatum: quia Christi patrimonio vis illata, & pauperum calamitatibus auxilia subtracta sunt. *Secundò*, hoc titulo, nullus existimet licitum plus aliquid à se posse absumi, quàm ad victum amictumque honestum sufficiat, & quod satis videatur esse, vt temperata, ac Religiosa moderatione viuat. Non idcirco superbiant Clerici, aut sese exaltent, sed potiùs cum gratiarum actione Deo prosternantur, confessi hoc esse medium, quo virtus quæ deficit supplea-

Ecce irreligio si Homines ex vitijs, & delictis vtilitatem consequerentur.

Limitationes Molinæ.

Prima: ne peccetur in excessu.

Conuiuia, decoctiones, cognatorum promotiones, &c.

Secunda, ne peccetur pro. fanitate.

An virtus famulatu, & vestium splendore supplea tur?

tur: quod si & illam compararint, habent quo minoribus possint viuere expensis: eas tamen à se fieri, vt authoritatem, quam ex se non merentur, à Deo concessis opibus mereantur.] Sic priorem doctrinam limitat, & remittit Molina. Sed, vt video, aut limitationes vniuersam priorem doctrinam delent, aut sunt omninò insufficientes. *Primò*: quia si mali possunt plus expendere quàm boni, *vt hoc medio, virtus, quæ defuit, suppleatur*, (verbis vtor Molinæ) peiores poterunt plus expendere, quàm mali, vt hoc medio plures virtutes, quæ desunt, suppleantur. Et quis hoc tolerat? *Secundò*, quia non suppletur virtus famulatu, & ornatu, sed irritantur sæculares omnes, & Ecclesiastici modesti, cùm vident bona à sanctis legata, vt sancte Ecclesiastici viuant, inutiliter dilapidari. Maioris fit Ecclesiasticus modestus, quàm vanus: & qui vnicam habet virtutem, maioris fit illo, qui nullam. Ergo siquidem è duobus malis minus eligi debet, præstat esse modestum, & fragilem, quàm vanum, & fragilem. Vel audiantur obsecro Caluiniani, cùm Catholicus Hispaniæ Rex restituebat aliquas dignitates Ecclesiasticas. Videbant nonnullos ignorantes, & malemoratos promoueri, & tolerabant: nam & ipsi etiam sunt malemorati, & ignorantes; & similes similibus gaudent. At verò Fundatorum nepotes, qui spe, vel vsu exspoliabantur, vt videbant suorum. Auorum bona ab Ebriosis in comessationibus concoqui, ad cœlum, & Deum exclamabant.

Præstat ornari vnica virtute, quam nulla.

Caluinistæ quales?

Sed inquis: Etiam ibi exclamaret Molina, qui luxum, ebrietatem, & comessationes condemnat. Sed ego, aut illum non intelligo, aut ampliationem ipse delet (quòd paulò ante submonui) cùm limitationes adducit. Has admitto; illam detestor: & si istæ tales sint, vt omnem illam ampliationem non abradant, abstergantque, quidquid ex ampliatione remaneat, è censu probabilium opinionum reijcio.

HAec sunt, Candide Lector, præcipua Theologorum Axiomata, quibus solent resolutiones suas in conscientiæ materia fundare; & tametsi plura ad manum essent, quæ possent præmissis adiungi, nolui certa incertis, & ambiguis confundere, sed illa omittere paucis istis contentus. Porro circa eorundem intelligentiam, non est cur multum hæreas, cùm ita sint tradita, vt & sensus sit additus. Fruere, & Vale, & ab his instructus clauibus ad Canonicum cursum accingere, & ad Decretorum Lectionem expeditior, & instructior accede.

SYN-

SYNTHESES REGVLARES.

MCXXV. Cur Fundamenta præmittantur?

QVRSVM Moralem apparo, & tenuitatis propriæ cõscius FVNDAMENTA præmitto; ex paruis enim erroribus graues & intolerabiles inferuntur interdũ; & expedit præmissas ab Hominibus doctissimis examinari, ne sub probabilitatis specie improbabiles aut saltem non comprobabiles aliquæ Consequentiæ subrepant, quæ aut expungi debeant omninò, aut saltem remitti aut alterari. Eâdem conscientiâ & mente ante annos multos REGVLAREM THEOLOGIAM scripturus Fundamenta præmisi, quæ à Viris doctissimis examinarentur, quibus approbatis & magnâ authoritate confirmatis, substruxi Resolutiones illas, quas amplectuntur omnes docti & pij Antistites, qui modestè viuunt, & D. Benedictum amant: quas contrà, sed vano & irrito conamine carpunt nonnulli, quibus omnia falsa, quæ nesciunt; omnia dura, quæ mores corrigunt, & ad Regulam sanctam elimant. Quicumque Superior, voluerit esse Dominus & Monachos, habere seruos, libros illos non adeat, in quibus demonstratur æquè Abbatem & Monachum Regulæ Magistræ subesse; æquè illum & istum voto paupertatis obstringi, & si bona Monasterij dilapidet, peccare, & ad restitutionem teneri. Cruda, aliquorum opinione, sententia, sed vera, certa, & indubitata; quam nec doctus, nec bene moratus Antistes in disputationis aleam vertat. At expediret, inquiunt, etsi hæc vera omnia, ignorari à priuatis, ne Superiorum abusibus scandalizentur. Hoc tamen nego. Oportet enim Superiorum obligationes sciri à summis & infimis; vt ab his moneantur, & ab illis compescantur, cùm errant. Non creantur Antistites, vt habeant Ecclesiastica Res, qui comessentur, superbibant (vt taceam cætera) sed vt habeant, qui exemplo præeant, *Abbas enim*, vt iubet D. Benedictus, *semper meminisse debet, quod dicitur, & nomen Maioris* (hoc est, *Melioris*) *factis implere*. [Factis, inquit, non verbis, *debet enim*, vt infit, *Omnia* (ergo non tantùm aliqua) *factis ampliùs, quàm verbis ostendere*.] Sed hæc nota in Regionibus, vbi obseruantia viget; at vbi bellorum iniuriâ exulat illa, ignota omnia; & si vel dicta aut lecta, Homines irritant, qui volunt exleges dici & esse.

Commentarius in Regulam D. Benedicti, qui Regularem Theologiam complectitur editus fuit anno 1639. Brugis & iterum Francofurti an. 1646

Abbates obstringi ad Regularia, audire libertini nolunt.

An subditi ignorare debeant obligationes Superiorum?

In Regul. c. 2 Præsulis exẽplo totus cõponitur Ordo

Has ergo Syntheses subieci examini, ne mea sensa producerem, sed grandium potiùs Theologorum sententias, quas reijcere sit temerarium; cùm impossibile sit probabilem condemnare sententiam; & impossibile eam non esse probabilem, cui multi Doctores subscribunt: qui enim Propositioni à multis Viris doctis assertæ neget probabilitatem, hic negat lineæ longitudinem, superficiei latitudinem, & corpori profunditatem; hic negat definitionem definito competere; nam Propositio probabilis (si agamus de authentica probabilitate, qua Theologiam nostram stabilimus) illa est, quæ ab aliquibus Viris magnis asserta.

Syntheses quales?

Quid sit probabilis opinio?

Probabilitas duplex: authentica, rationalisque.

In hunc scopulum impegit quidam præcipuè Antistes, qui simul admittebat, eadem Propositiones, esse Doctorum plurium, & easdem improbabiles esse. Sed quid faciemus aut dicemus homini incapaci doctrinæ? qui enim hunc errorem non percipit, vt verum addiscat est incapax. Eum literis, datis ad D. Franciscum Penneman, si non docui, compescui; imò cum ipso alios, quos ipse secum in errorem seduxerat.

Error cuiusdam Viri in authoritate constituti. Inuenientur hæ literæ, in Theologiæ Regul. pag. vltim. & in Theologia Fundamentali num 185.

Sed cur *Syntheses* voco, quas vulgus *Theses*? Quia Theses à Synthesibus differunt. Quod ante me, à nemine, quem sciam, fuit obseruatum. Dicebat Aristoteles, *Dialecticus syllogismus est, qui ex probabilibus est syllogizatus*. Deleo illud *probabilibus*, & repono *comprobabilibus*: dantur enim syllogismi, quorum Præmissæ sunt probabiles, & consequentia bona, & tamen improbabile consequens. Cur alios quæram? hunc olim posuisse me memini: hunc repono.

Quid sint Theses? Quid Syntheses?

Correctus Aristoteles.

An ex probabilibus ima probabilia sequi possint?

Quotiescunque vnum concipitur sine altero, inter id quod concipitur, & id quod non concipitur, datur realis distinctio.

At in Deo Diuinitas concipitur sine Relationibus.

Ergo inter Diuinitatem & Relationes datur realis distinctio.

Syllogismus est bonus, & concessis præmissis non potest consequentia negari. Maior est probabilis, & admittitur ab vniuersis, qui præcisiones obiectiuas reijciunt. Minor est probabilis etiam, & admittitur à Thomistis, Scotistis, & alijs. Et tamen consequentia improbabilis & absurda est. Sed cur hoc monstrum oritur ex probabi-

An dentur præcisiones obiectiuæ?

libus

An omnes positiones probabiles sint comprobabiles?

libus premissis? Quia tametsi ille seorsim probabiles sint, non tamen sunt comprobabiles; non enim vnus & idem Author vtramque admittet: nam qui maiorem concedunt, minorem absolutè negant; & qui minorem admittunt, non volunt audire maiorem.

Hinc iam colligi poterit Syntheseon & Theseon differentia. *Theses* dicimus Probabiles Propositiones: *Syntheses* verò, Comprobabiles; quæ videlicet omnes ab vno & eodem Theologo defendi possunt.

An sint Theologi viui citandi?

Sed cur viuos allego; & multos, qui Libris vulgatis non clarent; maximè, cùm multis hodie Authoribus citare superstitem religio sit? Quia, sicut multi sunt Scriptores indocti, sic etiam sunt Viri doctissimi, qui non libenter mouent calamum. Reuerendissimum Patrem Didacum de Quiroga inter intimos habui, dum Viennæ viueret; & modò, dum triúphat inter Cœlites (sic spero) inter maximos Patronos veneror; subtilissimum, doctissimum, ingeniosissimum. In Philosophia habebat multa præclarè cogitata; in Theologia multa magni momenti: & vt insinuem aliquid, in materia de auxilijs, reiectâ scientiâ mediâ, & physicis Prædeterminationibus, pulchrè & clarè exponebat, quæ Thomistæ, & quæ Molinistæ non clarè. In Politicis summus; totâ enim ille vitâ negotia publica tractauerat; & iam octogenarius aut fere, erat auxilio Regi, & directioni vniuersis Legatis. At quia confidebat memoriæ, etiam in illa ætate prodigiosæ, nihil scribebat omninò. Obijt, & cum ipso vniuersa. Sunt etiam alij multi Quirogæ similes, qui doctissimi sunt, & tamen non scribunt libros: quorum mens, siquidem è libris non potest, è consultationibus debet haberi.

Quiroga Vir Maximus nihil scripsit.

Sunt & alij Theologi subtilissimi, qui libros scribunt, sed non Theologicos, vel quod alijs argumentis occupentur suauiùs, vel fortè impendantur vtiliùs. Eiusmodi fuit Reuerendissimus Angelus Manrique, Salmanticensis Doctor; Theologiæ Moralis, & demum Scholasticæ multis annis Professor; & non qualiscumque, sed primarius; & tamen Concionum multos tomos, & Cistertiensis Historiæ etiam multos, & nihil Scholasticum edidit. Multi ad illius mentem actus suos elimabant, & quia illam in libris inuenire non poterant, aut eumdem conueniebant per literas, aut si ferret occasio, coram interrogabant.

Angelus Manrique Vir etiam Maximus multa Theologica dictauit Salmanticæ, sed nulla edidit.

Hinc iam sciri posset, cur ego Theologos adhuc viuos consuluerim, & eorumdem sententijs meas firmauerim; sed adhuc altera occurrit ratio, quæ fieri non potest. Quoniam Scriptores antiqui, pro vtráque sæpe opinione citantur; & eorumdem plurimis testimonijs oppositæ roborantur sententiæ; tam enim ambiguè & obscurè nonnulli, vt nisi reuiuiscant, eorum mentes non possimus adsequi. Et vt loquamur specialiùs, quis est in Orbe literario Theologus, qui non dicat se tenere doctrinam, quam Patres Veteres, & præcipuè Hypponensis Episcopus? Illum allegant Recentiores Thomistæ, vt Physicas Prædeterminationes inducant, & Dei scientiam proscribant, quam *Mediam* Molinistæ nominant: & tamen hi admissum iri scientiam Mediam, & negatum iri Physicas Prædeterminationes, productis Augustini testimonijs contendunt: & tam claris & fortibus, vt si hæc legas, Thomistas; si ita, Molinistas affirmes; sub Augustini labaro militare. Imò si Molinistas relegas, subdubitare incipies, An D. Thomas habuerit illam opinionem, quam hodie propugnant Thomistæ? habemus enim Iuniorum Philosophicos, & Theologicos Libros, in quibus Thomistarum sententiæ non esse D. Thomæ dicuntur, aut si velis, videntur; & in tanta opinionum & assertionum varietate, verum sciri non poterit, nisi ipse Thomas (aut etiam Augustinus, & alij) excitentur à mortuis, redeant ad scholas, & iterum nobis loquantur.

Sententiæ scriptæ ab antiquis obscuræ.

An omnes Theologi doctrinam Augustini sequantur? An ille docuerit scientiam mediâ aut Physicas Prædeterminationes?

An Molina restituat doctrinam D. Thomæ?

An Thomistæ sequantur D. Thomã?

Hanc ob rem Iesus Christus, ne Euangelium meritò citaretur pro sententijs contrarijs, reliquit in mundo Ecclesiam, visibilem eiusdem Interpretem, quę Spiritu sancto consulto posset de Sacrę Scripturę intelligentia pronunciare.

Ecclesia Dei interpres.

Frustra igitur ad defunctos recurritur, si quid senserint, quęritur: præstat igitur adire viuos; qui poterunt suam mentem exponere; quàm ad mortuos recurrere, qui nequeunt mentem suam explicare. Id hucusque feci: id semper me facturum statuo: plus enim à viuis addisco, quàm à mortuis. Scripturus Theologiam Regularem, Syntheses nonnullas premisi, vt ijs examinatis faciliùs & securiùs procederem. Et modò Theologiam Moralem editurus, hęc Principia premittò, vt consultis doctioribus sciam, quo debeam modo in cęteris philosophari. Interim, ne careas his Synthesibus, huc illas reponi debere iudicaui.

Viui debent potiùs consuli, quàm defuncti.

Syntheses Morales.

Fundamenta Theologica.

Articulus I. *De Legibus.*

MCXXVI. Lex æterna.

LEx æterna eſt liberum Decretum Dei, circa creaturas gubernandas: phyſicè & naturaliter dirigit creaturas non intellectuales, & intellectuales; has verò etiam moraliter circa Articulos, ad quos voluit obligare Summus Legiſlator in conſcientia; malitia enim naturalis aut phyſica ante prohibitionem reperitur, numquàm verò moralis (nempe theologica.) Decalogus nec mutari nec diſpenſari poteſt humanâ authoritate. Ius particularium gentium pactum earundem eſt, aut expreſſum aut tacitum; vniuerſale aut non datur, aut debet non diſtingui à Iure naturali. Lex humana triplex, Moralis, Pœnalis, & Mixta. Moralis obligat in conſcientia ex vi quarti præcepti Decalogi. Qui omnes leges pœnales conſcientiam obligare ſentiunt, debent conſequenter dicere, non dari leges merè pœnales. Merè pœnalis ſanctio nonnunquam infert obligatonem moralem, nunquam imbibit. Lex pœnalis ſæpè eſt mortalis diſiunctiua, nempe indicens aut actionem aut paſſionem; hoc eſt aut rem talem facere, aut ſubire talem pœnitentiam: ſed hoc etiam poteſt præcipi purè pœnaliter. Lex, vt cenſeatur legitima, debet acceptari liberè à ſubditis. Qui legem iuſtam non admittunt, peccant quidem mortaliter; cæterum ante acceptationem Lex non obligat. Mancipijs & debellatis iuſto bello, illis videlicet, qui occidi poſſent, etiam inuitis, poni poſſunt validæ & legitimæ leges. Ceſſante fine adæquato legis in particulari, ceſſat etiam tum eiuſdem legis obligatio. Actus purè interni humanæ legi non ſubſunt, directè. Ad hoc vt grauiter lex obliget, requiritur grauis materia. Regula Benedictina non eſt Lex moraliter impoſita, ſed imponibilis ab ordinario Antiſtite; non indiget noua acceptatione, eſt enim in ipſa profeſſione accepta; contemptor Regulæ peccat mortaliter.

Lex duplex phyſica & ethica

Decalogus.

Ius Gentium

Lex humana triplex.

Lex Moralis.

Lex merè pœnalis.

Lex diſiunctiua.

Nota hoc.

Aliter liberis leges, & aliter imponuntur mancipijs.

Conditiones legitimæ legis.

Ceſſatio finis

An de occultis iudicet humana lex?

Materia legis.

Regula D. Benedicti.

Lex (ſaltem laica) indiget acceptatione

Articulus II. *De Materiæ Quantitate.*

MAteriam magnam in abſolutam & reſpectiuam diuido, placent enim in moralibus rebus termini magnitudinis & paruitatis. Res abſolutè leues videntur eſſe medius Regalis, ſedecim ſalutationes Angelicæ, leuis aſpectus, aut quaſi inſenſibilis carnis contactus, ſemoto (hoc eſt, præciſo) vlteriori periculo. Videntur abſolutè graues iniuſta quatuor florenorum ablatio; Pſalterij obligatorij omiſſio, completa ſenſualitas, & aliæ ſimiles. Quidquid intereſt termino magnitudinis & paruitatis, abſolutè materia eſt indifferens, cui vni accidit eſſe graui & leui, proportionaliter & relatiuè. Grauis quidem ſi fuerit totum quod indicitur, aut pars immediata rei præceptæ, in materia obedientiæ, congruæ diurnæ in-

Duplex materiæ grauitas.

Materia leuis quæ?

Materia grauis, quæ?

Materia indifferens.

ma-

Partes immediatæ & mediatæ : Illæ autem quot?

materia furti, & ſenſualitatis completæ in materia Venerea: leuis verò, ſi fuerit pars partis. In quot partes totum immediatè diuiditur? apud Phyſicos in indeterminatas, quia ſiue Ariſtoleli, ſiue Zenoni ſubſcribas, non eſt dabilis numerus; qui vnus determinet, omnium rerum continuarum partes. Medici communiùs in quatuor gradus diuidunt: Theologi in octo, Nonum gradum caloris nemo audiuit, nemo dixit. Placet igitur Theologorum opinio, & totum morale in octo partes immediatas diuido, & aſſero, quidquid minus octante fit, non eſſe partem immediatam totius, ſed partem partis, ac propterea ſi materia alias ſit abſolutè indifferens, eſſe ſolum relatiuè quantam & habere non niſi leuem quantitatem.

Partes apud Phyſicos.

apud Medicos:

apud Theologos.

Articulus III. *De Opinione probabili.*

Probabilitas, quid?

Vide num. 268 & Prologum.

PRobabilem ſententiam dico illam, quæ habet aut rationes aut authores graues. Licet ſequi opinionem minus probabilem. Omnes probabiles ſecundum ſe conſideratæ, ſunt æquè ſecuræ & æquè tutæ, benigniores, licet minus probabiles ſint, ſolent eſſe faciliores ac propterea non rarò ſecuriores. Prælatus ex vi officij non poteſt præcipere ſimplici ſubdito, vt ſubſcribat potius huic, quàm alteri parti probabili. Si cauſæ graues ſubſint, poterit iuberi, ne tales opiniones, doceantur, defendantur. Subditus poteſt promittere Superiori obedientiam in omnibus rebus, quæ non ſint certò & euidenter malæ; & ex vi huius voti tenetur obedire etiam in materia affecta malitiâ probabili. Tale votum emiſit Prior Benedictinus, vt conſtat ex ipſamet Regulâ: tale Supprior: tale Communitatis adminiſtri. Qui pacto, voto aut iuramento promiſerit defendere aliquam opinionem probabilem conducentem ad vtilitatem alterius, tenetur ſtare promiſſis.

An dentur opiniones tutiores, & minùs tutæ?

Quid poſſit Superior in materia probabili?

An interdici queat doctrina probabilis

Vide num. 265.

Prioris & Supprioris vota.

Articulus IV. *De Conſcientia Dubia.*

In dubio beatus qui poſſidet.

CVm dubitas in Iure diuino, ſtandum eſt pro poſſeſsione ratâ rerum quæ fuerant ante dubium; imo & in Iure humano. Cæterùm ipſummet dubium, ſi ſit contra res humanâ authoritate indictas, Azorius benignè & probabiliter interpretatur.

Articulus V. *De Nouitijs.*

Nouitiorum admiſſio,

& dimiſſio.

REcipere Nouitios ille Prælatus poteſt, cuius Anteceſſores fecêre, modò ipſe non habeat legitimam limitationem. Prælatus, in contrarium lege legitima indicatur, poterit Nouitios veſtire, & dimittere inconſulto conuentu; admittere verò ad profeſſionem non poteſt, niſi ex plurium conſilio. Tempus eſt duplex, Ciuile, & Eccleſiaſticum: illud dies Menſium reſpicit, hoc Eccleſiaſticas

Interim conſiderare oportet diuerſas Religionum leges.

Tempus duplex: Eccleſiaſticum, & ſæculare.

ſticas ſolennitates: pro interſtitijs vti Ordinum ita & profeſſionis probabilius tempus Eccleſiaſticum ſumeretur, ſunt enim res Eccleſiaſticæ, ac ideò tempore Eccleſiaſtico determinandæ; ſed pro profeſsione vſus eſt abſolutè contrarius. Annus probationis debet eſſe integer. Ante profeſsionem ne leuiter quidem peccat, qui habitum relinquit. In dubio debet Nouitius reprobari; approbare autem Nouitios, aliàs habiles, eſt materia gratiæ.

Sed quid ſtaretur ratione?

Nouitij approbatio.

Annus probationis.

Articulus VI. *De Profeſſione.*

Stabilitas duplex.

STabilitas, quæ ſub promiſsionem cadit, duplex eſt, Ordinis & Monaſterij; & vtraque ſecundum Regulam. Non eſt quartum votum Theologum factum Deo, ſed votum hoc eſt, promiſsio firmata iuramento, facta ſanctæ communitati. Omnes, qui inſtabilitatis pacto fuerunt requiſiti ſufficiunt, vt illud annulletur ſine cauſa: Si detur grauiſsima; non ſolùm ad aliud Monaſterium, ſed & ad alium Ordinem tranſire quis poteſt, & pactum reſcindere etiam inuitâ parte: ſine cauſa, non poteſt Summus Pontifex, aut profeſsionis, aut alios legitimos contractus legitimè factos annullare. Qui ex Ordine ad Ordinem transfertur; debet probari: Sed quamdiu? non eſt expreſſo aliquo iure determinatum. Vota ſolemnia non eſt opus iterum profiteri; ſufficeret enim profiteri Taleitates votorum, & noui Ordinis pœnalitates; expediret tamen profiteri vt alij Religioſi. Conuerſio morum debet fieri per tres virtutes eſſentiales, nec addit nouam circumſtantiam in confeſsione ipſa aperiendam. In profeſsione non promittit Benedictinus obedire Regulæ, ſed Prælato, cùm iuſſerit contenta in Regula; Religioſus tenetur in perfectionem tendere per virtutes ſubſtantiales, non aliter, nec poteſt dici non tendere in perfectionem, quamdiu non peccauerit mortaliter: qui mortaliter peccat, in perfectionem non tendit, ſed hanc circumſtantiam non tenetur in confeſsione exprimere.

Profeſſionis annullatio.

Tranſitus ad aliam Religionem.

Et in ſecunda probatio.

Quo debeat modo Religioſus in perfectionem tendere?

An teneantur Benedictini quarto voto?

Summi Pontificis poteſtas.

Morum conuerſio qualis.

Votum obedientiæ emiſſum à Benedictinis; quale?

Articulus VII. *De Obedientia.*

De Officio diuino præcepto.

ANtiſtiti præcipienti vel quæ ſunt in Regula, vel quæ ad illam conducunt, teneris obedire. Item præcipienti recitare Officium diuinum, in choro. Præcipienti aliquid, quod vel ſit contra Deum, vel contra Regulam vel contra Eccleſiam, debes non obedire; præcipienti vltra Regulam, & non ſecundùm illam, potes obedire & non obedire.

Teneris interdum obedire, & interdum non obedire.

De rebus propter alias præceptis.

Omnia quæ præcipiuntur propter finem, non habent ab obiecto intrinſeco, ſed à ſcopo ſpeciem. Poteſt res leuis grauiter obligare, ſi ad grauem grauiter conducat.

An res leuis poſſit grauiter obligare?

Quomodo ſit inobedientia venialis?

Peccant venialiter, qui omittunt rem grauem præceptam vt medium: *primò* ſi finis ſit leuis: *ſecundò*, ſi ad grauem leuiter

De dispensationis concess. & cessatione.

conducat. Præceptum impositum Benedictino Monacho, si se prudenter excusauerit, non obligat, quousque secundò imponatur, quia sic dispositum Legislator cap. LXVIII. Abbates possunt concedere in suis præceptis dispensationem sine causa; cessante dispensationis causa, non cessat ipsa dispensatio, nisi fortè data fuerit pro tempore durationis ipsius causæ.

An replicare liceat subdito?

Articulus VIII. *De Paupertate.*

Dominium in communi.

DOmini Benedictini habent dominium in communi, imò & in particulari habent, directum in manuscripta, ita vt illa donare possint. Magistrale in discipulos. Naturale in actiones internas, externas, & in filios, & in res vnico actu consumptibiles. Honoris sui sunt Domini: ni inde sequatur damnum tertij, possunt illum expendere, nunquam prodigere, vitium est enim prodigalitas. Iure secreti, & honoris non cedunt, possent tamen vbicunque non relucet proprietas, non violatur paupertas. Qui paulatim modica accipit, solet committere peccatum graue, vel cùm grauem materiam tandem capit, vel non vult captam, restituere. Religiosus est filius familias. Patres erga furta filiorum creduntur sub duplo inuoluntarij, quàm erga furta peregrinorum. Hospites, & amici videntur esse, quasi medij inter peregrinos, & filios.

Dominium in particulari

Benedictini sunt proprij honoris domini.

Iure suo non cedunt.

De furtis paruis.

De furtis filiorum, & amicorum.

Articulus IX. *De Castitate.*

Peccata contra naturam. Vide inferiùs cap. 6. & 9.

PEccata contra naturam (nempe Bestialitas, Sodomia, Mollities) sunt contra deuotam Castitatem, non tamen distinguuntur specie, etsi in confessione sint explicanda. Ita D. Thomas, testibus Filliucio, & Armilla, Tabiena, & alijs, præter quos etiam Diana, huic parti probabiliter subscribit. Intentio fornicandi formaliter est contra Pudicitiam, & obiectiuè contra Castitatem: in Religioso non est sacrilegium formaliter, sed obiectiuè, id est, intentio committendi sacrilegium. Monachus non vouit Deo alienam castitatem, sed propriam. Votum implicitum, & expressum, solenne, & simplex, differunt solummodo modaliter. Delectationes morosæ, ideò sunt peccaminosæ, quia sunt principium mollitiei interdictæ. Somniorum non datur causa directa; Potest contingere quod actio leuis intrinsecè, extrinsecè grauis euadat ratione periculi. Periculum proximum dicitur esse, cùm imprudenter quis iudicaret, se in tali occasione non peccaturum esse: nemo se potest exponere proximo peccandi periculo: liberum homini cuicumque est, tollere proximum omne periculum: periculum probabile non est proximum.

Nota illud ratione complicis, & videquæ nu. 973. dicuntur.

Sacrilegium est duplex: formale, & obiectiuum.

Aliena castitas.

Votorum discrimen.

Cur delectatio morosa sit peccatum?

De somnijs lasciuis.

Periculum duplex: proximum, & remotum. Vide supra num. 300.

Nota attentè singula.

Arti-

Articulus X. *De Officio Diuino.*

An Choriſtæ qua tales, teneantur ad officium diuinum?

CHoriſtæ ex vi Profeſsionis ſuæ, ſunt mancipati lectioni communi, ſed non priuatæ; Abeſſe à choro, eſt contra legem purè pœnalem: eſſet contra legem moralem, ſi quis abeſſet contra præceptum morale Antiſtitis. Non poteſt intelligi Petrum ſatisfeciſſe toti officio publico, & non ſatisfeciſſe officij legendi priuatæ obligationi.

Sunt in aliquibus Ordinibus ſpeciales conſtitutiones, quæ debent etiam conſiderari.

An Sacerdotes?

Omnes Sàcerdotes tenentur ſub mortifero ſingulis diebus diuinum officium recitare. Ab hoc onere immunes ſunt Nouitij, & Conuerſi profeſsi.

Regula Benedictina indicit-nè priuatam Lectionem Iunioribus, nondum ad ordines promotis? Reſoluo affirmatiuè: negatiuè verò Eugenius in Priuilegio quarto conceſſo Ciſtertienſibus, anno 1437. Illud igitur probabile à ratione eſt, hoc ab authoritate. Ex ſuppoſitione, quod Regula priuatam eis Lectionem indicat, non tenebuntur moraliter ante Abbatis præceptum. Ad hoc vt priuatim legendi conſuetudo iuniores obliget, debet eſſe certa, & certo legitimè introducta: legitimè introducitur, cum à ſcientibus ſe non eſſe obligatos, volentibus, & potentibus ſe obligare introducitur. In dubio ſtandum eſt pro libertate, quæ erat ante conſuetudinem dubiam: idem dico de reliquis conſuetudinibus. In lectione officij diuini requiritur directè, & per ſe pronuntiatio actualis, & reuerentia, & attentio actuales extrinſecæ: intrinſecæ non niſi indirectè. Mutare officium ſine cauſa non eſt peccatum mortale, licet inconſultum; cum cauſa rationabili, nec veniale.

Qualis eſſe debeat conſuetudo, vt conſcientia obligare dicatur?

De pronunciatione, attentione, & mutatione Officij.

An Iuniores teneantur Horas legere ex conſuetudine? De conſuetudine dubia.

Non eſt peccatum graue legere priuatim extra tempus præſcriptum: fortè nec dantur, horæ præſcriptæ legentibus, priuatim. Intentio ſatisfaciendi non requiritur. Horologia tametſi cum cura dirigantur, non diſtinguunt horas certò, ſed ſolum probabiliter; malè regulata, nec probabiliter.

De mutatione temporis.

De horologijs fruſtra ab aliquibus defenſis vide n. 205

Articulus XI. *De Aegrotis.*

An, & quando ab horis excuſentur ægroti.

IN morbo grauis damni probabile, & certum periculum, imò & dubium, & grauiſſimæ incommoditatis; non dubium, ſed aut certum, aut probabile periculum excuſat à lectione horarum. Ægrotus poteſt tamdiu ſine ſcrupulo legere, ieiunare, & alijs Eccleſiæ præceptis ſatisfacere, quamdiu non ſcit certò, & euidenter, ſe illa lectione, aut perditurum eſſe vitam, aut paſſurum graue damnum, quod aliàs ſine culpa ſibi infligere non poſſet; Æger, qui non poteſt recitare totum, non tenetur recitare partem. Diſpenſatio non facit, quod ægri legendo vnum *Aue Maria*, v. gr. ſatisfaciant officio Diuino, ſed quod non teneantur officium legere, modò illud *Aue Maria* recitauerint.

Nota hoc ad ſolamen ægrorum, qui volunt agere piam vitam.

De diſpenſatione, quæ ſolet ægrotis concedi.

Nota hæc omnia.

Labor, & occupationes ſi nimiæ ſint, etiam inter morbos ſunt recenſendæ. Suarius ab obligatione legendi excuſat eum, qui tota die aliquam actionem literariam defendit; cumque tales actiones in alijs Academijs ſint per tres horas matutinas, & tres veſpertinas, in alijs per binas, videtur cenſuiſſe Suarius ſex horarum laborem eſſe ſufficientem, vt quis ab Officio excuſetur. Ergo probabiliùs excuſabit labor horarum duodecim: probabilius, ſi fuerit legitimè iunctus, & bonum proximi, aut publicum, aut priuatum reſpiciens.

Articulus XII. *De paruitate materiæ in Officio Diuino.*

Canonici Officij ſyntaxis.

OFficium conſtat partibus ſubſtantialibus, & accidentalibus: ad harum lectionem teneris leuiter: peccabiſque mortaliter, ſi omiſeris ex ſubſtantialibus materiam magnam. Omittens vnam horam ex paruis, (nimirùm, in Officio Monaſtico) probabiliter excuſari poteſt à peccato mortali.

Paruæ horæ omiſſio.

CENSVRAE.

MCXXVII. HARVM Syntheſium, quas *Commentarius meus in Regulam Diui Benedicti* perſuadet, & *Scholion* teſtimonijs expreſſis Melliſlui mei Doctoris corroborat, pleraſque certas, & reliquas verè probabiles, poſſeque omnes, & ſingulas ſine conſcientiæ ſcrupulo defendi, & practicari iudico. Louanij 20. April. 1639.

Ioannes Caramuel.

Idem ſenſit Louanij die Exaltationi S. Crucis ſacro 1640.

Fr. Andreas à Turri S. Theol. Doctor, Profeſſ. Ord. Præd.

Idem ſentit Brugis 10. Iulij 1640.

Fr. Petrus Damaſus de Coninch Ordinis D. Auguſtini S. Theolog. Doctor, & Profeſſor Louanij.

Idem ſenſit Louanij 14. Calendas Octobris 1640.

Henricus Loyens I.V.D. & in Acad. Louan. Decr. Profeſſ. Regius.

Idem ſenſit Antuerpiæ 14. April. 1636.

Gaſpar Eſtrix S. Theol. Licent. Canon. & Plebanus, ac Librorum cenſor.

Omnes iſti ſapientiſſimi viri Commentarium in Regulam, vnde ipſæ Theſes ſunt extractæ, approbarunt.

Sed anno 1636. idem ſenſit

Adrianus Cromius Soc. IESV Theolog. Profeſſ. Louanij.

Idem de eiſdem propoſitionibus ſenſit

Ioannes de Ionghe Soc. IESV L. Theologiæ Profeſſor Louanij.

Idem de eiſdem iudicauit

Ignatius Der-Kennis Soc. IESV Sac. Theol. Prof. Louanij.

Anno autem 1642. Ego, ait, etiam ſentio, ſaluo meliori iudicio, ſupradictas poſitiones propter authoritatem multorum eſſe probabiles, & in conſcientia tutas.

Fr. Patritius Brenanus Ord. Min. ſtrictæ obſeru. S. Theol. Lector Louanij.

Idem cenſuit etiam

Fr. Auguſtinus Eganus eiuſdem Ordinis S. Theol. Lector.

Idem etiam de eiſdem poſitionibus ſenſit

Fr. Raymundus Caronus eiuſdem Ord. S. Theol. Lector Louanij.

Sub finem anni eiuſdem ſubſcripſit eiſdem aſſertionibus

Ludouicus de Scildere Soc. IESV S. Theolog. Profeſſ. Louanij.

Nec non etiam

Franciſcus de Cleyn Soc. Ieſu S. Theol. Profeſſ. Louanij.

In Duacenâ Vniuerſitate has Theſes examinarunt, & probabiles iudicarunt

D. Ioannes de Eſpieres Sacræ Theologiæ Doctor, & Monaſterij Aquicinctini Magnus Prior, & Librorum Cenſor.

D. Antonius du Gardin S. Theologiæ Licentiatus, eiuſdemque Monaſterij Lector, & tertius Prior.

In

In Vniuersitate Colonienſi

Ioannes BlanKenbergius, Abbas Veteris-montis, Ciſtertienſis Ordinis Vicarius Generalis, &c. S. Theologiæ Doctor, &c. anno 1644.

P. Iacobus Emans Ordinis Carmelitarum S. Theolog. Doctor, & Profeſſor Coloniæ, &c. ſubſcripſit dum eſſet Francofurti ad Mœnum 24. die Martij anno 1645.

Impreſſæ fuerunt iſtæ Syntheſes primò Brugis anno 1640. *in Commentario in Regulam S. Benedicti: ſecundò Louanij in Scholio D. Bernardi elimato ad Regulam S. Benedicti. Hi libri recuſi fuerunt, iterum Francofurti anno* 1643. *iterum Venetijs anno* 1651. *adeoque ab Ordinarijs Cenſoribus (Brugenſibus, Louanienſibus, Francofurtenſibus, & Venetis) ſunt recogniti, & examinati. Sed & iſtæ eædem Syntheſes ſunt repoſitæ in Theologia Fundamentali, quam Francofurti edidi anno* 1651. *& modo multo auctam recudo Romæ hoc anno* 1656. *Ergo illas adfirmat Cenſorum Romanorum authoritas.*

Et cur plura teſtimonia ſubſcribam? Doctis ſufficerent pauciora: indoctis autem nec plura ſufficere poterunt. Qui voluerit videre has Syntheſes deductas, & probatas, legat meam Moralem Theologiam, & Scholion, vbi ſingulas dilucido, & multis alijs Authoribus probo, & confirmo.

Secunda Authoris Syntheſium præcedentium CENSVRA.

MCXXVIII. SCripſi ante annos viginti iſtas Syntheſes (nimirùm, ſub annum 1635.) vt Diſcipulorum mentes ad bona fundamenta formarem: poſteà illas in Commentario in Regulam S. Benedicti, & in Scholio iterum vberius repoſui, & expoſui; ſed quia non omnes ad manum habent illos libros, tametſi tertiò editos; accuratè illas relego, & ne aliqua æquiuocatio, aut hallucinatio Lectorem impediat, has pauculas lineas ſubſcribo.

Relego has Syntheſes, & noto ad Art. I. Aio, Legem æternam Theologicam, & Decalogum, eſſe duo nomina, vnam rem. Addo, malitiam eſſe quadruplicem; realem, intentionalem, moralem philoſophicam, & moralem theologicam: tres priores in actuum medullis, & rerum naturis ante voluntatis, & præcepti diuini conſiderationem reperiri: quartam non fore in vllo actu, ſi non eſſet Decalogus. Vide Prologum *num.* 2. & Fundamentum XII. *num.* 317. vbi iſta vberiùs, & explicatiùs tracto.

Leges Pœnales iudico eſſe diſiunctiuas: & quia etiam multæ Morales etiam diſiunctiuæ videntur, legi iubeo, quæ cum Eminentiſſimo D. Cardinale Lugone diſſero à *num.* 277. & præcipuè *num.* 296.

Actus purè internos non ſubijci Eccleſiæ poteſtati permitto ob authoritatem Doctorum: at mihi videntur argumenta, quæ humanos (hoc eſt, inter nos ſimul & externos) directè ſubijciant, etiam purè internos ſubijcere. Vide *num.* 471.

Lex, ſi non acceptetur, non obligat. Sed cur? quia Pontifex inuitos obligare non vult, Rex non poteſt.

Contemptor Regulæ peccat mortaliter: at non eſt contemptor, qui ſæpe rem negligit, ſed, qui ideò negligit, quia præcipitur. Nota hoc bene. Qui dixerit, *Quidquid Prælatus meus præcipiat, omittam; quidquid inhibeat, faciam;* etiam cùm leuia omittit, aut committit, peccat mortaliter: propter animum, quem habet ad grauia perpetranda paratum. Cæterùm, qui diceret, *Paratus ſum obedire Prælato in omni re, & præcepto graui; at in rebus leuibus obedire illi nolo: faciam res leues, quas inhibeat, omittam res leues quas præcipiat;* non peccabit mortaliter. Ergo, vel iſte debet dici non eſſe verè, & propriè contemptor; aut debet dari diſtinctio contemptûs venialis, & mortalis.

Moneo, præter quaternas partes, in quas Totum diuidunt Medici; & octonas, in quas Intenſionem Philoſophi; dari duodenas, in quas Extenſionem diuidunt Mathematici: ad quas fortè meliùs reduci poterunt Moralitates. Moneo iterum, dari materias abſolutè magnas, & abſolutè paruas, quibus hæc conſideratio non præſcribit: ipſa enim ſe continet intra terminos dubios, inter quos fluctuant Authorum opiniones probabiles. Hinc patet nimis oſcitanter legiſſe textum Scriptores, qui iſtam doctrinam impugnarunt. Dicunt: *Octaua pars materiæ magnæ eſt leuis: ergo, ſi totum continet mille aureos, furari centum viginti erit leue: quoniam* 125. *ſunt magnæ materiæ octaua pars.* Sic aliqui: quibus Textus ipſe reſpondet, diſtinguendo antecedens. octaua enim materiæ magnæ pars, ſi aliàs non ſit abſolutè res magna, erit relatiuè res parua, conceditur: aliàs, negatur. Et ideò negatur conſequentia, quia 125. aurei ſunt abſolutè loquendo res grauis. Legatur attentè Syntheſis, & eiuſdem expoſitio, quæ vberiùs ponitur in Theologiâ Regulari. Interim, ne hallucinationibus præpediar, & Lectorem morarer, conſultò hoc toto Opere Fundamentali à doctrinâ iſtâ abſtineo, & in genere loquens permitto materiæ magnæ, & paruæ differentiam committi hominis prudentis iudicio. Sed de hoc iterum alibi. Ad Artic. II.

Pronuncio, Superiorem, ſtando nudo Iuri Ad Artic. III

Iuri naturæ, non poſſe obligare ſubditum in materia probabili; at ſtando præſcriptæ conſuetudini, & Iuri Canonico, & Politico, poſſe. Vide quæ dico *Fundamento XI. num. 265.*

An, & quomodo opiniones dicantur æquè tutæ, aut tutiores? expono *in Prologo*, & iterum *num.265.*

Ad Artic.IV. Deſidero hanc doctrinam accuratè perlegi; multi enim Authores vocum ſignificationem alterant; multi bene expoſitis abutuntur. Lege *Prologum*.

Ad Artic.V. Qui Nouitiorum approbationem ad iuſtitiam reducunt, volunt melioris eſſe conditionis Nouitium, quàm Communitatem. Olim apud Benedictinos, neque ſine cauſa poterat Nouitius egredi, neque etiam ſine cauſa dimitti: hodie Nouitij ante profeſſionem non ſe obligant Communitati. Interim pietas, & prudentia poſtulare videntur, vt nemo ſine cauſa dimittatur: quod ipſum communis conſuetudo confirmat.

Ad Artic.VI. Subditus, qui eſt in loco, vbi iubent ſui Superiores (videlicet, in Monaſterio, in Grangia, in Vniuerſitate, in Collegio, &c.) bene ſatisfacit promiſſæ ſtabilitati.

Ad Art. VII. Omnes Superiores ſunt Patres familias, & præſcindendo à voto poſſunt imponere præcepta moralia: ſed, qui ea temerauerit, licèt peccet, non tamen erit periurus, aut ſacrilegus.

Ad Art. VIII. Dominium in Manuſcripta, quod habent Religioſi, videtur eſſe intentionale, & diſtingui à dominio proprietatis, quo ſuas pecunias poſſident ſæculares. Ariſtotelis enim liber, etſi à me emptus, Ariſtotelis eſt. Hinc oriuntur æquiuocationes nonnullæ, quæ luce indigent.

Regula S. Benedicti nulla munera ſine licentia Superioris permittit: puto alios Religioſos habere ſimiles leges (tacitas, aut expreſſas) vi quarum licentiâ indigeant, vt manuſcripta ſua poſſint ſuis amicis donare.

Ad Art.IX. Peccata contra naturam ita diſtinguuntur, vt earum diſtinctio debeat in confeſſione explicari. Hoc ſtante, cùm teneamur numerum, & ſpeciem peccatorum exponere, poterit aliquis interrogare, An illa diſtinguantur vera ſpecie; an veriùs in illis multæ leges violentur, quæ ſunt integrales, & conſtitutionem vnius actûs moralis, & virtuoſi concernunt? mores non tangit iſta Quæſtio, & liberè diſputari permittitur. Hoc vltimum videtur S. Thomas ſentire, cui nos ſubſcribimus, & nobiſcum plurimi Viri ſancti, & docti.

Ad Art. X. Si eſſet lex expreſſa, quæ Iunioribus priuatam lectionem horarum indiceret, vi illius tenerentur ad illarum lectionem ſub mortali. Conſuetudo inualuit, & in pleriſque Religionibus datur lex implicita. cùm ergo implicita æquiualeat expreſſæ: dicendi ſunt teneri ad officium diuinum.

Attentionem putarem poſſe ab Eccleſia præcipi: imò eſſe præceptam: ſed quia plurimi aliter ſentiunt, eos in ſuo ſenſu abundare permittens, aio eſſe probabilem ſententiam, quæ attentionem, vt proferantur verba, non autem, vt intelligantur, requirit.

Ad Art. XI. Nimis ætate noſtra ſunt delicati ægroti, & nihil illis ſufficit, vt curentur. Non morbo ſolùm, ſed interdùm Superiores ſolent ſuorum Subditorum condeſcendere fragilitati, aut etiam puſillanimitati. Monendi tamen ægri ſunt, quamdiu non laborant extremè, vt ſub virtutis ſpecie nec Officij canonici lectionem, nec abſtinentiam à carnibus, nec alias Regulares obſeruantias omittant: experientia enim docet, pleroſque omnes ægrotos poſſe, ſi velint, regulares pœnalitates obſeruare; ſed non teneri ſi prudentis Medici, & Confeſſarij conſilio, & authoritate regantur.

Canonici, & Beneficiarij recitant horas canonicas ex iuſtitia; Religioſi, qui in ſacris non ſunt, ex obedientia (Summum diſcrimen!) Horum & illorum peccata in hoc genere diuerſæ cenſuræ ſubiacent. Qui ex iuſtitia tenetur legere, non poteſt admittere occupationem, quæ Horarum lectionem impediat.

Occupatio, quæ duodecim horas non abſumit, non excuſet ab Officij lectione: quæ abſumat plures, ſi neceſſaria, & ineuitabilis, excuſet à modo, & circumſtantijs: tam enim eſt facile ſatisfacere Officio Diuino quoad ſubſtantiam, vt non velim aliquem virum ſanum, ob occupationes, etiam ſummas, & extraordinarias, excuſare.

Ad Art. XII. Non eſſe mortale omittere vnam ex paruis horis, multorum fuit Theologorum opinio. Oppoſitum docuerunt alij, docentque, & aſſerente Diana hoc vltimum Romani Cenſores pronunciant. Ergo illis aſſentire: ſcias tamen non eſſe bonam conſequentiam, *Omiſſio vnius tertiæ eſt materia magna in Officio Romano: ergo etiam in Benedictino*; quoniam Romana ad Benedictinam fere dupla eſt.

Hæc modò occurrunt, vt Syntheſes iſtæ intelligantur bene. Pronuncio igitur iterum, ipſarum nonnullas eſſe certas, & indubitatas omnino, & cæteras ſaltem probabiles: & nomen meum ſubſcribo Romę Calendis Iulijs anno M.DC.LVI.

Caramuel.

RE-

REGVLAE IVRIS CIVILIS.

DIGESTORVM Liber quinquageſimus (videlicet Titul. XVII.) eſt de diuerſis Regulis Iuris antiqui, quibus Iuris-periti vtuntur paſſim, nec tamen ſemper ſine errandi periculo. Hanc ob rem Ego volui illas recognoſcere, & in ſingulis aut pleriſque ea notare, quæ digna ſcitu, ne in earum intelligentia & vſu poſſis hallucinari.

I.

De Regula.

MCXXIX. REgula eſt, quæ rem quæ eſt breuiter enarrat; non vt ex Regula Ius ſumatur, ſed vt ex Iure, quod eſt, Regula fiat. Per Regulam igitur breuis rerum narratio traditur, & vt ait Sabinus, quaſi cauſæ coniectio eſt, quæ ſimul cùm in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum. *Ita Paulus lib. 16. ad Plautium.*

Quid ſit Regula?

Cauſam conijcere, eſt argumentum rei breuiter & ſummatim Iudici exponere. Cic. ad Her. lib. ſecund. Gel. libr. 17. c. 5. & l. 5. c. 10.

Nimis hîc multa Paulus, quæ poſſet omittere, ſi Regulam vellet exactiùs & meliùs definire. Imò videretur Regulam non debere definiri; nota enim hæc vox eſt; & quidquid addideris, tenebras inferet.

Diſcrimen inter Legem & Regulam?

Hæc eſt differentia inter Legem & Regulam: nam Lex eſt vitæ Regula, at Regula eſt Lex aliqua generalis ex multis Legibus particularibus deducta. In hoc enim libro Caſus ſeu Leges ſimiles reducuntur ad claſſes, & ad generaliores Leges, quæ ideò dicuntur *Regulæ*, reducuntur.

An Regulæ ex Iure: an verò Ius ex Regulis?

Non ſumi Ius ex Regulis, ſed Regulas ex Iure, ait Paulus: & verum dicit: at præſtitiſſet Regulas priùs fuiſſe conſtitutas, & poſteà Ius ex illis per neceſſarias conſequentias deduci: tunc illæ eſſent vniuerſales, & illud citiùs addiſceretur & intelligeretur. Sed quia Iura non omnia ſimul fuerunt facta, nec ab vno; non potuerunt omnia eſſe ſimilia, nec ad infallibilia fundamenta reduci.

II.

De fœminis & impuberibus.

FOeminæ ab omnibus officijs ciuilibus vel publicis remotæ ſunt: & ideò nec Iudices eſſe poſſunt, nec Magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio interuenire, nec procuratrices exiſtere. ITEM impubes omnibus officijs ciuilibus debet abſtinere. *Vlpianus lib. 1. ad Sabinum.* Coniunge *l. 10. de ſtatu hominum.* & *l. 7. de bon. poſſ.*

An poſſint fœminæ ad dignitates promoueri?

Meritò eâdem lege fœminas & impuberes ab officijs publicis arcet Iuriſconſultus, meritò ex illo Iuſtinianus; quoniam vterque rationis fortitudine caret, & ad officia publica ſumma prudentia & iudicium requiritur.

An mulierum ſint fortia Iudicia?

Laborant in conſequentia Reſpublicæ

Sed cur fœminis inferiores non ſolent dignitates conferri, ſummæ ſolent? Non ſunt Iudices, non Aduocatæ, non Senatrices, non Procuratrices, & tamen ſunt Imperatrices, Reginæ &c. Quid ſcio? Ratio videtur dare manus potentię: quę enim probat fœminam eſſe poſſe Reginam, à fortiore probabit, ſi cætera adſint, poſſe eſſe Iudicem: & quæ hoc diſſuadeat, etiam prius diſſuadebit. Ergo vel fœminas ad nulla munia publica admitte (id Gallus facit) vel ad omnia: vel cur debeant ad ſumma, & non debeant ad inferiora promoueri, nos doce.

Dices, fœminas eſſe poſſe Reginas, quia poſſunt & ſolent vti bonis Miniſtris; & dignitates inferiores aſſeris eſſe perſonales.

les. Sed non do manus. Quàm ſit neceſſaria Regis animoſa prudentia, hiſtoriæ antiquæ & nouæ docent: cùm tamen certum ſit, rarò in fœminis prudentiam cum generoſitate coniungi. Sed cur meum Lectorem fatigo? Mundus hucuſque per ſalebras iſtas defluxit: ſumma in illo fiunt minimi, minima maximi: hac etiam olim defluet: nemo poteſt adhibere remedium; ergo inutiles conſiderationes & ponderationes omittamus.

An ſint fœminæ generoſæ & prudentes?

III.

Non-nolle. Velle.

EIus eſt non-nolle, qui poteſt velle. *Vlpianus lib.* 3. *ad Sabinum.*

An non hîc obluditur verbis?

[Conſonat legi 4. *de adquir. hæred.* Vnde erui poteſt vera Regulæ lectio.

Nolo examinare, An idem ſit *non-nolle* & *velle?* Nolo diſquirere, An *nolle* ſit *velle non?* hæc enim nimis ſubtilia ſunt, & ſupra neceſſitatem loci & temporis. Rem nihilominùs expono breuiter. *Velle* & *Nolle*, duos eſſe actus poſitiuos (vocantur *Amor*, *Odium*: aut etiam *Proſecutio* & *Fuga*) communis affirmat opinio. Et hinc dicendum eſt aliud eſſe *nolle*, aliud *non-velle*. Ego in Herculis Logici labore illo primo, qui inſcribitur, *Nil negans*, pronuncio non dari in voluntate duos actus poſitiuos, qui ſint volitio & nolitio; ſed voluntatis eſſe *velle* tantummodò. Quid erit ergo *nolle?* Aio negationem ſumi poſſe formaliter & obiectiuè. Si ſumatur primo modo, *nolle* erit non velle, & nolitio erit volitionis omiſſio: ſi ſecundo, *nolle loqui* erit velle non loqui; & nolitio circa loquutionem erit volitio circa non loquutionem.

An nolle ſit non velle, an potiùs ſit velle non?

Amor & odium.

Proſecutio & fuga.

Negatio in voluntate duplex: obiectiua & formalis.

Hinc redeo ad Regulam. Illam referibo. *Eius eſt velle, qui poteſt velle.* Fruſtra enim poſtulatur conſenſus ab homine, qui non poteſt conſenſum præbere.

Senſus Regulæ.

IV.

De Obedientia.

MCXXX. VElle non creditur qui obſequitur imperio Patris vel Domini. *Vlpianus lib.* 6. *ad Sabinum.*

Non eſt idem, non creditur velle, & creditur non velle. Recognoſce leg. 6. de adquir. hær.

[Loco *Patris* aliqui, legunt *Partis*, ſed male.]

Nota illud *non*, & vide quam particulam afficit. Non æquipollent hæ duæ phraſes, *Petrus creditur non velle*, & *Petrus non creditur velle*: & quidem primâ non vtitur Iuriſconſultus, ſed ſecundâ. Et rem ipſam exemplis nonnullis dilucido. Thomas Sanchez Superiorum mandato obſtrictus aut prædeterminatus, nonnullas retractauit ſententias. Et ego quid dicturus ſum obſecro? vnam ex his tribus propoſitionibus. *Ego ſcio, quod illas recantare non voluerit, ſed coactus & inuitus retractarit. Ego ſcio, quòd illas retractare voluerit, & ex animo & ſententia in recantatione proceſſerit. Ego neutrum ſcio.* Sed quam? Non primam; non enim præcepta tollunt libertatem. Non ſecundam; non enim repugnat, poſito hominem præcepto id facere, quod aliàs faceret, tametſi præceptum non eſſet: nam (vt video, videſque) te non occîdis, & hoc homicidium omittis ex duplici cauſa totali: omittis enim, quia te amas; & omittis etiam, quia vis ſatisfacere legi; quâ ablatâ tuam etiam conſeruares ſalutem. Dicerem ergo tertiam, vt Vlpianus affirmat.

An Thomas Sanchez aliquas ſententias retractarit?

Hinc patet, poſito præcepto, aut iuriſiurandi ſtatuto, non poſſe Doctores pro immaculata Conceptione citari, non poſſe contra; errarem enim, ſi dicerem, *ſcio eos loqui ex dictamine*; errarem ſi dicerem, *ſcio eos loqui contra dictamen*. Et, ne mè exponam errandi periculo, dicam, *Quamdiu illi liberè nequeunt loqui, quid ſentiant, aut non ſentiant, non ſcio.*

An citari hodiè Theologi queant in cauſa immaculatæ Conceptionis?

V.

De furioſo & pupillo.

MCXXXI. IN negotijs contrahendis alia cauſa (ratio) habita eſt furioſorum & alia eorum, qui fari poſſunt, quamuis actum rei non intelligerent. Nam furioſus nullum negotium contrahere poteſt, pupillus tutore auctore agere poteſt. *Paulus lib.* 2. *ad Sabinum.*

[Coniunge leg. 6. *de adquir. hæred.*]

Docet Iuriſperitus aliam eſſe legem de pupillis, aliam de furioſis; ſed differentiam non probat in prudentia fundari; non enim video, cur non poſſit furioſo dari tutor? non video cur non poſſit manere dominus, ſtante quocunque delirio? Si dicas, infantem ſucceſſu temporis vſum rationis habiturum, de ſalute furioſi Medici non deſperant, ſæpe enim ad ſe redeunt, & pharmacis ſuſceptis iuuantur. Si furorem, morbum dicas immedicabilem, non ſtatim admittam eſſe bonam con-

An poſſit furioſo dari tutor?

An poſſint furioſi recurari

conſequentiam, *Laborat morbo immedicabili: ergo perdet ſuarum rerum dominium.* Et ſi morbum ad phreneſin contrahas, non dabis rationem, quæ euincat, aut infantes, qui ante rationis vſum ſunt morituri; aut adultos, qui ante rationis recuperationem vitam ſunt deſerturi (eadem enim de vtriſque ratio eſt, ſtando naturali Iuri) perdere rerum dominium, ſi quod habent.

VI.

De hærede.

MCXXXII. NOn vult hæres eſſe, qui ad alium transferre voluit (*lego*, vult) hæreditatem. *Vlpian. lib. 7. ad Sabinum.*

Vlpianus correctus.

[Coniunge *l. fuit qu. de adq. hær.*]

Correxi illud *voluit*, & ſuperſcripſi *vult*; quoniam retentâ voce *voluit*, Vlpiani ſententia eſſet falſa. Nam ſi Petrus heri voluit transferre ad Ioannem hæreditatem & hodie non vult illam transferre, ſed retinere potiùs, erit verum antecedens, & falſum conſequens in hoc enthymemate, *Petrus heri voluit transferre hæreditatem ad Paulum. Ergo hodie non vult eſſe hæres.*

Præterea, illud verbum *transferre*, etiam debet expungi; quo nimirùm retento, adhuc Vlpiani reſponſio falſa eſt. Non enim capio, quo transferre queam modo, quod non ſuſcipio & alteri condono aut cedo. Petrus igitur, vt transferat in Paulũ ius, debet illud priùs acquirere, & tranſferre poſteriùs. Ergo contrarium deberet Vlpianus inferre: nimirùm, ex eo quod Petrus transferre hereditatem velit, duo colligi; primum, acceptauiſſe hereditatem Petrum: ſecundum, non velle eam retinere, ſed ad Paulum tranſmittere.

Quid ſit transferre?

Ius in re, & ius in rem.

Cæterùm, ſi inter Ius in rem, & Ius in re velis diſtinguere, & dicere Petrum non habere Ius in re, ſed Ius in rem: & hoc transferre ad Paulum, vt iſte adquiſito Iure in rem, progrediatur, & adquirat etiam Ius in re; omnia admittam, ſed te loqui caſtigatiùs iubebo.

VII.

De teſtato & inteſtato.

MCXXXIII. IVs noſtrum non patitur eumdem in Paganis & teſtato & inteſtato deceſſiſſe; earumque rerum naturaliter inter ſe pugna eſt: teſtatus, & inteſtatus. *Pomponius lib. 3. ad Sabinum.*

An vnus & idem homo poſſit teſtatus & inteſtatus deuiuere?

Noto illud, *Ius noſtrum*: non ergo omne Ius, ſed Cæſareum. Noto & illud, *pugna eſt*; nam ſi Teſtatum & Inteſtatum ſunt repugnantes termini, non in Cæſareo ſolùm Iure, ſed in quocunque alio deberent repugnantes cenſeri.

At ego non video, cur non poſſit, aut etiam debeat homo, partim teſtatus, & partim inteſtatus deuiuere. Primò, quia ſunt multa, de quibus æger non poteſt in teſtamento ſuo diſponere: nam ſæpè concurrunt bona ſola & vinculata; quorum priora legari poſſunt, poſteriora non poſſunt. Si Comes aliquis omnia ſua bona libera filio ſecundo leget, an non (niſi velimus contendere de ſolis verbis) ſi nihil de Comitatu ſtatuat, dicendus erit mori teſtatus, & etiam inteſtatus ex parte: ac propterea bona libera vi teſtamenti ad minorem, & bona vinculata iure maioratûs pertinere ad maiorem?

MCXXXIV. Scio in alijs Prouincijs non cenſeri hæredem, qui omnia, quæ ſolutis legatis, remanent, non ſit habiturus: at in Bohemia, contra ſunt caſus etiam & leges; & vt me exponam clariùs, ponam ob oculos teſtamentum, quod ante annos paucos ſub lite fuit. Erat Titius Vir diues, & habebat in Auſtria & Bohemia bona plurima; deuiuit Viennæ, & iuxta leges Auſtriacas teſtamentum ſuum condit, omiſſis ſolennitatibus nonnullis, quas poſtulant Bohemorum Tabulæ. Iudicatur in Auſtria illud, iudicatur etiam in Bohemia; ibi validum, hîc inualidum. Obijcitur, ſufficere, vt teſtamentum fiat iuxta leges loci in quo fit, vt vbique terrarum ſit validum. Negant Bohemi, voluntque vbique terrarum illud fiat, debere fieri iuxta leges Bohemicas, aut in Bohemia cenſendum inualidum. Quid ergo poſt litem & contentionem moleſtiſſimam? Virtute teſtamenti hæres à Titio inſtitutus bona, quæ in Auſtria, habuit; & quæ in Bohemia, hæredi, qui ab inteſtato, hoc eſt, cognato proximo (cuius in teſtamento nulla mentio) fuerunt adiudicata. Hunc mihi caſum, & alios etiam de teſtamentis Ciuium, Nobiliumque, narrat mihi hîc Pragæ Ampliſſimus D. Kridelius.

Iuxta quas condi leges debeat teſtamentum: an iuxta leges loci, in quo fit. an iuxta leges loci, in quo ſunt bona, quæ legantur?

VIII.

De iure ſanguinis.

MCXXXV. IVra ſanguinis nullo Iure Ciuili dirimi poſſunt. *Pomponius ad Sabinum lib. 3.* [*l. 4. de ſuis & legit.*]

An conſanguinitas lege politica perdi aut adquiri poſſit?

Moralitates & Virtualitates, quæ actiones humanas afficiunt, rerum phyſicarum naturam & ſtatum non alterant. Nam tametſi ponamus hunc characterem A eſſe Petrum, & hunc B eſſe Paulum, neuter character erit phyſicè homo, neuter phyſicè animal rationale. Hinc eſt, quod ſi Franciſcus genuerit Ferdinandum, & hoc declarato exhærede Felicianum adoptet, nunquam facturus ſit, quòd Ferdinandus, qui à ſe genitus, non ſit ſuus filius phyſicè: & nunquam facturus ſit etiam, quòd Felicianus, homo exter, & nullo ſibi vinculo cognationis deuincto, ſit eius filius naturalis.

Nequeunt] phyſicè;

Poſſunt tamen moraliter.

Cæterùm hac doctrinâ, quæ eſt veræ, omninò, non obſtante, Iura ſanguinis dirimuntur moraliter & virtualiter; hoc eſt, ita ſe habent, ac ſi filius non eſſet. Expater, tametſi realiter pater ſit, ita ſe habet, ac ſi pater non eſſet. Et adoptatus, tametſi filius naturalis non ſit, ita ſe habet intra adoptionis terminos, ac ſi filius naturalis eſſet.

IX.

De ambiguis.

MCXXXVI

SEmper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur. *Vlpianus lib.* 15. *ad Sabinum* [*ex l. ſi ita ſcriptis* 14. *de legat* 1.]

Nota bene expoſitionem huius Regulæ.

Sed in cuius fauorem? ſæpe enim, quod reſpectu vnius fuerit minimum, reſpectu alterius fuerit maximum. Exiſtimo id intelligendum in poſſeſſionis fauorem, nimirùm, ſi res odioſa ſit. Si fauorabilis, reſpectu Principis, minimum eſt ſequendum vt reſpectu ſubditi poſſint Priuilegia ampliari.

Conſulendum eſt poſſeſſioni. Item Priuilegio contra Principem.

X.

De æquitate ſeu æqualitate.

MC. XXXVII.

SEcundum naturam eſt, commoda cuiuſcumque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda. *Paulus lib.* 3. *ad Sabinum.*

An ſemper ex incommodis ſequantur commoda?

Non video eſſe veram hanc Regulam; multa enim fortè dantur, quæ tibi ſint merè incommoda, multa quæ merè commoda; & in neutris poterimus ex incommodis ad commoda diſcurrere, vel contrà. Puto Iuriſconſultos eſſe interdum negligentes verborum, & non peccare mente, ſed labio. Sic hanc Regulam ſcribo. *Æquum eſt, vt qui poſſeſſæ rei patitur incommoda, etiam fruatur commodis, ſi qua habet.* Et, vt exiſtimo, hoc ſolùm dicere voluit Paulus.

Conuerſio Regulæ.

Ex hac Regula, per conuerſionem, poteſt oriri altera. Nimirùm, *Æquum eſt, vt qui poſſeſſæ rei fruitur commodis, etiam patiatur & toleret incommoda, ſi qua habet.* Conſonant vtrique tam Iuniores, quàm Veteres, & præcipuè Terentius *in Hecyr. act.* 5. *ſcen. penult.*

XI.

De tranſlatione dominij.

MC. XXXVIII.

ID, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt. *Pomponius lib.* 5. *ad Sabinum.*

Reijcitur, & impugnatur iſta Regula.

Sed quid eſt illud *ſine facto noſtro?* An non ſæpè merâ negligentiâ & incuriâ trãſferuntur dominia? Ardet mea domus, aut famuli ignaui ſocordiâ, aut ſecretâ inimici malitiâ; & iuxta multarum Prouinciarum leges condemnor, vt damna refundam vicinis, & mulctam Ciuitati notabilem. Et in tali caſu, non obſtante iſtâ Regulâ, pecunia noſtra ſine facto vllo noſtro, ad fiſcum & vicinos transfertur.

An ſine actione noſtra transferantur dominia?

An ſaltem ſine pacto noſtro?

Puto igitur verba illa, *ſine facto noſtro*, debere reſtitui, vel corrigi, vt ſint *ſine pacto noſtro*; dominia enim rerum non aliter mutantur, quàm ex pacto. Nam ſi dones, contractum donationis paciſceris. Et ſi authoritate publicâ ſpolieris, mutantur dominia vi pacti ſub initium iniri cum Republica, cùm eius leges acceptaſti. Hinc eſt te poſſe ſine facto tuo, non verò ſine pacto tuo; rerum dominium amittere & tranſducere ad alterum.

XII.

De teſtamentorum interpretatione.

MCXXXIX.

IN teſtamentis pleniùs voluntates teſtantium interpretamur. *Paulus lib.* 3. *ad Sabinum.* [Coniunge leg. *fund. de vſu & hab.*]

Si legatarij immediatè à defuncto dominium acciperent, eſſet multò maior & intricatior difficultas: quam ſufficiat tetigiſſe & libaſſe.

Sed quid eſt interpretari pleniùs? An dubia exponenda ſunt in fauorem hæredis, an in fauorem legatarij? Examinandum, quid diceret teſtator ſi adhuc viueret; &, ſi hoc reſciri queat, hoc eſt tenendum. Et, ſi non; videtur hæres in teſtatoris locum ſuccedere, & eſſe poſſeſſor, nec deberi hæreditate certâ ob legata dubia priuari. Vide inferiùs Regulam XVII.

De

XIII.

De effectu exceptionis.

MCXL NOn videtur cœpiſſe, qui per exceptionem [à petitione] remouetur. *Vlpianus lib. 10. ad Sabinum.*

Moraliter incipere quid ſit? Non cœpit ſcribere, qui ſiccum calamũ & carentem atramento mouit: quæ enim inutiliter aguntur, moraliter dicuntur infecta. Cùm igitur petitio ſit cauſæ initium, vbi ipſa per exceptionem remouetur, initium ipſum remouetur; & qui cauſæ initium non poſuit, non incepit.

XIV.

De die obligationis.

MCXLI IN omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur. *Pomponius lib. 5. ad Sabinum.*

Eſt certa, & praxi omnium populorum conſentiens.

XV.

De effectu actionis.

MCXLII. QVi actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur. *Paulus lib. 4. ad Sabinum.*

De iure in rem, & iure in re. [Coniunge legem. *Eamdem 73. de leg. 3.*]

An diſtinguantur? Non patiar *Ius in rem* & *Ius in re* confundi: non enim qui habet illud, hoc habere videtur: & ſi cui hoc habere videatur, male videtur. An ne actio ad rem recuperandam aliquid aliud eſt, quàm ius in rem? Fortè eiuſmodi actionis vocabulo non iam nudum ius in rem, ſed ius in re examini & tribunali propoſitum: & ſi hoc, Pauli vera ſunt verba, & poſſunt ſic dilucidari. *Qui habet ius in rem, illudque coram integerrimis Iudicibus propoſuit, ſperet ab eorumdem ſinceritate ſe citò adquiſiturum eſſe Ius in re; imò putet ſe habere hoc, quoniam qui parum diſtat nihil diſtare videtur.*

Parum reale ſolet eſſe moraliter nihil.

XVI.

De imaginario contractu.

IMaginaria venditio non eſt pretio accedente. *Vlpianus lib. 21. ad Sabinum.* MCXLIII.

Imaginariæ venditioni reſpondet ſolutio imaginaria. Contra imaginarios contractus multa à doctis ſcripta, quæ ad paucas paginas reduci nequeunt: eorumdem eſſentiam nos docet hîc Vlpianus; qualitates apud alios Scriptores legemus.

XVII.

De tempore.

CVm tempus in teſtamento adijcitur, credendum eſt pro hærede adiectum, niſi alia mens fuerit teſtatoris. Sicuti in ſtipulationibus, promiſſoris gratiâ tempus addicitur. *Vlpianus lib. 23. ad Sabinum.* MCXLIV.

[Coniunge legem 10. & 13. *quando dies legat. cedit.*]

De imminutione valoris in nummis. Hæc Regula firmat duodecimam, & etiam ipsâ duodecimâ firmatur. Vt illam dilucidem, duos caſus pono. [Petrus emit domum, & conuênit cum venditore hac lege, vt mediam partem pretij numeraret ſtatim, & anno ſequenti alteram mediam. Et Franciſcus antequam moreretur, Anſelmum deſignauit hæredem, iuſſitque vt poſt annum mille ducata Ioanni daret. Interim ſubauditur minuendam valore monetam; & ſibi conſulentes Petrus Antoniuſque præueniunt terminos, & ante diem conſtitutum ſoluunt; ille venditori, hic legatario.] Caſibus ſic propoſitis, quæritur primò, An venditor poſſit non acceptare ſolutionem, ſed potiùs Petrum cogere ne ſoluat ante diem deſignatum? & ſecundò, An Ioannes poſſit non acceptare legatum, ſed potiùs Antonium compellere, ne ante diem ſatisfaciat? Et ad vtrumque reſpondet negatiuè Vlpianus; niſi fortè aut ex venditionis contractu, aut ex teſtamento colligatur apertè, terminos, non in fauorem ſoluturi, ſed recepturi deſignatos.

An poſſit nõ acceptari ſolutio, aut legatum, ſi ante tempus detur?

XVIII.

De adquiſitione.

QVæ legata mortuis nobis ad hæredem noſtrum tranſ- MCXLV.

eunt, eorum commodum per nos his, quorum in poteſtate ſumus, eodem caſu adquirimus: aliter atque ſtipulati ſumus: nam ſub conditione ſtipulantes, omnimodò eis adquirimus, etiamſi libertatis nobis poteſtate domini conditio exiſtat. *Pomponius lib. 6. ad Sabinum.*

[Legunt alij, *Libertate præſtita à Dominis*. Et firmari videtur lege 78. *de verb. oblig.*]

Si filius familias ſub conditione ſtipulatus, emancipatus fuerit, deinde exſtiterit conditio, patri actio competit; quia in ſtipulationibus id tempus ſpectatur. *Paulus.*

An eodem modo de ſtipulatione & teſtamento philoſophandum ſit?

Conſtat ex his inter Teſtamentum & Stipulationem differentia; nam tametſi contractus ſint conditionati, diuerſimodè valere incipiunt. Quoniam teſtamentum eſt contractus donationis vltimâ voluntate initus, in quo mors eſt conditio, ſine qua non valet nec obligat: & poteſt reuocari quouſque mortis conditio purificetur; & hac poſitâ incipit inde valere; non enim à die ſcriptionis, ſed à die mortis incipit valere teſtamentum. At ſtipulatio incipit à die quo facta, habere valorem & vim, ſi tamen ponatur conditio. Hinc multorum caſuum diſſolutio; vnum aut alterum propono.

MCXLVI. Quando incipiat teſtamentum valere?

Ioannes grauiſſimo morbo laborabat menſe Iulio anni 1640. habebat domum, agroſque; illa erat vacua, hi ſegetibus pleni: & legauit in teſtamento agros Petro, domum Paulo. Interim meliùs habens, demetit ſegetes, & grana domum ſuam importat, & antequam agri ſeminarentur, obijt. Quæſitum fuit à multis, an grana ad Petrum pertinerent? et ratio dubitandi erat, quod illâ die qua teſtamentum conditum, illa non erant in granario, ſed in agro, et ſi illa Ioannes die deuixiſſet, pertinuiſſent omninò ad Petrum, non ad Paulum. Interim reſponſum ex Pomponio fuit, teſtamenti valorem à morte teſtatoris incipere, & horam mortis ſolam, non autem ſcriptionis horam conſiderandam. Cùm igitur teſtator horâ, qua moritur, loquatur, & leget agros, & domum, prout ſunt, dicendus eſt iſtam legaſſe plenam, iſtos vacuos.

Quomodo debeat explicari?

Erat filius familias Fridericus, adhuc ſub cura Patris; anno 1640. ſtipulatur illi Ambroſius mille aureos, ſi ſuæ naues feliciter ex India appellantur. Emancipatur Fridericus anno 1641. & naues appellantur anno 1642. & quia ſentit ſe Ambroſius ſtipulatione teneri, inquirit, cui debeat illos aureos dare, Friderico an Parenti? & ſi non dederit, Vtri actio in illos competat? Reſponſio eſt in fauorem Parentis, & deſumitur ex Pomponio & Paulo. Poteſt igitur Friderici Pater agere contra Ambroſium, ſi ſit in ſolutione moroſus, & illâ vti pecuniâ, eo nimirum modo, quo vſus fuiſſet, ſi fuiſſet ſoluta anno 1640.

XIX.

De conditione contrahentis vel legatarij. Et de doli exceptione.

MCXLVII. In Iure conſulitur his, qui ineunt neceſſarios contractus.

QVi cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis eius: hæredi autem hoc imputari non poteſt, cùm non ſponte cum legatarijs contrahit. NON SOLET exceptio doli noçere his, quibus voluntas teſtatoris non refragatur. *Vlpianus lib. 24. ad Sabinum.*

Ergo ex Regula & ratione Regulæ, poteſt alia multò clarior & vniuerſalior deduci. Videlicet: *Qui cum alio ſponte contrahit, cenſetur eiuſdem conditionem cognoſcere. Hæc autem ſcientia illi imputari nequit, qui contrahit ex neceſſitate.*

Ignorantia præſumpta:

Eſt Iuris Regula, *Ignorantia præſumitur, vbi ſcientia non probatur*, quæ videtur præſenti opponi, quoniam ſtando huic Regulæ, *Scientia præſumitur omnino, vbi ignorantia non probatur*. Vlpianus vtramque conciliat; quia quod affirmat de liberis hominis actibus, negat de neceſſarijs. Non enim ſemper habet tempus deliberandi & conſulendi, qui ad agendum compellitur.

Scientia præſumpta:

Vtriuſque conciliatio.

XX.

De fauore libertatis.

MCXLVIII. De libertate.

QVoties dubia interpretatio eſt, ſecundùm libertatem reſpondendum erit. *Pomponius lib. 7. ad Sabinum.*

Quid illa ſit?

Et quo ſenſu debet nomen *libertas* accipi? An pro libertate operandi? Minimè. Eſſet enim falſa iſta Regula. Quoniam in lege naturali & eccleſiaſtica non habent locum Cæſarum Sanctiones & Diſpenſationes. At fortè poſſet intelligi de libertate operandi contra leges ciuiles: ſed hoc non careret inconuenientibus. Dicendum ergo impræſentiarum, opponi

ſer-

seruituti libertatis vocabulum, & Iurisconsulti sententiam reduci posse ad hanc, *Quotiescumque agitur de seruitute alicuius hominis, si non sint conuincentes rationes, quæ illum esse seruum suadent, est pro libertate iudicandum.* Sed quid dicam de hac Regula, si sic exponatur?

An homo in dubio liber dicendus sit?

MCXLIX. Dicam, non esse Iuri naturali conformem: nam stando huic radicali & certissimo Iuri, beatus, qui possidet, iudicandum enim est pro possessione certa contra quaslibet rationes dubias. Vnde, si aliquis capitur, & dubitatur, an legitimè & validè, iudicandum pro possessione, quæ erat ante interceptionem dubiam. Ergo pro libertate: quia ante captiuitatem dubiam erat certa libertas. Præterea, si certum sit Franciscum fuisse seruum, & manumissionis dubię prætextu velis illum eximere à potestate proprij dominij, contra Te, Franciscum, & libertatem pronunciabo, & contra superuenientem manumissionem dubiam, seruitutem, quæ erat in possessione, propugnabo.

Libertas certa prævalet captiuitati dubiæ.

Et seruitus certa manumissioni dubiæ.

An-ne Cæsar ex Pomponio aliquid sancit dissonum Iuri naturæ? non existimo, sed puto potiùs hanc Regulam sic debere intelligi, & non aliter.

XXI.

De eo, quod est plus vel minus.

MCL. Hęc Regula generaliter intellecta falsa est. NOn debet cui plus licet, quod minus est non licere. *Vlpianus lib. 27. ad Sabinum.*

[Coniunge legem, *Si legato. 11. de manum. testa.*]

Plus & minus idem est ac Totum & Pars. Sic tamen Regulam intellige, vt illud minus sit pars illius, quod maius est. Nam aliàs centum erunt casus, in quibus non subsistat Regula: & ne omnes omittam, vnum aut alterum subscribam.

Plus est absoluere à peccatis, quàm absoluere à debitis: plus est soluere excommunicationis vinculum, quàm compedes & catenas carcerum: plus est animam mortuam suscitare, quàm corpus. At Sacerdos potest absoluere ab ære alieno, quo grauaris, nec liberare à vinculis, quæ te in carcere detinent, nec à morbo quo laboras; & si tandem moriaris, non poterit te restituere vitæ. Sacerdos igitur, tametsi præstare magna illa queat, ista, tametsi sint minora, non potest.

XXII.

De seruis. Et de eorundem conditione in arbitrium collata.

MCLI. An serui sint nulli moraliter? IN personam seruilem nulla cadit obligatio. GENERALITER probandum (approbandum) est, vbicunque in bonæ fidei iudicijs confertur in arbitriũ Domini, vel Procuratoris, eius conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum esse. *Vlpianus lib. 28. ad Sabinum.*

[Coniunge legem 7. *de vendit. de contrah. empt.*]

Supponit dominos & procuratores esse viros bonos, & pro talibus habendos esse: & statuit, in seruilem personam nullam obligationem cadere. Sed cur? Quia obligatio non nisi in aliquem cadere potest, & seruus est nullus virtualiter. An-ne omninò ille nullus?

XXIII.

De culpa, dolo, diligentia, & casu.

MCLII. Non omnes contractus recipiunt dolum & culpam. COntractus quidam dolum malum dumtaxat recipiunt; quidam & dolum & culpam. Dolum tantùm Depositum & Precarium: dolum & culpam Mandatum, Commodatum. Venditum, Pignori-acceptum; Locatum; item Dotis-datio, Tutelæ, Negotia gesta, in his quidem & diligentiam. Societas & Rerum communio & dolum & culpam recipit. Sed hæc ita, nisi siquid nominatim conuenit, vel plus, vel minus, in singulis contractibus: nam hoc seruabitur, quod principio conuenit. Legem enim contractus dedit, excepto eo, quod Celsus putat non valere, si conuenerit, ne dolus præstetur. Hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium est: & ita vtimur.

Contractus sunt leges priuatæ.

Damna, quæ à nullo præstantur.

Ani-

Damna, quæ à nullo præſtantur.

Animalium verò caſus, mortes, quæque ſine culpâ accedunt, fugæ ſeruorum, qui cuſtodiri non ſolent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, &c. à nullo præſtantur. *Vlpianus lib. 29. ad Sabinum.*

[Coniunge legem 11. *depoſiti*.]

Pro illis verbis, *In his quidem & diligentiam ſocietas, & rerum communio & dolum & culpam recipit*, legunt alij, *In his quidem diligentia, ſed & ſocietas & rerum communio & dolum & culpam recipit*: aduerſo ſenſu.

An negligentia leuis obliget ad reſtitutionem?

Hæc omnia pendent ab arbitrio potiùs, quàm à lege naturæ, ſeu ratione. Puto, ſtando iuri naturæ, rem ſibi concreditam debere cuſtodire hominem, quocumque titulo illius curam acceptet, & teneri ad reſtitutionem, ſi in eiuſdem cuſtodia tantam negligentiam habuerit, quæ ſufficeret ad culpam mortalem. Aſſero tamen poſſe ita duos paciſci, vt ad reſtitutionem alrer etiam ex leui negligentia teneatur; etiam ex nulla: etiam ex infortunio extrinſeco. Nam aſſecurationis contractus non à culpa, non à negligentia graui aut leui, ſed ſolummodo ab infortunio pendet; qui enim Amſtelodami, Dunc Kercæ, aut etiam alibi, pro nauium ſecuritate compromittunt, ſunt vtplurimum fideiuſſores venti, & in caſu, quo nauis aut ventorum vi, aut nautarum negligentiâ aut temeritate pereat, tenentur ad vltimum nummum refundere, quæ aſſecurarunt.

Contractus Aſſecurationis.

XXIV.

De eo, quod intereſt.

MCLIII

An facta à Iure pendeant? An Iura à factis?

QVatenus cuius interſit, in facto non in iure conſiſtit. *Paulus lib. 5. ad Sabinum.*

Sed hoc ipſum factum videtur à Iure pendere: multa enim ſunt moraliter nulla, in quibus conſiſtere non poteſt, hoc quod intereſt.

XXV.

De Cautione.

PLus cautionis in re eſt, quàm in perſonâ. *Pomponius lib. 11. ad Sabinum.* MCLIV

Legunt aliqui *in rem, & in perſonam*; ſed quo id ſenſu?

An re ſit perſona ſecurior? An verbum pignore?

Eſt certa, nam res manent; & perſonæ, aut recedunt, aut moriuntur. Cæterùm, tametſi regulariter loquendo id verum ſit, aliquando contingit cautionem ſecuriorem eſſe in perſonâ, præcipuè ſincerâ & egregiâ: quod exemplo dilucido.

Lusitaniæ rebellio.

Defecit à vero Rege Luſitania, & acclamauit Ioannem Barganciæ Ducem, & à cæteris regnis exciſa incepit hoſtem agere & agi. Sub illud tempus florebat Vlyſſipone Guaſcus, Bibliopola ditiſſimus, qui habebat in libris Balthaſaris Moreti Antuerpienſis Typographi & Bibliopolę multa nomina. Et quam quæſo cautionem habere poterat Balthaſar, vt nominibus illis deletis, ſuas pecunias reciperet? ſi reſpexiſſet rem, profectò nullam; magnam autem, quia reſpexit perſonam. Soluit omnia ante diem fideliſſimus Guaſcus; & oſtendit maioris debere fieri verbum hominis probi, quàm pignora contentioſi & iniqui.

XXVI.

De conſcientia, & conſenſu.

QVi poteſt inuitis alienare, multò magis & ignorantibus, & abſentibus poteſt. *Vlpianus lib. 30. ad Sabinum.* MCLV

An detur ſuffragia conſultiua?

Sed non placet, niſi limitationem admittat. Videtur enim tollere omnia omninò conſultiua ſuffragia, quæ notiſſima, & in multis Ordinibus admiſſa. S. Benedictus in Regulæ Capite I. quatuor genera Monachorum admittit: Cœnobitas, Anachoretas, Sarabaitas, & Gyrouagos: de quibus vberius in Commentario, exponens, & expendens hunc locum. A Sarabaitarum, & Gyrouagorum moribus, nihil deduci poteſt, quod noſtros, aut formet, aut perficiat: ſunt enim à Sancto Patriarcha damnati, & non ſolum imitatione, ſed etiam commemoratione indigni. Anachoretæ, nec ſemper, nec vbique locum habent à Cœnobio diſtinctum: ergo proderit Cœnobitarum mores conſiderare.

De generibus Monachorum.

In

De ordinibus Monachorũ in eodem Monaſterio.

In Sæcularium, & Laicorum domo præter Patrem familias, ſunt filij, ſunt famuli perpetui, & temporanei. Et apud Cœnobitas, eſt Abbas, qui hoc inſignitur nomine, quòd Chriſti vices agat, & ſit Pater. Sanctus noſter Legislator Capite II. ſic habet: *Abbas, qui præeſſe dignus eſt monaſterio, ſemper meminiſſe debet, quod dicitur, & nomen Maioris factis implere: Chriſti enim in Monaſterio agere vices creditur, quando ipſius vocatur prænomine, dicente Apoſtolo, Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Sunt Choriſtæ, qui & Monaſterij filij: ad quos in communi pertinent bona, quæ poſſident. Sunt Conuerſi, nempe Famuli ſolenniter profeſſi, qui totâ vitâ debent à Cœnobio nutriri, nec poſſunt ſine culpa dimitti: ſunt & alij Conuerſi (vocantur, *Donati*, aut *Oblati*) qui vota ſimplicia emittunt, & poſſunt & ſolent dimitti ſine culpa; licet prudentia poſtulet, ne dimittantur ſine cauſa. Sanè Conuerſi, non habent conſultiuam, aut deciſiuam vocem, & de illis verificare poteſt Vlpiani Regula. *Abbas enim, ſiquidem poteſt inuitis Conuerſis de rebus Monaſterij diſponere, multò poterit magis, & ignorantibus, & abſentibus.* Cæterùm de Choriſtis, qui Monaſterij filij ſunt (diſtinguo adhuc Filios, à Conuentualibus, ab Hoſpitibus, & à Nouitijs) aliter diſponit Benedictina Regula, in cuius tertio Capite hæc legimus. Quoties videtur tollere omnia omninò conſultiua ſuffragia, quę notiſſima ſunt, & in multis Ordinibus admiſſa. D. Benedictus ſic inquit, *Quoties aliqua præcipua agenda ſunt in Monaſterio, conuocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipſe vnde agitur: & audiens conſilium Fratrum, tractet apud ſe, & quod vtilius iudicauerit, faciat.* Nota illud *omnem congregationem:* debet ergo Abbas omnes conuocare, omnibus negotia Monaſterij proponere, vniuerſos audire. Nota illud *iudicauerit;* non enim præcipit Sanctus Pater, vt Abbas faciat, quod melius iudicauerint Fratres, ſed quod ipſe. Stando igitur rigori Regulæ, poteſt domos, aut fundos Monaſterij Abbas inuitis Fratribus alienare, non tamen ignorantibus, & inconſultis. Conſultò dixi *ſtando rigori Regulæ (D. Benedicti* videlicet) quia in ſingulis Congregationibus dantur leges, iuxta quas dantur etiam vota deciſiua. Sed quid dicendum erit de Vlpiano? Eius Regulam habere locum, vbi vota conſultiua non dantur.

De Abbate.

Rom. 8.

De Choriſtis Donatis, & Oblatis.

De Conuentualibus, Hoſpitibus, & Nouitijs.

S. Benedictus in Reg. cap. 3.

Abbas tenetur ſuos conſulere: non tamen illos ſequi.

XXVII.

De pactis. De cauſis obligationum. De modo actionum.

MCLVI. An Iura publica poſſint authoritate priuata immutari?

NEc ex Prætorio, nec ex ſolenni Iure priuatorum, conuentione quidquam immutandum eſt; quamuis obligationum cauſæ pactione poſſint immutari, & ipſo iure, & per pacti conuenti exceptionem; quia actionum modus vel lege, vel per Prætorem introductus, priuatorum pactionibus non infirmatur: niſi tunc, cùm inchoatur actio inter eos conuenit. *Pomponius lib. 16. ad Sabinum.*

[Alij hanc Regulam adſcribunt Paulo.]

Legum finis.

Mouet Iuris conſultus quæſtionem grauiſſimam, & difficillimam, quæ inquirit, *An-ne lex publica dependeat à contractu priuato?* Et reſpondeo, eſſe nonnullas leges latas ob bonum publicum tantùm: eſſe nonnullas latas ob bonum priuatum tantùm: & eſſe multas ob vtrumque. Secundi ordinis leges pendent à contractu priuato, & permittitur, vt cedat priuilegio priuatus ſi velit: & ſi ceſſerit, legis obligatio ceſſabit. At primi, & vltimi ordinis leges à pacto priuato non pendent: eſſet enim miſera Publica-Res, ſi poſſet priuatis contractibus alterari, aut mutari.

Tres legum differentiæ.

Maioris claritatis gratia aliam legum diſtinctionem adduco. Aio alias eſſe præceptiuas, alias permiſſiuas: has poſſe pacto priuato limitari (liberum enim eſt homini fauore, & priuilegio cedere) illas non poſſe.

De legibus permiſſiuis, & præceptiuis.

XXVIII.

De liberalitate.

MCLVII. An, & quo pacto modo aliquis ex liberalitate conueniri.

DIuus Pius reſcripſit, Eos, qui ex liberalitate conueniuntur, in id quod facere poſſunt (*nimirum* commodè) condemnandos. *Vlpianus lib. 36. ad Sabinum.*

Addidi illud *commodè*: in id enim, quæ facere

facere non poſſunt, nulli damnantur. [Sumpta videtur iſta Regula ex leg. *Si extraneus de iure dot.* Cui coniunge leg. *Si quis crediderit. ff. de pact.* & leg. *Maritum. ff. ſolut. matr.*]

Promiſſiones infirmæ.

Hinc patet, donationes, quæ ex liberalitate fiunt, eſſe infirmas, & præcipuè in Bohemia, quæ iubet, vt in cautionibus non ſolùm confiteamur debita, ſed & exponamus debiti rationem, & cauſam.

XXIX.

De vitioſo principio.

MCLVIII. QVod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis conualeſcere. *Paulus lib. 8 ad Sabinum.*

[Coniunge legem. *Qui à quolibet. De contraben. empt.* ff. & legem 5. *de author. tut.* ff. & leg. penult. huius tit.]

De præſcriptione cum mala fide.

Vbicumque habet locum præſcriptio cum poſſeſſione malæ fidei, hæc Regula locum non habet. Tunc enim poſſeſſio, quæ ſub initium ob malam fidem vitioſa eſt, tractu temporis præſcribit, & in bonam, & legitimam tranſit.

XXX.

De nuptijs.

MCLIX. NVptias non concubitus, ſed conſenſus facit. *Vlpianus lib. 36. ad Sabinum.*

[Cuius verba roborantur ex lege 15. *de condit. & demonſt.*

An obliget promiſſio merè interna?

Fortè ſtando Iuri naturali, conſenſu interno, & occulto poteſt Matrimonium iniri; ſunt enim Authores illuſtres, qui putant hominem obſtringi promiſſione internâ, nullo actu extrinſeco ſignificatâ. Sacramentales verò nuptię ineuntur conſenſu intetno per ſignum extrinſecum ſignificato; & concubitu perficiuntur, & conſummantur.

XXXI.

De potentia ad præteritum. De impoſſibili.

MCLX. An detur potentia ad præteritum

VErum eſt, neque pacta, neque ſtipulationes factum poſſe tollere. [Tollere enim & auferre quod factum eſt; hoc eſt, facere ne fuerit, quod reuera fuit, impoſſibile eſt:] quod autem impoſſibile eſt, neque pacto, neque ſtipulatione poteſt comprehendi, vt vtilem actionem, aut factum (pactum) efficere poſſet. *Vlpianus lib. 42. ad Sabinum.*

[Coniunge legem 50. *de pactis cum alijs.*]

Ad impoſſibile nemo tenetur.

Tota hęc Regula ad hunc poteſt ſyllogiſmum reduci. *Nullo contractu poſſum obſtringi ad impoſſibile: At efficere, vt actio facta, facta non ſit, impoſſibile eſt: Ergo nullo contractu ad hoc poſſum obſtringi.* Et huius ſyllogiſmi maior, tametſi negetur ab hęreticis, vera eſt: ſed minor debebit diſtingui: Ad pręteritum non eſſe potentiam DEO; nego: [quoniam DEO omnia ſemper ſunt integra, nec hodie minus eſt potens, quàm intelligitur fuiſſe ab ęterno. Sed de hoc alibi.] Non eſſe homini; ſubdiſtinguo. Non eſſe phyſicam, concedo; non eſſe moralem, ſeu virtualem, nego. Exemplo diſtinctionem dilucido. Non poteſt homo facere, vt ſpurius fuerit verè, & realiter ex thoro legitimo natus: at poteſt facere, quòd fuerit moraliter, & virtualiter. nam ſi illum legitimet, efficiet, vt ita ſe habeat, ac ſi ex matrimonio legitimo fuiſſet ſuſceptus.

An potentiã ad prætęritũ habeat homo an Deus?

Et an illam phyſicè, vel moraliter?

XXXII.

De ſeruis: & de hominum æqualitate.

MCLXI. An ſerui omnes ſint nulli?

QVod attinet ad Ius Ciuile, ſerui pro nullis habentur; non tamen & Iure Naturali. Quia, quod ad Ius Naturale attinet, omnes homines æquales ſunt. *Vlpianus lib. 43. ad Sabinum.*

Seruos in Iure Ciuili *nullos* eſſe, verum eſt; nam quod ad publica attinet, ita ſe habent, ac ſi in rerum natura non eſſent. Interim hęc ratio contra militat, & ſolutione indigeret. [Quod non eſt, non ſcitur, non diſtinguitur, non venditur, non emitur, non cuſtoditur, non condemnatur, non abſoluitur. At in Iure Ciuili dantur leges, vt ſerui cognoſcantur, & diſtin-

ſtinguantur; ſerui venduntur, cuſtodiuntur, condemnantur, puniuntur, abſoluuntur: ſerui igitur in Iure Ciuili non ſunt nihil: ergo ſunt non-nihil, hoc eſt, aliquid.] Hanc obiectionem dedi, & tu ſolutionem conuenientem deſideras.

Serui ad agẽdum non autem ad patiẽdum ſunt nulli.

Dico igitur, Vlpiani aſſumptum eſſe falſum, & eſſe falſum medium, quod aſſumitur, vt illud probetur. Primò enim falſa eſt hęc propoſitio, *Serui in Iure Ciuili pro nullis habentur*. Secundò falſa etiam eſt hæc, *In Iure naturali omnes homines æquales ſunt*.

Vlpianus falſum ponit, & vt illud ſuadeat, falſum aſſumit.

Nihilominus in Legiſtarum gratiam priorem poterimus diſtinguere, dicendo ſeruos iuxta Ciuilia Iura, ad agendum, non autem ad patiendum, nullos eſſe: & hinc ratio in contrarium diſſoluitur; cùm enim venduntur, emuntur, condemnantur, &c. patiuntur.

MCLXII.

An homines æquales ſint?

Secundam diſtinguere volumus: quoniam quidquid dicat Vlpianus, omnes homines ſtando Iuri naturali eſſe æquales, eſt falſum. Quoniam ſtando Iuri naturali, Pater & Filius, Auus & Nepos (etiam Maritus & Vxor) etiam Sapiens & Imperitus, Fortis & Debilis, Senex & Iuuenis, Expertus & Inexpertus, &c. homines ſunt, & tamen æquales non ſunt.

An vir, & fœmina diſtinguantur ſpecie?

Eſt probabilis ſententia apud Phyſicos Virum Fœminamque differre ſpecie inadæquata; & tamen hæc differentia, nec ciuilis, nec moralis, ſed naturalis eſt. Et eâ poſitâ, Viri ſubſtantialiter ſunt maiores fœminis. Et eâ negatâ, adhuc manent illi accidentaliter meliores, & maiores, & hoc ab omni Iure humano, & ciuili præciſi.

An Ecceitates ſint æqualis perfectionis?

Eſt etiam probabilis ſententia, quæ docet, Ecceitates non eſſe æqualis perfectionis; &, ſi admittatur ſemel, nec inter ſe Viri, nec inter ſe fœminæ erunt æquales.

An omnes homines naſcantur liberi?

Interim, quia ſicut Philoſophi Ariſtotelem, ſic etiam Iuriſtæ reijci Vlpianum ægrè ferunt; illam propoſitionem, *In Iure naturæ omnes homines æquales ſunt*, in amicorum gratiam diſtinguamus, dicendo, eam, ſi agamus de ſexu, ecceitate, robore, valetudine, ingenio, memoria, prudentia, &c. eſſe, certò aut ſaltem probabiliter falſam: cæterùm, ſi agamus de libertate (quam ſolam videtur reſpicere Vlpianus) ſubdiſtinguemus: non enim filij ſunt liberi Iure naturæ, ſed naſcuntur parentibus ſubditi: at Iure naturæ nemo naſcitur ſeruus, & hoc ſenſu omnes homines liberi ſunt.

XXXIII.

De Actore, & Reo.

MCLXIII.

IN eo, quod vel is qui petit, vel is à quo petitur, lucro facturus eſt, durior cauſa eſt petitoris. *Pomponius lib.22. ad Sabinum.*

An Actor debeat plenè probare?

Eſt euidenter vera: nam reus nihil aliud facit, quàm negare: & actor intentum probaturus eſt, non qualitercumque ſed plenè. Nam actore ſemiplenè probante, reus in poſſeſſione ſua manutenetur.

XXXIV.

De interpretatione contractuum.

MCLXIV. Conſuetudini ſtandum.

SEmper in ſtipulationibus, & in cæteris contractibus id ſequimur, quod actum eſt. Aut ſi non appareat quid actum eſt, erit conſequens, vt id ſequamur, quod in regione, in qua actum eſt, frequentatur. Quid ergo, ſi neque regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id, quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt. *Vlpianus lib.45. ad Sabinum.*

[Varias hîc lectiones in libris diuerſis reperio: ſed quia ſenſum non alterant, non eſt cur illas producamus.]

Quando ſtandum ſit literæ?

Omnia ſunt clara, & ab alijs Regulis dependentia. *Standum enim eſt contractuum literæ, vbi non detur inconueniens*, vt omnes Iuris periti affirmant. Mores Regionis meritò iubemur reſpicere, quia vt habet Canonici Iuris Regula VI. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt vero-ſimilius; vel quod plerumque fieri conſueuit*. Nota illud, *plerumque*. Nam ſi regionis mos eſt varius, adhuc ſtandum eſt rebus, quæ fiunt plerumque. Quod ſi nihil ſit quod plerumque fiat, tunc minimum eſt faciendum, quia habemus in Iure Canonico Regulam XXX. iubentem, *vt minimum in obſcuris ſequamur*. Sed reſpectu cuius debet minimum eſſe? Reſpectu poſſeſſoris omninò.

Quando regionis moribus?

Fauendum eſt ſemper poſſeſſori.

XXXV.

De modis, quibus tollitur obligatio.

MCLXV. Generationis & corruptionis proportio.

NIhil tam naturale eſt, quam eo genere quidque diſſoluere, quo colligatum eſt. Ideò verborum obligatio verbis tollitur, nudi conſenſus obligatio nudo conſenſu diſſoluitur. *Vulpianus lib. 48. ad Sabinum.*

[Nimirùm ex lege, *An ius vtilis. De acceptilation.*]

An quot generationis, tot ſint etiam corruptionis ſpecies?

Ergo-ne inſtrumenti priuati obligatio non niſi inſtrumento priuato reſcindetur; & inſtrumenti publici obligatio, inſtrumento publico debebit tolli? Sic videretur dicendum ex analogia: at reſpondeo quamcumque obligationem vndecumque ortam tolli conſenſu partis, ita exteriùs expreſſo, vt poſſit adæquatè probari. Sed hoc ipſum poterit lege aliqua humana limitari, cui ſtare deberent, qui ſub illa agerent.

Omnium contractuum inceptio, & deſitio ſubeſt humanis legibus.

XXXVI.

De culpa.

MCLXVI. Aliena vniuerſi tractamus, propria negligimus.

CVlpa eſt, immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti. *Pomponius lib. 27. ad Sabinum.*

Et ſi hoc culpa, quàm pauci hodie in Europa culpâ carent! Omnes aliena agimus, & propria negligimus, & dum miles Eccleſiaſtica tractat, militaria Eccleſiaſticus, ruſtica Aulicus, & paganus politica, tota Reſpublica periclitatur.

XXXVII.

De condemnatione, & abſolutione.

MCLXVII. An ex condemnandi poteſtate poteſtas abſoluendi inferatur?

NEmo, qui condemnare poteſt, abſoluere non poteſt. *Vlpianus libr. 51. ad Sabinum.*

[Coniunge legem, *Eum qui de iuriſdictione.* Legem, ſi Iudex, *de re Iudic.*

Et hæc Propoſitio, ſtando Iuri naturæ, vera eſt; at ſtando poſitiuo Morali, non video, cur non poſſit concedi alicui mera condemnandi facultas? Pagorum, & minorum Communitatum Rectores in multis Prouincijs, capere reos poſſunt; ſemel captos abſoluere, aut dimittere nequeunt.

XXXVIII.

De Hærede. An tantùm rerum, an etiam criminum, & pœnarum ſit hæres? An etiam virtutum, & præmiorum.

MCLXVIII. SIcuti pœnâ ex delicto hæres teneri non debeat; ita nec lucrum facere, ſi quid ex ea re (nempe, ex delicto) ad eum (nempe, defunctum) peruenisſet. *Pomponius libr. 29. ad Sabinum.*

[Et coniunge legem 12. *de obligat. & act.*]

An ſtipendia criminum debeant ſolui in conſcientia?

Multa ſequerentur omninò, ſi hæc Regula vniuerſaliter admitteretur. Nam, ſi Petrus occîdit hominem, eius hæres non tenetur hoc crimine, nec debet realiter, aut perſonaliter ob id puniri. Ergo, ſi ob illud homicidium Petrus aureos mille recepturus eſſet, ſi viueret; ſtante hac Regula non poterit illos hæres ſuſcipere poſt Petri mortem, etiam poſitâ ſententiâ illâ, quæ docet pretia criminum debere ſolui, & peccare mortaliter, qui meretrici, aut aſſeſino ſtipendia peccatorum non ſoluerit.

An nõ ſolum ſceleris patratori, ſed etiã eiuſdem hæredi.

Quid ergo dicemus in re obſcura? Petrum, ſi pretio occîdat, poſſe tuta conſcientia illud recipere (aut etiam exigere, iuxta probabilem aliquorum ſententiam.) Has pecunias non adquireret Petrus iniuſtè in tali caſu: aliud enim eſt occidere, aliud ditari: iniuſtè ille occideret, & ob homicidium defuncto, & eius hæredibus teneretur: at non teneretur illi, à quo recepit, & mandatum, & nummos, nec deberet illi receptas pecunias reſtituere: validè enim illas adquiſiuit: non vi delicti, ſed vi contractûs. Ergo quas poterat Petrus vi contractûs exigere: poterit eius hæres; quin hîc ſuccurrat difficultas, quæ æquiuocationibus expunctis, non ſit facilis.

An ſicut de crimine, ſic etiam de actu virtuoſo ſit philoſophandum?

Sed quid de Virtute dicemus? Rationis paritas poſtulare videtur, vt eadem virtutis ratio ſit. At nimium eſſet hoc, & tamen illatum legitimè.

De

XXXIX.

De omiſſione culpabili.

MCLXIX. IN omnibus cauſis pro facto accipitur id, in quo per alium mora ſit, quo minus fiat. *Pomponius lib. 32. ad Sabinum.*

Aliqui libri habent in huius Regulę margine, *Hæc ſola vitioſa eſt*. Sed non intelligo, cur hæc? & cur hæc ſola? Operatio virtualis.

Poſſet verbis magis dignis, & quæ ſapiant Scholæ rigorem, hæc ſententia reſcribi. *Qui enim cum alterius iniuria actum aliquem dolosè omittit, eumdem moraliter agere dicendus, atque ideò ita ſe habere, ac ſi reuera actum eumdem ageret: quam ob rem illa ipſa omiſſio virtualiter eſt operatio.*

XL.

De furioſo, & prodigo.

MCLXX. FVrioſi, vel eius, cui bonis interdictum ſit, nulla voluntas eſt. *Pomponius lib. 34. ad Sabinum.*

[Coniunge legem 20. *de aqua pluuial. arc.*]

An particula *vel* ſit coniunctiua?

Particula *vel* ſumitur coniunctiuè pro &. Quod ſæpe apud veteres accidit.

Carentia libertatis virtualis.

Furioſum componit cum prodigo, quaſi bona prodigere ſit furor; & vtrique voluntatem negat: priori, quia caret libertate: poſteriori, quia libertate, qua non caret, abutitur; & illa videtur carere virtualiter.

XLI.

De actore, & reo: & cauſa obſcura.

MCLXXI. Reatus, qui poſſidet. NOn debet actori licere, quod reo non permittitur. In re obſcura melius eſt fauere repetitioni, quàm aduentitio lucro. *Vlpianus lib. 26 ad Sabinum.*

Vtraque Regulæ pars doctrinâ poſſeſſionis fundatur: in omni enim dubio ſtandum pro poſſeſſione certâ eſt. Cum igitur reus ante accuſationem in poſſeſſione innocentiæ ſit, in omni dubio fauendum illi eſt. Et cùm repetitio antiquæ poſſeſſioni faueat, aduentitio cuicumque lucro anteponenda eſt.

XLII.

De ignorantia.

MCLXXII. Ignorantia inuincibilis. QVi in alterius locum ſuccedunt, iuſtam habent cauſam ignorantiæ, An id quod peteretur deberetur? Fideiuſſores quoque non minus quàm hæredes, iuſtam ignorantiam poſſunt allegare. Hæc ita de hærede dicta ſunt, ſi cum eo agetur, non enim ſi agat: nam planè qui agit, certus eſſe debet, cum ſit in poteſtate eius, quando velit, experiri. Et ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere. *Gaius lib. 6. ad Edictum Prouinciale.*

Lege *quando* & non *quomodo*.

At ego hanc volo rationem perpendi, videntur enim mihi hæc eſſe argumenta parallela.

Impugnatur hæc Regula.

Primum. Actor ob inſuperabilem ignorantiam excuſari non poteſt; quia, cùm ſit in poteſtate ipſius inſtituere accuſationem ſi velit, & quando velit, debet eſſe certus priuſquam ad agendum procedat.

De actore.

Secundum. Hæres ob inſuperabilem ignorantiam excuſari non poteſt; quia, cùm ſit in poteſtate ipſius acceptare aut recuſare hæreditatem ſi velit, aut quando velit, debet eſſe certus priuſquam hæreditatem adeat. [Quod ſi aliquis ſit hæres hodie neceſſariò, ita vt acceptare hæreditatem debeat, eamque recuſare non poſſit; de illo non verificabitur rationis paritas.]

De hærede.

Tertium. Fideiuſſor, ob inſuperabilem ignorantiam excuſari non poteſt; quia, cùm ſit in poteſtate ipſius fidem ſuam interponere, aut non, debet eſſe certus, & bene explorata habere pericula, quibus ſe exponit, priuſquam fideiubeat.

De fideiuſſore.

Ergo, vel hæc omnia tria ſimul debebunt aſſeri, vel ſimul negari; non ergo Gaius aliter de hærede, & fideiuſſore, et aliter de actore et reo potuit philoſophari. Ergo vel ille corrigendus erit, vel ego.

Diuerſi mores in diuerſis prouincijs.

Sunt hodie Prouinciæ aliquæ, in quibus ſuccurrit ignorantiæ allegatio hæredi, cum agitur, & non cùm agit: eſt enim illi liberum agere, vel non agere, non autem agi, vel non agi: ſunt aliæ, in quibus cautiſſimè eſt adeunda hæreditas, & cautiùs adhuc facienda fideiuſſio; ſeueriſſimè enim hæredes, & fideiuſſores tractantur.

Bohemi ſunt erga hæredes & fideiuſſores ſeueri.

Illæ pietati deferunt, iſtæ rigorem, & rationem ſequuntur: nemo enim tenetur fideiubere, aut hæreditatem acceptare; cæterùm ſi fideiubeat, aut hæreditatem incautè, & ignoranter adeat, non emerget allegando ignorantiam: bene tamen obtinebit tempus, vt vel libros recognoſcat, vel alios conſulat, & hoc ipſum non ex iuſtitiæ rigore, ſed ex pietate: ex qua originem trahit illa Canonici Regula, *Cum quis in Ius ſuccedit alterius, iuſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere*. quam multi non omnino admittunt. Cæterùm, ſi quis non liberè, ſed iuſſus, aut inuitus ſuccedat, debet huius Regulæ fauore neceſſariò fruiſci.

XLIII.

De concurrentibus defenſionibus: & de actionibus.

MCLXXIII. NEmo, ex his, qui negant ſe debere, prohibetur etiam alia defenſione vti, niſi lex impediat. Quotiens concurrunt plures actiones eiuſdem rei nomine, vnâ quis experiri debet. *Vlpianus lib. 28. ad Edictum.*

Alij vna tantum.

Et meritò, nam qui multis ſimul actionibus experiretur, vniuerſa confunderet, & nunquam poſſet intentum ſuum probare.

XLIV.

De hærede.

MCLXXIV. TOtiens in hæredem damus actionem de eo quod ad eum peruenit, quotiens de dolo defuncti conuenitur, non quotiens de ſuo. *Vlpianus lib. 29. ad Edictum.*

Vox *actionē* in aliquibus exemplarib⁹ deeſt.

Nam, ſi poſtquam Petro in hæreditate ſucceſſeris, inueniatur eumdem Petrum mille aureos Friderico debere, dabitur in te actio, vt ſoluas nimirùm Friderico, non ex bonis tuis, ſed ex bonis à Petro ſuſceptis. At iam multis eſt legibus ſtatutum, vt ſi ſemel quis hæreditatem acceptet, creditoribus omnibus teneatur ſatisfacere.

An hæc ſit vera Regula?

XLV.

De pignore, depoſitò, precariò, emptione, locatione; & de conuentionibus.

MCLXXV. Suarum rerū nemo eſt Emptor, Depoſitarius, Locatarius, &c.

NEque pignus, neque depoſitum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt. Priuatorum conuentio Iuri publico non derogat. *Vlpianus lib. 30. ad Edictum.*

Ex hac doctrina multi caſus dilucidari poterunt: quorum reſolutiones confirmabit Titulus *de pignor.*

XLVI.

De pœna.

MCLXXVI. QVod à quoquo pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur. *Gaius lib. 10. ad Edictum Prouinciale.* [Ex Titulo *de pignor.*]

An pœnæ exſoluantur ab inuitis?

Sed obijcis. Id teneris reſtituere, quod exactum ab inuito domino: ſed quod pœnæ nomine à Petro exactum, ab inuito eſt: Ergo teneris ad reſtitutionem.

Qui apud nos habitare vult noſtras leges acceptat.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem: qui enim in noſtra republica degit, noſtras leges acceptat, & qui acceptat liberè, non eſt inuitus. Quod ſi poſtea, cùm condemnatur, inuitus ſit, & ad ſolutionem debeat cogi, virtualiter, & rationabiliter inuitus non eſt: etſi enim phyſicè nolit, cenſebitur virtualiter velle, quia velle ſoluere, & non replicare tenetur.

XLVII.

De conſilio, & ſocijs.

MCLXXVII. Prudentia carere effectu ſolet.

COnſilij non fraudulenti nulla obligatio eſt. Cæterùm, ſi dolus & calliditas interceſſit, de dolo actio competit. Socij mei ſocius, meus ſocius non

eſt,

eſt. *Vlpianus lib. 30. ad Edictum.* [Ex Titulo *de mandat.* Vide legem. 2].

Aliud eſt cõſulere malũ, & aliud conſulere malè.

Conſulunt homines mala, & male. Malè, cùm ſincerè, & ex prudentia: malè, cùm fraudulenter, & dolosè. Conſului te in materia grauiſſima, dixiſti quod ſentiebas; & vt bene ſentires, adhibuiſti debitam diligentiam; & tamen res malè ſuccеſſit. An contra te acturum ſum? minimè. Sed habiturus gratias potiùs, quia voluiſti fauere, tametſi nocueris per accidens. Si verò malitiosè, fraudulenter, & inſidiosè proceſſiſſes, tunc meritò conqueri poſſem.

Axioma Philoſophicum.

Illud Philoſophicum Axioma, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, demonſtraui eſſe falſum; eiuſque ſoboles falſas eſſe conuici loco aptiore: at quia inter ipſas eſt hæc aſſertio, *Qui ſunt ſocij vni tertio, non ſunt ſocij inter ſe*; gratias agam Vlpiano, quod meam doctrinam ſuo, adeoque magno teſtimonio confirmet.

Axioma Ciuile.

XLVIII.

De calore iracundiæ.

MCLXXVIII. De inaduertentia.

QVicquid in calore iracundiæ, vel fit, vel dicitur, non priùs ratum eſt, quam ſi perſeuerantia apparuit iudicium animi fuiſſe. Ideoque breui reuerſa vxor, nec diuertiſſe videtur. *Paulus lib. 35. ad Edictum.* [Ex Tit. *de diuort.*]

Parum pro nihilo habetur. Vide num. 796.

Quomodo differant paſſiones, & perturbationes?

Sunt in homine paſſiones, & perturbationes; illæ liberum arbitrium diminuunt, iſtæ tollunt vel rapiunt: & quia deficiente libertate ratio malitiæ deficit, actus eiuſmodi cenſentur non eſſe morales. Actus primò primos, qui ante deliberationem ſubrepunt, à ſecundò primis, aut etiam à primò ſecundis diſtinguimus, vt nullo modo liberos, à ſemiliberis, & plenè liberis diſtinguamus. Et tamen, quia hæc ſpeculatiuè intelliguntur, & vix poſſunt in praxi per ſententiam tractari, ideò Cæſares conſilio Pauli, & aliorum Iuriſperitorum manuducti, ſtatuerunt, vt quidquid ex calore iracundiæ fit, ſi breui retractetur, moraliter infectum dicatur.

Nulla ſine libertate arbitrij malitia eſt.

Actus primò primi.

Aliud eſt hominum tribunal, aliud Dei.

Moraliter inquam quoad homines: poteſt enim contingere in actu, breui tempore elicito, fuiſſe deliberationem plenam, quam non præſumunt leges, quæ de occultis non iudicant directè, ſed indirectè, & prout ab externis indicantur.

Libertas duplex: naturalis, politica. Vtram tollat metus?

An-ne ſicut de furore iracundiæ, ita etiam de metu, & concupiſcentia, aut etiam ebrietate, poterimus philoſophari? Ratio par opitulatur, ſi leges vbique fauerent. Sanè metum cadentem in conſtantem virum reuera tollere libertatem in multis caſibus Eccleſia Romana ſupponit; aut ſi reuerà non tollat, tolli moraliter libertatem concedit. De Concupiſcentia nihil legi in Eccleſiaſticis, aut Ciuilibus tabulis, quod iſti doctrinæ ſuccurrat: non enim naturaliter accidit, aut humanitùs ſtatuitur, vt concupiſcentia, quæ in conſtantem caderet, mentem ita excæcet, vt liberum arbitrium proſcribat.

De Concupiſcentia. An tollat libertatem?

Et de Ebrietate? Omnes illam condemnant, & meritò; vnde ebriorum crimina bis punire præcipimus; iterum ob malitiam ſpecialem, quam habent; iterum ob generalem, quam ab ipſa ebrietate recipiunt.

De Ebrietate An excuſet?

IL.

De circumuentione.

ALterius circumuentio, alij non præbet actionem. *Vlpianus lib. 35. ad Edictum.* MCLXXIX.

[At nota obiter, non-nullos putare hanc Regulam non iam ex Vlpiano, ſed ex Caio deſumptam.]

Multa facimus ob bonũ publicum, quæ omittere mus ob priuatum.

Eam ſic intellige, vt nemo conqueri poſſit, quod Petrus alium circumuenerit; nimirùm, bonum priuatum reſpiciendo: at verò reſpiciendo publicum bene poſſumus contra peccata in alios cõmiſſa procedere. Vide Tract. *de tutel.*

L.

De permiſſione non libera.

CVlpa caret, qui prohibere non poteſt. *Paulus* (vel vt alij volunt, *Vlpianus*) *lib. 39. ad Edictum.* [Ex Titul. *de noxal.*] MCLXXX.

An poſſimus cum infidelibus paciſci?

Et quidem hac vnica Regula ſubſtruuntur plurimi Catholicorum cum Infidelibus contractus. Multa interdum Chriſtiani Turcis, & Mauris ex neceſſitate concedunt. Et tunc ipſa, quæ forte indoctis videretur cooperatio, eſt coactio, aut vt loquar exactiùs, permiſſio. Nam culpa carent Catholici, cùm Heterodoxis permittunt, quæ prohibere non poſſunt. Sed

quia

quia de hac ego materia librum integrum ſcripſi, ad alia tranſeo.

LI.

De eo, qui capit.

MCLXXXI. Aliud eſt recipere nomine proprio, aliud alieno.

NOn videtur quiſquam id capere, quod ei neceſſe eſt alij reſtituere (hoc eſt, dare.) *Gaius lib.* 15. *ad edictum Prouinciale.*

Et eſt propoſitio veriſſima: ille enim in cuius manus conſignas, quæ Anſelmo debent neceſſariò reſtitui, nihil videtur capere; quia proprio nomine nihil capit; & ideo vt ſcholaſticè loquar, nihil capit *vt quod*, ſed *vt quo*; quia nihil ſibi, nihil pro ſe, ſed pro Petro. [Confirmatur hęc Regula ex Titulo *de bon. poſſeſſ.*]

Capere, vt quod, & vt quo.

LII.

De non-defenſione.

MCLXXXII

NOn defendere videtur, non tantùm qui latitat, ſed & is, qui præſens negat ſe defendere, aut non vult ſuſcipere actionem. *Vlpianus libr.* 44. *ad Edictum.*

Et qui non defendit, ſi habeat defendendi obligationem, offendit: vnde illa Patrum veterum vox, *Si proximum non defendiſti, occidiſti.* Sanè ſi eſt, vera illa Iuris Canonici Regula, *Qui tacet, conſentit*, hoc eſt, *Qui non contradicit, quando poteſt & debet, aſſentitur*: erit vera etiam hæc Propoſitio, *Qui non tuetur, quem poteſt & debet, occidit.*

Homicidium morale.

Conſenſus moralis.

LIII.

De ſolutione indebiti.

MCLXXXIII

CVius, per errorem dati repetitio eſt, eius conſultò dati donatio eſt. *Paulus lib.* 42. *ad Edictum.* [Ex Titul. *Si quid in fraudem.*]

Explicatur primo.

Eſt obſcura, & ambigua. Nam poſſet ſic exponi: *Ille, qui rem, quam per errorem dederat, poteſt repetere: hanc eamdem poterit eidem datario, aut alij cuicumque donare.* Poſſet & ſic: *Si quis aliquid per errorem dederit, non eſt cenſendus donaſſe, ſed poſſe, aut debere repetere. Quod ſi illud conſultò dederit, cenſendus eſt donaſſe, & illud non poſſe repetere.* Et hæc ſecunda expoſitio eſt tenenda: quoniam dare per errorem, non eſt donare: at dare conſultò, eſt donare. Dare diceris per errorem, cum das, quæ putas te debere, & non debes: aut cum das cui non debes: at diceris dare conſultò, cum das quæ ſcis te non debere.

Explicatur ſecundò.

LIV.

De iuris translatione.

MCLXXXIV Nemo dat, quod non habet.

NEmo plus iuris ad alium transferre poteſt, quàm ipſe habet. *Vlpianus libr.* 46. *ad Edictum.* [Ex Titulo, *Vnde legitimi.*]

Sed obijcis. Blaſius deuotus ruſticus colebat agrum, ex quo Parocho pendebat decimas; moritur, & illum in teſtamento legat Monaſterio Diſenbergenſi; quod Ordinis Ciſtertienſis eſt. Hoc illum colit, & Parocho non ſoluit decimas. Ergo falſa eſt Vlpiani Regula: falſum illud Axioma, *Nemo dat, quod non habet*; Blaſius enim immunem à decimis agrum dedit, & obnoxium decimis habuit.

An Ciſtertienſes ſoluant decimas?

Reſpondeo nihil concludi contra Vlpianum: quia Blaſius immunitatem illam nec habuit, nec tranſtulit, ſed meram conditionem appoſuit, qua purificata haberet locum Priuilegium à multis firmatum Pontificibus, quo conceditur, vt Ciſtertienſes ex agris ſuis donatione, aut emptione adquiſitis decimas Eccleſiæ parochiali non ſoluant.

MCLXXXV

Hic etiam nota ſæpe contingere, quod donatio ſit plena, & tamen minus ius adquirat donatarius, quàm donator habebat; videlicet ſi incapax ſit. Nam ſi tali Arci annexi ſint tot pagi, & Iudicis criminalis, aut Legionarij dignitas, & illa ſacerdoti donetur, hic erit Arcis & pagorum adnexorum dominus, non tamen Legionarius, nec Iudex; nam ſacerdos eſſe rerum dominus poteſt: at in criminalibus ius dicere, reos capite damnare, legionem ducere, & militiam profiteri non poteſt.

An Sacerdos Iudex, aut Miles effici queat?

LV.

De eo qui ſuo iure vtitur.

MCLXXXVI NVllus videtur dolo facere, qui ſuo iure vtitur. *Gaius lib. 2. de teſtam. ad Edictum Vrbicum.*

[Et hic liber ab alijs *de legatis* vocatur: ſed eodem ſenſu.] Conſonat Titulus *ſi quis omiſſ. cauſa teſtam.*]

Iniuria diſtinguitur ab incommoditate. Iniuriam multi cum incommoditate confundunt: & perperam; qui enim, quæ ſua ſunt, poſtulat, incommodus creditoribus eſt, & tamen iniurius non eſt.

Iuris abuſus. Nulli profectò iniuriam facit, qui ſuo iure vtitur; at peccat interdum, qui ſuo iure abutitur: vnde ſumpſit exordium, illud Axioma, *Summum Ius, ſumma iniuria.* Summum, & nimium Ius. Tuo iure vteris, qui negas oranti pecunias, quibus ipſe non eget, & tu eges: tuo, qui à mutuario elapſo tempore mutuum repetis, etſi non ſit illius elapſa neceſſitas, & tibi perinde ſit remittere, vel recuperare. Et vt verbo dicam: quoties habeo ius ad faciendum aliquid, quod mihi inutile, & proximo meo pernitioſum; ſi illud fecero, iure meo abutor, & pecco contra Charitatem. Peccata contra charitatẽ.

LVI.

De dubijs.

MCLXXXVII. SEmper in dubijs benigniora præferenda ſunt. *Gaius libro 3. de Legatis ad Edictum Vrbicum.* [Alij citant *lib. 2. de Teſtamentis, &c.*]

Et hanc Regulam veram non dubito; puto enim in dubijs pro poſſeſſione iudicandum, ſiue ſententia benignior, ſiue ſeuerior ſit. Nam cùm dubitatur de præcepto, ſtatur pro libertate, quæ prior præcepto: & cùm dubitatur de diſpenſatione, ſtatur pro præcepto, quod diſpenſatione prius. Sed hoc iam ſæpe monui, quod iudico verum, & certum. Corrigitur hæc Regula. In omni dubio ſtandum pro poſſeſſione eſt.

LVII.

De eo, quod bis exigitur.

BOna fides non patitur, vt bis idem exigatur. *Gaius lib. 17. ad Edictum Prouinciale.* MCLXXXVIII. Quid ſit bona fides?

Nomine *bonæ fidei* non Religionem Catholicam, ſed prudentiam, æquitatem, & ſinceritatem intelligimus: quæ non tolerat, vt idem debitum bis exigatur, aut eadem pœna bis luatur.

LVIII.

De peculio.

EX pœnalibus cauſis non ſolet in patrem de peculio actio dari. *Vlpianus lib. 2. diſputationum.* [Et ſumitur ex Titulo *de Peculio.*] MCLXXXIX

LIX.

De hærede.

HÆredem eiuſdem poteſtatis iuriſque eſſe, cuius fuit defunctus, conſtat. *Vlpianus libro 3. diſput.* MCXC.

Hæres dicitur ab hærendo, quod ipſi defuncti omnia iura, & bona moraliter hæreant: ergo mirum, ſi omnia poſſidere dicatur? Interim, quia ſæpe eædem, aut ſimiles Poſitiones recurrunt, relege Regulam LIV. Vnde hæres dicatur?

LX.

De mandato.

SEmper, qui non prohibet pro ſe interuenire, mandare creditur. Sed & ſi quis ratum habuerit, quod geſtum eſt, obſtringitur mandati actione. *Vlpianus libro 10. diſputationum.* MCXCI. De ratihabitione.

Cooperari moraliter dicitur, qui poteſt prohibere, & non prohibet: (Vide Regulam L.) qui enim prohibere non poteſt, cul- Cooperatio virtualis.

culpâ caret. At licèt actum prohibere non potueris, si posteà ratum habeas, tuâ illum authoritate confirmas, & quasi elicuisse censeris.

Nota id bene.

An non interdicere mala, sit illa præcipere

Sanè hanc positionem, *Superior, quæ non prohibet, permittit*, vera est. An etiam hæc, *Superior qui non prohibet, quæ potest et debet, eadem præcipit*? Respondet assertiuè Vlpianus. At Ego in rigore loquendo, non tam præceptum, quàm cooperationem reperio. Debet peccata impedire Superior; &, si non fecerit, & illa committantur à subditis, cooperari dicendus est. Huc pertinet totum Cap. II. Regulæ S. Benedicti, qui loqui videtur vt Vlpianus; debet enim Antistes inuigilare subditis, eosque exemplo & doctrinâ dirigere. Quam ob rem sciat (Prælatus negligens) *quod suscipit animas regendas, & se præparet ad rationẽ reddendã. Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die Iudicij ipsarum omnium animarum est redditurus Deo rationem, sine dubio additam & suæ animæ*. At dices: *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi: ipsi autem contemnentes spreuerunt me*. Ergo, si inuigilas tuis ouibus, & tamen non proficis, audi sanctissimum Legislatorem. *Memor sit semper Abbas, quæ doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ vtrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio. Sciatque Abbas, culpæ pastoris incumbere, quidquid in ouibus Pater familias vtilitatis minus potuerit inuenire. Tantùm iterum liber erit si inquieto & inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuersa fuerit cura exhibita: &c. Et tunc demum inobedientibus suæ curæ ouibus pœna sit eis prævalens, ipsa mors*. Nota bene obsecro: *obedientiæ* dicit non *inobedientiæ* discipulorum faciendam discussionem esse. Et cur? Quia, vt Vlpiano placet, non inhibere mala, est quodammodo mala præcipere, & in tali casu discipulorum obedientia erit Superiori imputabilis.

Qualiter superior erga subditos debeat procedere?

Psalm. 30.

An & cur obedientia subditorum sit Abbati imputanda?

Quando iste erit excusabilis?

LXI.

De refectione domus.

MCXCII.

Dc domibus reficiendis.

DOmum suam reficere vnicuique licet, dum non officiat inuito alteri, in quod ius non habet. [Sed quid si ius habeat? poterit officere illi etiam inuito.] *Vlpianus lib. 3. opinionum*.

[Coniunge l. 2. *de oper. publ.*]

LXII.

De Hæreditate.

HÆreditas nihil est aliud, quàm successio in vniuersum ius, quod defunctus habuerit (videlicet, tempore mortis.) *Iulianus lib. 5. Digestorum*. MCXCIII

Quid sit hæreditas?

Colligitur ex Titul. *de petit. hæred.* & confirmatur lege, *Ei qui, eodem tit.* & leg. 24. *de verborum signific.* Et est verissima; non enim, quæ tuus pater in iuuentute habuerat, sed quæ in mortis articulo, ad te transmisit.

LXIII.

De Mora.

QVi sine dolo malo ad iudicium prouocat, non videtur moram facere. *Iulianus libr. 17 Digestorum*. MCXCIV

Sed quid est dolus malus? An-ne datur aliquis dolus, qui sit bonus? Datur: nempe cùm versutiâ quadam hostes publicos circumuenimus, iuxta illud, *An fuerit virtus, an fraus, quis in hoste requirat*? Eiusmodi dolos vocat Græcus *stratagemata*: & nominantur *bona*, vel eo sensu, quo aliqua mendacia *officiosa* dicuntur, quòd tametsi mala intrinsecè ratione obiecti, sunt bona & vtilia ratione finis: vel etiam absolutè, si ita circumstantiæ concurrunt, vt nullum mendacium dicatur: multi enim dicendo veritatem decipiunt, & multi tacendo alios fallunt.

Dolus malus.

Dolus bonus

LXIV.

De rarò contingentibus.

EA, quæ rarò accidunt, non temerè in agendis negotijs computantur. *Iulianus libr. 29. Digestorum*. MCXCV

An-ne Propositio ista vera? Non putas, imò eam reijcis; & contradictoriam assumis; nam illud *non* irrepsisse supponis: quoniam, *si inspicimus in obscuris, quod plerumque fieri consueuit*, vt habet Canonici Iuris Regula XLV. in obscuris debebimus omninò non curare, quæ rarò accidunt. Sed attende.

Corrigitur aut reijcitur Regula.

Datur periculum probabile, minùs probabi-

Pericula nõ ſunt æqua. lia.

babile, & magis probabile: & nauis in pelago, in quo raræ naufragio pereunt, non eſt omninò tuta: & maioris facienda eſt pecunia omninò tuta: & ideò prudentiſſimè pericula etiam parua conſiderantur, aut etiam computantur in pretijs. Vide *num.* 315. *ſ. Probabilitas*. Ergo ea, quæ rarò accidunt (ſed damnum, ſeu vtilitatem concernunt) non temerè in agendis negotijs computantur.

Etiam parua poſſunt & débent com, putari.

Sicut de timore, ita etiam eſt agendum de ſpe.

LXV.

De cauillatione ſeu ſorite.

MCXCVI

Sorites.

EA eſt natura cauillationis, quam Græci Σωρίτην (alij Σοφιστικὴν) appellant, vt ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes diſputatio ad ea quæ euidenter falſa ſunt, perducatur. *Iulianus libr.* 54. *Digeſtorum*.

Argumentatio Sophiſtica.

Vt reor cauillatio Σοφιστικὴ dici poterit, at Σωρίτης non poterit: nam ſorites eſt acerualis ſyllogiſmus, bonus tamen, nec vllâ fallaciâ inficitur: cùm tamen rationes ſophiſticæ illæ ſolæ dicantur, quæ occulto aliquo morbo laborant.

Quid ſit?

LXVI.

De exceptione.

MCXCVII

Deſitio debiti.

DEſinit debitor eſſe is, qui nactus eſt exceptionem iuſtam, nec ab æquitate naturali abhorrentem. *Marcellus apud Iulianum lib.* 60. *Digeſtorum*.

Quid ſit Iuſtitia? quid Æquitas?

Hinc patet, quid ſit Iuſtitia & Æquitas: nam ſi exceptio iuſta eſt, quæ ab æquitate naturali non abhorret, vniuerſaliter loquendo, actio erit iuſta, quæ ab eadem æquitate non abhorret.

LXVII.

De ſermone ambiguo.

MCXCVIII

Quid faciendum ſit ſi lex ſit æquiuoca?

QVoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimũ accipietur, quæ rei gerendæ aptior eſt. *Iulianus libr.* 87. *Digeſtorum*.

Sed non adquieſco: nam hoc modo diſcurro. Quoties idem ſermo duos ſenſus habet, commodum & incommodum, & incongruum, aptum & ineptum: oportet reijcere incongruum, incommodum, ineptumque, & eum ſolùm accipere, qui commodus, congruus, & aptus. At verò, cùm nemo teneatur meliora facere, nec probabiliora ſectari, nemo ſententiam in ſenſu commodiore, congruentiore & aptiore vſurpare tenebitur, ſed ſatisfaciet prudentiæ, ſi ſenſu apto, congruo, & commodo contentus ſit. *Cæterùm*, ſi detur lex, quæ iubeat ſequi ſenſum aptiorem, tunc ille vnicus eſt admittendus: &, ſi ex circumſtantijs conſtet, quem Legislator haberi voluit, tunc iſte, licet minùs aptus, debet recipi.

Nemo ſequi tenetur probabiliorem opinionem.

Nemo ſenſum aptiorem.

LXVIII.

De beneficijs.

MCIC

De iure reali & perſonali.

IN omnibus caſus id obſeruatur, vbi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ, beneficium quoq; deficiat; vbi verò genus actionis id deſiderat, ibi ad quemuis perſequutio eius deuenerit, non deficiat ratio auxilij. *Paulus libro ſingulari de doloris repetitione*. [Ab alijs citatur *libro de aſſignatione libertorum*.]

Quid Paulus velit dicere video, at quid dicat neſcio. Verbo omnia expono. Perſonæ conditio, qualitas aut illuſtris aut miſera; & quæcumque aliæ circumſtantiæ quæ ſolent eſſe beneficiorum aut priuilegiorum conditiones, nequeunt bene explicari, niſi ſciamus alias eſſe conditiones *in fieri*, alias *in facto*. Sine illis res non poteſt fieri, at ſemel facta poteſt conſeruari ſine illis: at ſine iſtis conſeruari non poteſt. Hac doctrinâ ad materiam præſentem translatâ, aſſeram in beneficijs & priuilegijs alias eſſe conditiones, ſine quibus illa non concederentur, ſine quibus tamen ſemel conceſſa manent; eſſe et alias, ſine quibus illa conſeruari non poſſunt. Omnia exemplo dilucido. Præſentia Parochi, vbi Tridentina Synodus admiſſa eſt, eſt conditio ſine qua non fit Matrimonium; et tamen illud, vt ſemel factum perſeueret, non indiget præſentiâ Parochi. Conceditur Epiſcopis, vt cum pauperibus diſpenſent in affinitatis et conſanguinitatis impedimento tali aut tali. Et qui verè fuit pauper cùm diſpenſatione obtentâ vſus, manebit ſemper coniu-

Conditiones aliæ ſunt in fieri, & aliæ in facto eſſe.

An præſentia Parochi ad matrimoninm requiratur?

gatus, licèt poſteà diteſcat. Aliter contingit erga eum, qui ob morbum diſpenſationem veſcendi carnibus impetrauit; recedente enim morbo ceſſat conceſſa licentia à Prælato; morbus enim eſt conditio in facto eſſe, ſine quo non perſiſtit licentia: putamus enim Pontificem eam dediſſe pro tempore morbi tantummodo.

An cauſa ceſſante ceſſet licentia?

Hac doctrinâ præmiſsâ, aio beneficia, vel reſpicere perſonam, vel conditionem, vel officium. Quæ ſunt perſonæ conceſſa, non tranſeunt ad hæredes: ideò multa vbique poſſunt parentes, quæ illis mortuis non poſſunt filij. Quæ conceduntur conditioni, ab eius duratione dependent: ſi enim veſci carnibus eſt priuilegium morbi, hoc deficiente illud etiam deficiet. Quæ autem conceduntur actioni, officio, miniſterio, dignitati, tranſeunt ad illos, qui ſuccedunt; nempe ad illos, qui vel actionem perſequuntur, vel officium, vel miniſterium, vel dignitatem obtinent. Vt exemplo rem iſtam dilucidem, proponam dignitatem Legati: alij enim dicuntur *nati*, alij *creati*. Legatus creatus habet dignitatem perſonalem, quæ ad ſucceſſores non progreditur: at Legatus natus habet dignitatem non perſonæ, ſed Epiſcopatui conceſſam: & ideò illam habebit, quicumque illum Epiſcopatum, cui adnexa, obtineat. Quam ob rem, cùm Archiepiſcopus Pragenſis ſit Legatus natus, erit etiam Legatus futuro tempore, quicunque Pragenſis Archiepiſcopus ſit.

Tria fauorum genera.

Alia conceduntur Perſonæ:

Alia conditioni:

Alia officio.

Legatus natus & creatus.

Archiepiſcopus Pragenſis eſt legatus natus.

LXIX.

De inuoluntario.

MCC

INuito beneficium non datur. *Paulus libro ſingulari de aſſignatione libertorum,*

Et eſt Regula certa: qui enim cogitur, non dicitur beneficio gaudere; quam ob rem non intelligam gratiam fauoremque, quàm duos actus liberos intelligendo: alterum dantis, & alterum recipientis. Quæ enim debita eſt & neceſſariò debet concedi, non eſt gratia; & qui neceſſariò debet admitti, non eſt fauor.

Qui ſit inuito non eſt fauor.

LXX.

De poteſtate gladij, vel alterius coërcitionis.

MCCI

NEmo poteſt gladij poteſtatem ſibi datam vel cuiusuis alterius coërcitionis, ad alium transferre. *Vlpianus libr. 1. de officio Proconſulis.*

An iura & priuilegia, ad alterum tranſmitti poſſint?

[Coniunge legem *ſolet.* de offic. Præt.] In hac Regula inuoluitur quæſtio de facto; ſtando enim Iuri naturæ, non repugnat, vt negetur Petro Ius gladij, & tamen concedatur Antonio cum facultate transferendi ad Petrum aut ad alium quemcumque capacem, ſi velit.

Vt rem meliùs intelligas, adnotato eſſe in moralibus facultates aliquas donabiles, aliquas delegabiles, alias verò nec donabiles nec delegabiles. Donabiles ſunt, quæ donari (aut etiam vendi) poſſunt: eiuſmodi ſunt multæ qualitates aut etiam dignitates in Regnis & Prouincijs ſæcularibus & eccleſiaſticis. In qualitatibus eiuſmodi, poſitâ donatione aut emptione, excidit prior poſſeſſor, & incipit donatarius aut emptor habere ordinariam & legitimam authoritatem. Delegabiles dicuntur illæ, quæ retentæ poſſunt exerceri per alium. Sic Epiſcopus huic vel illi authoritatem ſuam delegat; & tamen manet Epiſcopus, & retinet indiminutam ſuam iuriſdictionem. Sunt præterea qualitates & dignitates aliæ, quæ nec donari, nec vendi, nec delegari poſſunt. Ius gladij expreſſit Iuris-conſultus; pono alia exempla magis nota. Sacerdos habet conficiendi corpus & ſanguinem Chriſti poteſtatem, abſoluendi à peccatis authoritatem, &c. & tamen illam nec donare, nec vendere, nec delegare poteſt; eſt enim purè perſonalis. Hybernis conceditur à Rege Catholico, vt virtualiter ſint Hiſpani, adeoque quoad iura, ſtipendia, honores, & promotiones, ita ſe habeant, ac ſi Hiſpani eſſent: interim hanc prærogatiuam, nec donare illi Gallo, aut alij poſſunt: imò nec vendere: imò nec delegare: eſt enim nationi conceſſa, nec poteſt alijs communicari.

Moralia aliqua donari & delegari poſſunt: alia non.

Donabilia.

Delegabilia.

Propria quæ nec vendi poſſunt, nec delegari.

Sacerdotij dignitas.

Hiberni ſunt Hiſpani virtualiter.

LXXI.

De his, quæ per libellum expediri non poſſunt.

MCCII

OMnia quæcumque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum (*hoc eſt*, ſine cauſæ cognitione) expediri non poſſunt. *Vlpianus libr. 2. de officio Proconſ.*

Nemo poteſt inauditus damnari.

[Coniunge legem *Nequidquam.* §. ... *de officio Proconſ.*] Sed cur debet probari, quæ ſi bene conſideretur, eſt identica?

De

LXXII.

De iure pignorandi.

MCCIII FRuctus rei eſt vel pignori dare licere. *Iauolenus libr. 3. ex poſterioribus Labeonis.*

[Coniunge legem vltimam *de vſuris.*] Eſt obſcura, & difficilis vtcumque exponatur.

LXXIII.

De tutela & hæreditate. De actione violenta & occulta. De his, quæ in teſtamento intelligi non poſſunt. De cautela, qua quis agere debet cum extraneo.

MCCIV QVò tutela redijt, eò & hæreditas peruenit; niſi cum fœminis hæredes intercedunt.

Quis poſſit tutorem dominare & dare?

Nemo poteſt tutorem dare cuiquam, niſi ei quem in ſuis hæredibus, cum moritur, habuit, habiturus-ve eſſet, ſi vixiſſet.

Quid fiat per vim?

Vi factum id videtur eſſe, quâ de re quis, cum prohibetur, fecit clam; quod quiſquam cùm controuerſiam haberet, habiturum ſe putauit, fecit.

Inintelligibilia iudicantur non ſcripta.

Quæ in teſtamento ita ſunt ſcripta, vt intelligi non poſſint, perinde ſunt, ac ſi ſcripta non eſſent.

Nec paſcendo, nec legem dicendo, nec ſtipulando, quiſquam alteri cauere poteſt.

An alteri cauere poſſis?

Omnia hæc Quintus Mucius Scæuola libro ſingulari ὁρῶν.

LXXIV.

De acceptione aut commutatione perſonarum.

MCCV NOn debet alteri per (propter) alterum iniqua conditio inferri. *Papinianus libr. 1. Quæſtionum.* [Ab alijs allegatur *Pomponius.*]

Nemo ob alterius iniquitatem condemnatur.

Hinc patet, ob aliena crimina neminem licitè puniri poſſe.

LXXV.

De mutatione conſilij.

MCCVI NEmo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius iniuriam. *Papinianus* (aut fortè *Pomponius*) *libr. 3. Quæſtionum.* [Et adde legem *Non vnquam. decollat.*]

Iniuria. Damnum, Incommoditas.

Conſultò vocem illam *iniuriam* ponit Iuriſconſultus; qui enim cum alterius iniuria mutare conſilium non poſſum, cum alterius incommoditate aut damno ſæpe poſſum. Vt ergo Regulam intelligas, diſtingue propoſitum à promiſſione; illud enim mutari ſemper poteſt; at hæc, ſi habet circumſtantias debitas, vt obligationem inducat, inuito promiſſario retractari non poteſt. Vide *num.* 455. vbi vberiùs de mutatione dictaminis.

Propoſitum differt à promiſſione.

LXXVI.

De actibus liberis.

MCCVII IN totum omnia, quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi verâ & certâ ſcientiâ perfici poſſunt. *Papinianus* (vel certè *Pomponius*) *libr. 24. quæſtionum.*

Actus liber requirit notitiam claram.

Definit Iuriſconſultus, actum liberum eum eſſe, qui elicitur animi deſtinatione; hancque non poſſe exiſtere certitudine notitiæ (hanc enim ſignificat nomen *ſcientiæ*) ſublatâ: nihil enim magis opponitur reſolutioni liberæ, quàm error.

Error opponitur libertati.

An-ne quicumque error reddet actum inualidum? Videtur loqui vniuerſaliter Iuriſperitus in hoc loco; at debet vela contrahere, & ſubſtantialia ab accidentalibus diſtinguere: quoniam error in qualitate, contractus humanos non dirimit.

Limitatur Regula.

Sed quid eſt error in qualitate? An-ne cùm petenti album datur nigrum, & requirenti frigidum datur calidum? Sic multi Iuriſtæ, ſic nonnulli Theologi putarunt, & in matrimonij materia ideò multos errores commiſerunt. Error in qualitate dicitur error in accidente, non ſubiecti, ſed obiecti. Attende. Accidens ſubiecti

Error in qualitate.

Quis ille ſit?

Obiectum differt à ſubiecto.

Accidens ſubiecti & obiecti.

Quomodo & quando corrumpatur obiectum?

iecti eſt, quod poteſt adeſſe & abeſſe abſque ſubiecti corruptione: & accidens obiecti, quod poteſt adeſſe & abeſſe abſque obiecti corruptione. Corrumpitur obiectum quà tale, quando incipit non eſſe quà tale: & quia ſuum eſſe eſt obijci, eſt eligi, eſt amari; eſſe definit in eſſe obiectiuo, cùm primùm definit obijci & amari. Ergo accidens obiecti, id eſt, quod ſiue cognoſceretur ſiue non, adhuc intenderetur aut eligeretur obiectum: quod ſi aliqua ſit circumſtantia, qua ſublatâ obiectum non diligeretur, iam illa pertinet ad intrinſecam rationem obiecti quà talis, nec debet vocari *qualitas*. Rem exemplo dilucido. Contrahit Abbas Benedictinus cum Mercatore de panno pro paranda chlamyde; & Mercator purpureum ad cellam tranſmittit: vultque contractu obſtringi Abbatem. Se deceptum occlamat Religioſus, & errorem producit. Reponit alter, hunc errorem non eſſe ſubſtantialem, ſed accidentalem circa panni qualitatem tantummodò, quoniam color eſt qualitas. Et ex Iure vrget, errore in qualitate non inualidari contractum. Et reſpondeo colorem in emptione eiuſmodi non ad obiecti accidentia, ſed ad eſſentiam pertinuiſſe. Abbatem enim noluiſſe habere chlamydem purpuream certum eſt. Ergo ſiquidem poſito colore nigro ponitur conſenſus, & auſertur ſublato, non eſt color obiectiuum conſensûs accidens, ſed eſt verè quædam realitas, quæ ad intrinſecam obiecti rationem pertinet.

Confideretur bene & perpendatur hoc exemplum.

An color ſit accidens?

Sunt multi in hac materia ſummo errore præuenti.

Hæc dixi iterum, iterumque, & vtinam intelligantur ab omnibus, ſi centies dicantur: nam reperio intolerabilia præiudicia etiam in hominibus, qui volunt dici eruditi, & eximij, apud quos errorem in nobilitate, & diuitijs nunquam eſſe dirimens impedimentum communiſſimum eſt, & ideò in hoc præiudicium labuntur, quòd diuitias nobilitatemque ad prædicamentum qualitatis reducant, accidentia ſubiecti cum accidentibus obiecti confundentes. Sanè nobilitas, & opulentia interdum accidentia obiecti ſunt, nimirùm quando amatur perſona ſiue nobilis, et diues ſit, ſiue non ſit. At quando amatur virgo quà diues, ita vt ſi non eſſet diues non amaretur, nec ſe habent diuitiæ per accidens, nec ad obiecti qualitatem ſpectant.

An diuitiæ & nobilitas ſint accidentia?

LXXVII.

De actione legitima. De expreſſo & tacito.

MCCVIII

ACtus legitimi (ſunt) qui non recipiunt diem vel conditionem; veluti Mancipatio, (*forte*, Emancipatio) Acceptilatio, Hæreditatis aditio, ſerui optio, Datio tutoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adiectionem. Nonnunquam tamen actus ſupraſcripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehenſa vitium adferunt. Nam ſi acceptum feratur ei, qui ſub conditione promiſit, ita demum egiſſe aliquid acceptillatio intelligitur, ſi obligationis conditio exſtiterit, quæ ſi verbis nominatim acceptilationis cõprehendantur, nullius momenti faciet actum. *Papinianus* (vel *Pomponius*) *libr.* 28. *Quæſtionum*.

Actus, qui conditionem non accipiunt.

An officiat exprimi, quod ſubintelligitur tacitè?

[Coniunge legem 8. de tut. & rat. diſtrah. 4. Et vide Alciatum lib. 3. Parerg. cap. 4. & 5.]

Hæc omnia conſiſtunt in humano Iure, & poſſunt pro arbitrio aliter & aliter diſponi. Interim ea quæ tacitè ſubintelligi debent dirimere contractum, ſi expreſsè ponantur, mirum eſt; imò & nociuum & correctione dignum eſt. Interim quamdiu authoritate ſupremâ indicuntur, à ſubditis debent religiosè obſeruari. [Sed quo fructu?]

Reſolutio eſt affirmatiua: mixta tameu.

Imò interdum nociua.

LXXVIII.

De fraude.

MCCIX

GEneraliter, cùm de fraude diſputatur, non quid habeat actor, ſed quid per aduerſarium habere non potuerit, conſideran dum eſt. *Papinianus* (vel ſi placet *Pomponius*) *libr.* 31. *Quæſtionum*.

Vtilitas quæ obuenit per accidens, non cadit in conſideratio nem.

Regula illuſtratur exemplo. [Per vim, fraudem, rapinam-ue veſtibus exſpoliatur Antonius à Petro; veſtibus, inquam, quæ valebant decem. Condolet Franciſcus exſpoliato, & concedit alias, quæ valent viginti. Accuſat Petrum Antonius: & Petrus excipit contrà, quia nihil Antonius perdidit, ſiquidem amiſſis prioribus veſtibus alias duplo meliores & pretioſiores adquiſierit. Imò vult ſibi Petrus gratias agi, ſi enim Antonius à Petro ſpoliatus non fuiſſet, veſtes illas nobiliores non adquiſiuiſſet.] At auditis vtriuſque partis ra-

rationibus Iuriſconſultus inquit, non eſſe conſiderandum quid Actor habeat aut non habeat, ſed quid habere debeat, & ob fraudem & vim à Petro illatam, habere non poſſit. Ergo pronunciandum eſt, Antonium veſtes à Franciſco clementer datas retenturum, & veſtes priores à Petro recuperaturum; & Petrum iuxta criminis qualitatem damnandum.

LXXIX.

De fraude.

MCCX

Fraudulentum conſilium.

FRaudis interpretatio ſemper in Iure Ciuili, non ex euentu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur. *Papinianus* (ſi eius hic liber eſt, qui ab alijs attribuitur *Pomponio*) *libr.* 32. *Quæſtionum*.

Patet, quia qui ſincero animo dedit conſilium, quod malè cecidit, fauore eſt dignus: & qui animo prauo conſilium, quod bene ſucceſſit, eſt puniendus.

LXXX.

De genere & ſpecie.

MCCXI

Addita diminuentia.

IN toto Iure generi per ſpeciem derogatur, & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt. [*Clariùs*. Vniuerſali & communi per particulare & ſingulare derogatur; & vbi dantur verba contrahentia & determinantia, ſtandum eſt determinationi.] *Author Quæſtionum* (eſt vel *Papinianus* vel *Pomponius*) *libr.* 33.

Exemplum ſumi poteſt ex lege *Seruus. de legib.* 3. Conſonat Cicero *lib.* 2. *de inuent. Rhetoric.* dum de contrarijs legibus diſſerit.

LXXXI.

De claritate verborum.

MCCXII

QVæ dubitationis tollendæ cauſâ contractibus inſeruntur, Ius Commune non lædunt. *Papinianus libr.* 3. *Reſponſorum*.

[Adde legem 66. ff. *mandati*.]

Ergo notandum eſt, addita verba aliàs eſſe diminuentia & limitantia, & aliàs non niſi ſenſum obſcurum declarantia, & dubitationem tollentia. Addita explicantia.

LXXXII.

De donatione.

MCCXIII

Donationis character.

DOnari videtur, quod nullo Iure cogente conceditur. *Papinianus libr.* 9. *Reſponſorum*.

Sed cur illud *videtur*? & cur illud *cogente*? Ibi loqui deberet Iuris peritus fortiùs, hîc ſuauius. Sumo ergo calamum, & Regulam eamdem reſcribo. *Proculdubio donatur, quod nullo Iure indicente conceditur*. An non etiam donatio poteſt eſſe, quæ fieret Iure indicente aut cogente? Poteſt: eo nimirùm caſu, quo fiat illi, qui nullum ius habet. Pono exemplum. Venis ad pedes meos, & tibi ego pœnitentiam iniungo, vt eroges decem aureos in pauperes. Hæc erogatio ex ſententia legitimi Iudicis fit, & tamen vera donatio eſt; fit enim in fauorem pauperum, quibus nihil debetur: quam ob rem, ſi poſteà alius hanc pœnitentiam in aliam (puta, diſciplinas, aut cilicia) commutet, nullam iniuriam faciet pauperibus, quibus illa pecunia non dabitur. Axioma igitur ad iſta verba reducamus: *Donari videtur, quod proprietatis iure donatario non debetur*.

An poſſit ex iuſtitia fieri?

Ex obedientia tenentur nonnulli dona dare.

Quid ſit donatio?

LXXXIII.

De amiſſione.

MCCXIV

NOn videntur rem amittere (*meliùs*, Rem non amittunt) quibus propria non fuit. *Papinianus libr.* 2. *definitionum*.

Sed quid dicemus de ſpe? leuem à probabili, & hanc à certa diſtinguemus. Temerè enim rem ſibi concedendam exſpectat, qui ſpe leui ſeducitur: & qui præuenitur ſpe certâ, temerè deſperaret. Et in medio probabilitas libera eſt. Et hoc modo, & non alio, intelligenda eſt lex *Nec emptio. ff. de contrahend. empt.* vbi, vt bene notat Ferrandus Doſſena *tract. de Sala-*

Spes triplex temeraria, certa, probabilis.

An ſpes ſit pretio æſtimabilis.

larijs, cap. 6. num. 78. ſpem ipſam eſſe pretio æſtimabilem legimus.

LXXXIV.

De naturâ obligationum. Quid ſi amplius ſolutum ſit, quàm debeatur?

MCCXV CVm amplius ſolutum eſt, quàm debeatur, cuius pars non inuenitur, quæ repeti poſſit, totum eſſe indebitum intelligitur, manente priſtinâ obligatione. Is naturâ debet, quem Iure Genitum dare oportet, cuius fidem ſequuti ſumus. *Paulus libr.* 3. *Quæſtionum.*

[Conſonat legi *Iulianus de condit. indeb.*]

Et Regulam exemplo dilucido. Teneris dare Franciſco Ouem, & ex errore dediſti Equum: cùm non poſſit ille tibi reſtituere partem Equi, totum reſtituet, manente priore obligatione.

LXXXV.

De dote. De his, qui eò peruenerunt, vnde non poſſunt initium ſumere. De æquitate. An eam dubitatio moretur? & ſi moretur, quid faciendum?

MCCXVI IN ambiguis, pro dotibus reſpondere melius eſt. NON EST NOVVM, vt quæ ſemel vtiliter conſtituta ſunt, durent, licèt ille caſus exſtiterit, à quo initium capere non potuerunt. QVOTIENS æquitatem deſiderij, naturalis ratio, aut dubitatio Iuris moratur, iuſtis decretis res temperandà eſt. *Paulus lib.* 6. *Quæſtionum.*

An in dubijs fauendum ſit ſponſæ & doti?

In ambiguis & dubijs, non pro dote, ſed pro poſſeſſione eſt ſtandum,

Et in hac Regula diſplicet *prima periodus*. Quoniam in ambiguis & dubijs *beatus, qui poſſidet*: non ergo reſpondendum pro dote eſt, ſi ſit poſſeſſio pro non-dote: nec ad ſolutionem vllius debiti damnari poteſt, qui rem poſſidet, quam probabiliter oſtendit ſuam eſſe. *Secunda periodus* eſt certa; nam impedimenta dirimentia, ſi poſt contractum matrimonium ponantur, illud non dirimunt. *Tertia* poſtulat, vt ſupponamus leges omnes ad maiorem DEI gloriam & populi vtilitatem ſancitas, & ſi quandoque illas per accidens contrà videantur vergere, iuſtis decretis temperandas.

Impedimenta dirimenta dirimentia aliquando non dirimunt.

An ceſſante fine legis ceſſet & ipſa lex

LXXXVI. LXXXVII.

De litis conteſtatione.

MCCXVII NOn ſolet deterior conditio fieri eorum, qui litem conteſtati ſunt, quàm ſi non eſſent: ſed plerumque melior. *Paulus lib.* 7. *Quæſtionum.*

Et rationem producit *lib.* 13. vbi ait: [Nemo enim in perſequendo, deteriorem cauſam, ſed meliorem facit. Denique poſt litis conteſtationem hæredi quoque proſpicitur, & hæres tenetur ex omnibus cauſis.]

LXXXVIII.

De morâ.

MCCXVIII NVlla intelligitur mora ibi fieri, vbi nulla petitio eſt. *Scævola libr.* 5. *Quæſtionum.* [Ex lege *Pupillus. de verb. obligat.*]

LXXXIX.

De ſucceſſione ex teſtamento, vel ab inteſtato.

MCCXIX QVamdiu poſſit valere teſtamentum, tamdiu legitimus hæres non admittitur. *Paulus lib.* 10. *Quæſtionum.*

Hæres legitimus, quis ſit?

Sed quis nomine *hæredis legitimi* intelligitur? Ille vnicus, qui ſuccederet ab inteſtato.

De.

XC.

De æquitate.

MCCXX Leges aliter reſpiciuntur à legis latore & aliter à Iudice.

IN omnibus quidem, maximè tamen in Iure, æquitas ſpectanda eſt. *Paulus lib. 15. Quæſtionum.*

Sed à quo? Spectanda eſt à legislatore: quia Iudex non debet Leges iudicare, ſed iuxta Leges. Et ſi ſemel Leges agi reas permitteremus, actum eſſet de æquitate in Europa.

XCI.

De ſucceſſione.

MCCXXI De iure duplici.

QVoties duplici iure defertur alicui ſucceſſio, repudiato nouo iure, quod ante defertur, ſupererit vetus. *Paulus lib. 17. Quæſtionum.*

Ergo repudiato antiquo iure, ſupererit nouum. Patet conſequentia à pari. Et quid neutrum debeat cenſeri nouum, vel vetus? Puto ſæpe poſſe contingere illa iura eſſe diſparata, nec habere ordinem inter ſe, & hanc ob rem iudico Regulam hanc debere tranſcribi, & his terminis tradi. Videlicet: *Quoties duplici iure defertur alicui ſucceſſio, altero repudiato, adhuc alterum remanet.* Et ſicut de ſucceſſione, ſic etiam de alijs eſt iuribus philoſophandum. Regulæ correctio, Et ampliatio.

XCII.

De errore librarij in tranſcribendo.

MCCXXII Lapſus calami alieni non nocet,

SI librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis, erraſſet; nihil nocere. [*nempe*, hic error poterit,] quo minus & reus & fideiuſſor teneantur. *Scæuola lib. 5. Reſolutionum.*

Putant I. Criſpinus & I. Pacius mendum aliquod eſſe, & hanc Regulam ex lege 54. *de man. teſtam.* deductam.

At textûs ſenſus peruius eſt, nec correctione indiget aut reſtitutione. Librarij error nocere non debet: at debebit ille probari, nam aliàs ſcripturæ eſt ſtandum. Sanè error tranſcriptionis facili negotio conuincitur exemplaribus inter ſe comparatis; nam vbi ab originali differt exſcriptum, originali neceſſariò eſt ſtandum. Sed quid, ſi erroris arguatur ipſum originale? Non erit actori credendum, niſi errorem conuincat claris & indubitatis teſtimonijs. Et conuincet, ſi producat teſtes, qui fuerunt præſentes, cùm teſtamentum v. g. conditum fuit, & affirment rem aliter à defuncto diſpoſitam, & aliter ſcriptam à Graphiario. Si probetur. Sed quomodo probari poterit?

XCIII.

De poſſeſſione rei peculiaris.

MCCXXIII Filius familias, neque retinere, neque recuperare, neque adipiſci poſſeſſionem rei peculiaris videtur. *Macianus lib. 1. Fideicommiſſorum.*

[Et eius aſſertionem confirma ex lege 18. *de caſtr. pecul.*]

Noto illud *videtur*; nam hic modus loquendi, qui frequenter occurrit, non doctrinam, ſed vrbanitatem præſefert. Regula enim, vt doctrinalis ſit, his verbis pronunciari debebit. *Filius familias, neque retinet, neque recuperat, neque adipiſcitur rei peculiaris poſſeſſionem.* Quod ſemel monuiſſe ſufficiat. Modus loquendi Iuriſtarum vrbanus.

XCIV.

De abundantibus.

MCCXXIV NOn ſolent, quæ abundant, vitiare ſcripturas. *Vlpianus lib. 2. Fideicommiſſorum.*

Eſt vera hæc Regula, & Iuri naturali conſona; & tamen diſſona Regulę LXXVII. quam deberent Principes ſupremi corrigere. Illam relege. Monitio ad Principes.

VC.

De eo, qui defenditur.

MCCXXV NEmo dubitat, ſoluendo videri eum, qui defenditur. *Vlpianus lib. 6. Fidei commiſſorum.*

Et patet: fruſtra enim defenditur, qui ſoluendo non eſt; habet enim Hiſpanorum Adagium, *A quien no tiene, el Rey le haze libre.* Et tamen nihilominus non fruſtra defenderetur, qui ſoluendo non eſſet, ſi ſperaret diuitias, aut etiam ſi obtineret illa lex, *Qui non habet in ære, luat in pelle.* An poſſit defendi, qui ſoluendo non eſt. Nota id bene.

De

XCVI.

De ambiguis orationibus.

MCCXXVI

Corrigitur Regula.

IN ambiguis orationibus, maximè ſententia ſpectanda [eſt] eius, qui eas protulit. [Dico *protulit*; non enim placet verbum *protuliſſet*, quod in exemplaribus vniuerſis reperio.] *Mæcianus lib.* 12. *Fideicommiſſorum.*

Maximè ait, non vnicè: ſæpè enim contingit, vt vir cautus ſua verba torqueat in ſenſus diuerſos & alienos, vt exorbitantias excuſet: & in tali caſu ſecuriùs & ſinceriùs illa ab eo exponentur, qui non protulit.

XCVII.

De bonis deportati.

MCC. XXVII

EA ſola deportationis ſententia aufert, quæ ad fiſcum perueniunt. *Hermogenianus l.* 3. *Iuris Epitomas.*

Hæc, vt vera ſit, pendet à Legislatorum arbitrio.

XCVIII.

De Lucro.

MCC. XXVIII

Quis debeat in lucro præponi?

QVoties in vtriuſque cauſa, lucri ratio vertitur, is præferendus eſt, cuius in lucro cauſa tempore præcedit. *Hermogenianus lib.* 4. *Iuris Epitomas.*

Conſonat vulgata illa æquitatis vox, *Qui prior eſt tempore (cæteris paribus) potior eſt iure.*

IC.

De eo, qui ignorat, quantum ſoluere debeat.

MCCXXIX

NOn poteſt improbus videri, qui ignorat, quantum ſoluere debeat. *Venuleius l.* 12. *ſtipulationum.*

Computus potiùs examinari & ſeruari debent à creditore.

C.

Quibus modis contractus aut obligatio tollatur.

OMNIA quæ iure contrahuntur, contrario iure pereunt. *Gaius l.* 1. *Regularum.* MCCXXX

Vnicuique principio correſpondet finis proportionatus.

Apud alios eadem Regula ſic legitur, vt loco *iure* reperiatur *iudicio*; ſed hæc lectio non placet.

Fundatur in iure naturæ; quæ enim generantur poſſunt corrumpi, & quæ creantur poſſunt adnihilari. Hoc ſenſu loquitur Iuriſperitus, cuius nihilominus verba, ſi ad rigorem ſcholaſticũ reduceremus, habent nonnihil proculdubio, quod non poſſet defendi; non enim Iura de obiectis contradictorijs, ſi exactè loquamur, ſunt contraria. *Vide ſuperiùs Regulam XXXV.*

An dentur Iura contraria?

CI.

De duobus menſibus.

VBi lex duorum menſium fecit mentionem, qui ſexageſimo primo die venerit, audiendus eſt: ita enim Imperator Antoninus cum Diuo Patre (*alij* Fratre) ſuo reſcripſit. *Paulus lib. ſingul. de Cognitionib.* MCCXXXI

Quot dies complectantur duo menſes?

Ergo cui 28. Ianuarij duo menſes abſentiæ conceſſi, legi ſatisfaciet, etſi 28. Martij non compareat, modò ſe ſiſtat tribunali die ſexageſimo-primo, qui incidit in Martij trigeſimum.

De illo, qui aduerſus Edictum agit. De neganda actione.

QVi vetante Prætore facit, hic aduerſus Edictum feciſſe (facere) propriè dicitur. *Ergo Prætoris verba Edictum ſunt.*] MCC. XXXII.

Eius eſt actionem denegare, qui poteſt & dare. *Vtrumque nos docuit Vlpianus lib.* 1. *ad Edictum.*

De

CIII.

De manutenenda poſſeſſione.

MCCXXXIII Beatus, qui poſſidet.

NEmo ex domo ſua extrahi debet. *Paulus l. 1. ad Edictum.* [Et colligitur ex Titulo de in ius vocando.

Regulæ extẽſio.

Poteſt vniuerſaliùs proponi [*Nemo poſſeſſa re priuari debet, ante ſententiam Iudicis. Et nemo ſententia Iudicis damnari debet, antequam conuincatur.*]

CIV.

De Iudicijs famoſis, & pecuniarijs.

MCCXXXIV An ſit fama vtilitati præponenda?

SI in duabus actionibus alibi ſumma maior, alibi infamia eſt, præponenda eſt cauſa exiſtimationis. Vbi autem æquiparantur famoſa iudicia, etſi ſummam diſparem habent, pro paribus nihilominus accipienda ſunt. *Vlpianus l. 2. ad Edictum.*

Hæc Regula fundatur ſubſtruiturque doctrinâ communi, quæ docet famam fortunis eſſe anteponendam. Ouidius:

Quanti faciẽdus honor ſit?

Omnia ſi pereant, famam ſeruare memento.
Qua ſemel amiſſa, poſteà nullus eris.

Impugnatur Vlpianus.

Hic autem obſeruandum id, quod innuit Iuriſconſultus, non eſſe bonam conſequentiam, [Fama & nominis exiſtimatio eſt nobilior diuitijs; Ergo quantulacunque fama quantiſcumque diuitijs anteponenda eſt.] Eſt enim ſimilis huic. [Aurum eſt pretioſius argento: Ergo granum auri debet maioris fieri librâ argenti.] Quia parua opinionis iactura maximis diuitijs non ſemper anteferenda eſt. [Eodem modo de vita, ſiue cum honore, ſiue cum diuitijs compoſita, philoſophandum eſt.]

An vita honori, & diuitijs ſit anteferẽda?

CV.

De cauſæ cognitione.

MCCXXXV Ad quem pertineat cauſas cognoſcere?

VBicumque cauſæ cognitio eſt, ibi Prætor deſideratur. *Paulus lib. 1. ad Edictum.*

Et videtur deſumi ex prima parte, vbi de iuriſdictione, & poteſtate Magiſtratuum.

CVI.

De libertate.

MCCXXXVI Reijcitur Regula Pauli.

LIbertas inæſtimabilis res eſt. *Paulus lib. 1. ad Edictum.*

Et conſonat illud Axioma, Non bene pro toto libertas venditur auro.

Exaggeratio potiùs quàm Regula ea eſt; ea enim, quæ æſtimatione & pretio carent, nec emi nec vendi poſſunt; & tamen ſub haſta venditur, & emitur ipſa libertas; & hoc apud gentes Chriſtianas. Si conſideremus naturales, & abſolutas perfectiones, quando definituri ſumus rerum pretia, vita ciuilis corruet, & Europa turbabitur. Quoniam debebimus omninò dicere, muſcam formicam-ue monte aureo nobiliorem, adeoque pretioſiorem eſſe; quod humana prudentia non patitur. Pretia igitur rerum non debent ſumi ab intrinſeca, & abſoluta earumdem perfectione, ſed ab vtilitate; poteſt enim contingere, vt vtilior humano ſit vſui res naturâ imperfectior; nam ad arma formanda ferrum auro eſt commodius, & tamen auri natura eſt excellentior. Ergo, ſi conſideretur homo, quà vtilis tibi, cum non ſit infinitè vtilis, & tamen vtilis ſit, erit finitè vtilis: ergo æſtimari poterit hæc ipſa vtilitas finito pretio. Tranſitus igitur è libertate ad ſeruitutem, & à ſeruitute ad libertatem, non eſt infinitus; ergo ſtatuto aliquo pretio vendi, & emi poteſt libertas. Vide *num.* 1304.

Vnde ſumantur rerum pretia?

Non à bonitate, ſed ab vtilitate?

An libertas ſit pretio æſtimabilis?

CVII.

De ſeruo.

MCCXXXVII. An ſerui ſint nulli virtualiter.

CVm ſeruis nulla actio eſt. *Gaius lib. 1. ad Edictum.* [Ex tract. *de Iuriſdict.*]

Ratio Regulæ eſt, quia ſeruus moraliter loquendo eſt nullus.

An-ne ille omninò nullus ? non credo. Nam ſi vel ipſe herum, aut alium occîdat, vltimâ ſententia condemnatur: &, ſi occidatur, vindicatur authoritate publicâ, quæ in homicidam animaduertit. Vide *num*, 1161. vbi ſeruos nullos eſſe ad agendum, non autem ad patiendum pronuncio.

CVIII.

De Iudicijs pœnalibus.

MCCXXX. VIII. Clementia Iudicum.

FErè in omnibus iudicijs pœnalibus, & ætati (adde, & ſexui) & imprudentiæ ſuccurritur. *Paulus lib. 1. ad Edictum.*

[Et confirmari poterit ex Titul. *De in ius vocando*, & Titul. *Ne quis eum, qui in ius voc.*]

Et patet, quia ſemper pueri, fœminæ, & imperiti clementiùs iudicantur.

CIX.

De eo, qui non prohibet.

MCCXXXIX Ad impoſſibile nemo tenetur.

NVllum crimen patitur (incurrit) is, qui non prohibet, cùm prohibere non poteſt. *Paulus lib. 5. ad Edictum.*

[Ex Titul. *de his, qui not. infam.* Vide legem *Liberorum. eod. titul.* & connecte nonnullas ſubſequentes.]

Permiſſionis ſpecies?

De permiſſione libera, & neceſſaria, cooperante, & non operante, multa radicitùs examinata dedimus libro ſpeciali.

CX.

De eo, quod eſt plus vel minus. De expromiſſione alienæ rei. De pupillo. De propoſitione diſiunctiua. De mulieribus.

MCCXL. De parte, & toto.

IN eo, quod plus eſt, ſemper ineſt & minus. Nemo alienæ rei expromiſſor idoneus videtur, niſi cum ſatisdatione. Pupillus pati poſſe non intelligitur. Vbi verba coniuncta non ſunt, ſufficit alterutrum eſſe factum. Mulieribus, tunc ſuccurrendum eſt, cum defendentur, non vt faciliùs calumnientur. *Paulus lib. 6. ad Edictum.*

Axiomata, expoſita.

Ex prima huius Regulæ linea colligitur, quo debeat illud Axioma modo intelligi, *Qui poteſt maius, poteſt minus*; vel vt loquuntur alij, *Cui conceditur plus, conceditur minus*. Tunc enim tenet Regula, cùm illud, quod eſt minus, in eo quod eſt maius, comprehenditur. Et hæc ipſa Regula regulariter loquendo (hoc eſt, plerumque) vera eſt: ſunt enim caſus, in quibus eſſe falſa videatur. Et ne multis exemplis te grauem, vnum aut alterum proponam. Hodie Petrus poteſt licite non confiteri, ergo poterit omnia peccata ſubticere: & tamen licet vnum mortale ſit pars plurium, ex ſuppoſitione quòd ſacramentaliter confiteatur, debet omnia expreſsè confiteri. In Miſsa canon continetur vt pars, & nihilominus Ioannes, qui poteſt totam Miſſam omittere, ex ſuppoſitione, quod celebret, non poteſt canone omiſſo cætera celebrare.

Notanda contra Axiomata

Expromiſſio.

Secunda Regulæ eiuſdem linea vera eſt: non enim expromittere poteris mihi quæ Petri ſunt, niſi illi ſatiſdes, aut ſatisfacias.

MCCXLI. Reijcitur tertia pars Regulæ.

Tertia eſt difficilis: pupillus enim medio tutore poteſt agere, adeoque & eodem medio poſſet pati, & hoc bene intelligitur, vel Paulo inuito. At leges, quæ poſſent rem diſponere aliter, pupillis fauent; & tametſi eos agere, & eos pati per alium æquè poſſit intelligi, ætati voluerunt fauere.

Diſiunctiua poſitio.

Quarta deſumitur ex Dialectica: vt enim hæc poſitio, *Vel Franciſcus, vel Theodoricus currit*, vera ſit, non requiritur vt vterque currat; non vt alter determinatè; ſed vt alteruter.

Clementiæ abuſus.

Quinta debet non ſolùm à Iudicibus, ſed à Prælatis, & Communitatum Rectoribus accuratè perpendi. Solent fœminæ, ſolent adoleſcentes, ſolent ægroti, abuti Superiorum clementiâ; ſolent frequentiſſimè efferri, vnde deberent humiliari. Tunc ergo negandus eſt ſuccurſus, ne ad noſtrum aliorumue innocentum damnum, ſuccurrendo male-moratis, concurramus.

CXI.

De pupillo. De hærede. De actionibus pœnalibus.

MCCXLII. Pupillus peccare potest.

PVpillum, qui proximè pubertati sit, capacem esse furandi, & iniuriæ faciendæ constat. In Hæredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio; veluti furti, damni, iniuriæ, vi bonorum raptorum, iniuriarum. *Gaius* (aliàs *Paulus*) *lib. 2. ad Edictum Prouinciale.*

An actiones personales possint ad hæredes trãsire?

Prima Regulæ pars probatione non indiget: certa est. Secunda expositione aliqua indigere videtur: stando enim Iuri naturæ, non video, cur repugnet actus personales ad hæredes transire, maximè stando illi sententiæ, quæ docet obsides, si illi à quibus dati, fidem violent, occidi posse. Ergo si obses loco illius cuius est obses, occîdi potest; hæres etiam loco illius, cuius est hæres, stando Iuri naturæ, poterit: vel clara assignetur disparitas.

An obsides occidi possint

An defuncti possint accusari, citari, condemnari?

Cæterùm, quidquid sit de personali actione, posse proferri legem, vi cuius defuncti ob crimina commissa ad tribunalia prouocentur, & conuicti damnentur realiter, & hæc pœna ab hærede exigatur; meridie mero clarius est.

CXII.

De actione, & exoeptione.

MCCXLIII. Actio nulla virtualiter.

NIhil interest, ipso iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. *Paulus lib. 8. ad Edictum.*

Nihil virtuale.

Patet; quia nihil virtuale est, quod licèt physicè videatur aliquid; prudentum iudicio ita se habet, ac si nihil omninò esset. Actio autem semel instituta, si exceptioni subiaceat, suam entitatem physicam non amittit, at exuitur efficacia morali, atque ideò virtualiter loquendo nulla est.

CXIII.

De toto, & parte.

MCCXLIV. Vide num. 1240.

IN toto pars continetur. *Gaius lib. 3 ad Edictum Prouinciale.*

Patet; quia totum est maius sua parte.

CXIV.

De obscuris.

MCCXLV.

IN obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet. *Paulus libr. 9. ad Edictum.*

Regulæ limitatio, & impugnatio.

Verisimilius dicitur quod est verius, certius, & probabilius, An-ne in obscuris teneor sequi probabiliorem opinionem? An-non sufficiet sequi probabilem? Anne debebo inspicere verisimiliora? An-non sufficiet respicere verisimilia? Certè sufficiet priuato homini; at non Iudici, qui lege obligari potest, vt in ferenda sententiâ sequatur probabiliorem partem.

CXV.

De eo, qui videtur cepisse, aut accepisse.

MCCXLVI. Capere, & Non-capere virtualiter.

SI quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse. Non potest videri accepisse, qui stipulatus potest exceptione submoueri. *Paulus libr. 10. ad Edictum.*

[Colligitur ex Titul. *de calumniat.* Et firmatur lege 2. *eodem tit.* quæ idem penè principium habet.]

Dare vitam virtualiter.

Sunt modi loquendi morales. Vitam tibi dedisse dicitur, qui mortem vitauit: ergo & nummos tibi, qui te à dandi illos necessitate, aut obligatione liberauit.

Dare nũmos virtualiter.

CXVI.

De conſenſu, vi, metu, & errore. De eo, qui ius publicum ſequitur.

MCCXLVII Metus conſẽſui opponitur.

NIhil conſenſui tam contrarium eſt (qui bonæ fidei iudicia ſuſtinet) quàm vis, atque metus: quem comprobare, contra bonos mores eſt. Non capitur, qui ius publicum ſequitur. Non videntur, qui errant, conſentire. *Vlpianus lib.* 11. *ad Edictum.*

Ius publicũ.

Error conſenſui opponitur

[Eruitur ex Titul. *de his, qui vi metuſue cauſa.*]

An tollant libertatem vis, metus, error?

Vim, metum, erroremque confundit noſter Iuriſperitus: & dirimere conſenſum exiſtimat: at aliter Philoſophi, & Theologi. Quoniam re bene inſpecta, vis, metus, & error quicumque accidentalis, libertatem non tollit, ſed diminuit. Illam tolli ab errore ſubſtantiali fatemur: Et vtriuſque erroris differentiam iterum iterumque expoſuimus.

Quid dicendum de metu in conſtantem cadente?

At obijcis, metum cadentem in conſtantem virum tollere libertatem. Et ſi agas de libertate naturali, nego: ſi verò de ciuili, & morali, in caſibus à Iure expreſſis, concedo: & rem expono. Vota emiſit Anſelmus, nempe ſolennia, & ex metu, qui conſtantem afficeret; dicis ea inualidâ. Aſſentior. Sed cur illa inualida ſunt? Defectu conſensûs, reſpondes. Adquieſco; Sed adhuc quæro, cuius ſit conſenſus iſte, qui non eſſe dicitur? An-ne Anſelmi? ne puta. Cuius ergo? Pontificis, & Prælatorum. Profeſſio ſolennis, quidam contractus eſt; & ab vno contractus iniri non poteſt. Eſt, inquam, illa contractus, qui debet iniri inter Anſelmum, & Religionem ſuam, cuius ſupremus Generalis eſt Pontifex. Dicit Anſelmus: *Ego voueo*; & reponit Pontifex, *Ego accepto, ſi impleueris ſedecim ætatis annos, ſi anno integro fueris probatus, ſi hoc ipſum votum ex metu graui non emittas: & aliàs non.* Ecce illæsâ, aut etiam intactâ libertate, Anſelmi profeſſio erit inualida, ſi vel vnica ex his conditionibus non purificetur, quia eſt conditionata Summi Pontificis voluntas, & ideò à poſitione conditionum dependens.

Cur vota ſolennia irritet?

Doctrina val. de neceſſaria, & notanda.

Pontifex eſt Generalis ſupremus.

CXVII.

De bonorum poſſeſſore.

PRætor bonorum poſſeſſorem hæredis loco in omni causâ habet. *Paulus lib.* 11. *ad Edictum.* MCCXLVIII

CXVIII.

De vſucapione, & poſſeſſione.

QVi in ſeruitute eſt, vſucapere non poteſt: nam cùm poſſideatur, poſſidere non videtur. *Vlpianus lib.* 12. *ad Edictum.* MCCXLIX. An ſeruus aliquid habere poſſit?

[Confirmabitur ex Titul. *Quibus ex cauſis*: vbi de vſucapione multa.]

Obiectio.

Dices. Famulus poteſt habere famulos, ſubditus ſubditos: ergo poſſeſſus poſſidere. Ergo Vlpianus nîl probat. Confirmabis. Dirigens poteſt dirigi, agens agi, mouens moueri: ergo & poſſidens poſſideri etiam poteſt.

Reſpondeo ſeruum totaliter poſſideri, adeoque poſſidere non poſſe: quòd ſi alicubi ſit benignior ſeruitus, quæ totalis non ſit, eo ſenſu quo homo liber ſit, eodem poſſe alia poſſidere dicendus eſt. Reſponſio.

CXIX.

De alienatione.

NOn alienat, qui dumtaxat omittit poſſeſſionem. *Vlpianus lib.* 3. *ad Edictum.* MCCL. Poſſeſſionis omiſſio.

[Et conſtat ex Titul. *de alienat. iudic. mut. cauſa facta. l.* 4. §. 1. *eod. titul.*]

Sanè *non-poſſeſſionis voluntariæ* conceptus ſine alienatione ſaluatur; qui enim derelinquendi animo ſarcinas in mare proijcit, poſſidere omittit, & tamen poſſeſſionem ad nullum tranſmittit. Sic etiam, qui rem derelinquit in platea, non eam alienat, ſed omittit tantummodò. Nam ſtante hac actione adhuc poſſet contingere, quòd rem à Petro derelictam, vel nemo inueniret, vel nemo caperet.

De

CXX.

De hærede.

MCCLI. NEmo plus commodi hæredi ſuo relinquit, quàm ipſe habuit. *Paulus libr.* 10. *ad Edictum.*

[Et roboratur ex tractatu reſtitutionum.]

Multæ ſunt in Tractatu de diuerſis Regulis Iuris propoſitiones iſti ſimiles, quas ſæpe expoſui. Sed quia eadem res poteſt eſſe commodior, diuerſorum reſpectu, non ſcio cur hanc aſſertionem pronunciauerit Paulus. Hoc exemplum conſidera.

Obiectio. [Erat valetudinarius Fridericus, & habebat domum omni plagæ, & vento expoſitam, liberam, peruiam: feneſtris maximis apertam: & moriens eamdem reliquit hæredi ſuo Franciſco Viro Aſtronomo, & qui magnis organis obſeruabat ſtellas. Et in hoc caſu dico, plus Fridericum commodi Franciſco hæredi ſuo reliquiſſe, quàm ipſe habebat.]

Reſponſio. Do igitur obiectioni manus, & corrigo, & repono Regulam: ſic inquam; *Nemo plus iuris relinquit hæredi, quàm ipſe habebat.* Ergo nomine *Commodi* debet interdum *Ius* intelligi.

CXXI.

De eo, qui vel non facit, quod debet; vel facit, quod non debet.

MCCLII. An omiſſio ſit actio moralis? QVi non facit, quod facere debet, videtur facere aduerſus ea quæ non facit. Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere iuſſus eſt. *Paulus libr.* 13. *ad Edictum.*

Ex hac Regula ante dies pauculos ſumpta fuit Caſûs ſequentis Reſolutio. [Titius Pragenſis Parochus ob negotia è Bohæmia egreſſus Albericum Vicarium ſuum conſtituit, & ei omnem ſuam, quam poterat, facultatem conceſſit. Iſte interim contra leges, & mandata Superiorum, ſine publicationibus, & cæteris prærequiſitis circumſtantijs, Petronillam, & Caium matrimonio coniunxit; ita nimirùm, vt ſi eoſdem ſub ijſdem circumſtantijs Titius coniunxiſſet, illicitè coniunxiſſet, ſed validè.] Et caſu ſic propoſito, An illud matrimonium eſſet validum, inquirebatur. Fuerunt, qui aſſererent: nec tamen defuerunt, qui negarent. Illi ad plenipotentiam recurrebant, & ſic argumentabantur. [Si Titius adfuiſſet, eſſet validum hoc matrimonium. At vel adeſſe ipſummet Parochum, vel eius Vicarium, perinde eſt. Ergo etiam modò eſt validum.] Iſti etiam ad plenipotentiam, & diſcurrebant ſic. [Non habuit Albericus facultatem copulandi Petronillam, & Caium: ergo inualidè eos copulauit. Probabant antecedens, Primò ex Regula Iuris Canonici, *In generali conceſſione non veniunt, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus:* ſed non iam veriſimile, ſed certum videtur, Titium non fuiſſe conceſſurum, aut permiſſurum, quòd illicitum illud, & contra Superiorum leges matrimonium celebraretur: Ergo licentiam illam non conceſſit. Et probabant, Secundò ex hac Regula Iuris Ciuilis; quoniam Albericus in hac copulatione fecit, quod facere non debuit, adeoque non videtur facere id quod à Titio facere iuſſus eſt.] Sic indicabant illi. Vtri autem melius? Tu reſponde.

An quæ Ordinarius valide faceret, valide faciat delegatus? Regula 81. Regul. 121.

CXXII.

De libertate.

MCCLIII. Reijcitur hæc Regula. LIbertas omnibus rebus fauorabilior eſt. *Gaius libr.* 5. *ad Edictum Prouinciale.*

In dubijs ſtãdum eſt pro poſſeſſione. Eſt falſa: quia non pro libertate ſemper, ſed pro poſſeſſione eſt ſtandum. adeoque ſi captiuitas ſit dubia, ſtandum pro libertate certa eſt: & ſi captiuitatem certam ſequatur dubia manumiſſio, aut redemptio, ſtandum eſt pro captiuitate.

Loco igitur eius iſtam pone: *Libertas omnibus rebus, (anima, honore, & vita exceptis) pretioſior eſt.* Ergo pretioſior eſt pecunijs, fundis, & quibuſcumque temporalibus commoditatibus.

CXXIII.

De eo, qui agit pro alio. De temporaria permutatione.

MCCLIV. NEmo alieno nomine lege agere potest. Temporaria permutatio ius Prouinciæ non innouat. *Vlpianus libr. 14. ad Edictum.*

CXXIV.

De muto, surdo, & furioso.

MCCLV. VBi non voce, sed præsentia opus est, mutum, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo: hic quidem & respondere potest. Furiosus (autem) absentis loco est: & ita Pomponius lib. 1. Epistolarum scribit. *Hæc Paulus libro 16. ad Edictum.*

Furiosus, cùm maximè adest, absens est.

[Alij hanc sententiam adtribuunt *Vlpiano.*]

Præsentia duplex: physica, & moralis.

Ecce meritò Iurisconsultus præsentiam physicam à morali distinguit; qui enim ita præsens est, vt testificari non possit, virtualiter loquendo absens est.

CXXV.

De Actore, & Reo.

MCCLVI. FAuorabiliores rei potiùs quàm actores habentur. *Gaius libr. 5. ad Edictum Prouinciale.*

Innocentiæ possessio.

[Et hæc benignissima doctrina videtur desumpta ex Aristotele in Probl. section. partic. 12. de his quæ ad Ius Ciuile pertinent.]

Et ratio sumitur à possessione: nam reus est in suæ innocentiæ possessione, à qua non debet eijci, quousque conuincatur fuisse nocens.

CXXVI.

De illo, qui pretium numerauit. De adquisitione liberti. De petitore, & possessore.

MCCLVII. Cogere aliquem, vt vendat, non est rapere. NEmo prædo est, qui pretium numerauit. Locupletior non est factus, qui libertum (*alij* liberum) adquisierit. Cùm de lucro duorum quæratur, melior est de causa possidentis. *Vlpianus lib. 15. ad Edictum.*

[Ex Titulo *de petitione hæred.*]

Vt primam partem Regulæ exponam, hunc casum decidendum propono. [Placuit Petro equus Ioannis; voluit emere: & cùm alter non vellet vendere, rapuit, & misit ad Ioannem pecunias. Conqueritur Ioannes, & Petrum accusat de præda.] Aio tamen ex Vlpiano, Petrum non esse prædonem, si iustum pretium dederit.

Pecunia vltronea.

Sed quantum erit pretium, quod debeat hîc censeri iustum? Cùm rogatur emptor, satis esset, si daretur dimidium: Ergo, cùm rogatur venditor, dari debebit duplum. Ergò, cùm cogitur, quadruplum: aut aliàs consequentia nulla seruatur. Hinc incipio intelligere verba publicani Euangelici, cuius meminit Lucas Historiæ suæ capite vndeviceſimo. *Ecce*, ait *dimidium bonorum meorum do pauperibus; & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum*. Alij intelligant aliter, sic ego textum hunc interpretor; *Quando est penuria emptorum, res meas dimidio pretio vendo; & si quid per vim capio (videlicet, à venditore inuito) soluo quadruplum.*

Nota hoc quæso.

Loco obscuro S. Scripturæ lux.

Non fit ditior, qui amissa recuperat.

Secunda periodus videtur moraliter vera: qui enim libertum adquirit, si adquirit, nihil adquirit: & qui liberos, pauperior est.

Tertia; quia in possessione fundatur, supra omnem dubitationis aleam ponenda est.

CXXVII.

De hærede conuento.

MCCLVIII. An breuitas temporis posſit hæredem excuſare?

CVm Prætor in hæredem dat actionem, quatenus ad eum peruênit, ſufficit, ſi vel momento ad eum peruênit ex dolo defuncti. *Paulus libr.* 20. *ad Edictum.* [Ex Titul. *de petitione hæredit.*]

Momento quidem; nam ſi quis acceptat, & adit hæreditatem, & ſtatim donat liberam, ad onera, quæ oboriantur, tenetur.

CXXVIII.

De poſſeſſore, petitore, & ſucceſſore.

MCCLIX. Beatus, qui poſſidet.

IN pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet. Hi, qui in vniuerſum ius ſuccedunt, hæredis loco habentur. *Paulus lib.* 19. *ad Edictum.* [Ex Titul. *de Publiciana in rem.act.*]

An bene ordinentur hæ Regulæ?

Mirabiliter intexuntur hæ Regulæ; Canonicas, quæ ſimili erant infortunio permixtæ, diſtinxi ſuperiùs: nolui has, quia rarò veræ ſunt, & ſi quæ reprehendi non debent, cum datis ſuperiùs coincidunt.

CXXIX.

De eo, qui ſuum recipit. De principali, & acceſſorio.

MCCLX. Cum non ſubſiſtit antecedens, periclitatur conſequens.

NIhil dolo creditor facit, qui ſuum recipit. Cum principalis cauſa non conſiſtit, nec ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent. *Paulus lib.* 21. *ad Edictum.*

[Coniunge legem 178. *infra eodem titulo.*]

Vtraque pars eſt certa, & clara, & ideò nec indiget expoſitione, nec probatione.

CXXX.

De concurrentibus actionibus.

NVnquam actiones, præſertim pœnales, de eâdem re concurrentes, alia aliam conſumit. *Vlpianus lib.* 18. *ad Edictum.* [Ex Titul. ad leg. Aquil.] MCCLXI.

CXXXI.

De eo, qui dolo deſijt poſſidere.

QVi dolo deſierit poſſidere, pro poſſeſſore (*tanquam poſſeſſor*) damnatur, quia pro poſſeſsione dolus eſt. *Paulus lib.* 22. *ad Edictum.* [Ex Titul. de noxal.actio.] MDCLXII. Poſſeſſio virtualis valde conſiderãda.

Confirmatur, & explicatur Iuris Canonici Regula XXXVI. *Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſijt poſſidere.*

Hinc deduximus ante aliquot hebdomadas reſolutionem huius casûs. [Petrus volebat ducere in vxorem Alnardam, & monentur à Conſiſtorio Parochi ob cauſas iuſtas, ne illos copulent; iubetur ipſis, ne ad nuptias procedant, quouſque examinetur actio à Petronilla contra Petrum propoſita. Interim Petrus, & Alnarda obedire non volunt: adeunt Parochum ſponſi, reijciuntur; adeunt Parochum ſponſæ, & etiam reijciuntur. Quid remedij? Petrus mutat domicilium ad aliam Parochiam, & quia huic Parocho nihil erat iniunctum, coram illo celebrant nuptias, & vt putabant, validas.] Petronilla ſuffuſa lachrymis Conſiſtoriales adit, Petrum accuſat; & illi ſedentes pro tribunali pronunciant, prius domicilium dolo relictum, adeoque huius Regulæ vi Petrum pro poſſeſſore haberi debere. Inferunt, matrimonium initum coram alieno Parocho, ac propterea inualidum eſſe. An-ne bene? exiſtimo, aut nullibi hanc Regulam habituram locum, aut hîc debere. Tu rem conſidera: & huic coniunge Regulam CL. Caſus notandus.

An domicilij antiquum moraliter retineat, qui illud dolosè mutat?

CXXXII.

De ignorantia vincibili.

MCCLXIII. Ignorantia libera.

IMperitia culpæ adnumeratur. *Gaius lib.7. ad Edictum Prouinciale.* [Ex Titulo ad leg. Aquil.]

Imperitia duplex eſt, altera vincibilis, & inuincibilis altera. Illa eſt culpabilis, iſta inculpabilis. Quid requiratur, vt ignorantia dicatur vincibilis, & culpabilis, paucis expediri non poteſt.

CXXXIII.

De ſeruis.

MCCLXIV. An ſerui prodeſſe poſſint, & nocere nō poſſint?

MElior conditio noſtra per ſeruos fieri poteſt; deterior fieri non poteſt. *Gaius lib.8. ad Edictum Prouinciale.*

Et ſuas patitur difficultates; & primò eſt falſa, ſi intelligatur de actionibus phyſicis: nam ſeruus poterit domini pecudes, armenta, &c. occidere; ſata, domos, ſyluas, &c. incendere. Et ſecundò ſi intelligatur de actionibus moralibus: nam ſerui ob crimina (vt alia præteream) ſunt obnoxij patibulo, etiam cum dominorum detrimento.

CXXXIV.

De creditoribus, qui fraudantur. De delicto.

MCCLXV. An debitor teneatur adquirere?

NOn fraudantur creditores, cùm quid non adquiritur à debitore; ſed cùm quid de bonis diminuitur. Nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt. *Vlpianus lib. 21. ad Edictum.*

Cantelmus laudatus.

Non video lucem, & vt tu tuam diffundas hunc caſum decidendum propono, [Andreas Cantelmus, fortiſſimus in Belgio Miles, & vrbis Brugenſis Gubernator, quod rarò accidit eiuſmodi hominibus, erat pauperrimus. Non aulæis pretioſiſſimis aulas, non auratis phaleris equos, non gemmis corpus onerabat; ſed omnia, quæ vel ab ſtipendio, vel à iuſta contributione habere poterat, dabat militibus, malens domi videre nudos muros, quam milites nudos, & inermes in acie. Vt Deo, & Regi ſeruiret, ſummas faciebat expenſas aliquando, & ideò ære grauabatur alieno, & Flandria defenſori ſuo grata, viginti millia florenorum obtulit ad delenda nomina, quæ in mercatorum libris erant. Noluit acceptare Cantelmus; & quia aliunde non habuit, quibus ſatisfacere poſſet, ſoluit morti generale debitum, antequam creditoribus ſolueret ſpeciale.] Varia fuerunt Theologorum, & Virorum Illuſtrium iudicia de hac actione. Generoſa ipſa fuit in omnium opinione. An-non in ſummum creditorum damnum? Excuſandus eſſet ex hac Regulâ: at creditores ipſi putarent hanc ipſam debere accuſari.

Tranſeo ad poſteriorem Regulæ partem. Puto enim neminem debere ex delicto nanciſci vtilitatem; at illam nanciſci poſſe, & ſolere animaduerto. Primò, ſi illud clarè demonſtrari non poſſit. Nam cognoſco, qui fratrem dicitur occidiſſe, & quia tamen hoc ipſum probari non potuit, multorum millium hæres fuit. Secundò per accidens: qui enim excommunicatus eſt, regulariter loquendo, Miſſam audire feſto die non tenetur, &c. at debet ſatisfacere, & procurare abſolutionem; & ſi hanc non procuret, & in excommunicatione maneat vltrò, etiam non auditæ Miſſæ reus eſt.

An excommunicatus debeat audire Miſſam?

CXXXV.

De his, quæ dari non poſſunt, aut in rerum natura non ſunt.

MCCLXVI. Aliqua dicuntur non eſſe virtualiter.

EA, quæ dari impoſsibilia ſunt, vel quæ in rerum natura non ſunt, pro non adiectis habentur. *Vlpianus libr. 23. ad Edictum.*

Sed quo iure? ſtando Iuri naturali, hæc Regula falſa eſt: & quia in matrimonio non ciuilis, ſed naturalis conſenſus requiritur, ſi Petrus dicat, *Duco te in vxorem, ſi heri Lunam manu tetigeris, & non aliàs*; non erit dicendus inire verum matrimonium, & conditionem omiſiſſe, ſed potiùs, non habuiſſe conſenſum. At in his, quæ à Iure humano adæquatè dependent, potuit Reſpublica decernere, quod Vlpianus conſuluit. At videndum, Vtrum id decreuerit de facto, vel non?

An conditio impoſſibilis in matrimonio habeatur pro non adiecta?

CXXXVI.

De bona possidentis fide: & de veritate.

MCCLXVII Bona fides est virtualis veritas.

BOna fides tantumdem possidenti præstat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est. *Paulus libr.* 18. *ad Edictum.*

[Et colligitur ex Titul. *de pet. hæredit. aut de rei vend.*]

Imò plus hodie præstat bona fides, quàm veritas: & ostendo. Sit Petri hæc domus, & tamen eam esse suam probare Antonius possit, & suam veritatem ille tueri non possit; si tollantur Præscriptiones, domum Antonio adiudicare debebunt Iudices, nam isti pronunciant iuxta ea, quæ probantur. At præscriptionum lege positâ, quidquid de probationibus sit, ait Petrus, *Possedi bona fide debito tempore, & præscripsi*; & Antonius, etsi possit positiuè probare domum hanc esse suam, erit ab omni iudicio, & tribunali repellendus.

CXXXVII.

De possessore bonæ fidei.

MCCLXVIII Sententia est legitimus possidendi titulus.

QVi authore iudice comparauit, bonæ fidei possessor est. *Vlpianus libr.* 25. *ad Edictum.* [Et hoc ex Titul. *de Religiosis*: lege, *At si quis.* §. *sed si addita.*]

Et est certissima, quæ enim per sententiam mihi adiudicantur, tutissimâ conscientiâ recipio, & legitimo titulo possidebo.

CXXXVIII.

De additione hæreditatis cum tempore mortis continuanda. De æstimatione delicti.

MCCLXIX. OMnis hæreditas, quamuis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. Nunquam crescit ex post facto præteriti delicti æstimatio. *Paulus lib.* 27. *ad Edictum.*

Vtraque pars est vera. Prior dilucidabitur hoc exemplo. Obijt Comes N. cuius reditus annui erant viginti millium. Et anno integro de successione lite actum, tandem per sententiam definitiuam esse hæres declaratur Antonius: & dicimus ad eum pertinere omnes reditus Comitatûs non solùm à die datæ sententiæ, sed à die, quo Comes fuit mortuus. Temporis continuatio.

Hoc etiam exemplo dilucidatur posterior. Nam hîc Pragæ in domo domini N. optimi mei amici, famulus ancillam cognouit; concepit hæc; parit, & infantem occîdit, & in secretum locum proijcit. Resciturcrimen, vterque capitur, & famulus fornicationis, & infanticidij agitur reus. Primum crimen fatetur, & deprecatur ille; secundum negat, & se hac Pauli decisione tuetur: non enim ex infanticidio, quod se inconsulto, & prorsus ignorante posteà accidit, crescere potest præteritæ fornicationis æstimatio. Infortunij inopinata accessio.

CXXXIX.

De actionibus perpetuandis. De re, quæ auferri potest.

MCCLXX. OMnes actiones, quæ morte, aut tempore pereunt, semel inclusæ iudicio saluæ remanent. Non videtur perfectè cuiusque id esse, quod ex casu auferri potest. *Gaius libro ad Edictum Prætoris Vrbani.*

Et mihi vtraque pars æquiuocatione, & difficultate laborare videtur.

CXL.

De absentia Reipublicæ causa.

MCCLXXI. Præsentia virtualis. ABsentia eius, qui Reipublicæ causa abest, neque ei, neque alij damnosa esse debet. *Vlpianus lib.* 54. *ad Edictum.*

An Hispanorum filij in Gallia nati, sint Hispani? Est iustissima, verissimaque. Quam ob rem, filij, qui Hispaniarum Legato in Gallia nascuntur, non Galli, sed Hispani sunt, & omnibus fruuntur priuilegijs, & prærogatiuis, quibus cæteri Hispani.

CXLI.

De Iure ſingulari. De hæredibus.

MCCLXXII Abuſus tollendi. QVod contra rationem Iuris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentia. Vni duo pro ſolido hæredes eſſe non poſſunt. *Paulus lib. 54. ad Edictum.*

[Et priorem partem firmat Tractatus *de vſucap.* & lex, *Quod vero. de legibus*: poſteriorem Titulus *de confeſſis*.]

Conſonat priori huius Regulæ parti Ius Canonicum, Regula XXVIII. *Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.* Quod enim alicui male conceditur, cæteris concedi non debet. Quid ſi bene concedatur? Nec tunc ad cæteros debebit extendi. Nam ſi dantur ſpeciales rationes, ob quas illud indulgere conueniat, non debet indulgeri cæteris, penes quos illæ rationes non dantur.

An vna res habeat duos dominos? At Regulæ poſterior pars pendet ab illa difficili quæſtione, quæ rogat, *An eiuſdem rei pro ſolido duo eſſe domini poſſint?* Paulus ſententiæ negatiuæ ſubſcribit, at probare deberet affirmatiuam falſam eſſe. His tamen non obſtantibus tenet Regula, quia ſtando Ciuilibus moribus, quidquid de poſſibili ſit, duo domini in ſolidum rei eiuſdem nuſquam dantur de facto.

CXLII.

De eo, qui tacet.

MCCLXXIII QVi tacet, non vtique fatetur; ſed tamen verum eſt, eum non negare. *Paulus lib. 56. ad Edictum.*

Huic eſt ſimilis Iuris Canonici Regula XLIV. *Is, qui tacet, non fatetur, ſed neque negare videtur.* Et vtrique contradicere videtur Regula XLIII. *Qui tacet, conſentire videtur.* Nam etiam ex ipſamet taciturnitate colligitur ſæpe conſenſus. In Catilinam Cicero: *Quod exſpectas loquentium authoritatem, quorum voluntatem tacitorum reſpicis?* Ergo illorum voluntas in ipſo ſilentio relucebat. Vnde meritò obtinuit Politicum illud Adagium, *Nulla reſponſio etiam eſt reſponſio.* Aut ſic, *Multum reſpondet, qui nihil reſpondet.* Vide quo ſuperiùs modo expoſuerim has Regulas Iuris Canonici.

Multum dicit aliquando, qui tacet.

CXLIII.

De contrahentibus, & eorum ſucceſſoribus.

MCCLXXIV. Mors inualidos contractus non confirmat. QVod ipſis, qui contraxerunt, obſtat, & ſucceſſoribus horum obſtabit. *Vlpianus lib. 62. ad Edictum.*

Patet, quia ſi à Petro, & Ioanne aliquis venditionis contractus ſit inualide initus, non validabitur eorumdem morte, nec poterit obligare hæredes.

CXLIV.

De licito, & honeſto. De tempore in ſtipulationibus ſpectando.

MCCLXXV NOn omne, quod licet, honeſtum eſt. In ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus. *Paulus lib. 62. ad Edictum.* [Ex Titul. *De reb. auth. Iud. poſſid.*]

An inhoneſta liceant? Videtur Paulus abuti voce *licet*; omnia enim & ſola honeſta licent, & quæ non licent, ſub his circumſtantijs, ſub quibus non licent, non ſunt honeſta; vt minimum enim erunt interdicta; & violare leges, honeſtum non eſt. Corrigendus eſt igitur calamus Pauli, & retinenda mens, nam voluit dicere, *Non omne, quod permittitur, honeſtum eſt.* Et hoc eſt verum: nam vſuræ, & fornicationes permittuntur interdum, quæ tamen honeſtæ non ſunt.

Mala ſolent permitti.

Hæc Pauli verba mihi in memoriam reuocant alterius Pauli (videlicet, Doctoris Gentium) vocem, pronunciantem, *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Multa enim bona ſunt, quæ conſideratis perſonis, loco & tempore, prodeſſe non poſſe videntur. Vnde Naſo;

1. Corinth. 6. 12. & 10. 22.

Temporibus medicina valet: data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Tempora debent ſemper diſtingui.

CVL.

De eo, qui fraudari dicitur.

MCC-LXXVI

NEmo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt. *Vlpianus libr. 66. ad Edictum.*

[Coniunge legem *si filius familias. 68. de verb. obligat.* ex Titul. *qui in fraud. cred.*]

Consonat Ius Canonicum Reg. XXVII. apud quod, *Scienti & consentienti non fit iniuria, neque dolus*; nimirùm *Scienti*, non enim datur sine scientia consensus; *& consentienti*, adde *& consentire potenti*; eius enim, qui consentire non potest, inualidus est consensus omninò. Nam si scientis & consentientis Petri vxorem raperes, faceres Petro iniuriam, quia ille consentire & permittere adulterium non potest. At minorem omninò, quàm si nescientis, aut contradicentis abriperes.

Corrigitur Regula.

An adulter sit, qui vtitur Petri vxore ex eiusdem licentia.

CXLVI.

De eo, quod quis agit ante libertatem.

MCC-LXXVII

QVod quis, dum seruus est, egit, proficere libero facto non potest. *Paulus libr. 2. ad Edictum.*

An non huic similes sunt istæ Propositiones. I. *Quid quis, dum sub tutela Parentum erat, egit, emancipato prodesse non potest. II. Quod quis, dum coniugatus erat, egit, postea proficere soluto non potest. III. Quod quis, dum erat Monachus fecit, id postea eidem dimisso, aut ad Episcopatum adsumpto prodesse non potest. IV. Quod quis, dum erat miles, egit, eidem exauthorato prodesse non potest.* Omnes quidem sunt similes, nec tamen omnes veræ; & doceri vis, quæ sint veræ? quæ falsæ? & cur in tanta verborum paritate, dari possit veritatis disparitas?

Lege attentè istas propositiones.

Respondeo Pauli verba esse de subiecto non supponente; quia cùm serui sint nulli, nihil agunt; nempe ciuiliter & moraliter. Possent tamen congruo sensu explicari, quia serui realiter operantur, sed hæ ipsæ reales operationes non possunt prodesse ciuiliter. At verò cæteri (pupillus, coniugatus, monachus, miles) non sunt nulli moraliter, & ideò possunt multa facere, quæ illis promotis prosint.

Serui nulli.

CXLVII.

De generalibus & specialibus.

MCC-LXXVIII

SEmper specialia generalibus insunt. *Gaius libr. 24. ad Edictum Prouinciale.*

Et est euidens. Qui enim legauit Petro omnes picturas, etiam legauit hanc picturam: & qui omnes nummos, etiam aureos, & argenteos legauit. Hanc Regulam firmant & fundant Prædicabilia Porphyriana.

CXLVIII.

De eo, cuius effectus omnibus prodest.

MCC-LXXIX

CVius effectus omnibus prodest, eius & partes ad omnes (*alij* vniuersos) pertinent. *Paulus libr. 16. edicti breuis.* [Ex Titul. *de reb. auth. Iudic. possid.*]

Reijcitur.

Est obscura, & ad varios & dissentaneos sensus torqueri potest, nam vt cætera omittam, criminum effectus prosunt vniuersis interdum, nec tamen ideò ipsa crimina aut eorumdem partes ad omnes pertinent.

CIL.

De lucro & persona alterius.

MCCLXXX

EX qua persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet. *Vlpianus libr. 67. ad Edictum.*

Sed quid est *præstare factum personæ?* Vix dabitur sensus, in quo hæc positio vniuersaliter admitti possit.

CL.

De eo, qui possidet vel habet: aut dolo desijt possidere vel habere.

MCC. LXXXI

PArem esse oportet conditionē eius, qui quid possideat, vel habeat; atq; eius, cuius dolo malo factum sit, quominus possideret

An-ne datur dolus, qui malus non sit?

vel haberet. *Vlpianus libr. 68. ad Edictum.*

Est eadem ac CXXXI. quam paulò ante exposui.

CLI.

De damno.

MCC-LXXXII

Quis damnum inferat? Damnum. Iniuria.

NEmo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet. *Paulus libr. 64. ad Edictum.* [Ex Titul. *Nequid in loc. publ.* vbi mentio damni fit.]

Sed videtur vocabulo esse abusus Paulus; nam *damnum* latiùs patet, quàm *iniuria*; & interrogo, An non cum damno tuo lupus rapit ouem, domum fulmen incendat, pestis armenta perdat? & tamen, licet in his & similibus damnum sit, iniuria non est. Cur igitur non possem dicere, *Iustam quidem fuisse sententiam Regis, at mihi summè incommodam & damnosam?* Et quidem, quia de verborum significatione agimus, videamus quo alij modo loquantur. Terentius in Adel. *Nisi eò ad mercatum veniam, damnum maximum est.* Ecce damnum pro iactura aut lucro cessante posi tum. Plautus in Bacch. *Quid tibi commertij cum Dijs damnosissimis?* At Dij nemini faciunt iniuriam. Horatius serm. 2. Sat. 7. *Nos nisi damnosè bibimus, moriemur inulti.* Et tamen ad Theologiæ Ethnicæ legem in ebrietate non relucet iniuria. Et, ne dicat Paulus hoc vocabulum *damnum*, aliter apud Politicos, & aliter apud Iurisperitos accipi, etiam Legislatorum illustrium vtar authoritate. Marcellus, *Quisquis mihi hæres erit, dare damnas (hoc est, damnatus) esto.* Quintilianus lib. 7. *Hæres meus vxori meæ damnas esto dare argenti, quod elegerit, pondo centum.* Ecce ipsamet testamentorum formulâ magno Iurisconsultorum institutâ consensu damnat hæredem ad legatum; & tamen hoc damnum ille sine iniuria vlla suscipit, vt de se patet.

Quid significet vox *Damnum?*

Deus nulli iniurius.

An in ebrietate sit iniuria?

Damnas quis sit?

CLII.

De vi: de mandato: de ratihabitione: de hærede.

MCC-LXXXIII.

HOc iure vtimur, vt quidquid omninò per vim fiat, aut in vis publicæ, aut in vis priuatæ crimen incidat. DEIICIT & qui mandat [deijcere.] IN MALEFICIO ratihabitio mandato comparatur. IN CONTRACTIBVS, quibus doli præstatio, vel bona fides inest, hæres in solidum tenetur. *Vlpianus libr. 69. ad Edictum.* [Ex Titul. de vi arm.]

Violentia duplex: publica, & priuata.

Scio vim fuisse & esse duplicem: publicam, & priuatam: at nominum expositio non placet. Calepinus. *Vis publica definitur ea, quæ armis; priuata, quæ sine armis infertur: priuatis enim hominibus armorum vsu tum vrbe, tum in agro, lege Iulia interdictum, nisi si haberent ea venerationis, itineris, nauigationis-ve causa* Puto distinctionem ab obiecto sumendam, vt vis publica sit, quæ personis illata publicis: priuata, quæ priuatis.

Explicantur.

Homicida virtualis.

Deijcere manu, vel mandato perinde est. Occîdit enim physicè, qui manu propriâ: moraliter autem & virtualiter, qui proprio mandato.

Mandatum virtuale.

Ratihabitio est mandato simillima, & ideò vocari & censeri poterit *mandatum virtuale.*

Obligatio hæredis.

Hæres, hæreditatem adit, & ad omnia realia ad quæ defunctus tenebatur, tenetur: imò & ad personalia, si ista rem sequantur: res enim cum oneribus transit.

CLIII.

De obligatione & liberatione. De adquisitione & amissione. De possessione.

MCC-LXXXIV

FErè quibuscumque modis obligamur, ijsdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, ijsdem in contrarium actis amittimus. Vt igitur nulla possessio adquiri nisi animo, & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua vtrumque in contrarium actum sit. *Paulus libr. 65. ad Edictum.*

Nota illud *Fere.*

Obligatio & Deobligatio.

[Coniunge legem *Quemadmodum de adqu. possess.*]

Inpugnatur Regula.

An-ne hæc Regula vera? Habeat Equũ Paulus & obfirmato animo & corpore in possidendi voluntate permaneat, & tamen ille moriatur; an-ne adhuc equi non existentis erit dominus? Minimè. Quid ergo

go dicemus? Hanc Regulam fere ſemper, non tamen ſemper veram eſſe.

CLIV.

De petitore & poſſeſſore. De dolo & pœna.

MCC. LXXXV

CVm par delictum eſt duorum, ſemper oneratur petitor, & melior habetur poſſeſſoris cauſa; ſicuti fit, cùm de dolo excipitur petitoris. Neque enim datur talis replicatio petitori, *Aut ſi rei* (legunt alij, *Aut ſi non rei*) quoque in ea re dolo actum ſit. ILLI debet permitti pœnam petere, qui in eam non incidit. *Vlpianus libro 70. ad Edictum.* [Ex Tract. *Interdictorum.*]

Beatus qui poſſidet.

Notent hoc Superiores.

Conſonat Bonifacius VIII. in Regul. LXV. vbi ait, *In pari delicto vel cauſa, melior eſt conditio poſſidentis.* Et naſcitur ex illo communi pronunciato: *Cæteris paribus; in dubijs in obſcuris; &c. beatus, qui poſſidet.*

CLV.

De facto nociuo: cui nam nocere debeat? De eo, qui iure ſuo vtitur. De cauſis pœnalibus.

MCC. LXXXVI.

FACTVM cuique ſuum, non aduerſario nocere debet. NON VIDETVR vim facere, qui iure ſuo vtitur. IN POENALIBVS cauſis benigniùs interpretandum eſt. *Paulus libr. 65. ad Edictum.* [Ex tractatu *Interdictor.*]

Nemo ob culpas alienas punitur.

Vidi actorem valde occupatum in probandis ſuis actis dictiſque, qui tamen fuit huius Regulæ poteſtate repulſus.

Porrò, qui ſuo iure vtitur, incommoditatem inferre poteſt; aut damnum etiam, ſi vox hæc phyſicam iacturam ſignificet, & moralitatem non inuoluat: at iniuriam inferre non poteſt.

Vltimæ Regulæ parti conſonat Pontifex Regulâ Canonicâ IL. vbi ait: *In pœnis benigniorem interpretationem faciendam.*

CLVI.

De inuito non defenſuro. De actione & exceptione. De eo, qui in alterius locum ſucceſſit. De authore & emptore. De inuito.

MCC. LXXXVII.

INVITVS nemo [rem] defendere cogitur. CVI damus actiones, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit. CVM QVIS in alij (*hoc eſt*, alius) locum ſucceſſerit, non æquum ei nocere hoc, quod aduerſum eum nocuit, in cuius locum ſucceſſit. PLERVMQVE emptoris eadem cauſa eſſe debet circa petendum ac defendendum, quæ auctoris (*hoc eſt*, venditoris.) QVOD CVIQVE [pro eo] præſtatur, inuito non tribuitur. *Vlpianus lib. 70. ad Edictum.* [Ex Tract. *Interdictorum.*]

An eſſe debeat voluntaria defenſio?

Coniunge legem 1. *de ſuperficiebus.* Et legem 3. *de itin. actuque priu.*]

Prima pars non eſt vniuerſaliter vera. Suam enim vitam tenetur homo in plurimis caſibus defendere: in multis ſuos proximos; & in multis vel inuitus Rempublicam.

Examinatur prima Regulæ pars.

Secunda eſt vera & clara. At Tertia indiget correctione, aut reſtitutione, ſi velis. Puto ad hæc verba poſſe vel debere reduci. *Hæres, ſucceſſor-ve eodem iure vtitur, quo ille vtebatur, cui ſuccedit: non debet ei nocere, quod non noceret anteceſſori, etſi adhuc viueret, & poſſeſſionem retineret.* Hinc naſcitur quartam etiam partem eſſe veram.

Admittitur ſecunda.

Corrigitur tertia.

Admittitur quarta.

Quinta non placet generaliter ſumpta; tenemur enim interdum ſauere & prodeſſe inuitis. Quamobrem huius Regulæ primam lineam & vltimam de legitimè inuitis intellige, & admittentur Iuriſconſulti verba.

Et reijcitur quinta.

CLVII.

De ſeruis. De eo qui dolo fecit, quo minus haberet. De ſucceſſoribus.

MCCLXXXVIII. AD EA, quæ non habent atrocitatem facinoris vel ſceleris, ignoſcitur ſeruis, ſi vel dominis, vel his qui vice dominorum (veluti tutoribus, & curatoribus) obtemperauerint. SEMPER, qui dolo fecit, quo minus haberet, pro eo habendus eſt, ac ſi haberet. IN CONTRACTIBVS ſucceſſores ex dolo eorum, quibus ſucceſſerunt, non tantum in id quod peruenit, verùm etiam in ſolidum tenentur: hoc eſt, vnuſquiſque pro ea parte, qua hæres eſt. *Vlpianus lib. 71. ad Edictum.* [Ex Tract. Interdictorum. Lege, Is, *qui in puteum*. §. *Si tutoris. Quod vi aut clam*.]

An ſerui, etiam in malis, poſſint obedire ſuo domino?

Poſſeſſio virtualis.

An ignoſcendum ſeruo obedienti in peccatis?

Miſerrima eſt ſeruorum ſors. Cùm ſcelera præcipiuntur à dominis, vapulant priuatim, ni obediant; & vapulant publicè, ſi obediant. Putat Iuriſconſultus in delictis non atrocibus eos poſſe ex eo excuſari, quod obedire debuerint. At vbi bene gubernatur Reſpublica, non admittitur talis exceptio.

MCCLXXXIX. Secundam partem Regulæ ſæpe expoſui; & eſt benigniſſima & prudens, qui enim dolo non poſſidet, dicendus eſt virtualiter eſſe poſſeſſor.

Virtualis poſſeſſio.

Vltima pars videretur, & obſcura, & difficilis: obſcura, quia illa verba *in ſolidum, & pro ea parte*, contrariari videntur: difficilis, quia occurrunt motiua ob quæ videatur eſſe falſa. Illam explico.

Caſus proponitur.

Antonij fuit hæres Franciſcus, nempe ex aſſe: at poſt mortem conuenitur Antonius, & ſoluere mille aureos iubetur. At quia tantùm quingentos ex hæreditate habuit Franciſcus, hos debere tantùm ſoluere putabat. At Vlpianus eum vult, non tantùm in id, quod ad eum peruenit, verùm etiam in ſolidum teneri. Quid ſi hæc ipſa quingentorum hæreditas diuiſa fuiſſet inter tres, quorum primus centum, ſecundus ducentos, tertius etiam ducentos aureos recepiſſet? Reſpondeo ex Vlpiano, in tali caſu proportione ſeruatâ primum ducentenos, & ſecundum & tertium quadringentenos aureos daturum eſſe. Sed qua hoc iuſtitia? Conſiderandæ ſunt leges & mores.

An heres teneatur in ſolidum?

CLVIII.

De pignore.

MCCXC. CRedere, qui permittit rem venire (*alij* vænire) pignus amittit (*alij* dimittit). *Gaius lib. 26. ad Edictum Prouinciale.* [Ex Titul. *de migrando*.]

Si permittit vendi, cedit ſuo iure: & ſi cedit, contra neminem alium debet conqueri.

CLIX.

De differentia obligationis & dominij.

MCCXCI. NOn vt ex pluribus cauſis deberi nobis idem poteſt, ita ex pluribus cauſis idem poſſit & noſtrum eſſe. *Paulus lib. 70. ad Edictum.*

Hue pertinere poteſt doctrina de totalibus & partialibus cauſis.

[Coniunge legem, *Et an eadem. §. actionis de excep. rei iud.*]

Videtur redundare illud *non*. Puto enim poſſe eamdem rem ex multis mihi cauſis deberi, & eamdem multis nominibus noſtram eſſe; & libenter viderem oppoſitum à Paulo, aut ab alio probari.

CLX.

De differentia, quæ eſt inter vendere, & vendenti conſentire. De eo, quod fit per maiorem partem. De iure legatarij.

MCCXCII. ALiud eſt vendere, aliud vendenti conſentire. REFERTVR ad vniuerſos, quod publicè fit per maiorem partem. ABSVRDVM eſt, plus iuris habere eum, cui legatus eſt fundus, quàm hæredem, aut ipſum teſtatorem, ſi viueret. *Vlpianus l. 76. ad*

De venditione.

De communitate.

De legato.

ad Edictum. [Ex Titul. *de litigiosis*.]

Nota hoc.

Prima pars intelligenda est de vendente alieno nomine: idem enim est si vendas, ac si tuo nomine vendenti consentias.

Communitatum decreta,

De secunda egi loco aptiore, vbi ostendi vim consiliorum in eâdem Communitate. Opus enim quodcumque à tota Communitate procedit, sed à Communitate plurium suffragio prædeterminatâ.

Quæstio scitu dignissima.

An legatarij succedant defuncto, an hæredi?

In tertia aliquid disco. Interrogas, An legatarij immediatè succedant defuncto, an hæredi? hoc est, An defunctus sicut immediatè hæreditatem dat hæredi, sic etiam immediatè det legatarijs legata: an verò omnia det hæredi, cum onere soluendi legata? Hoc vltimum placet Vlpiano; nam si fundus, qui legatur Petro à Francisco, immediatè transiret ad Petrum, nunquam illum habuisset aut possedisset hæres, & malè Vlpianus diceret, legatarium habere tantum ius, quantum hæres. Vide inferiùs Regul. CLXXXI.

CLXI.

De eo, per quem factum quo minus conditio impleatur.

MCCXCIII

IN Iure ciuili receptum est, quotiens per eum, cuius interest, conditionem non impleri, fiat quominùs impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset. Quod ad libertatem & legata, & ad hæredum institutiones perducitur, quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cùm per promissorem factum esset, quominùs stipulator promissioni pareret. *Vlpianus libr. 73. ad Edictum*. [Ex Tract. *Prætor. stip.*]

De conditionis adimpletione virtuali.

Actio & Omissio virtuales.

Sunt aliæ Regulæ quæ conspirant. Sensus vniuersarum est, *Cùm per dolum fit, quod debebat non fieri, pro infecto habetur: & cùm per dolum non fit, quod debebat fieri, pro facto habetur.*

CLXII.

De receptis propter necessitatem.

QVæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. *Paulus libr. 70. ad Edictum.* MCCXCIV

Necessitatis vis.

Necessitas, vt ait Adagium, *caret lege*: & quæ ex necessitate semel data, recepta, facta, omissa, permissa, &c. non debent in consequentiam trahi.

CLXIII.

De donatione, venditione, concessione.

CVius est donandi, eidem & vendendi & concedendi ius est. *Vlpianus libr. 55. ad Edictum.* [Ex Titul. *de lib. causa.*] MCCXCV

Qui potest donare, potest vendere

Et patet: rem enim donare non nisi dominus potest; & qui dominus, etiam vendere potest: nimirum, si res sit vendibilis.

Dantur res non vendibiles.

CLXIV.

De hæredibus & iudicijs pœnalibus.

POEnalia iudicia semel accepta in hæredes transmitti possunt. *Paulus lib. 51. ad Edictum.*

An ad hæredes pœnæ transeant?

[Intellige de pœna reali; quia personales pœnæ apud Catholicos ad hæredes non transeunt.]

CLXV.

De eo, qui alienat, vel alienanti consentit.

CVm quis possit alienare, poterit consentire alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec si donationis causâ consenserit, ratam eius voluntatem habendam. MCCXCVI

dam. *Vlpianus lib. 53. ad Edictum.*

Coniunge Regulam CLX. videntur enim reconciliatione indigere.

CLXVI.

De defensore rei alienæ.

QVi rem alienam defendit, nunquam locuples habebetur. *Paulus lib. 48. ad Edictum.* [Ex Titul. *de damn. inf.*]

CLXVII.

De his, quæ accipientis non fiunt. De iussu Iudicis.

MCC-XCVII

NON videntur data, quæ eo tempore, quo dantur accipientis non fiunt. QVI IVSSV Iudicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet. *Paulus lib. 49. ad Edictum.* [Ex Titul. *de aqu. plu. arc.*]

An donatio sine acceptione esse possit?

Recognosco priorem Regulæ partem, & interrogo, cur non possit aliquis dare eo ipso tempore, quo alius non vult recipere? Et, vt ad supernaturalia eleuem oculos, multæ gratiæ supernaturales à Deo dantur, quas non recipimus. Synodus Tridentina sess. VI. cap. 7. *Hanc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur; quæ non est sola peccatorum remissio, sed & satisfactio & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ.* Ergo positâ donatione, adhuc susceptio est voluntaria.

Gratia sæpe datur & non recipitur.

Secundæ parti consonant Bonifacij illa verba, *Quoduis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere necesse.* Regul. XXIV.

CLXVIII.

De obscuris.

RApienda (*alij.* Capienda) est occasio, quæ præbet benignius responsum. Quod factum est, cùm in obscuro sit ex affectione (*alij*, affectu) cuiusque capit interpretationem. *Paulus lib. 1. ad Plautium.* MCC-XCVIII

An facere meliora debeamus?

Clara sunt omnia, nec possunt magis dilucidari. Cur ergo responsum benignius? An non benignum sufficeret?

CLXIX.

De Damno. De eo, quod pendet.

IS damnum dat, qui iubet dare. Eius verò nulla culpa est, cui parere necesse sit. Quod pendet non est pro eo, quasi sit. *Paulus lib. 2. ad Plautium.* MCCIC

Damnum inferre virtualiter.

An differant iubere, & facere?

Idem esse iubere & facere, iam dixi: qui enim Antonio iubet vt Petrum occidat, homicidium quod Antonius physicè perpetrat, ipse committit virtualiter. An Antonius obediendo delinquit? Dices ex Paulo non peccare, quia nulla culpa illi est, cui parere necesse est. At ego nec tibi nec Paulo consentio: præcipienti enim contra DEVM non parere necesse est.

An semper debeamus obedire?

CLXX.

De facto à Iudice.

FActum à Iudice, quod ad officium eius non pertinet, ratum non est. *Paulus libr. 4. ad Plautium.* MCCC

De iudice qui excedit limites suæ authoritatis.

Consonat Papa Bonifacius dicens: *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.* Regula XIX. in sexto.

CLXXI.

De obligatione.

Cur homo obligetur?

NEmo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio, quod præstiterit. *Paulus lib. 4. ad Plautium.*

CLXXII.

De ambiguis.

MCCCI

IN contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. Ambigua autem intentio ita accipienda est, vt res salua actori sit. *Paulus lib 5. ad Plautium.*

Reijcitur. De venditione dubia.

Vtrumque displicet; Quia in ambiguis standum pro possessione est: cùm ergo ante venditionem dubiam sit venditoris possessio certa, cùm dubitetur an quatuor, vel quinque sint vendita, aut standum est responsioni venditoris, aut ad minorem numerum recurrendum. Si semel venditio sit certa, & solutio dubia, manutenenda erit venditio, & emptor retinebit suam pecuniam; nemo enim debet soluere, quod non sit certò debitum. In actionibus possessio est pro reo, cuius res, quidquid dicat Paulus, in ambiguis salua mansura est.

Reus est in possessione.

CLXXIII.

De his, qui condemnantur in id, quod facere possunt. De restitutione. De mora. De eo, qui petit, quod redditurus est.

De his, qui ex liberalitate conueniuntur.

IN condemnatione personarum, quæ in id quod facere possunt, damnantur, non totum quod habent, extorquendum est: sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant. CVM & verbum *Restituas* lege inuenitur, etsi non specialter de fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi. VNICVIQVE sua mora nocet. quod in duobus reis promittendi obseruatur. DOLO facit, qui petit, quod redditurus est. *Paulus lib. 6. ad Plautium.*

De restitutione fructuum.

De mora.

Et dolo.

[Firmat primum Titul. *de re iud.* Secundum lex. *Videamus, de restit.* Tertium lex. *Mora de verb. oblig.* Vltimum lex. *Dolo 6. de doli except.*

CLXXIV.

De potentia: & repudiatione.

MCCCII

QVi potest facere, vt possit conditioni parere, iam posse videtur. QVOD quis, si velit, habere non potest. id repudiare non potest. *Paulus lib. 8. ad Plautium.*

[Coniunge legem 3. *de bon. poss.*]

Casus.

Expono vtramque partem Regulæ. [Promisit Fridericus se daturum centum, si ponatur talis conditio. An tenetur absolutè? An potest absolutè teneri? Respondet Paulus, eum teneri absolutè, si purificetur conditio. Quod si in manu ipsius non sit illam purificari, nec erit in manu eius vi huius promissionis absolutè teneri: si autem in eius manu sit ponere conditionem, in manu eius erit absolutam ponere obligationem.]

Quæ repudiari possint, quæ non possint?

De repudiatione sic philosophor. [Existimo ea tantum repudiari, quæ habentur, Infero posse repudiari possessionem, posse & spem. Et per consequens ea quæ nec in possessione, nec in spe habentur, repudiari non posse.

CLXXV.

De seruis. De eo, qui in ius alterius succedit.

MCCCIII

IN omnibus officijs, quæ per liberas fieri personas leges desiderant, seruus interuenire non potest. NON DEBEO melioris conditionis esse, quàm actor (*anteccssor*) meus, à quo ius in me transijt. *Paulus libr. 12. ad Plautium.*

Nota singula.

Vtraque pars huius Regulæ suas patitur difficultates. Transeat ergo posterior, & hæreamus vt examinemus priorem, quæ

Differunt Desiderium, Consilium, Præceptum, Impedimentum.

non videtur ita clara. Aliud enim est Legislatorem desiderare, aliud consulere, aliud præcipere, & aliud dirimere. Contra Legislatoris desiderium possunt interuenire serui validè & licitè: imò etiam contra eiusdem consilium. Contra præceptum autem, interuenirent illicitè quidem, sed validè: & tantummodo illicitè simul & inualidè contra Legislatoris definitionem dirimentem. Quæ omnia distinguere debuisset Paulus.

CLXXVI.

De iustitia priuata. Ne singulis concedatur, quod per Magistratum publicè fieri potest. De libertate & necessitudine.

MCCCIV. De iustitia priuata.

NOn est singulis concedendum quod per Magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit maioris tumultûs faciendi. INFINITA æstimatio est libertatis & necessitudinis. *Paulus libr. 13. ad Plautium.* [Ex Titul. *de iniur.* vide etiam legem 13. & 14. *eod titul.*]

Vim vi licet repellere.

Vtraque Regulæ pars est falsa: communis enim Theologorum opinio tenet, hominem, siue iter agat, siue domi consedeat, posse à latrone & fure defendere, non solùm se, sed etiam sua, etsi hæc per Magistratum ille certò recuperaturus sit; nemo enim tenetur permittere se spoliari. Et communis experientia demonstrat seruos sub hasta vendi, redimi, nec tamen infinito pretio, sed moderato. Ergo prudentum iudicio libertas infinitæ æstimationis non est, sed finitæ; & non magnæ, videmus enim aliquando seruos pauculis aureis redimi, hoc est, re-emere libertatem. *Vide num. 1236.*

De libertatis pretio.

CLXXVII.

De eo, qui in ius alterius succedit. De ignorantia.

MCCCV.

An possit aliquis sine causa exsequi vel petere?

QVi in ius, vel dominium alterius succedit, iure eius vti debet. NEMO videtur dolo exsequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere. *Paulus libr. 14. ad Plautium.* [Ex titul. *de hæredit. vind.*]

Sed Paulo assentiri non possum: non sufficit ad exequendum, vel petendum, te nescire, cur non debeas: sed omninò requiritur, vt scias cur exequi vel petere possis.

CLXXVIII.

De principali & accessorio.

CVm principalis causa non consistit, plerumque nec ea quidem, quę sequuntur, locum habent. *Paulus lib. 15. ad Plautium.*

[Coniunge legem 128. *sup. eo.*]

Accessoria nonnunquã principalia fiunt.

Noto vocem *plerumque*: nam vbi corruit principale, accessoria corruere debebunt, quà talia: at illa interdum transeunt in principalia, & tunc specialem locum habent.

CLXXIX.

De obscura voluntate manumittentis.

MCCCVI. Reijcitur hæc Regula.

IN obscura voluntate manumittentis fauendum est libertati. *Paulus libro 16. ad Plautium.*

[Coniunge legem *si peculium. de statu lib.*]

Beatus qui possidet.

Sed cur sic debet interpretatio obscuræ voluntatis fieri? Quia id ratio postulat? Minimè; sed quia sic placuit Paulo. Standum igitur pro possessione est; cùm autem ante manumissionem dubiam obscuramque, sit in possessione seruitus certa & clara, standum pro possessione seruitutis.

An sit aliquod testamentum, de cuius intelligentia non possint Iurisperiti dubitare?

At dices: Leges supremæ possunt de hominum & rerum dominio disponere. Fateor, si detur causa & ratio. At hîc dispositisse non video, quia si hæc Regula admitteretur de facto & quoad praxin, quis esset post mortem sui domini, seruus, qui liber non fieret? non enim ita stupidi Iurisconsulti, vt non possint leuiusculas aliquas rationes reperire, vt de voluntate defuncti possimus dubitare. Posset igitur clementia publica sancire hanc legem, *Quotiens seruus manumissionem semi-*

ſemiplenè probauerit, liber eſto. Et hoc ſenſu, in tali caſu, & tempore, poſſent admitti verba Pauli. Sed hæc lex nondum poſita eſt.

CLXXX.

De eo, qui iuſſu alterius ſoluit.

MCCCVII. QVod iuſſu alterius ſoluitur, pro eo eſt, quaſi ipſi ſolutum eſſet. *Paulus libr. 17. ad Plautium.*

[Huc reuocare poteris legem, *Si donaturus. de condict. cauſa.*]

Explicatur. Quid Paulus velit, video: quid dicat, neſcio. Puto hanc Regulam ad hos terminos reduci poſſe. *Quod nomine alterius ſoluis, non cenſetur à te ſolutum, ſed ab illo, cuius nomine ſoluis.* Et produco hoc exemplum. Anſelmo tu mille aureos, mille etiam eidem debet Petrus: at heri Anſelmo Petri nomine mille dediſti; & reſpondeo, hac ſolutione Petri debitum extinctum fuiſſe; tuum manere.

CLXXXI.

De teſtamento ſine hærede.

MCCCVIII An detur teſtamentum ſine hærede? SI nemo ſubijt hæreditatem, omnis vis (*legunt alij*, omne ius) Teſtamenti ſoluitur. *Paulus lib. 1. ad Vitellium.*

An legatarij ſint defuncto immediati? Hinc iterum ſoluitur illa quæſtio quæ interrogat, An Legatarij immediatè Legatori ſuccedant? An verò legata priùs ad hæredem pertineant, & per hunc ad legatarios tranſeant? *Et quidem* ex hoc textu colligitur, moribundum omnia ſua bona dare hæredi, ſub onere quod ipſe poſtea ſoluat legata. *Confirmat* hoc conſuetudo; qui enim admittit hæreditatem, ad legata, & debita tenetur, etſi maiora ſint hæreditate: at in hoc eſt inuentarij beneficium, quod vocant, & aliquæ cautiones ciuiles, hæredi proſpiciunt. *Confirmat* iterum Teſtamentorum formula, qua vſi veteres. Duas dedi ſuperiùs exponendo Regulã CLI. alteram ex Marcello, & alteram ex Quintiliano. Non ait Teſtator, *Ego do vxori meæ, &c.* ſed potiùs, *Ego do omnia hæredi meo, & iſte tenebitur dare vxori meæ, &c.* hoc enim ſonant Quintiliani illa verba, *Hæres meus vxori meæ damnas eſto dare argenti, quod elegerit, pondo centum.*

Sanè, ſi legata immediatè à Teſtatore darentur, tenerent, etſi nemo hæreditatem adijſſet; non enim penderent legatarij ab hærede. At quia dantur mediatè, & ab hærede recipienda ſunt, ſublato hærede hærent in aëre; &, vt ait Paulus, tota vis Teſtamenti diſſoluitur.

An hæres ſit cauſa intermedia; an ſit pura conditio? Poſſet aliquis dicere hæredem non eſſe cauſam intermediam, ſed conditionem ſine qua non: poſſet alius ſentire aliter: at nos nemini modò præſcribimus, ſed quid Paulus debeat dicere, accuratè indagamus.

CLXXXII.

De eo, quod nullius eſſe poteſt.

MCCCIX. Idem per idem. QVod nullius eſſe poteſt, id vt alicuius fiat, nulla obligatio valet efficere. *Paulus lib. 3. ad Vitellium.*

Eſt identica: quod enim non poteſt fieri, nulla cauſa efficere poterit.

CLXXXIII.

De ſolennibus non facile mutandis. De æquitate.

Ceſſante fine legis, quid faciendum ſit? ETſi nihil facilè mutandum eſt ex ſolennibus, tamen vbi æquitas euidens poſcit, ſubueniendum eſt. Marcellus *libr. 3. Digeſtorum.* [Ex Titul. *de in integ. reſt.* lege, *Diuus.*]

Euidentia moralis. Nota illud verbum *euidens*. Et quia in quæſtionibus de facto, euidentiæ reales non dantur, ad moralem certitudinem, quam Marcellus vocat *euidentiam*, recurre.

CLXXXIV.

De vano timore.

MCCCX. An timor ſem per excuſet? VAni timoris iuſta excuſatio non eſt. *Celſus libr. 7. Digeſtorum.*

[Coniunge legem *Si quis ab alio. De re Iud.*]

An ſemper libertatem minuat? Stando Iuri naturali nullus timor à culpa tota excuſat; & nihilominus eam omnis fere timor diminuit; plus ſi fuerit magnus, & minus ſi minor. Puto Iuriſconſultum *Vani timoris* nomine intelligere

nullum: nullo enim excuſabuntur modo, qui ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.

Conſultò dixi *omnis fere timor*. Nam timor eſt ponderi ſimilis, & pondus interdum ſtateram ad æqualitatem reducit; eo nimirum tempore, quo imponitur leuiori lanci. Hunc caſum ob oculos pono. [Solicitabat Amaryllida Caius, & offerebat aureos mille. Ecce virginis læſam, & diminutam libertatem! Ecce illam auri pondere ad Caium inclinatam! Sed attende. Puellæ minatur mortem Frater, ſi Caio conſentiat; & ecce, quantum ad Caium ambitio impellit, tantum ab eo timor expellit, et duobus impulſibus contrarijs acta videtur impulſu carere, et antiquam libertatem intactam, et illæſam ſeruare.] Dicendum ergo eſt, metum, ſi ſolus ſit, ſemper libertatem minuere; at augere illam potiùs, ſi voluntas ſit in oppoſitam partem motiuo alio inclinata.

An profeſſionem irritet?

In criminibus non atrocibus excuſantur ſerui, ſi obedierint dominis, quos timebant. Vide ſuperius Reg. CLVII.

In profeſſione ſolenni ex ſpeciali fauore Eccleſiæ habetur ratio metûs, qui caderet in conſtantem virum: nam ſi ille tantus ſit, aufert libertatem moralem, et ſolennem profeſſionem irritat.

CLXXXV.

De impoſſibilibus.

MCCCXI. Ad impoſſibile nemo tenetur.

IMpoſſibilium nulla obligatio eſt. *Celſus lib.* 8. *Digeſtorum.*

An Deus, An homo, præcipere impoſſibilia poſſit? expoſui ſuperius.

CLXXXVI.

De tempore, quo res peti poſſit.

Hæc Regula naſcitur ex præcedente.

NIhil peti poteſt ante id tempus, quo per rerum naturam perſolui (*alij*, ſolui) poſſit. Et cum ſoluendi tempus obligationi additur, niſi eo præterito, peti non poteſt. *Celſus libr.* 12. *Digeſtorum.*

Regulæ priorem partem (nam poſterior eſt clara) hoc exemplo dilucido. Emo equum à te, aut commuto potiùs, & me decem vrnas muſti optimi daturum polliceor. Menſem Aprilem agimus, & tu ſolutionem ſolicitas. At præcoci diligentiâ, inquit Celſus; ad dandum enim muſtum ante Autumnum non teneor.

CLXXXVII.

De eo, qui vxorem prægnantem reliquit.

MCCCXII. SI quis vxorem prægnantem reliquit, non videtur ſine liberis deceſſiſſe. *Celſus libr.* 16. *Digeſtorum.*

Et ratio eſt, quia filius non incipit eſſe cùm naſcitur, ſed cum gignitur.

Quando fœtus inciptat viuere.

Sed quid dicet meus Magnificus Dominus Ioannes Marcus, qui filium nondum natum matris partem realem affirmat, et tunc demum animâ informari rationali, cùm paritur? Idem quod Celſus de illo, qui moreretur relicta vxore embryone grauida. Nam ſicut embryo non informatur anima rationali, ſed informabitur: et tamen hoc ſufficit, ne defunctus illiberis deceſſiſſe dicatur; ergo eodem modo Ioannes Marcus philoſophabitur, nam iuxta illius Principia, quam diu in ventre matris continetur corpus infantis, ſemper eſt embryo. Cæterùm, Ioannis Marci opinionem falſam eſſe alibi euidenter probamus.

Quando anima infundatur fœtui?

CLXXXVIII.

De impoſſibilibus, & repugnantibus.

MCCCXIII. Repugnantia & prohibita.

VBi repugnantia inter ſe in teſtamento iubentur, neutrum ratum eſt. Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata ſunt. *Celſus libr.* 17. *Digeſtorum.*

Pro poſſeſſione ſtandũ eſt.

Prior pas pendet à lege Poſſeſſionis: quoniam, ſi duo articuli Teſtamenti pugnant, & dubium ſit, vtrum debeat impleri? cùm vtrumque ſit dubium, vtrumque reijciendum eſt, & pro poſſeſſione libertatis ſtandum.

In lege naturali nulla creatura diſpenſat.

Poſterior eſt euidens, quoniam Lex naturalis [mihi eſt ipſa, Decalogus] hominum voluntati non ſubeſt.

CLXXXIX.

De pupillo, & authoritate tutoris.

PVpillus, nec velle, nec nolle in ea ætate, niſi adpoſita tutoris authoritate, creditur: nam quod animi iudicio fit, in eo tutoris authoritas neceſſaria eſt. *Celſus lib.13. Digeſtorum.*

Eſt tutor reſpectu pupilli: mens, voluntas, libertas: oculus, auris, lingua, &c.

Hinc conſtat, pupillum oculis tutoris viſurum, mente tutoris intellecturum, voluntate tutoris decreturum, & lingua tutoris reſponſurum: ipſumque, tametſi, ſi naturam conſideres, ingenij perſpicacis ſit, ciuiliter loquendo eſſe cœcum, & libera carere ratione: non quidem in omnibus rebus, ſed in his, quæ dominij tranſlationem concernunt.

CXC.

De euictione.

MCCCXIV. QVod euincitur; in bonis non eſt. *Celſus lib.24. Digeſtorum.*

CXCI.

De beneficio Principis.

Dubium cõſideratione dignum.

NEratius, conſultus, An quod beneficium dare ſe quaſi viuenti Cæſar reſcripſerat, iam defuncto dediſſe exiſtimaretur? reſpondit, non videri ſibi Principem, quod ei, quem viuere exiſtimabat, conceſsiſſet, defuncto conceſsiſſe. Quem tamen modum beneficij ſui vellet, ipſius æſtimationem eſſe. *Celſus lib.33. Digeſtorum.*

Eſt certiſſima: primò, quia beneficia, quæ perſonales actus exigunt, non conferuntur defunctis. Secundò, quia ipſimet fauores purè reales, aliter viuis, & aliter mortuis conceduntur.

CXCII.

De hæredibus. De obligatione indiuidua. De re dubia.

EA, quæ in partes diuidi non poſſunt, ſolida à ſingulis (*potius*, ab omnibus ſimul) hæredibus debentur. In re dubiâ benigniorem interpretationem ſequi, non minus iuſtius eſt quàm tutius. *Marcellus lib. 29. Digeſtorum.* MCCCXV.

[Coniunge legem 3. *de ſeruit. leg.*]

De rebus indiuiſibilibus.

Prior Regulæ pars hoc poteſt illuſtrari exemplo. [Cicerius condit teſtamentum & ait, *Plancus, & Caurus hæredes mei dare vnum equum Acilico cognato meo militi damnati eſto.*] An ne alter hæres dimidium, & alter dimidium ſunt daturi? minimè. Quia equus non datur per partes. Quid ergo? vterque hæres ſimul dabit equum.

An Equus virtualiter diuiſibilis ſit?

Sed noto obiter, equum (& idem de alijs rebus dicito) licèt phyſicè indiuiſibilis ſit, & dari non poſſit per partes; virtualiter eſſe diuiſibilem, eſt enim virtute in pretio, quod omninò diuiſibile eſt.

In dubio manutenenda eſt poſſeſſio.

Poſterior pars non placet: quia interpretatio, quæ reſpectu alterius eſt benignior, reſpectu alterius eſt ſeuerior: ergo iterum quærendum eſt, quid faciendum in dubio ſit? quidquid enim fiat, benignius eſt: & quidquid fiat, ſeuerius eſt. Centies dixi, *In dubijs beatos eſſe, qui poſſident: & pro poſſeſſione ſtandum eſſe.*

CXCIII.

De aditione hæreditatis cum tempore mortis continuanda.

A mortis momento incipit hæreditas.

OMnia fere iura hæredum perinde habentur, ac ſi continuò ſub tempus (in tempore) mortis hæredes exſtitiſſent. *Celſus libr. 38. Digeſtorum.*

Vera eſt, & de ipſa iam egi ſuperiùs, vbi aliam ſimillimam expoſui.

CXCIV.

De hæredibus hæredum.

MCCCXVI

QVi per ſucceſſionem [*alij*, ceſsionem] quamuis longiſsimam defuncto hæredes conſtiterunt, non minus intelliguntur, quàm qui principaliter hæredes exiſtunt. *Modeſtinus libr. 6. Differentiarum*.

Prima Regulæ lectio.

An retinebimus vocem *ſucceſsionem*, an *ceſſionem?* Variant Exemplaria, & vtraque videtur vtilis. Nam vbi non ſunt immediati hæredes, mediati etſi per longam ſucceſſionem prodierint, non minus cenſebuntur hæredes, quàm ſi immediati eſſent. Hinc eſt, Petro, ſi mortuis eius filijs, & nepotibus, ſint pronepotes, hos ſucceſſuros eſſe, non minùs, ac ſi filij eſſent.

Lectio ſecũda.

Si vtamur voce *ceſſionem*, ſic caſus poterit formari. Ferdinandus Franciſci filius erat, & ius, quod ad hæreditatem habebat, ceſſit Ioanni remoto cognato, aut affini. Et ſtando iuri naturæ reſpondeo ceſſionem eſſe validam, & Ioannem non minùs fore hæredem Ferdinandi, quàm ſi eſſet filius. [Pono ceſſionem factam poſt Ferdinandi mortem, ne ad nouas difficultates defectu emancipationis reducamur.] Sed quid dicendum erit, ſtando Ciuili, & Cæſareo? Si Modeſtino, & huic Regulæ credimus, idem omninò.

An ius ad hæreditatem poſſimus cedere?

CXCV.

De expreſſis, & tacitis.

MCCCXVII

Reijcitur.

EXpreſſa nocent; non expreſſa non nocent. *Modeſtinus lib. 7. Differentiarum.*

Multa tacitè ſed clarè dicuntur.

Non intelligo. Si dicat Iuriſconſultus, *Certa nocent; incerta, & ambigua non nocent;* adquieſcam. At ſi expreſſa opponat tacitis contradicam; nam ſæpe ſilentium nocet: & ſæpe aliqua tacitè, at tam certò dicuntur, vt non poſſent eſſe certiora, ſi dicerentur expreſsè. Vidi non paucas lites de verbis tacitis, & tamen, quia certo ſubintelligebantur, qui loquuti, damnati. Accuſabatur Segobiæ Titius, quòd Sempronium vocauiſſet *cornutum*: recipiebat enim vectigalia lignorum, & dixerat, *Cur non ſoluis vectigalia Sempronij?* & altero quærente, Cur deberet; ſubiunxit, *Cornua ſunt lignea*. Et tamen iuſto iudicio damnatus fuit. Non ergo curandum eſt, an implicitè res, aut expreſsè dicatur, ſed vtrum certò, aut dubiè dicatur.

Caſus notandus.

CXCVI.

De priuilegijs.

MCCCXVIII.

PRiuilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ; & ideo ad hæredem transferuntur, quæ cauſæ ſunt; quæ perſonæ ſunt, ad hæredem non tranſeunt. *Modeſtinus libr. 8. Regularum.* [Ex Titul. *de iure imm.*]

Priuilegium eſt duplex: cauſæ, & perſonæ.

Dantur realia, & perſonalia priuilegia: Sed quomodo internoſci poterunt? Quæ conceſſa Petro, aut Ioanni, verbi gratia, perſonalia ſunt; & extinguuntur cum perſona. Quæ Epiſcopo, Abbati, Marchioni, Comiti, Toparchæ, &c. conceſſa, dignitatem afficiunt, & illi conueniunt, qui talem dignitatem habet.

Quomodo internoſcantur priuilegia?

CXCVII.

De coniunctionibus licitis, & honeſtis.

SEmper in coniunctionibus, non ſolùm quid liceat conſiderandum eſt, ſed & quid honeſtum ſit. *Modeſtinus libro ſingulari de ritu nuptiarum.* [Coniunge leg. 42. *de tit. nup.*]

Regula reſtituitur.

Legunt aliqui *in conuentionibus*, at materia ipſa libri poſtulat, vt *in coniunctionibus* (ſubintellige, *matrimonialibus*) legatur.

Sed quid ſibi vult illa liciti, & honeſti contrapoſitio? An aliquid licitum, quod honeſtum non ſit? Negaui ſuperius, & nego.

An omnia licita ſint honeſta?

CXCVIII.

De dolo tutoris.

MCCCXIX Sæpe pupilli ab ipsis tutoribus exspoliantur.

NEque in interdicto, neque in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris, siue soluendo est, siue non. *Iauolenus lib.* 13. *ex Cassio.*

Semper leges sunt benignæ pupillo, & tamen sufficientes non sunt, vt semper à tutorum iniquitate defendantur.

CIC.

De inobedientia.

Magistratui obtemperandum est.

NOn potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit. *Iauolenus lib.* 6. *Epistolarum.*

Subordinatio personarum postulat, vt obedientia foueatur, & coërceatur inobedientia: quam ob rem huic Ciuili Regulæ volo aliam Canonicam adscribere, quæ eam firmet, & explicet. Lego in sexto. *Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere necesse.* Regul. 24.

CC.

De minima iniquitate permittenda.

MCCCXX. Reijcitur.

QVotiens nihil sine captione inuestigari potest, eligendum est, quod minimum habet iniquitatis. *Iauolenus lib.* 7. *Epistolarum.*

Quam breuiter Iurisconsultus difficillima, ardua, et quæ millenas exceptiones patiantur, protrudit! Sanè, *non sunt facienda mala, vt bona eueniant:* et è duobus malis non licet perpetrare minus. Sed neque permittere minus, nisi permissio necessaria sit, et homo ad tales miserias redigatur, vt debeat necessariò, vel maius, vel minus permittere.

Mali perpetratio.

Mali permissio.

CCL.

De his, quæ ex testamento subortà.

MCCCXXI

OMnia, quæ ex testamento proficiscuntur, ista statum euentûs capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint. *Iauolenus lib.* 10. *Epistolarum.*

Et patet; non enim carere solent culpâ actuali, quæ in originali concepta. Originale peccatum in Ciuilibus.

CCII.

De definitionibus.

OMnis definitio in Iure periculosa est: rarum est enim, vt non subuerti possit. *Iauolenus lib.* 11. *Epistolarum.* Quod est dicere, Iurisperiti veteres Logicæ fuerunt imperiti. An Iurisconsulti veteres ignorarint Dialecticam

Sed cur tolerantur, si periculosa? cur non tandem aliquando corrigi permittuntur?

CCIII.

De damno ex culpa.

QVod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire (*vel vt legunt*, sibi imputet.) *Pomponius lib.* 8. *ad Quintum Mucium.*

CCIV.

De actione.

MInus est actionem habere, quàm rem. *Pomponius lib.* 28. *ad Quintum Mucium.* Spe magna melior est moderata possessio.

Hinc alij, *Minus est ius in rem, quàm ius in re.* Hinc Hispani, *Mas vale paxaro en mano, que buytre volando.*

CCV.

De bis, quæ à nobis abire possunt.

MCCC. XXII. PLerumque fit, vt etiam ea, quæ à nobis abire possunt, perinde in eo statu sint, atque si essent eius non conditionis, vt abire possent. Et ideò quod fisco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & seruitutem in prædio imponere possumus. *Pomponius libr. 39. ad Quintum Mucium.*

Res omnes cum oneribꝰ transeunt. Id posse fieri certum est: at æquè certum, res transire cum suis oneribus, & esse imprudentes, qui emunt ea quæ fisco, aut alteri creditori obnoxia, nisi in pretio habeatur ratio periculi, & minoris vendantur.

CCVI.

De eo, qui cum alterius præiudicio lucratur.

Iniuria à damno differt. IVre naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletiorem. *Pomponius libr. 9. ex variis lectionibus.*

Corrigitur. Deleo vocem *detrimento*. Fieri enim locupletior cum alterius detrimento potes, cum iniuriâ non potes.

CCVII.

De re iudicata.

MCCC. XXIII. Veritas iudicialis. RES iudicata pro veritate accipitur (*saltem in eodem tribunali.*) *Vlpianus libr. 1. ad legem Iuliam, & Papiam.*

[Coniunge legem *Ingenuum. De statu hominum cum alijs.*]

Est certa. In nullo enim tribunali, quę semel iudicata sunt, iterum in dubium reuocantur.

CCVIII.

De desitione.

MCCC. XXIV. NOn potest videri desijsse, qui nunquam habuit. *Paulus lib. 3. ad legem Iuliam, & Papiam.*

CCIX.

De seruitute.

MCCC. XXV. Corrigitur. SEruitutem mortalitati fere comparamus. *Vlpianus lib. 4. ad legem Iuliam, & Papiam.*

Mortui moraliter. Deleo *mortalitati*, & substituo *morti*. Non enim seruus est mortalis ciuiliter, sed mortuus; & liberi potiùs debent dici ciuiliter mortales, possunt enim ciuiliter mori, hoc est, seruitutem incurrere.

Mortales moraliter.

CCX.

De institutione.

MCCC. XXVI. Tempus nihil confirmat. QVæ ab initio inutilis (hoc est inualida) fuit institutio; ex post facto (*legunt alij*, tractu temporis) conualescere non potest. *Lucinius Rufinus lib. 2. Regularum.*

Limitatio. Consonat Bonifacius VIII. dicens, *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* Excipe rationem Præscriptionis possessione, & titulo legitimo fundatæ.

CCXI.

De seruo. An ob causam publicam abesse possit.

MCCC. XXVII. Serui nulli. SEruus Reipublicæ causa abesse non potest. *Paulus lib. 59. ad Edictum.*

Patet; quia ob negotia publica mittendus est aliquis, & cum seruus sit nullus, mitti non poterit.

Sed hîc hærebo. An-ne, vt aliquis agat alieno nomine, debet esse aliquis? Rationem asserendi non video. Prorex esse potest, & solet, qui non est Rex: Produx, qui

Prorex. Produx.

Proepiſcopus Proabbas, Prodeus, Prouir, Profœmina, Proaliquis.

qui non eſt Dux: Proepiſcopus, qui non eſt Epiſcopus: Proabbas, qui non eſt Abbas: Prouir, qui non eſt vir: & Profœmina, qui non eſt fœmina, &c. Immo maiora ſum dicturus; Prodeus eſt, qui non eſt Deus. Ergo Proaliquis eſſe poterit, qui non ſit Aliquis: vel detur manifeſta diſparitas.

Cætera videntur clara. De Prouiro, Profœmina, & Prodeo, aliquid ſubſcripturus ſum.

Repræſentatio.

Beneficium repræſentationis concedit filiabus, vt repræſentent Patrem ſub prærogatiua virili. Et in cauſa Regni Portugalliæ, ſi admittenda eſſet repræſentatio, Sereniſſima Infans Catharina repræſentando ſuum Parentem, eſſet moraliter, & virtualiter Vir. At in hac ſucceſſione non habuiſſe locum repræſentationis beneficium, in meo Philippo demonſtraui.

An filia repræſentet patrem cum prærogatiua virili.

Procuratorium.

Quando Matrimonium initur per procuratorem, conſiderando nudam naturam rei, & fœmina eſſe poteſt procurator viri, & vir fœminæ: & in tali caſu illa eſſet Prouir, & hic Profœmina.

Proregia authoritas.

Relucet etiam hoc in dignitate Proregia, nam Margareta, quæ anno 1641. nomine Philippi IV. Hiſpaniarum Regis regebat Portugalliam, vocabatur ab Hiſpanis *la Virrey*, non autem *la Virreyna*. hoc eſt, *Prorex*; non verò *Proregina*, &c.

Moralis, ſeu virtualis Diuinitas.

De Prodeo non mouebit dubium, qui legerit in Moyſeos vitâ, *Ego te conſtituo Deum Pharaonis*, & in Pſalmo, *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes*, vnde naſcitur humanæ Poteſtatis authoritas, & præcipuè Eccleſiaſtica, quæ eſt quædam moralis, aut virtualis diuinitas.

NOTA.

Reiectis his deberent nouas Regulas Iuriſtæ condere.

VIdiſti, vix vnam, aut alteram eſſe Regulam, quæ vera ſit vniuerſaliter; & non miraris vniuerſas, aut fere, à doctiſſimis Viris explodi. Sed puto, licèt reijciantur iſtæ, & meritò, non eſſe reijciendas Regulas, ſi quæ olim ab aliquo fiant, quæ ſint vniuerſales, & veræ.



IVRIS CAESAREI OECONOMIA.

MCCC. XXVIII. Quid ſit Iuriſprudentia?



IVRISPRVDENTIA eſt iuſti & iniuſti ſcientia. Oportet enim Principem, vtrumque cognoſcere, vt bonos à malis decernat, æquitatem obſeruet, virtutes adſerat, vitia proſcribat, & toti proſpiciat Reipublicæ.

Iuris Regulæ eſſe debent poſitiones vniuerſales.

Iuris Regulæ circa generalia verſantur, quoniam particularis Propoſitio Regula vocari non poteſt. Concipi ſolent: aut ſub vniuerſali ſigno, *leg. omnes, leg in omnibus. l. omnia. l. nullum. cum ſimilibus. hoc tit.* Aut indefinito *l. 2. & 3. cum ſimilibus. hoc tit.* quod vniuerſali æquipollet, *l. ſi ex pluribus. ff. de legat. 2.*

De indefinita. An vniuerſalibus, aut potiùs particularibus ſit accenſenda?

Hoc tamen obſeruandum eſt, Propoſitionem indefinitam in materia neceſſaria æquiualere vniuerſali; & in contingente, particulari: Regulaſque plerumque eſſe de rebus neceſſarijs politicè, aut aliàs non poſſe aliter, quàm ſigno vniuerſali pronunciari.

Regulæ ferè vniuerſales.

Præter vniuerſales Regulas dantur aliæ ferè vniuerſales; quales ſunt, quæ afficiuntur ſignis, quæ ſi non omnia, tamen multa comprehendunt; vt Ferè *leg. ferè* 100. & 190. *h. t.* Plerumque *l. plerumque h. tit.* Frequenter *leg. ea quæ. 65. cum ſimil. h. t.* de quibus vberiùs in mea Morali Logica, vbi conſtruo Syllogiſmos Morales.

Syllogiſmi morales.

An Regulis fidendum ſit?

Sed rogas, An quis Regulis confidere poſſit? Reſpondeo Iuris ſtudioſos poſſe omninò & debere, ſi darentur exactæ Regulæ & à diligentibus Viris formatæ: at modò cùm in toto Iure generi per ſpeciem derogetur, *in toto h. tit.* fit, vt Regularum, quæ res generatim comprehendunt, definitio exiſtat periculoſa. *l. omnes. 203. h. tit.* vt non temerè eis ſit fidendum, nec enim rarò ſubuertuntur oſtensâ lege, ratione aut diſtinctione aliqua, propter quam in præſenti ſpecie locum habere non debeant. Quod, cùm fit, amittunt ſuum officium, quaſi excluſâ exceptione.

Regulæ exauthorantur: quando?

DE NVMERO PRÆDICAMENTORVM.

METAPHYSICI veteres non conuenerunt in numero Predicamentorum, alijs plura, & alijs pauciora adſignantibus. Præualuit Architæ Tarentini ſententia, decem rerum ſeries ſeu categorias enumerans. videlicet Subſtantiam, Quantitatem, Qualitatem: Relationem, Durationem, Actionem, Paſſionem, Vbicationem, Situationem, & Habitionem: de quarum eſſentia aut etiam ordine multa apud Veteres, & plura apud Iuniores inuenio. At Iuriſtæ Syſtema Entis Ciuilis tribus conſtituunt: vt enim omne Ius, ita & Regulæ, quæ inde ſumuntur, ad *perſonas, res, & actiones* pertinent. AD PERSONAS hæ, quibus definitur. Qua in parte fœminæ ſint maribus deteriori iure *leg. 2. & 111.* quo vtantur iure furioſi *leg. 5. & 41. & 167.* Muti, ſurdi, *l. 167.* liberi. *l. 148.* Filius familias *l. 4. & 94.*

Apud Iuriſtas tria. PRIMVM complectitur Perſonas.

Quæ poſſimus circa eas contemplari.

Deinde, quæ ſint iura libertatis, & liberorum, *leg. 21. 107. 137. & 140. & 195.* ſeruitutis & ſeruorum, *l. 33. & 108. 136. 161. 176. 189. & 212.* Poſſeſſorum *l. 199.* tam bonæ fidei 180. quàm malæ fidei, *l. 169.* Item eorum, qui dolo deſierunt poſſidere, *l. 174. 193. & 200.* emptoris & vendi. toris *l. 199.* Fideiuſſoris, *l. 44. & 111.* Socij, *l. 48.* Debitoris, *l. 67. & 96. &c.*

Poſtremò, quæ ſint iura teſtantium & inteſtatorum *l. 7. & 142.* Hæredum *l. 6. & 39. 44. 45. 60. 90. 112. 153. 154. 155. 163. 171. 184. 192. 195. 199. & 200.* Bonorum Poſſeſſoris, *l. 118. & 171.* & Succeſſoris, *l. 138.* Authoris, *l. 138.* Tutoris, *l. 74.* Pupilli *l. 2. 5. 111. 112. & 150.*

MCCC. XXIX. SECVNDVM complectitur Res.

AD RES pertinent eæ Regulæ, quæ oſtendunt, quid iuris ſit in toto & parte, *14. 111. & 191.* Quanta in rebus cautio *l. 261.* Quid obtineat in rebus, quæ nullius cenſentur in bonis, *l. 143.* Quid in rebus, quæ ſunt in alicuius tam corporalibus, vt eſt domus, quæ dicitur tutiſſimum cuiuſque refugium *l. 62. & 104.* quàm incorporalibus, cuiuſmodi ſunt iura ſanguinis *leg. 8.* Teſtamentorum, *l 12. 20. 90 202. & 211.* Legatorum *l. 18.* Hæreditatum, *l. 39 63. 74. 92. & 181.* Repudiationis *l. 35* Poteſtatis *l. 18. & 19.* Nuptiarum *l. 31. & 158.* Actuum legitimorum, *l. 78.* Contractuum *l. 18. 19. 20. 28. 32. & 46.* Obligationum, *l. 131. 145. & 196.* Alienationis *l. 163. & 206.* Translationis iurium, *leg. 55. 121. 163. & 186.* Iuſſus mandati *l. 61. 130. 140. & 200.* Ratihabitionis *l. 61. & 195.* Venditionis *l. 61.*

Multa circa res debent examinari: recenſentur præcipua.

121. & 131. Donationis *leg.* 54. 70. 83. 124. 126. & 199. Dotis *l.* 86. Stipulationis *l.* 187. Aliorumque factorum *l.* 32. 90. & 198. Quid ſeruetur in ijs, quę contractibus accedunt, vt ſunt Res de quibus contrahitur *l.* 47. & 145. Poſſibiles aut Impoſſibiles *l.* 91. 120. 178. & 149. Item in ijs quę contractus aut firmant *l.* 30. 86. & 211. vt ius Pignoris *l.* 119. aut repręſentant, vt Tempus *l.* 14. 17. & 30. aut tollunt *l.* 36. & 102. Item de circumuentione *l.* 50. & dolo ac culpâ, quis videlicet intelligatur eſſe in culpa *l.* 37. 51. 130. 175. & 204. Dolo *l.* 56. 64. 79. 80. 110. 116. 117. 128. 134. 138. 160. & 171. Morâ *l.* 64. 89. & 139. aut alio delicto, *l.* 177. 195. & 198. Quid pręſtet bona fides *l.* 58. & 179. Poſſeſſio *l.* 196. Fructus rei *l.* 72. Euictio *l.* 151.

De vèrborum ſignificatione.

Sed in primis, & precipuę Regulę traduntur de interpretatione Nominum, Verborum & Clauſularum, quę actionibus hominum explicandis adhibentur; vt quam vim habeant, & quomodo interpretanda ſint. Obſcura *l.* 9. 42. 140. & 129. Dubia *l.* 21. 57. & 153. Ambigua *l.* 68. 86. & 97. Repugnantia *l.* 149. Cauillationibus obnoxia *l.* 201. Rarò vel frequenter accidentia *l.* 65. & 115. Singularia *l.* 184. Qua in parte in genere precipitur, iuſtis decretis rem temperandam eſſe *l.* 86. In omnibus, maximè tamen in iure, id eſt, iudicio, ſpectandam eſſe equitatem *l.* 91.

In pactis quæ conſiderãda.

In contractibus primò inſpiciendum, quid actum, etiamſi verba non conſonent *l.* 93. & 95. Tum conſuetudinem: poſtremò id quod eſt minimum *l.* 35. & tempus contractûs *l.* 19. & 30.

TERTIVM complectitur actiones.

Ad Actiones & Iudicia eę Regulę ſpectant, quibus definitur quid ſit ius gladij *l.* 7. 71. Quę poteſtas Magiſtratûs, *l.* 103. Iudicis *l.* 132. & 137. Quid ſit arbitrium *l.* 23. Quę vis cognitionis & iudicij *l.* 28. 73. & 106. Item de iure petitionis *l.* 34. Actoris *l.* 42. & 43. & 89. Procuratoris *l.* 166. Rei *l.* 42. & 168. Defenſionis *l.* 53. 199 & 127. An proponi poſſint plures Actiones, An plures Exceptiones *l.* 44. Quæ actio aliâ momentoſior *l.* 105. De petitionibus ante tempus *leg.* 147. Tranſitorijs in hæredem *l.* 170. Pœnalibus *l.* 173. Quis Actionem dare poſſit *l.* 103. De effectu exceptionis *l.* 113. Et litis conteſtatæ *l.* 78. 88. 99. 125. & 182. Quis condemnare poſſit *l.* 38. & quatenus *l.* 39. Item in condemnationibus ſpectandam ἐπιείκειαν & æquitatem præſertim in pœnalibus *l.* 198. Ad hæc ætatem & imprudentiam *l.* 119.

Quid in illis ſit examinandum?

Effectum autem rei iudicatæ eſſe, vt pro veritate habeatur *l.* 208. Atque alia id genus.

Ciuilis veritas.

Omnia hæc omninò ſciri debent, ne fortè Iuris ignorantiâ labantur, qui ſe putant nil in Iure neſcire: ſunt enim multæ tricæ & hallucinationes in contextu, quæ debent Iuris naturalis intelligentiâ illuſtrari; qua ſoli Theologi imbuti, & tamen rarò à Legislatoribus in ſubſidium vocati.

Notanda.

FINIS.



BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

Sign.ª Top.ª
Est. 32
Tab. 6
Núm. 10

2167